DE APPROBATIONE DOCTRINÆ SANCTI THOMÆ AQVINATIS

Libri Septem

TRIBVS COMPREHENSI TOMIS.

TOMVS IN ORDINE TERTIVS,

TRES POSTREMOS COMPLECTENS LIBROS

DE DISCIPVLATV THOMÆ IN AVGVSTINVM
ſeu de approbatione ſimul Doctrinæ D. Auguſtini, quam S. Thomas
conſtantiſſimè præ cæteris ſequutus eſt.

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. NICOLAVM VENERIVM

D. MARCI PROCVRATOREM,

AVCTORE

F. SERAPHINO PICCINARDO

BRIXIENSI

ORDINIS PRÆDICATORVM

Sacræ Theologiæ in Prouincia Magiſtro, olim Patauij Metaphyſico, nunc Publico ibidem
Theologo, in via S. Thomæ.

PATAVII, MDCLXXXIII.

Sumptibus Petri Mariæ Frambotti Bibliop. *Superiorum permiſſu*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtriſsimo, & Excellentiſsimo D.

SENATORI PRÆSTANTISSIMO

D. NICOLAO VENERIO

D. MARCI PROCVRATORI,

A' quo tunc Studij Reformatore reuocatus eſt Auctor
in Patauinam Vniuerſitatem.

T*Hebaico immanis magnitudinis obeliſco à viginti millibus hominum fabrefacto (vt Plinius enarrat, ac loquitur lib. 36. cap. 9.)* ipſe Rex, cum ſubrecturus coloſſus eſſet, verereturque ne machinæ pondus non ſufficeret, quo maius periculum curæ artificum denunciaret, filium ſuum adligauit cacumini, vt ſalus eius apud molientes prodeſſet lapidi. *Imprudens (mequidem conſule) Ramiſis, qui Rex ille erat, inuentum, tanto vel ſui filij periculo inanimi illi ſaxeæque pyramidi ſecuritatis vſuram impendere, aut mutuari. Non is profectò ſum ego (Senator Ampliſſime) qui exorituræ nunc meæ lucubrationis apici affigens tui vbique venerabile nomen (tibi, tuiſque, ac cæteris, non minus æſtimabile, quam eſſet Ramiſi filius) vel auſerim, vel cogitarim, in tuto ſic ponere ſub tanti auſpicio nominis etiam cum eiuſdem diſcrimine exſculptum hunc meum tam rudi calamo veluti ſcalpro coloſſum. Nec immò libellus hic meus præ ſui tenuitate immanis ille Thebaicus coloſſus eſt, nec ipſe quid aliud in huius eiuſdem nuncupatione, vel exoptaui, vel ſenſi, quam cæterorum me longè doctiorum ſcribentium morem ſic proſequi, aut imitari, qui nec quidem cum Appione Grammatico ſuperbiente præſumunt, ſe eos immortalitate donare, quibus ſua inſcribant opuſcula, ſed ſolum quorundam granditate nominum profitentur ſcriptionum ſuarum exilitati conſulere, vel cæterorum in ſe beneficijs haud ingrati animi ſpecimen, obſequiaque rependere. Id indè conaturus & ipſe (vt de primo dicam) quodnam, obſecro, vel tuo nomine grandius, vel mei opportunius clientelæ operis, aut exoptare poteram, aut meditari? quot ſimul, ac quanta tuum tantum audienti euoluentique nomen eueſtigiò non proſtant? Occurris in primis ipſe, qui plerumque virtutum nitore decoratus, priuſquam titulis, pleraque in patria maieſtate officiorum ſubſellia, aut magiſtratuum decoramenta, per dignitatum, munerumque gradus, præeunte fama, gloriaque comite percurriſti, & inter cætera, quæ ſuperabundè ſufficerent, nedum moderandæ Patauij Studiorum Academiæ addicto Reformatoris titulo, verum & decernendis grauioribus Reipublicæ rebus excelſo Procuratoris D. Marci paludamento ſeu laticlauio inſignitus es. Occurris (ſi te anteriora quæramus) inter tot gentis Venetæ primores, & ille Sebaſtianus Venerius, qui ſuperiori*

iam ſaculo Venetorum agminum Imperator ad Naupacticum ſinum, vbi Actiaca olim Auguſti victoria contigerat, pro Chriſtianorum claſſe retulit de Turcarum clade trium triumphos, roſeaſque coronas, quæ nunc quotannis Deiparæ ſolemni ritu ſacrantur, & Laureas ſimul, quæ in hiſtoricorum memoria adhuc virent, Veneto ſuo Diuique Marci Leoni contexuit. Occurrit (ſi omiſſis cæteris vel deſcendentes à te ipſo percurrere meditemur) & à te ortus, ad magnaque natus, Hieronymus ille Venerius, qui nedum præuenit meritis dignitates, quibus Auorum indole, ſuarumque charactere virtutum præinſignitus aſpiciebatur, verum & primas iampridem aſſequutus eſt, exercetque tantam magnam cum plauſibus Orbis nunc apud Magnum Galliarum Regem nullo Oratorum in Republica minor. Occurrunt hæc omnibus omnia, cæteraque maiora iam ſingulis, quod tuum tantum inſcriptum fronti operis nomen intueantur aut conſulant, hincque non dedignentur (vt ſpero) huic meæ lucubrationi, ſub tanti grauditate auſpicij, eidem quoque concedere, quam præcupiebam, & precabundus efflagito, clientelam. Quod ſi vnquam mihi, ſanè iam immerenti, infeliciter id negaretur, adhuc ſaltem (quod ſecundo loco ponebam) me aſſequuturum eſſe ſperarim, vt ſcilicet in animi gratantis obſequium nunc tibi ſacrarem, quod tuum eſſe noſcebam. Tu etenim vltroneè inflexa tua beneficentia in me ipſum (qui nec litteris iam notus eram) tunc decreuiſti me reuocare Patauium, cum à me ipſo iam Brixiæ quieſcente per otium, poſt diram corporis imbecillitatem, hæc eadem ſcriptio reaſumpta erat, de Approbatione doctrinæ D. Thomæ, iamque citatiſſimo gradu progrediebatur ad medium, ſed nondum tamen properarat ad metam, vndè & inſtantem tunc manum extremam poſteriori huius operis parti ſubducere compulſus fui, vt me totum honori aut oneri, ſeu muneri legendi Patauij iterum in Theologica Cathedra vendicarem. Acceſſi proindè Patauium ſub tantæ auſpicio Clementiæ, eò inopinato reductus, vndè deterritus diſcrimine vitæ pro diriori vitando morbo diſceſſeram, ſacriſque bis denuo initiatus pro legenda in via S. Thomæ Theologica diſciplina, quam ter in alijs Italiæ vrbibus, ante habitam Metaphyſicæ Patauij Cathedram, prædocueram, neque hic tamen hac noua luce perfuſus paſſus ſum ita me non perſtringi obtutum, quin probè diſcreuerim, mea hoc nouo argumento intereſſe, publicum reddere, edereque teſtimonium ſummæ addictionis, qua pronam in me publicam ſimul & tuam venerarer Clementiam. Conceptum propterea mox auctè opus, protinuſque (vt licuit per ferias huius noſtri litterarij fori, æſtiuique præſertim temporis) perductum ad vmbelicum, tum publico nomini (eorumque, qui Republicæ pars maxima erant) tum tuo ſimul, vt tuum planè, iure ac merito inſcribendum eſſe arbitratus ſum. Nec me conſilium fefelliſſe putarim, ſi ea ſaltem, qua me reuocando ad has auras benignitate velut ſilentem extumulare dignatus es, proſequi iterum hic me loquentem non reſpuas, ſed vltrò digneris boni conſulere hæc vota mea, vultus hilaritate excipiendo hoc licet tenue litterarium munuſculum, quod penitiori precantis animi, mentiſque obſequentis facultate deuoueo, & maneo ſemper

Excellentiæ tuæ Illuſtriſſimæ

E Conuentu S. Mariæ Gratiarum Patauij

Humillimus Addictiſſ. & Obſequentiſſ. Ser.
F. Seraphinus Piccinardus à Brixia Ordin. Præd.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

HEliogabalus Imperator *tot picta mantilia in menſam mittebat his edulibus picta, quæ apponerentur, quot miſſus eſſet habiturus, ita ut de acu aut de textili pictura exhiberentur; nonnunquam etiam tabulæ illis pictæ exhibebantur*, vt Lampridius loquebatur in Heliogabalo. Exhibitam & à me habes (erudite Lector) in prima velut voluminis tabula graphidem eorum, aut ſeriem, quæ in paupere licet hoc noſtro litterarum Sympoſio apponenda ſpondebam. Vndè ſi memineris tantum geminas ibidem icones Auguſtini vt Magiſtri, Thomæque vt diſcipuli, e veſtigio diſcernes hunc ipſum Diui Thomæ diſcipulatum, aut nexum doctrinæ eiuſdem cum approbata Auguſtini doctrina, (de qua poſtrema hac parte ſuſcipimus diſſerendum) hanc, inquam, fuiſſe appoſitè ſupremam partem, in quam excurrentis huius noſtri laboris circuitus ferebatur, & in qua veluti in apogæo, iunctæ, ac benefici domicilio planetę, hæc ſolaris, ac radians, *quaſi Sol refulgens in templo Dei*, circumacta huiuſque per girum S. Thomæ doctrina imperturbata ſuſtollitur, & plenior adhuc, ac dilucidior omnes iam planè vel hæſitantium caligines, vel obtrectantium nubeculas diſſipare poteſt, ac ſolet. Quæ etenim maior præcellentia Doctoris Angelici, quam ex hoc ipſo doctrinæ commercio (vel fatente è Societate Suarez prolegom. 6. de gratia cap. 6. n. 28.) *D. Thomam cæteris Scholaſticis Theologis anteferri, primis Eccleſiæ Doctoribus comparari, eidemq; Auguſtino ſupparem reputari?* Quodnam vel D. Thomæ vt Thomiſtarum Magiſtri, Eccleſiæque Doctoris, vel indè vt tanti Doctoris Auguſtini tam fidi commendatique diſcipuli, encomium maius ſperari poterat, aut comprobari? *Scribentis* (vt ita dicam cum D. Epiſcopo Veroneſi Zenone) *ſcribentis charta diuiſa erat, ſed vnus calamus, vt forfex in duos producitur cultros, ſed eorum vnus eſt morſus: & gladius duas acies gerit, ſed ſunt vnius corporis latera: & denarij duo, ſed vna moneta ſignati: & ſcala duos habet ſcapos, ſed aſcenſus vnus.* Hinc meritò inquiebat (etſi nec noſter, nec pediſſequi alioquin, ſed liberioris ingenij) Caramuel in cap. 1. ſuæ fundamentalis Theologiæ fundam. 1. *quod contra Thomam eſt, Auguſtini non eſt*, vt nemo præſumere profiterivè valeat, ſe cum Auguſtino ſentire, ſi à S. Thoma recedat. In ſcribendi etenim genere tantum, non traditis rebus, alter diſcriminatur ab altero, vt ea, quæ D. Auguſtinus latiori Theologiæ poſitiuæ ſtylo conſcripſit, arctiori Thomas Scholaſticæ Theologiæ methodo conformarit, *totque* ex hoc ipſo *ediſſe miracula* non immeritò laudatus ſit, *quot conſcripſit articulos*, iuxta conſimilem ferè D. Vincentij Lirinenſis, de Tertulliano inferioris licet ſubſelij homine, commendationem, cap. 24. dicentis: *quot penè verba, tot ſententiæ, quot ſenſus ſeu ſententiæ, tot victoriæ ſunt.* Opus eſt ergo, vt videbis, vel Galli nouioris, vel antiquioris Germani nouatoris ſectarios (ne de Hiſpano quid dicam, aut alijs pariter profitentibus ſe Auguſtino adhærere, & tamen reijcientibus, contra ſtatuta & exempla maiorum, quædam S. Thomæ nominatim aſſerta, vt cum Henriquez condolente conqueritur Lemos tom. 1. pag. 125.) opus eſt, inquam, vel confiteri ſe vale dicere Auguſtino, vel ad Thomæ cathedram remeare. *Aut ergo* (dicebat epiſtol. 75. ad Pammachium Hieronymus) *aut ſimpliciter noſtra fateantur, aut conſtanter defendant ſua, vt ſcire valeamus, qui nobis amandi, qui cauendi ſint. Nunc autem oderunt nos, quaſi hoſtes, quorum fidem* (ſi Auguſtino adhærere non renuant) *publicè negare non audent. Rogo, quis eſt iſte dolor, qui nec tempore, nec ratione curatur?* Rogo, cur ſi iſti non ita fortaſſe oculati ſunt, aut in eo, quo tenentur, obſcuro, videre non poſſunt in Auguſtino, quod palam vidit perſpicaciſſimus æque ac ſanctiſſimus eiuſdem interpres Angelicus, cur loco criminationum, quas in nos congerunt, non imitantur adminus eas noctiuagas Euangelij Virgines, licet minus ſapientes, *quæ quamuis ſtultæ* (vt Emiſſenus homil. 7. ad Monachos inquiebat) *non tamen alienas extinguere, ſed ſuas lampades illuminare cupiebant?* Iam ſane pro Schola S. Thomæ palam ſtare Auguſtini ſententiam, ex hoc vno ſaltem (quem hic tractamus) inter vtrumque nexu dilucidè ac velut in luce meridiana conſtabit; & niſi iam nimium moles operis excreuiſſet, præter hoc tertium volumen, iam quartum alterum tomum (quem fermè paratum habeo in *Ianſeniſmum* inſcriptum) adiungere decreuiſſem, in quo non minus contra tria ingentia Ianſenij volumina, numine fauente, luce clarius euincerem (profligatis vbique nouis Ianſenij dogmatibus) perpetuum Thomæ cum Auguſtino commercium. Verum tot alias ſimul, velut in pictoris pluteo, aut apotheca, calami penicillo complendas, teneo inceptas tabulas (ſicut & modo perfeci quadripartitam Theologicam ſummulam, in Atheiſmum, Politheiſmum, Præadamiſmum, & PſeudoChriſtianiſmum) vt quonam tempore poſt iſta edita ſtatuto ordine reliqua edenda ſint, nec tibi valeam aut indicare, aut polliceri, accedente præſertim, non ſolum probata toties inſtabili corporis firmitate, labentiumque, per gradus ætatis, ſimul virium imbecillitate, verum etiam (quod moleſtius eſt) tam mala citatiſſimæ meæ obſcuritate ſcriptionis, vt iam exacto cuiuſque operis elucubrati labore, ingeminatus deinde iterum mihi dictandi labor continuo ſubeundus ſit, eò hic anteriori moleſtior, quò ibi ſaltem mens oblectata ſpeciebus, quas concipit, nec planè partus ſpiritualis dolore cruciatur, hic verò coacta diuturnum ex æquo (ac muneri publici profeſſoris addictum) conterere tempus in his, in quibus alioquin (niſi difficultas characteris obeſſet) & tyronis vix Grammatica tincti pro dictando, ſcribendove, peritia ſufficeret, mens alijs intenta, proinde tædula pudentia, ſimul ac ſterili velut ingraueſcente moleſtia grauatur. Præterquamquod

tædium

tædium adauget eã neceſſaria, ſed nunquam alicui vndequaque ſufficiens, ingruentium vbique typographi emendatio mendorum, cui (ne laude fraudem, qui me ex parte labori ſubduxit) nunc perficiendæ in hoc opere (prout res ipſa ferebat, & infelicitas alioquin, aliqua ineuitabiliter prætereundi, permiſit) cum indicibus operis colligendis, me ſummopere iuvit, leuauitque adſiſtentis humaniter cura perdocti, ac eruditi Lectoris Dominicani F. Ioannis Baptiſtæ Hectorei de Venetijs, quem hic honoris gratique animi gratia nuncupare tenebar. Fruere itaque his ſaltem interim, Lector, meque ſuperſtite, ac benè valeote, ſi numini placeat, alia quædam ſuo edenda tempore præſtolare, & demum, vt claudam cum Magno Athanaſio in epiſt. ad Serapionem, *in iſtis etiam legendis, quædam emendes, rogo, & vbi imbecillior eſt dictio, veniam dones.* Vale.

Et commiſſa, vel prætermiſſa, à typographo; grauiora hæc errata ſic corrige.

Pag. 6. Poſſidoolus, Poſſidius. 22 oil, vel. 35 fuiſſet, fuiſſe. 49 anteponeret, poſtponeret. 61 anno 8564, anno 1584. pag. 74 eſſe, non eſſe 99 adiungerem, adiungere. 100 ſeithæ, ſitæ. 118 ubiecto, ſubiecto. 135 Regnum, Reghium. 147 vt, væ. 151 placaret, placeret. 152 nos, non. 153 anthidoto, antitheſi. 154 Epiſc. Epiſt. 164 in, ij Ibidem. omnes, omne. 177 alijs, labijs. 189 multis, multi. 204 ineluctabile, ineluctabilis. 206 decernentem, decernente. 221 volente, nolente. 233 Epiſt. 117, Epiſt. 207. (quod & alibi erratum) 245 ſopponebat, ſupponebant. 244 oppoſitè, appoſitè. 246 vulgatam, vulgatum. 251 repetere, repeteret, 253 bona, bonam. 256 ſenſu, tenue. 257 linea 16 pollere, polluere. 260 brochio, brachio. 273 Vſtus, Vſſerus. 279 eiuſdem, eiſdem. Ibid. iſte, iſti. Ibid. Generali, indubitato. 350 articulos, articuli. 381 priut, prius. 448 videas, videns. Ibid. obiectione, obiectiue. 455 debeat, debet. 457 citata, citato Ibid. Lutherum, Lutherus. 459 hauc, hinc. 466 erroneam, erroneum. Adde & ſic corrige in Dedicatoria tomi primi, ſignatous, ſignatutut. acceptatum, acceptatum. In eiuſdem Præfatione ad Lectorem. prætermiſſam, prætermiſſum. In dedicatoria tertiæ Proluſionis ibidem. eueſtigia, eueſtigio. In præmiſſis Bullis ad ſecundum tomum. præſertim in Breui Clem. VIII. Batum, Datum. In titulo Breuis Alexandri VII. Doctoris, Doctores, In Epiſtola Pariſienſi. Sacra, ſacta, articulis, articulis. Et alia huiuſmodi, quæ irrepſerunt, rogo, humaniter feras.

INDEX

INDEX

QVÆSTIONVM, ARTICVLORVM, ET PARAGRAPHORVM

TOMI TERTII.

LIBER IN OPERIS ORDINE. V.

De certitudine doctrinæ Auguſtini, & cenſura veterum oppugnatorum eiuſdem.

Quæſtio Prima.

AN ex Apoſtolica approbatione vniuerſim omnium operum S. Auguſtini, ſeù ex hoc ſolo, deducatur eius doctrinam definitiuè ab Eccleſia approbatam eſſe. Pag. 3

Articulus Primus.

Affirmatiua ſententia proponitur. ibid.

Art. II.

Negatiua ſententia ſubiungitur, & ſtabilitur. 4

Art. III.

Primæ ſententiæ argumenta ſoluuntur. 8

Quæſtio II.

An hoc non obſtante, approbatio Apoſtolica doctrinæ Auguſtini in materia prædeſtinationis, & gratiæ definitiua fuerit. 11

Art. I.

Argumenta negatiuæ ſententiæ afferuntur. 12

Art. II.

Proponitur, & ſtabilitur oppoſita affirmatiua ſententia, & vindicantur ſimul Cæleſtino poſteriora capita epiſtolæ eiuſdem. 19

Art. III.

Eluduntur obiectiones allatæ. 37

Quæſtio III.

An his ſtantibus, aut nimium quidam Patres coniiciendi ſint in errorem, ſeu hæreſim Semipelagianorum, aut quinam eximendi, ſeu abſoluendi ab eadem. 55

Art. I.

Producuntur cum ſuis fundamentis rigida nimis ſententia, immerito aliquos deiicientes in Semipelagianorum errorem, Auguſtino, fideiq; contrarium. 56

Art. II.

Proferuntur ex aduerſo alia nimis laxa ſententia, pleroſq; etiam Semipelagianos ab erroris nota eximentes cum argumentis earumdem. 61

Art. III.

Prædefiniuntur quædam de ſecta Semipelagianorum quæſtiuncula, vt indè ab eadem cum cæteris Eccleſiæ Patribus, Vincentius Lirinenſis, ac Hilarius Arelatenſis vindicentur, contra primam ſententiam, cæteris contra ſecundam ſententiam in Semipelagianorum turba relictis. 65

§. I.

In quonam capitaliter hæreſis Semipelagianorum, vt à Pelagiana diſtincta, etiam in materia de gratia conſiſteret. 66

§. II.

An inter Semipelagianos, etiam poſt Pelagium, fuerit inter ipſos & ne dum à Pelagio diſſenſio. 69

§ III.

An ante Maſſilienſes, atque Caſſianum, & huiuſmodi, inchoauerint alij, ac tenuerint Semipelagianorum errorem, vt Vitalis Carthaginenſis, Ticonius, & aliqui Monachi Adrumentini. 72

§. IV.

An Semipelagiani inter actus naturales inchoantes gratiam, poſuerint hæc tria, ſcilicet aliquam fidem naturalem, deſiderium ſanitatis, & orationem. 74

§. V.

An poſt hos actus naturales inchoantes ordinem gratiæ admiſerint Semipelagiani poſtea adiutorium efficax ab intrinſeco ſine timore læſionis indifferentiæ, ſeu libertatis. 78

§. VI.

An aliqui ſaltem Semipelagiani adhuc ad ſingulos prædictos actus naturales initiales admiſerint gratiam excitantem internam, determinabilem tamen pro libito voluntatum ſe diſcernentium &c. 80

§. VII.

An Semipelagiani plerumque ob inuincibilem ignorantiam cenſendi fuerint ſolum hæretici materiales, non formales, pro aliquo tempore, quo errare cœperunt. 85

§. VIII.

Ex præmiſſis hucuſque Vincentium Lirinenſem oſtenditur Semipelagianis non adhæſiſſe. 96

§. IX.

Hilarium pariter Arelatenſem Epiſcopum à ſuſpicione Maſſilienſis erroris eximendum eſſe monſtratur. 105

Art. IV.

Abiguntur obiectiones allatæ Artic. 1. primæ claſſis extrema accuſantium in propoſito Patres. 117

Art. V.

Obiecta ſecundæ claſſis extrema innodata art. 2. ſoluuntur notos etiam Semipelagianos eximentis à nota. 128

LIBER IN OPERIS ORDINE SEXTVS

De opportunitate, ac maiori probabilitate diſputationis Auguſtinianæ aduerſus Maſſilienſes circa præſcientiam etiam conditionatorum ab oppugnationibus vindicata.

Quæſtio Prima.

An Auguſtiniana diſputatio de Præſcientia etiam conditionatorum, innixa decreto, tempore Auguſtini opportuniſſima fuerit aduerſus Maſſilienſes, & nunc inter Scholaſticos rationabiliter permittatur. 143

Arti-

Digitized by Google

Art. I.

Proponuntur argumenta ſententiæ negantis. 144

Art. II.

Producitur, & ſtabilitur oppoſita affirmatiua ſententia, 146

Art. III.

Soluuntur obiectiones productæ Art. I. 156

Quæſtio II.

An circa prædictam conditionatarum præſcientiam probabilius, quod nunc aſſerunt Thomiſtæ, olim etiam Auguſtinus aſſeruerit. 160

Art. I.

Origa ſcientiæ conditionatorum, vel mediæ cum abuſu, quomodo hæreſis eſt ab Auguſtino, à Conciliis, & communiter à Scholaſticis reprobata. 160

Art. II.

Reſoluitur, & probatur circa prædictam conditionatorum præſcientiam, quod nunc aſſerunt Thomiſtæ, id verè etiam Auguſtinum ſaltem probabilius aſſeruiſſe. 171

Art. III.

Afferuntur obiectiones, & oſtenditur plerumque ab Auguſtino præoccupatas, ac ſolutas eſſe. 195

Quæſtio III.

An prædicta explicatio Auguſtiniana, atque Thomiſtica, vt olim iniquè Manichæiſmi accuſata in Auguſtino, ſic modò iniuſtè accuſetur in Auguſtini, & Thomæ diſcipulis, vt ſuſpecta affinitatis cum Caluiniſmo. 209

Art. I.

Proponuntur dubitandi rationes ex Bail Pariſienſi. 210

Art. II.

Dilucide, ac luculenter Auguſtini, & Thomiſtarum ſententia vindicatur. 213

Art. III.

Argumenta ſoluuntur in primo articulo recitata. 251

Quæſtio IV.

An ſaltem prædicta ſententia, ſeu explicatio Thomiſtica circa conditionatorum præſcientiam decreto innixam, vt Ianſeniſmi ſuſpecta ab aliquibus traduci poſſit. 263

Art. I.

Affirmatiua contra nos ſententia refertur. 264

Art. II.

Negatiua ſtabilitur. 264

Art. III.

Obiectiones ſoluuntur. 272

Quæſtio V.

An etiam hæreſis Prædeſtinianorum ante Caluiniſticam verè olim extiterit in Orbe diſtincta à præexplicata doctrina Auguſtini, licet & huius hæreſis nota Auguſtini doctrina ab aliquibus infamata fuerit? 273

Art. I.

Proponitur negatiua ſententia. 273

Art. II.

Affirmatiua firmatur, & defenditur. 275

Art. III.

Obiectiones ſoluuntur. 280

LIBER IN ORDINE SEPTIMVS ET POSTREMVS OPERIS

De Profundioribus quibuſdam difficilioribuſque partibus intercurrentium quæſtionum, quas poſtea in Auguſtiniana prædicta præſcientia futurorum latius Scholaſtici pertractarunt.

Quæſtio I.

De præexiſtente in Deo præſcientia futurorum quorumcumque etiam conditionatorum vt ſic. 283

Art. I.

An futura conditionata, ſiue neceſſaria, ſiue diſparata in vi propoſitionis conditionalis, vel ſaltem æquiualenter copulatiuæ, cognoſcantur à Deo. 285

Art. II.

An futura conditionata contingentia, ſeu moralia, & probabilia, ex vi conditionis etiam ante decretum coniecturaliter, ſeu moraliter obiectiue præcognoſcantur à Deo. 288

Art. III.

An certum ſit, conuenienterque Thomiſtæ, prædicta conditionata, præter cognitionem obiectiuè ex vi conditionis probabilem, aliundè etiam certò infallibiliter obiectiue præcognoſci à Deo. 294

Art. IV.

An prædictæ res ſemper prius ſciantur à Deo, vt futuræ in ſtatu conditionato, quam abſoluto. 302

Art. V.

An prædicta ſcientia conditionatorum reducenda ſit potius ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quam ad ſcientiam viſionis, vel ad ſcientiam intermediam inter vtramque. 309

Art. VI.

An iuxta S. Tho. & veritatem, ſcientia libera, nedum à ſcientia naturali diſtincta ſit, verum etiam libera eſſe debeat, ne dum obiectiuè, ſed ſubiectiuè ſemper, nec conſequenter prædicta ſcientia conditionatorum ſit media inter vtramque. 316

Quæſtio II.

De futuritione, vel præſentia actuum Diuinorum in Deo præcognoſcendorum ab eodem. 323

Art. I.

An in Deo præter actum liberum actiuè executiuum in tempore detur ab æterno formaliter etiam prædefinitio libera vt talis prædefiniens prædictum actum liberum ſuum in tempore executiuum. 322

Art. II.

An de quocumque ſuo actu libero executiuo futuro abſolute in tempore habuerit Deus ab æterno ſua decreta prædefinitiua. 326

Art. III.

An actus liber Dei executiuus in tempore, vt talis, ab æterno habeat rationem futuri abſoluti in Deo. 329

Art. IV.

An aliquis actus liber Dei executiuus in tempore pariter poſſit habere rationem futuri conditionati ab æterno. 332

Art. V.

An ſimiliter actus Diuinus prædefinitiuus ab æterno poſſit habere ſaltem virtualiter intrinſece cum fundamento in re rationem futuri abſoluti in aliquo ſigno priori antequam concipiatur exiſtens. 338

Art. VI.

An ſaltem actus prædefinitiuus ab æterno poſſit habere rationem futuri conditionati ſubiectiue in Deo. 349

Art.

Art. VII.

An ſaltem idem actus prædefinitivus poſſit habere rationem præteriti abſolutè, vel ſaltem ſub conditione ſubiectiuè ab æterno. 342

Quæſtio III.

De certa cognitione in Deo prædictorum ſuorum actuũ executiuorum in tempore, ſiue abſolutè, ſiue conditionate futurorum. 344

Art. I.

An etiam Deus certo cognoſcat ſuos actus in tempore conditionatè futuros. 344

Art. II.

An Deus ſuos actus futuros abſolutè in tempore præſciat ſolum in ſuo decreto prædefinitiuo eorumdem ab æterno. 348

Art. III.

Quid ſit forma, à qua deſumatur futuritio actus noſtri creati, vt indè à notioribus nobis ad futuritionem etiam conditionatam actus Diuini aſcendamus. 350

Art. IV.

Quid ſit in ſtatu conditionato cauſam ſecundam liberam ſe determinare formaliter &c. vt inde inferamus quomodo id debeat reuocari in Deum. 360

Quæſtio IV.

De modo ſingulari Zumel, Cabrera, Nauaretis, & paucorum quorumdam, probabiliter opinantium Deum prædictos actus ſuos executiuos conditionate futuros, ante decretum quodlibet etiam conditionatum, agnoſcere; Vt ſic propoſitus explicetur hic modus, poſtea poſtpoſitus refellatur. 366

Art. I.

An futuritio prædicta conditionata actuum ſiue Dei, ſiue Creaturarum, ſit conditionata ſolum obiectiuè, ſubiectiue autem abſoluta, vel potius conditionata vtroque modo. 367

Art. II.

An his non obſtantibus adhuc dentur decreta obiectiuè conditionata Thomiſtica approbatiua conditionatæ futuritionis actuum Diuinorum, vel vltrò etiam directe immediatè tangentia conditionatam futuritionem actuum creatorum. 377

Art. III.

An pro ſigno priori, ante prædicta decreta conditionata, adhuc probabile ſit Diuinum intellectum prænoſcere futuritionem conditionatam explicatam operis Diuini executiui in tempore, quid ſcilicet poſita tali, vel tali conditione voluntas ipſa Diuina operatura foret. &c. 388

Art. IV.

An actus conditionate futuros creatos, vel noſtros Deus immediatè ac primo cognoſcat in actu proprio ac vno executiuo, vt conditionatè futuro in tempore, & ſolum poſtea ſecundario mediate in decreto conditionato obiectiuè. 408

Quæſtio V.

De probabilitate (his non obſtantibus) longè maiori communioris explicationis Thomiſtarum, & improbabilitate alterius nuperæ explicationis Ioſeph de Vita. 416

Art. I.

An non obſtantibus omnibus adductis ſupra probabilius ſit adhuc Deum in ſigno priori ante decretum præſcire non poſſe actus ſuos executiuos conditionatè futuros, nec inde per conſequens ſcire poſſe vel noſtra conditionata futura in alio quam in decreto conditionato Thomiſtico. 417

Art. II.

An ſaltem in ſtatu conditionato ita præuideatur conſenſus voluntatis noſtræ à Deo, vt per ſolam apprehenſionem intellectus determinata ab eodem, ſcilicet per præparatam cauſarum, obiectorumque congeriem in ordine ad bonum, ſine alio quocumque concurſu voluntas noſtra phyſicè prædeterminata agnoſcatur. 429

Quæſtio VI.

Pro Corollario ex præmiſſis compendioſè reſpondens ad nuperas obiectiones Orthegæ contra præſtabilitam præſcientiam etiam conditionatorum innixam propoſito iuxta S. Auguſtini, & Thomæ principia. 444

Art. I.

Obiectiones Orthegæ circa Thomiſticam conditionatorum præſcientiam afferuntur breuiter, & diſſoluuntur. 444

Art. II.

Orthegæ obiectiones ſoluuntur, de confuſo nobiſcum Caluiniſmo, aut Ianſeniſmo. 453

Art. III.

An Orthega, non dicam omnes, ſed ſolum præcipuam, vnamve adminus Thomiſtarum probationem ritè diſſoluerit.

FINIS.

Digitized by Google

DE APPROBATIONE

DOCTRINÆ S. THOMÆ AQVINATIS.

Secunda Operis Pars.

TRES POSTERIORES LIBROS COMPLECTENS

De Diſcipulatu Thomæ in Auguſtinum, ſeù de Approbatione Doctrinæ D. Auguſtini quam Sanctus Thomas conſtantiſsimè præ cæteris ſequutus eſt.

PROOEMIVM.

POſt tot Præceptoris Angelici approbationes defenſatas ac laudes, gaudebit, vt probè reor, ac geſtiet ſe à nobis hoc etiam titulo in Auguſtinum diſcipuli inſigniri, non minus ac dedignatus non eſt Auguſtinus li. 6. in Iulianum operis imperfecti cap. 25. ſe veteriorum Patrum diſcipulum appellari, dum Iuliano per ironiam eum vocanti cæterorum *principem*, ait: *Horum quomodo princeps vocor? quos non duco ſed ſequor: Sancti enim* (vt præmiſerat lib. 4. cap. 111.) *& clari Antiſtites Dei fuerunt Eccleſiæ Catholicæ filij diſcendo, & Patres docendo*. Rationabiliter igitur D. Thomam Doctorem Angelicum peculiarem ac tenaciſſimum Diſcipulum D. Auguſtini fuiſſe, res adeo ſplendida eſt, vt lumine maiori non egeat. Hic enim ille eſt, de quo (vt comprobatum legitur in proceſſu Canonizationis eiuſdem S. Thomæ cap. 7. apud Bolandum Societatis ad diem ſeptimam Martij) Divus ipſe Auguſtinus apparens Beato Alberto de Brixia vigilanti ac oranti dicebat: *hic eſt filius meus, qui Doctrinam Apoſtolicam, & meam, in omnibus ſequutus eſt, & Eccleſiam ſua Doctrina illuminauit &c. & mihi in Gloria eſt æqualis, excepto, quod ipſe in Virginitatis Aureola me excedit*. Ille eſt, de quo exinde Summus Pontifex Vrbanus V. in Bulla ad Toloſanos id comprobabat his verbis: *B. Thomas de Aquino, B. Auguſtini veſtigia inſequens, Eccleſiam Doctrinis & ſcientijs quamplurimis adornauit*. Ille eſt, de quo Tridentinus Orator coram Synodo Tridentina dicebat: (*Auguſtini obſeruantiſsimus fuit*.) Ille eſt, de quo noſtra ſimul ætate alter Pontifex Maximus Alexander huius nominis Septimus idcircò *iudicio iungens laudeque non diuidens* in Diplomate ad Louanienſes velut ſimul connexa laudauit *Præclariſsimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini &*

Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaque dogmata &c. quorum profectò Sanctiſſimorum Virorum penes Catholicos Vniuerſos ingentia & cõmunem ſupergreſſa nomina noui preconij commendatione non egent. Ille eſt, de quo & cæteri plerique celebriores Doctores hunc eius Doctrinæ nexum ac glutinum eum Auguſtini Doctrina perpetuò recognouerunt ac commendarunt, vt longo ſyllabo dedimus, tum lib. 3. quæſt. 5. ar. 1. tum quæſt. 8. art. 2, tum lib. 2. q. 1. art. 2. ad 4. Ille eſt demum, qui propterea in animi gratiſſimi ſpecimen erga ſanctiſſimum Doctorem Auguſtinum, è cuius Doctrina profecerat, etiam eiuſdem D. Auguſtini Officium, quod canitur, adornauit, vt atteſtatur B. Pius V. in Bulla 115. edita anno 1570. pro Lateranenſibus Canonicis dicens: *Fiat de Sancto Auguſtino, cum dici Dominicæ commemoratione, cum Antiphonis videlicet, hymnis, reſponſorijs, ac reliquis ipſorum Canonicorum proprijs, ordinatis à D. Thoma Aquinate, iuxta eorum antiquorum morem.* Imitantes igitur noſtrum Angelicum Præceptorem & nos, immeriti licet eiuſdem Diſcipuli, poſt approbationes Doctrinæ eiuſdem S. Thomæ in ſuperiori parte defenſas, nunc de Approbatione Doctrinæ Auguſtini in hac ſecunda parte tractabimus, vt poſtquam quo ad primum reſpondimus, æquè & quo ad ſecundum reſpondeamus Eraſmo (Hæretico ac ſectatori Lutheri) quo ad vtrumque carpenti Catholicos illis verbis, quæ habet in Vita Hieronymi, ac refert Lopez Suniga, inter Blaſphemias Eraſmi dicentis: *Prædicator non patitur quidquam conuelli ex Diu. Thomæ placitis: Auguſtinianus non patitur ab Auguſtino diſſentire.* Sic immo nos pro noſtra tenuitate præſtabimus, quod præſtandum eſſe vniuerſis Catholicis Doctoribus præcipiebat, aduerſus oppugnatores Doctrinæ eiuſdem Auguſtini, Cæleſtinus in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 2. ſcribens: *Reſiſtendum talibus, quos male creſcere videmus. Nefas eſt hæc pati religioſas animas, quarum afflictione nos quoque conuenit macerari: non eſt agentium cauſa ſolorum, quando Vniuerſalis Eccleſia quacunque nouitate pulſatur.* Sit ergo ſubſequens Liber.

Liber in Operis Ordine Quintus

HVIVS VERO SECVNDÆ PARTIS PRIMVS

De certitudine Doctrinæ Auguſtini, & Cenſura veterum oppugnatorum eiuſdem.

PRimo itaque in hoc libro (vt huius ſecundæ partis ordo præluceat,) iuxta Ariſtotelis, San. Thomæque methodum, à communioribus veluti inchoantes, aſſumemus Patrocinium Auguſtinianæ Doctrinæ in communi, in ſequenti libro contractam magis Doctrinam eiuſdem oppugnatam olim, noſtriſque temporibus iterum (circa futurorum præſertim conditionatorum præſcientiam innixam propoſito voluntatis diuinæ) ab obiectionibus Veterum ac recentiorum pro viribus vindicabimus: & in poſtremo denique libro adhuc ſelectas magis, & ſingulares in eandem rem diſſertationes Scholæ ſubdemus.

QVA

QVÆSTIO PRIMA.

An ex Apoſtolica Approbatione vniuerſim omnium Operum S. Auguſtini, ſeu ex hoc ſolo, deducatur eius Doctrinam definitiue ab Eccleſia approbatam eſſe.

QVia vero quamplura, ex quibus dicenda hic de Approbatione Doctrinæ Sanctiſſimi Patriarchæ noſtri, & Eccleſiæ Doctoris Præcipui Auguſtini dependent, iam ſunt præmiſſa ſuperius lib. 1. per totum *de Approbationibus Apoſtolicis Doctorum ac Doctrinarum in cōmuni*, idcirco, ne hic in vacuum repeterentur, illis præſuppoſitis omnibus, nunc breuiter tantum primo loco quæremus, an Auguſtini Doctrina vniuerſim definitiue approbata ſit. Secundo, an ſaltem approbatio Apoſtolica Doctrinæ Auguſtini in materia Prædeſtinationis & Gratiæ definitiua fuerit. Tertio tandem, quinam, his ſtantibus, conijciendi ſint ſeù referendi in errorem vel hæreſim Semipelagiorum Auguſtinianæ Doctrinæ contrariam, vel quinam ſint ab eadem nota abſoluendi. Et pro primo quidem in hac prima quæſtione nunc quærimus, ſicut in titulo propoſitum eſt.

ARTICVLVS PRIMVS.

Affirmatiua ſententia proponitur.

AFfirmatiuam iamdiu ſententiam elegit, non quidem Gratianus, vt aliqui falſo ſupponunt, & notat Couarruvias lib. 4. variarum reſolutionum cap. 16. ſed Gloſſa in eandem diſtinct. 9. cap. *noli meis*, dicens. *Poſt Approbationem Gelaſij in cap. Sancta Romana, dicet non ante, ſcripta Auguſtini & aliorum Sanctorum Patrum authentica cenſeri ac pronunciari, vt vſque ad vltimum iota neceſſario recipienda ſint.* Et quidem pro iſta ſingulari ſententia ſic obijci ſolet aut poteſt. Nam niſi ſaltem aliquod indefinite aſſertum in quolibet Sancto Doctore veluti certum ab Eccleſia approbatum fuiſſet (præter manifeſtos articulos fidei) non poſſet inde etiam, præter manifeſtos Articulos fidei, ex omnium Sanctorum Patrum conſenſu conuenientium in aliquo theologico aſſerto, deduci certitudo eiuſdem aſſerti, vt tamen inferri concedunt omnes omnino Theologi, ſiue poſtea à poſteriori, vt Faſolus, ac Gilius volunt ad p.p. q. 1. art. 8. ſiue etiam à priori, vt Nazarius in Opuſc. de auctorit. Patrum conclu. 9. cum Cano, Bannez, Grauina & alijs, conſequenter admittunt aliquod indefinite aſſertum in quolibet Sancto approbato, definitiuè approbatum ab Eccleſia admittendum eſt. Sed non eſt maior ratio de vno aſſerto, ac de alio, cum Eccleſia ſine exceptione pronunciet ſuam approbationem Doctrinæ Sanctorum, *nec* conſequenter, *Vbi ius ipſum non excipit, nos excipere poſſumus vel debemus*, vti ad propoſitū ex iuriſtis eadem Gloſsa arguebat apud Turrecrematam ad dictum caput, *noli meis*: igitur præmiſſa ſemel Eccleſiæ approbatione in alicuius Sancti Doctrinam in particulari, ſubinde omnia indiſcriminatim eiuſdem aſserta, vt definitiue approbata vel certa recipienda ſunt.

Secundò, nam ſicut inſtrumentum in aliqua ſui parte de falſitate conuictum inde totum ſuſpectum euadit, ita & ſcriptura, ſi ex parte falſitatem ali-

quam immiſceat, nullam ſubinde amplius fidem promereri poteſt, vt eodem loco arguebatur argumento deducto ex Auguſtino epiſt. 8, & 10. ad Hieronymum, & lib. 2. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 12. Sed iam opuſcula Sancti Doctoris ab Eccleſia approbati, aliquam, & non exiguam, fidem promereri ſolent, igitur nullam in ipſis admiſceri falſitatem neceſſe eſt, & per conſequens vt definitiuè approbata veneranda ſunt.

Tertiò, nam Spiritus Sanctus promiſſus Eccleſiæ non poteſt eidem inſpirare alicuius approbationem falſitatis, ſed veritatis dumtaxat, iuxta illud Ioan. 16. *ille ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; ſed approbatio, qua approbat Eccleſia Doctrinam alicuius Sancti Doctoris in particulari, à Spiritu Sancto eidem inſpirata eſt, vt plane decernit Hormiſdas Pontifex in epiſt. ad Poſſeſſorem de approbatione Opuſculorum diuerſorum Patrum, quam fecerat Gelaſius Papa in Concilio Romano, vt refertur in cap. Sancta Romana, ſic dicens, *Non improuide veneranda Patrum ſapientia fideli poſteritati, quæ eſſent Catholica dogmata definiuit, circa librorum etiam veterum in auctoritatem recipienda Spiritu Sancto inſtruente præfigens*. Igitur approbatio, qua approbat Eccleſia Doctrinam alicuius Sancti Doctoris in particulari, non poteſt eſſe approbatio alicuius falſitatis, ſed ſolius veritatis, per conſequens omnia Sanctorum opera ſemel approbata ab Eccleſia iam vera erunt, & definitiuè approbata dicenda ſunt, vt ibidem Gloſsa paucis immutatis arguebat, adducto etiam Auguſtini teſtimonio relato in diſtinct. 28. cap. quamuis: *quod approbare falſa pro veris, certum pro incerto, aut econuerſo, errare eſt*.

Quartò tandem, nam idem eſt aſſerta alicuius Sancti Doctoris eſſe definitiuè approbata, ac non poſſe eiſdem ab aliquo contradici. Sed aſſertis Sancti alicuius Doctoris ſemel in particulari approbati ab Eccleſia contradici non licet, vt colligi poteſt, tum ex Concilio Chalcedonenſi actione prima dicente, *quis poterit noſtri Patris Cyrilli reprehendere voces*? tum ex Sinodo 7. generali act. 3. vbi relata breuiſſima Chryſoſtomi periodo continuò ſubiungitur, *Sanctus Ioannes oris aurei talia dixit de Iconibus, quis audet dicere quidquam contra?* tum ex 6. Sinodo generali act. 7. vbi vnius Dionyſij teſtimonium ſolum affertur; & conſequenter ſatis eſse ſupponitur, vti & act. 12. idipſum de teſtimonio Mennæ præſtatur. Igitur aſserta alicuius Sancti Doctoris in particulari approbati ab Eccleſia erunt verè definitiuè approbata, vt dicta Gloſsa in diſtin. 9. decreti Gratiani mox ante allata aſserebat.

ARTICVLVS II.

Negatiua ſententia ſubiungitur, & ſtabilitur.

IN oppoſitum tamen eſt communis, vt video, cæterorum omnium ſcriptorum de hac materia conſenſus, vt S. Thomæ præ cæteris 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2. cum Auguſtino relato ab eodem, inde Eminentiſs. noſtri Turrecrematæ, tum in eamdem diſt. 9. cap. *ego ſolus*, q. 2. tum in diſt. 15. cap. *Sancta Romana* q. 3. & 4. quos deinde velut Anteſignanos proſequuti ſunt in propoſito Canus lib. 7. cap. 3. concluſione 2. Bannez eiuſdem Cani diſcipulus in 1. p. q. 1. ar. 8. dub. 5. concl. 2. Nazarius poſt Bannez ſcribens in opuſc. de auctoritate Patrum concl. 10. Idelfonſus Baptiſta in Apologia pro doctrina Pa-

trum

trum concluſione pariter 10. Grauina eodem tempore ſcribens p. 1. tomi 3. q. 2. principali ar. 4. ex alijs vero Gilius allatus cum Vega, & approbatus à Faſolo in 1. p. q. 1. ar. 8. dub. vlt. Palatius q. 8. prologi, Alphonſus de Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſes cap. 7, Gerſon tomo 1. in opuſc. de examine doctrinarum conſideratione prima & ſubſequentibus, Toſtatus Abulenſis in 2. p. defenſorij cap. 18. & 81. Io: Maior q. 1. prologi in quartum ſententiarum ar. 2. & demum vulgatum ſcriptum nomine Pariſienſis Vniuerſitatis impreſſum in fine Magiſtri ſententiarum, alijque innumeri recentiores ad p. p. q. 1. ar. 8. quos referre opus non eſt in tam certo Auctorum aſſenſu, igitur iſta ſententia vt certiſſima nunc iure meritò reputatur.

Reſpondeo vtique certum eſſe non quamcumque approbationem Apoſtolicam doctrinæ vel operum alicuius Sancti in particulari definitiuam eſſe aſſertorum eiuſdem, etſi quandoque aliqua in ſingulari materia (vt in ſequenti ſubdemus) huiuſmodi eſſe poſſit, vti vtrumque inter cęteros mox allatos diſertiſſimè docuerunt, Nazarius concluſione 13. & 14. Idelfonſus concl. 8. & 9. & alij, atque pronunc dimiſſo ſecundo, quod in preſenti minus præcipuū eſt, & in ſequenti de Auguſtiniana doctrina patebit, primum illud, quod hic intenditur, præter prætacta ab alijs, à nobis manifeſtiſſime ſic demonſtratur. Nam opus definitiuè approbatum, vti fuit Leonis epiſtola in Concilio Romano laudata ſub Gelaſio I. in eodem ordine ſimul cum definitionibus Generalium Conciliorum collocatur, vtpotè ineluctabili gaudens certitudine, non minus ac illa, ex vna diuinæ reuelationis infallibilitate in vtriſque. Sed opuſcula plurima vt inſigniter approbata ab Eccleſia, ex oppoſito adhuc, non in eodem, ſed in inferiore ordine reponuntur, vt conſtat ex Gelaſij verbis ſimul cum Concilio Romano relatis in cap. *Sancta Romana* in hunc modum, poſt enumerata quatuor generalia Concilia ſubdentis, *iam nunc ſubijciendum eſt de opuſculis Sanctorum Patrum, quæ in Eccleſia Catholica recipiuntur*. Igitur conſtat opuſcula Sanctorum etſi inſigniter approbata ab Eccleſia definitiuè approbata non eſſe.

Secundò inter definitiuè approbata, gradus ſeu latitudo maioris, atque minoris auctoritatis non datur, cum nempè infallibilis auctoritas indiuiſibilis in propoſito vnaque ſit. Sed inter opuſcula Sanctorum adhuc approbata ab Eccleſia quammaxima datur latitudo, vt colligitur ex verbis eiuſdē Gelaſij ſubiunctis ibidem, longe diuerſum approbationis gradum exprimentibus in Hieronymū, aliosque conſimiles, quam in Rufinum, Origenem, Sedulium, & eiuſmodi alios quoad aliqua eorum opera comprobata ibidem, & è re ipſa conuincitur, dum D. D. & P. P. in eruditione, ac doctrina profectò adinuicem æquales non ſint, igitur non omnia adhuc opuſcula Patrum, & ſi approbata ab Eccleſia, definitiua approbatione fruuntur.

Tertiò, quod ineluctabile eſt, nam duo contradictoria aſſerta ſimul definitiuè vt vera approbari non poſſunt, etſi vt probabilia ſimul valeant comprobari. Sed in opuſculis diuerſorum Patrum, vt Auguſtini etiam atque Hieronymi, diuerſa perſtant aſſerta contradictoria inter ipſos, vt de 70. Interpretibus aliter arbitratus eſſe refertur Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, aliter D. Hieronymus aduerſus eumdem Auguſtinum in prologo 2. ſuper Geneſim, de obſeruationibus legalium non minus diſſident in epiſtolis ad ſe inuicem

uicem miſſis, & ita de alijs tum ipſi, tum alij Patres, vt latius excurrunt Alfonſus de Caſtro vbi ſupra, Turrecremata diſt. 15. q. 4. alijque laudatæ Non ergo poſſibile erit in eiſdem aſſerta ſingula ab Eccleſia fuiſſe definitiuè approbata. Nec valet à pari intorſio in nos ipſos, inde fieri nec potuiſſe electiuè approbari, aliter vtraque contradictionis pars probabilior ſimul adinuicem eſſe deberet. Non valet, inquam, ex eo, quod electiuè approbatis vtriſque Auguſtini ac Hieronymi libris, & ſi illa, quæ vt certa alteruter ex fide inferebat, vt probabiliora ſaltem, in Eccleſia ſuſcipienda eſſe deduceretur, ea tamen, quæ alteruter ſolum probabili aſſenſu aſſerebat, non per certam deductionem ex ſtabilitis principijs, iſta vt probabilia dumtaxat accipienda eſſe ſubſequitur, in quorum primis vix poterat (vt de ſecundis) Auguſtinum inter atque Hieronymum realis ſaltem reperiri diſſenſio, vt ex eorum cautela, modeſtia, pietate, ac prudentia arbitrari conuenit, atque deduxit opportunè Nazarius in confutatione obiectionum Anonymi pro libello Idelfonſi, pagina apud me 194. & ex ipſa diſtinctione aſſertorum adducta ab Auguſtino lib. 1. in Iulianum cap. 2. Fulgentio lib 1. ad Monimum verſus finem, & alijs id colligi poteſt; nec conſequenter infertur vtramque contradictionis partem probabiliorem eſſe debere & ſi non repugnet vtramque probabilem eſſe, vt idem Nazarius poſt concluſionem 10. aduertebat.

Quartò inde, nam etſi ad approbanda quædam aſſerta dumtaxat vt probabilia, vel etiam vt probabiliora, tam accurata diſcuſſio non requiratur, adminus ad approbanda eadem definitiuè, quod idem eſt atque vt certa de fide vel conſectaria ad eamdem, accuratiſſima longè atque ſuprema eorumdem diſcuſſio in Eccleſia etiam expoſtulatur, vt conſtat ex praxi Conciliorum atque Pontificum, & inter cætera habetur ex illo actor. 13. *Facta eſt magna conquiſitio &c.* Sed in Concilio Romano ſub Gelaſio Papa relato in cap. *Sancta Romana*, non conſtat, neque moraliter poſſibilis reputatur, tam ingens diſcuſſio ſimul tot ibi librorum nominatim approbatorum, nimirum Cypriani, Athanaſij, Nazianzeni, Baſilij, Cryſoſthomi, Theophilacti, Cyrilli, Hilarij, Hieronymi, Auguſtini, Proſperi, &, vt alios omittam, ſicut ibi concluditur, *Omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo à Sanctæ Romanæ Eccleſiæ conſortio deuiarunt &c.* Vt omittam etiam iuxta Iſidorum in lib. Ethimologiarum in cap. de his, qui multa ſcripſerunt, *ſolius Auguſtini tot eſſe opera, quot nunquam alicui occurrat legere, vel habere*, vt ſimilia Poſſidonius habet in vita Auguſtini cap. 7; igitur vel ex hoc cap. inferendum eſt non fuiſſe ibi mentem Apoſtolicæ Sedis ſingula prædicta opuſcula, quæ etiam abſolute approbauit, vt certa de fide definita proponere; vbi ex oppoſito ad probabilitatem opuſculis irrogandam duntaxat, tum ibi in Concilio, tum extra, antecedens per longam annorum ſeriem, ac diſputantium examina, accedente aliqua Spiritus Sancti aſſiſtentia, diſcuſſio vtique ſufficiens fuit, vti vir quilibet cordatus, ac prudens, nec contentioſus, admittet.

Quintò, id non eſt cenſendum eo loci Apoſtolicam Sedem voluiſſe, quod eſſe poſſet aliquibus occaſio erroris, nimirum, vel dubitandi (quod enormiſſimum eſſet) de infallibilitate definitionum Eccleſiæ, vel renuendi firma fide tenere tot vix agnoſcibilia, intellectuique peruia in tot approbatis Sanctorum Patrum operibus. Sed id ex hypotheſi aduerſariæ ſententiæ non paucis ita

conſe qui videretur, vt latè inferebat Abulenſis in cap. 82, id nimis etiam exagerando diſcutiens. Non igitur iſtud ſentiendum eſt Apoſtolicam Sedem eo loci, vt ſupponitur, voluiſſe, quod tamen de electiua approbatione duntaxat inferente probabilitatem in approbatorum Patrum aſſertis ſine dubio non valet.

Sextò, quia & Apoſtolus primæ Corinth. 12. & Epheſ. 4. non ſolum commendat, vt adſint, ſed ſemper futuros eſſe in Eccleſia promittit, *Paſtores atque Doctores*. Sed ſi ſemel tot illi libri prædicti definitiuè approbati fuiſſent, in quibus ſimul collectiuè coniunctis negari non poſſent omnia, vel ferè omnia ſcibilia recludi, ſuperuacaneum non ſolum, ſed impoſſibile foret ſuccedentes denuo Doctores, poſt illos, pro elucidatione ſcripturarum, vel fidei, amplius laboraſſe, non igitur conuenit illos prædictos libros fuiſſe definitiuè approbatos; quod iterum ſtante duntaxat electiua approbatione inferente, vt diximus, probabilitatem aſſertorum ab illis, ex alia parte non obſtat. Omitto, quod vnicum video ad inſtitutum à noſtro Cano vſurpari, & paucis quibuſdam alijs hic repeti, argumentum, nimirum non pauca etiam in Patrum opuſculis ab Eccleſia approbatis aſſerta erronea reperiri, vt late additis etiam nominibus Patrum excurrunt quidam, non noſtri, & latius poſtea, & impudentius (ſed falſo) Centuriatores Magdeburgenſes id repetunt, relati, & confutati à Grauina p. 1. tomi 3. q. 3. principali art. 3. per totum, vbi Canus petulantiæ accuſatus ab auctore Diatribarum, hic immo modeſtè, ac reuerenter, dum refert errores, nomina auctorum ſubtraxit. Hoc, inquam, cæteris argumentum arridens conſultò pertranſiui, & omiſi, quia (quod illi nec expendunt, nec ſoluunt) & contra electiuam librorum Patrum approbationem, vt nimium probans, excurrit, ſeu electiuæ approbationi nos alio loco iam diximus obſiſtere pariter ac repugnare errores adminus approbationis tempore notos, cum Patrum libris ſimul ab Eccleſia probari, qua firma & certa ratiocinatione conuicti ſupra de Apoſtolicis approbationibus librorum, ac doctrinarum, nos ipſi explicuimus, vel illos errores adhuc approbationis tempore non fuiſſe ab Eccleſia definitiuè proſcriptos, & conſequenter adhuc ſub ordine probabilium, mutabili valdè iuxta tempora, iacuiſſe, vel ſaltem opuſculis eiſdem inſperſa, vt Rufini, & huiuſmodi, (ſicut in decreto Gelaſij nunc legitur) non abſoluto, ſed limitato duntaxat ac diminuto approbationis genere, exceptis erroribus, approbata fuiſſe.

Poſtremò non ſimul grauabor, vt allatorum argumentorum ſolutioni iam aditus explanetur, adiungere, quod primus omnium in hac intacta ferè anteipſum materia obſeruabat Eminentiſs. noſter Turrecremata diſt. 9. qu. 2. ad ad inſtitutum, ſcil. quintuplicem eſſe modum eorum, quæ in Patrum operibus legi ſolent, *recitatiuum, inquiſitiuum, retractatiuum, reprobatiuum, & aſſertiuum*, quorum duo priores, tanquam infimi, nec quidem aſſenſum probabilem quærunt, duo poſteriores veluti ſupremi aſſenſum etiam certum, ac firmum habere ſolent, tertius demum intermedius ſolo aſſenſu probabiliori contentus eſt: & ad duos priores plerumque reducuntur ea, quæ ex Philoſophis ipſi Patres adducunt, vt poſt B. Albertum Magnum, & S. Thomas aduertit 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2; ad poſteriores duos reuocantur ea, quæ in condemnationem præſertim hæreticorum S.S. P.P. adaptant; ad tertiũ vero ea, in quibus quan-

doque

Digitized by Google

doque aliqui S. S. P. P. ad inuicem contradicunt: ex quo vulgata ea aſſertorum in Patribus diſtinctio profluxit ab eodem Turrecremata obſeruata, & ab alijs repetita deinde, nimirum quædam Patrum aſſerta eſſe, quæ Patres ex manifeſtis articulis fidei tanquam ſibi certa Theologico diſcurſu deducunt, ſiue docendo fideles, ſiue hoſtes fidei refellendo, quædam vero, quæ ſolum in ordine ad fidem, vt ſibi probabiliora ſubeligunt, vt planè diſtinxit ordine ſolum retrogrado Auguſtinus in primo contra Iulianum cap. 2. ſic dicens, *alia ſunt, inquit, in quibus inter ſe aliquando etiam doctiſsimi atque optimi regulæ Catholicæ defenſores, ſalua fidei compage, non conſonant, alia verò, quæ ad ipſa fidei pertinent fundamenta*. Et de prioribus quidem à nobis adductis accipitur illud, quod iterum idem Auguſtinus eodem lib. cap. 1. de Nazianzeno aſſerebat, *Neque hoc ille niſi ex fide Chriſtiana omnibus notiſsima diceret, nec alij eum tam clarum haberent, atque venerandum, niſi hæc ab illo dicta ex regula notiſsimæ veritatis agnoſcerêt*, & illud pariter quod 5. Sinodus generalis aiebat, *ſequimur per omnia ſanctos P. P. & D. D. Eccleſiæ Athanaſium, Hilarium, Auguſtinum, Teophilum, Io. Conſtantinop., Cyrillum, Proclum, & ſuſcipimus omnia, quæ de recta fide, & condemnatione Hæreticorum expoſuerunt*, vt poſtea idem ferè nominatim de Patribus Latinis, poſt illos Græcos, ſubiunxit in Sinodo Romana Gelaſius, & repetit poſtea eadem verba Concilium alterum Romanum ſub Martino Papa ſecre. 3. De ſecundis vero intelligitur, quod dicebat S. Thomas 1. p. qu. 1. art. 8. ad 2. præter Anſelmum in lib. *cur Deus homo*, Hieron. in epiſt. ad Theophilum, Auguſtinus allatus in diſt. 9. & alij, ſecernentes opuſcula Patrum ab auctoritate Canonica ſcripturarum; & demum inde conſequitur, quod mox ante cum Bannez, Idelphonſo, ac Nazario præſertim concl. 4. & 5. afferebamus, quoad prima Patrum approbatorum aſſerta, ex vniuſcuiuſque etiam ſingillatim Patris abſolutè approbati auctoritate deduci aſſertum illud probabilius eſſe, ex omnium vero conſenſu oppoſitum Hæreticum fore, quo ad ſecunda vero ex vniuſcuiuſque Patris auctoritate approbati deſumi aſſertum illud ſolum probabile reputari, ex concordi vero omnium conſenſu Patrum oppoſitum erroneum reputari, vbi non tam altè de Scholaſticorum conſenſu dici ſolet, quia quoad primi generis aſſerta à Scholaſticis ex eorum conſenſu oppoſitum ſolum erroneum, non vero hæreticum, dici poteſt, quoad ſecunda temerarium duntaxat, non adhuc erroneum, exiſtimatur.

ARTICVLVS III.

Primæ Sententiæ argumenta ſoluuntur.

AD primum igitur non rectè ibi ſupponitur, & minus efficaciter ſuadetur, in ſingulis approbatis Patribus definitiuè approbari debere, præter manifeſtos articulos fidei, aliqua aſſerta ab eiſdem, vt inde poſtea ex omnium Patrum conſenſu hæreticum oppoſitum iudicetur, cum immo ex dictis nunc abundè ſufficiat, prioris adhuc generis aſſerta in ſingulis ſingillatim Patribus, vt probabiliora approbata fuiſſe, vt deinde accedente cæterorum conſenſu Patrum, firmum eniteat argumentum, nec minus vltro negandum eſt non extare in iure, ſeu in Eccleſiæ decretis, & approbationibus illam, quam mox adduximus ex generali Synodo, diſtinctionem, ſeu exceptionem, vt pru-

den-

dentiſſime laudatus Turrecremata q. 4. occurrebat.

Ad ſecundum, principalis arguentis aſſumptio diſtinguenda eſt, loquendo nimirum de aſserto, cui aſsentimur præcisè, quia à tali v. g. à notario ſcriptũ eſt, vel à tali dictum, vt in fide humana, vel à Deo reuelatum, vt in diuina, & in hoc ſenſu concedimus ex vnica falſitate teſtimonium amittere fidem, vt concedebat idem Turrecremata q. 2. in diſt. 9. dum inquit, *ſi etiam aſſerta Patrum approbata eſſent, quia præcisè dicta ab eiſdem, ſic vtique omnia eorum ſcripta approbata forent, vbi enim eadem cauſa ſiue ratio, ibi eſt idem ius & effectus, vt in l. illud* §. *ad l. Aquil.* at vero loquendo de aſſerto, cui præbemus aſſenſum, non quia à dicente dictum eſt, ſed quia aliunde approbatum, negandum eſt non poſſe à nobis præberi aſſenſum vni præ altero, vt in propoſito, inquit, *Opuſcula S. S. P. P. non recipiunt auctoritatem ex auctoritate dicentium, ſed ex approbatione Eccleſiæ, vel quia ſacræ Doctrinæ, aut rationi conſona reperta ſunt.* vt etiam ex Apoſtolo ad Galat. 1. & S. Thoma in eumdem locum noſter Grauina proſequitur id explicare qu. 2. principali art. 2. per totum, & clarius ego colligerem ex Nicolao Pontifice relato in diſtinc. 19. dicente, *Romanorum Pontificum decreto cæterorum opuſcula tractatorum approbantur &c.*

Ad tertium, quod alias non facile foret, ex iam præiactis diſtinctionibus conſtat, repetendam eſſe diſtinctionem etiam Dialecticæ Tyronibus manifeſtam, aliam nimirum eſſe veritatem de dicto, aliam de modo, vt ſi dicamus, *contingens eſt Patrum currere*, de illo modo, ſcilicet de contingentia, veritas neceſſaria eſt, & tamen de dicto, ſcil. de curſu, veritas non ſemel abeſt. Ita in propoſito dum Eccleſia approbat adhuc ex inſtinctu Spiritu Sancti, ſeu aſſiſtentia eiuſdem tanquam probabiliora, vel probabilia, quorundam Patrum aſserta, ſatis eſt veritatem adeſse de modo, ſcil. de probabilitate dictorum, etſi non adſit ſemper de dictis ipſis, vt arguens præſumebat, ſicuti in Vienenſi Concilio (vt id etiam exemplo manifeſtum fiat) cum infuſio virtutum ſupernaturalium vt probabilior ſancita eſt, & in cap. cum Marthæ de celebratione Miſsarum, *mixtio aquæ cum vino* ſelecta fuit, certis ſine dubio his decretis Eccleſiæ, ſatis fuit certam fuiſſe, & neceſſariam illam illius dicti maiorem probabilitatem, attenta cum cæteris probationibus ex parte obiecti, & ſcholaſticorum tunc temporis approbatione opinionis eiuſdem (quæ poſtea veritas in Tridentino maiorem longe adhuc promeruit approbationem, & firmitatem) etiamſi poſtea quandoque aliquam ſententiam probabilem, nec etiam probabiliorem, ſucceſsu temporum, & Doctorum, etiam in improbabilem deuenire poſſe iam certum ſit, vt non ſolum aduertebat Ouiedo cum Lugo in 2. 2. de fide in tract. de cenſuris propoſitionum, & cæteri paſſim ibidem, verum etiam manifeſtè ego colligerem ex Tridentino ſeſs. 21. cap. 4. de Antiqua alicubi olim probabili ſententia dandi etiam infantibus Euchariſtiam, ita dicente *Sancti illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, certè eos nulla ſalutis neceſsitate id feciſſe ſine controuerſia credendum eſt*, & olim apud Auguſtinum Epiſtol. 157. ad Optatum, *Propaginem animarum ſentiebat Occidentalis Eccleſia* ex parte ſaltem & modo explicato à dubitante Auguſt. lib. 10. in Geneſim, velut tunc faciliorem aduerſus Pelagianos negantes *omnes in Adam peccauiſſe*, vt idem Auguſtinus differebat epiſt. 28. quæ tamen animarum propagatio ab anima Adæ nunc improbabilis poſt Concilium La-

teranenſe ſub Leone X. communiter reputatur; & in Daniele Senerto noſtris temporibus proſcripta fuit. Penitus igitur his, quæ nunc diximus, obiectio allata diſſoluitur, vt ibidem à Turrecremata hic breuibus diſſoluebatur, *quod ad hoc etiam vt rectè recipiat talium Patrum opuſcula Eccleſia ad legendum eo modo, quo diximus, ſufficit talia Patrum opuſcula habere probabilitatis veritatem.*

Ad quartum tandem cogitaueram antea reſponderi poſſe, dicendo, etiam cum Ariſtoteles ſcribit dari vnum Primum motorem, de hoc dicto eiuſdem ſic repeti poſse, *quis poterit has Ariſtotelis reprehendere voces?* quis audeat dicere quidquam contra? & tamen nemo dicet aſſerta Philoſophi, vt dicta ab ipſo, eſſe definitiuè approbata apud aliquos, cum aliud profecto ſit dicere repræhendi non poſse, quia ſunt veritati conformia, & vt talia agnoſcuntur à nobis, aliud quia ab Ariſtotile dicta ſint, vt plane diſtinguit Auguſtinus lib. 2. in Petilianum cap. 30. ex quo exemplo non obſcurè præallata ad intentum aduerſariorum argumentatio corrueret. Verum expendens poſtea ibi eos Patres ac dicta eorum afferri etiam in definiendę veritatis comprobationé, ſatius hæc duo ſuperaddere duxi. Alterum eſt, ibi ſupponi antecedenter duodecim prioris generis aſſerta Cyrilli conſecrata in Epheſ. Concilio, vt præter alios etiam Henricus Noris oſtendit in Diſſertatione Hiſtorica de Sinodo quinta, præſertim cap. 3. quod Epheſ. Concilium Chalcedonenſe præceſſit, tum pariter prioris generis aſſerta Chryſoſtomi in verbis 5. Sinodi mox ante adductis approbata fuiſse, poſt quam ea Sinodus ſeptima celebrabatur, vti & de alijs allatis Patribus idem vel ſimile adiungi poteſt. Alterum eſt, vt colligitur ex Facundo in lib. de tribus capitulis in fine Sinodi Chalced. allatis, fuiſse à Theodoreto Cyrilli doctrinam vexatam, ac reprehenſam, vt & à quodam Iba in epiſtola ad Marin Perſam eodem loco ſubiuncta, nec minus Doctrina Chryſoſtomi à Theophilo Alexand. cum ſocijs exagitata fuerat, vt narrat Phocius, præ cæteris, cap. 19. Inde non mirum in illis adductis ab arguente poſterioribus Sinodis adeo magnificè duorum Patrum fuiſse allatam, approbatamque doctrinam, non quidem ad innuendum arguentis intentum, quod eorum doctrina ſupponeretur, vt ſcripta ab illis, omninò definitiuè approbata, ſed ſolum ad oſtendendum immeritò à præcitatis fuiſse depreſſam, quod arguit tandem, vt nos intendimus, ſolam electiuam, non definitiuam, approbationem eiuſdem. Omitto *ingentem Turbarum originem, quas Epheſ. Sinodus ab Io. Antiochiæ Epiſcopo, Theodoreto, & collegis Epiſcopis* (vt loquitur Noris in vindicijs cap. 7.) *atque ab ipſo Imperatore Theodoſio paſſa eſt, inde fuiſſe, quod Orientales Epiſcopi priuati hominis auctoritate ſtatutos anathematiſmos ſubſcribere recuſabant, quam tamen ſententiam poſtea depoſuere.* Omitto demum id, quod vel Dialecticæ Tyrones iterum agnouerunt, has duas enunciationes non contradicere, ſed ſubcontrarias ſolummodo eſse, dicendo, *non qualibet approbatio Apoſtolica Doctrinæ alicuius Sancti in particulari definitiua eſt*, & *aliqua approbatio Apoſtolica doctrinæ alicuius Sancti in particulari eſt definitiua*. Proinde vtraque iſtarum enunciationum vera eſse poteſt, & de facto eſt, tum prima probata hucuſque à nobis, & vnicuique ſcholæ communis, vt vidimus, tum ſecunda, quæ, prçter quartum argumentum allatum ſatis opportunum ad illam, ex propoſito in ſequenti patebit, vbi miror aliquos hanc diſtinctionem minus dilucidè præterijſſe, indeque pro prima tumultuariè coactis, non pacate examinatis

natis

natis ſcriptoribus, contra Auguſtinianæ doctrinæ certitudinem etiam in particulari materia prædeſtinationis, ac gratiæ, deflectentes in negationem ſecundæ paralogiſmo plerumque ridendo, potius quam diſsoluendo, fuiſse ſplendida hallucinatione deceptos.

QVÆSTIO SECVNDA.

An, hoc non obſtante, Approbatio Apoſtolica doctrina Auguſtini in materia prædeſtinationis, & gratia definitiua fuerit.

DVx renuentium admittere id, quod nunc proponimus, viſus eſt ille nebulò Marcus Antonius de Dominis, Spalatenſis agnomine, lib. 7. de Rep. & lib. 11. cap. 10. dicens, *In Auguſtini doctrina contineri immo errores damnatos in Concilio Arelatenſi, ac Lugdunenſi.* Cui ſubinde patrocinatus eſse videtur Auctor Theſium à Cenſoribus ſacræ Fidei proſcriptarum in Hyſpania anno 1650. inter quas, vt exſcribit Io: Riccius lib. 4. de vita Auguſtini cap. 10. hæc erat in ordine decima, *ſi triumphi Eccleſiæ de Pelagianis niterentur poſterioribus Auguſtini ſcriptis, immeritò de illis Eccleſia triumphaſſet.* Nec longè ab horum dictis abſceſſit Ioa: Adamus in ſuo Caluino deſtructo inter cætera reperita non ſemel lib. 3. non veritus dicere, *Auguſtini arma contra Iulianum omni ex parte inexpugnabilia non eſſe &c. Nec in eis adeò felicem Auguſtinum eſſe, quin mentibus noſtris pleniſsimam ipſius doctrinæ conſentiendi immo oppoſitam partem tuendi libertatem relinquat.* Tum indè Franciſcus Annatus in *ſuo Auguſtino a Baianis vindicato* lib. 8. per totum addenſans omnes, quos aucupari potuit, minus fauentes Auguſtinianæ doctrinæ, & cap. præſertim 2. pronuncians, *exceſsiße Auguſtinum lineas neceſſariæ veritatis, vt ſit nimia quædam ſeueritas, & iniqua vexatio, quæ medium illud, in quo veritas ſedet, tranſgredi iubet, ſi præeat Auguſtinus.* Quid de Moraines ſiue Martinonio diſp. 9. nu. 50. in Auguſtino *exceßum* carpente? Quid de Decamps id repetente locis mox infra ſubdedis? Quid de Petauio Diſsertatione priori Tridentini cap. 8. dicente? *non pauca, neque contemnenda Auguſtini dogmata, vel Eccleſiæ vniuerſæ nil Theologorum, aut omnium, aut multorum, nec infimi ſubſelij, iudicio, reprobari.* Quid de Syrmundo Hiſtor. Prædeſt. cap. 8. ſcribente? *Difficile non erat condemnationem librorum Fauſti Rhegienſis ſperare ab Afris Epiſcopis (inter quos erant Fulgentius, pluresque D. Auguſtini diſcipuli) apud quos nata Prædeſtinianorum hæreſis, in multorum adhuc mentibus hærebat.* Quid de Octauio tom. 1. lib. 10. cap. 3. aſſerente? *excogitatas eße ab Auguſtino expoſitiones ad eludendum Apoſtoli textum.* Quid de noto altero Auctore in lib. 3. de morte cap. 8. ne dum approbante Caſſianum eximi à cenſura aut defendi, verum etiam addente, *Bene conſultum fore Triadi Patrum, Auguſtino, Fulgentio & Proſpero, ſi proinde Catholici haberentur, ac Caſsianus, Fauſtus, aliíque Maſsilienſes.* Quid de Theophilo Raynaudo in Cenſura inofficioſæ cenſuræ notante, *Sancto Fulgentio familiare, Auguſtini placitis ita mordicus adhærere, eoque rigere, vt non ſit ſollicitus ſententiam duriorem mollire benigna interpretatione.* Quid de aliorum huiuſmodi dictis ſimilibus, eiſque pluribus impreſſis cum ſuis nominatim Auctoribus ac conſulendis apud Philalethem, ſeu Carmelitam Excalceatum Carolum ab Aſſumptione in *Thomiſtarum Tryumpho* cap. 2. nu. n. 125. per totum? Quid de alio Thoma Bonarte Anglo, (cuius ordinem

non ego detego, & ſi detexerit antea Baronius noſter lib. 5. apologiæ ſec. 1. pag. 407.) in lib. impreſſo Coloniæ anno 1665. *De concordia ſcientiæ cum fide* lib. 3. §. 57. teruncij habente etiam in hac materia Auguſtini doctrinam, eique Maſſilienſium placita præferente? adeo vt præ quibuſdam iſtorum dictis minus effrenis videri poſſet expuncta illa Molinæ periodus 1. p. q. 23. ar. 4. diſp. 1. membro 1. de ſua noua doctrina præter Auguſtini doctrinam aientis, *quæ ſi data explanataque ſemper fuiſſet, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta &c. & facilè reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia fuiſſent extinctæ*, minus, inquam, effrene id ipſum aliquibus videri poſſet, cum ſaltem idem Molina a. 5. diſp. 1. memb. vlt. apparentem aliquam excuſationem efferre poſſe videretur ſic dicens, *Auguſtinus credens cum ijs, quæ de gratia aduerſus hæreſim Pelagianam ex ſcripturis rectiſſimè docuerat, conuictum eſſe prædeſtinationem Dei æternam non fuiſſe ſecundum merita, & qualitatem vſus liberi arbitrij, reſtrinxit illud 1. ad Timoth. 2. vult omnes homines ſaluos fieri, ſcil. ad ſolos prædeſtinatos, quæ doctrina turbauit in Gallia plurimos etiam doctos &c.* & antea a. 4. præmiſerat de eadem ſola prædeſtinatione ante merita ab Auguſtino ac S. Thoma explicata; *Quod etſi hi duo Patres in eam ſententiam inclinaſſent, ſalua eorum reuerentia, quæ illis debetur, quoad ſecundum admittenda non eſſet*; Vbi præ iſto (vt dixi, & ſi malè loquente, iuſteque correcto in poſteriori editione) longè peius de doctrina vniuerſim Auguſtini in materia prædeſtinationis, ac gratiæ non pauci mox ante relati obloquuti ſunt. Vaſtam igitur iſtam, denſamque materiam, meritò, vt aliquo ordine diſcutiamus, iſtorum prius argumenta afferemus, ſecundo loco propoſitam pro Auguſtino ſententiam robuſtiſſimè comprobabimus; tertio tandem eorundem opponentium obiectis occurrere ſcopus erit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Argumenta negatiuæ ſententiæ afferuntur.

Diuerſimodè autem à diuerſis præallata ſententia promoueri ſolet. Primo aliqui populare illud obiectum opponunt. Nam repugnantia in vocibus eſt, ita approbari ab Eccleſia Auguſtini doctrinam, vt immo doctrinam eiuſdem Auguſtini falſam inde fuiſſe probetur. Sed definitiuè approbari Auguſtini doctrinam etiam in hac materia prædeſtinationis & gratiæ, adeo vt irreſiſtibilis ſit, eſt ſic approbari, vt inde doctrinam Auguſt. falſam eſſe probetur, nimirum dum ipſemet in epiſt. ad Hieronym. ſcribit *hunc*, ſcil. irreſiſtibilitatis *honorem ſolis ſcripturis Canonicis deferendum eſſe*, vt etiam id alibi perpetuò ac frequentiſſimè profitebatur, ſcil. lib. 3. de Trin. ab initio, lib. 2. ad Vincentium Victorinum, & epiſt. 48. ad eumdem, epiſt. 7. ad Marcellinum, epiſt. 3. ad Fortunatum, lib. denique 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 3. quinimmo & Hieronymum conſentientem obtinuit in epiſtola ad Theophilum aduerſus Io. Hieroſolimitanum diſertis verbis aientem; *ſcio me aliter habere Apoſtolos, aliter reliquos tractatores. Illos ſemper vera dicere, iſtos in quibuſdam, vt homines, aberrare*, ſicut non pauca etiam afferuntur ad hoc à Gratiano diſt. 9. cap. *ego ſolis*, & cap. *noli meis*; Igitur repugnantia vel in ipſis vocibus eſt aſſeuerare Auguſtini doctrinam etiam in hac materia particulari prædeſtinationis vel gratiæ fuiſſe definitiuè approbatam, vt alijs verbis opponebat

bat

Digitized by Google

bat Annatus lib. 8. cap. 5. pag. 897. concludens, *licet ergo ex Auguſtino Auguſtini doctrinam aliorum ſcriptorum iudicio cenſendam exponere, licet & proprio, idque ſalua honorificentia: neque adeo peruerſum eſt hoc conſilium vt habere non poſsit adiutorem Deum*, & iterum hinc cap. 6. inquit, *vel ita Auguſtini doctrina eſt conſecrata, vt Auguſtinus è numero ſcriptorum non canonicorum extractus manſerit in numerum canonicorum, vel non. Si primum errat totus Chriſtianiſmus, qui contrarium ſentit, non modo à tempore Scholaſticorum, ſed à mille ducentis annis. Si ſecundum, ergo illa omnis approbatio Eccleſia relinquit adhuc Auguſtinum intra numerum ſcriptorum fallibilium, quibus ſine cuiuſpiam iniuria repugnare liceat*; & Caramuel in Theologia fundamentali fundam. 1. nu. 56. primæ editionis tit. de doctrina Auguſtini exordiens ab illo, *Amor Regis iudicium diligit*, theſi 2. dicebat, *qui Auguſtini doctrinam maioris ſe facere aſſerit, quam demonſtrationes, contemnit doctrinam Auguſtini: Ipſe enim in retractationum libris ſæpe probabilem propter probabiliorem reijcit, ſæpè lectores admonet, ne ſibi ſubſcribant, niſi vbi ſe non erraſſe cognouerint*. Meritò igitur videtur etiã Abulenſis in 2. par. defenſorij c. 82. concluſiſse, *quod quando Eccleſia approbat Opera alicuius Doctoris, non approbat ſigillatim omnia dicta in illis operibus, immo, quod plus eſt, nullum dictum approbat, nec per hoc obligat nos ad credendum illa neceſſario eſſe vera*.

Secundò, vt ferè arguit idem Abulenſis in 2. p. defenſorij eodem cap. 82. præſertim ratione 6. (cuius tamen mentem dabimus infra) non eſt exiſtimãdum, Eccleſiam eo modo voluiſse approbare Auguſtini doctrinam, quo modo indè ſuboriretur præiudicium tum ſtudij Scholaſticorum, tum honoris Patrum, tum infallibilitatis Conciliorum, & Eccleſiæ. Sed modus iſte approbandi definitiuè irreſiſtibiliter Auguſtini doctrinam adhuc in hac materia contracta prædeſtinationis, & gratiæ, eſſet in præiudicium mox antedictorum, non igitur ſic Eccleſiam approbare voluiſse exiſtimandum eſt; & de Scholaſticis quidem indè ad vnam Auguſtini doctrinam adſtrictis, id ita vrgebat Annatus lib. 8. c. 2. pag. 894. *ſepelienda ergo Scholaſtica eſt vt vnus regnet Auguſt. &c. legendus ad lucem ſcholaſticæ, & ad eius amuſsim exigendus*: de Patribus vrget idem pag. 903. dicens, *approbata fuit Auguſtini doctrina ſimul, & aliorum S. S. Patrum, vnde ſequitur cadere approbationem hanc in id, quod eſt Auguſtino cum alijs Patribus commune, non in id, quod eſt proprium, ſi quid tale ſit*, & lib. 1. ſui Auguſtini cap. 8. *Non dicit Caleſtinus, Auguſtinum eſse Patrem Patrum, Doctorem Doctorum, Primum Angelum, inter cæteros Epiſcopos, inter omnes Excellentiſsimum verè irrefragabilem &c. ſed habitum inter magiſtros optimos*; & Moraines in præfatione ad orthodoxos; *iniqua certè eſſet Eccleſiæ conditio, cui Deus non vnicum Doctorem ſed Doctores promiſit &c.* Et iterum, *quis vnquam habuit Cyrilli Alexand. auctoritatem, vt ipſe per ſe ſcriberet Anathematiſmos &c. Quid ergo Athanaſius etiam ille magnus erit ne vnus de numero filiorum, & diſcipulorum Auguſtini, qui dicitur Pater Patrum &c.? Quid de Hieronymo, eritne etiam ipſe Auguſtini diſcipulus, vel de Angelis inferioribus?* nec minus Io: Adamus 3. p. Caluini deſtructi cap. 16. pag. 760. eius ſcil. Auguſt. *tenebræ me cogunt ad lucem alibi quærendam, quam in Synodis, & aliorum Doctorum libris inuenio*, & Caramuel fundam. 1. n. 58. Theſi 3. *Qui Auguſtinum omnibus Patribus præponit, iniurius eſt ipſi Auguſtino, videtur enim admittere aliquid eum in materia religionis docuiſse contra Catholicam omnium Patrum ſententiam, adeòque eum non fuiſse catholicum, & ſimul videtur imitari Caluinum*

uinum

ninum, qui ſolius Auguſtini teſtimonijs ſuas hæreſes ſe fundare gloriatur. Demum quoad Eccleſiam, vel Concilia, id vrget idem Adamus eodem cap. pag. 610 *immeritò volunt, ipſum eſſe oraculum gratiæ, & Concilij Tridentini interpretem,* vti & præmiſerat cap. 9. pag. 653, Eccleſiam Auguſtini doctrina vſam eſſe in Sinodis, *Non ex neceſſitate, ſed ex auctoritate, vti magiſtram, non vti diſcipulam;* conſequenter alio loco concludens, *ridiculos Auguſtini adoratores ad nauſeam hiperbolicas in eumdem laudes congerere,* & demum præcitatus Caramuel in eadem Theſi 1. dicebat, *qui Concilia ab Auguſtino in definitionibus ſuis, hoc eſt in articulorū fidei diſcretione, & conſtitutione regi aſſerit, à Spiritu Sancto, qui nec falli, nec fallere poteſt, dirigi ignorat. & definitionum infallibilitatem auferens certitudinem merè humanam in articulis fidei relinquit.*

Tertiò, ſi Eccleſia approbaſſet Auguſtini doctrinam in hac materia, eam adhuc approbaſſet, prout iacet in Auguſtini libris exarata ab eodem, ſed pro vt in libris Auguſtini reperta, eſt adeo obſcura, vt inintelligibilis dici poſſit, nec planè reſpondens, neque efficaciter aduerſarios conuincens, ſibique inconſtans, & contradicens, ergo vt talis cum ſuis deffectibus approbata eſſet, & per conſequens nunquam vt definitiue certa, ſeu infallibiliter approbata, dici poteſt; & quidem de obſcuritate, atque inintelligibilitate, id probat Io: Adamus ex eo quod Auguſtinus frequentiſſimè accurrit velut ad aſilum ad illud Apoſtoli, *O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei?* cum ſcil. inſuperabili difficultati ſuccumbit, nec minus debilis in ſuis probationibus eidem Adamo cap. 4. videtur, dum pag. 585. ſic inquit; *arma Auguſtini inexpugnabilia non eſſe &c. neque hæreticorum argumentis ſatisfeciſse, neque poſitas abſe theſes conuincentibus argumentis comprobaſſe;* Et demum in non paucis etiam in hac materia prædeſtinationis, & gratiæ ſibimet contradicere, ſuadere conatur idē Adamus cap. 6. pag. 614. congeſtis pluribus contradictionibus (vt ipſi apparent) in Auguſtini doctrina, & inter alia concludens pag. 590. *Auguſtinum Theologorum ſcholam in partes, doctoreſque in factiones diuiſiſſe,* vti etiam ab eiuſdem doctrina Galli olim turbati fuere, vt referunt Hilarius, & Proſper, & plurima alia cap. 4. præallatis ſimilia, idem ſcriptor addenſat.

Quartò, quia adhuc de iſta materia prædeſtinationis, & gratiæ, loquens Cæleſtinus in celeberrima illa epiſtola ad Epiſcopos Galliæ approbatiua doctrinæ Auguſtini, ſe ita diſtinctis verbis exponebat, *profundiores vero, difficilioreſque partes intercurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere;* ſed hoc eſt non eſſe certam, adhuc in hac materia, Auguſtini doctrinam, vel definitionem eiuſdem, immo dubiam adhuc eſſe, & permanere, vnde *quam multi,* inquit Moraines, in præfatione ad orthodoxos, *qui ſine vllo diſcrimine Auguſtini auctoritatem admittebant, nunc audita limitatione, quam eius approbationi Cæleſtinus appoſuit, dum audiunt aliquid ex Auguſtino proponi, quæritant; eſt ne hoc de illis profundioribus quæſtionibus, quas non neceſſe iudicauit aſtruere, quas in ancipiti opinandi libertate, Cæleſtinus reliquit?* & Annatus libr. 8. cap. 1 inter alia ſimilia eneruantia eamdem Cæleſtini approbationem, & Auguſtini auctoritatem, concludit, *nos vero auctore Cæleſtino diſtinguimus inter neceſſarias, & indifferentes Auguſtini ſententias, omnemque huic lumini contrariam lucem tenebras reputamus,* & ferè idem repetit Decamps lib. 3. de Hæreſi Ianſeniana diſp. 1. cap. 4. & idem Morai-

nes

nes diſp. 9. AntiIanſen. nu. 50. Non igitur adhuc in hac mareria cerra eſt doctrinæ Auguſtinianæ definitio, & ante iſtos etiam Leſſius lib. de gratia cap. 10. num. 7. & cap. 15. num. 4. indè deducit, plures quæſtiones in hac etiam materia ab Auguſtino tractatas pertinere duntaxat *ad puram ſcholæ diſputationem*. Indè in ſimili de epiſtola Innocentij 96. inrer Auguſtinianas approbatiua doctrinæ eiuſdem Auguſtini, idem Moraines diſp. 12. AntiIanſen. n. 49. indignabundus aiebat, *ex hac autem approbatione huiuſmodi litterarum de vno, aut altero tantum errore loquentium, inferre velle, totam Diui Auguſtini doctrinam de gratia fuiſse ſpecialiter ab Innocentio approbatam, eſt malitiosè ſimplicibus illudere, & eruditorum patientia intollerabiliter abuti*. *Quando enim*, addebat idem in præfatione ad orthodoxos, *dictum eſt de ſcriptis Auguſtini ab aliquo Pontifice legem ſanciente, quod dixit Gelasius de mirabili illa epiſtola Leonis Magni ad Flauianum, vt ſi quis illam non admitteret vſque ad vnum iota, anathema eſſet?*

Quintò, quia adminus definitiuè Eccleſia non poteſt in alicuius approbatione doctrinæ ſimul probare eidem immixtos errores, aliter & ipſa in definiendo aberraret; ſed in doctrinæ Auguſtini etiam, vbi agit contra Pelagianos, eiuſque ſectarios, quam plures errores inuenti ſunt, vt plerique Scholaſtici mox infra ab arguentibus referendi agnouerunt; nō igitur abſolutè eam adminus definitiuè Eccleſia approbaſſe dicenda eſt; & quidem errores in illa inuenros eſſe, ſubindè detectos, oſtendunt Adamus p. 3. cap. 5. & Moraines diſp. 12. Antilanſen. à n. 32; quia, inquiunt, Auguſtinus tenuit cum Platonicis, Angelos, ſeu Dęmones, eſſe corpoieos, ac ſolum Deum eſſe immaterialem: Dubitauit cum eiſdem num Sol, & Luna, aliaque Sydera, quæ oculis conſpiciuntur, ſint animata; hęſitauit etiam de origine animarum, vtrum creentur de nouo, quod certiſſimum eſt, vel propagentur ex Adam: Docuit (ſi falſo referenti, vel intelligenti credamus) infantes etiam ſuſcepto Baptiſmo nō poſſe ſaluos fieri ſine reali ſumptione Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, præſertim ſcil. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. Item expoſuit perperam illud Apoſtoli, *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, inferens omnia opera infidelium eſſe peccata, & ſine vera fide nullum poſse fieri bonum opus (à qua imputatione iam nos defendimus Auguſtinum tom. 1. dogmat. lib. 1. q. 3. ar. 1. & 2.) Item lib. 2. contra Iulianum cap. 10. docuit cogitationes moroſas, ſiue delectationes voluntarias de rebus venereis, eſse duntaxat peccatum veniale, modo abſit conſenſus in opus, ſeu malum deſiderium, vel illius periculum (à qua calumnia Auguſtinum rectè vindicauit Noris) item dubitauit, num Baptiſmus ſine intentione datus per iocum, & irriſotiè, validus eſset lib. præcipuè 7. de Baptiſmo cap. 53. ſenſitque expectandam reuelationem, antequam talis rebaptizetur; item aſseruit, terram non eſse rotundam, nulloſque dari Antipodas (de quo nos ſatis pro Auguſtino reſpondimus tom. 2. dogm. cap. 2. §. 3.) Item docuit haud licitum eſse occidere graſsatorem, qui nobis vellet vitam eripere; præter ſimultaneam rerum creationem ſine reali dierum numero, & præter aſsertum originale peccatum eſse cauſam reprobationis, quæ duo pariter poſtrema erronea eſse mox ante allati concludunt, de quorum tamen primo nos fuſe egimus pro Auguſtini defenſione in noſtris prælectionibus hoc anno in Vniuerſitate, & de ſecundo ſatis eſt conſulere Lemos tom. 2.

Sextò, nam doctrina, in qua certum eſt, Auguſtinum exceſſiſse *lineas veri-*

tatis,

tatis , non potuit vt certa definitiuè approbari ab Eccleſia, cum excedens lineas veritatis ſit falſum, nec conſequenter definibile vt verum, ſed in hac ipſa doctrina contra Iulianum, & reliquos Pelagij ſequaces, pro defenſione gratiæ certum eſſe videtur Auguſtinum acerrimè diſputantem *exceſsiſſe lineas neceſſariæ veritatis*, vt loquitur Annatus lib. 8. ſui Auguſtini cap. 2. ſeu, vt inquit Adamus pag. 626 *vltra veritatis lineas excurriſſe, nimio diſputationis æſtu accenſum, viſumque hæreticis fauere*, & pag. 862. *ad alterum extremum interdum declinaſſe intellectu æquè ac verbis*, igitur adhuc in hac materia non potuit abſolutè Auguſtini doctrina vt certa definiri ab Eccleſia; quod autem id certum ſit, probant primo inductiuè afferendo exceſſus eiuſdem, tum quia, inquiunt, exceſſiſſe conſtat, dicendo *concupiſcentiam* eſſe per ſe malam, & vitium humanæ naturæ ex primo peccato deriuatum, nec illam eſſe paſſionem naturalem hominis, in qua valeret condi *ante peccatum*, deſtructa inde poſſibilitate ſtatus naturæ puræ contra Scholaſticos, tum inde conſequenter *deducendo peccati originalis reatum ex innumeris humanæ vitæ miſerijs*, cum tamẽ & in ſtatu puræ naturæ ante peccatum extituræ fuiſſent, tum ante fidem *negando dari aliquas virtutes in infidelibus*, tum aſſerendo, *paruulos in inferis puniri aliqua etiam pæna ſenſus*, quod nunc à Scholaſticis reprobatur, tum *nimis deprimendo liberum arbitrium*, vt præter Annatum, & Adamum, opponit Decamps lib. 3. Hæreſis Ianſenianæ diſp. 1. cap 3, ex Genebrardo Aquenſi in præfatione ad Origenem, & Sixto Senenſi præfatione lib. 5, tum negando etiam Io. Baptiſtæ plenam in vtero ſanctificationem, ſcil. lib. 4. contra Iulianum operis imperfecti cap. 133. quod D Bernardus reijcit in epiſtola ad Lugdun. tum *pluribus locis*, vt Moraines loquitur diſp. 24. num. 44, *durius loquendo de lege veteri*; tum aſſerendo, *prædeſtinationem ad gloriam ante omnem meritorum præſcientiam*; tum opinando *copulam cum vxore* abſque prolis generandæ voluntate propter ſolam delectationem *eſſe peccatum veniale*, & huiuſmodi: Probant idipſum deinde ſecundo ſcil. Auguſtinum *ex diſputationis æſtu exceſsiſſe*, ab auctoritate plerũque cæterorum Doctorum, nimirum ex S. Thoma q. 5. de malo ar. 2. circa pœnas puerorum ideò recedente *à tali modo loquendi, quo*, inquit, *vſi ſunt ſancti vt deteſtabilem redderent errorem Pelagianorum*, ex D. Bonau. in 2. diſt. 33. q. 2. ar. 3. dicente, *hæc valdè abundanter expreſsiſſe Auguſtinum, plus dicentem, minus volentem intelligi*, ex Baronio tomo 5. ad Annum 431. ideò expendente illa verba Cæleſtini, *Profundiores vero quæſtiones &c.* ex Card. Sadoleto lib. 2. in epiſtola ad Romanos de materia prædeſtinationis ante præſcientiam meritorum aiente, *ex altera parte, & ſi ab ea ſtat Auguſtinus, tamen durum admodum mihi videtur, quodque illabi non facile queat ad ſenſus noſtros*, ex Card. Caiet. 1. p. q. 70. ar. 3. de impugnata ibi à S. Thoma extrema ſententia dicente, *fas eſt declinare in oppoſitum, vt Auguſtinus contra Pelagianos facit*, ex Cardin. Peronio apud Annatum profitente, *ſe diſtinguere proprias S. Auguſtini opiniones, dum loquitur vt priuatus Doctor, & eiuſdem narrationes, quibus loquitur vt teſtis vſus communis Eccleſiæ, vel ea dicit, quæ doctorum ætatis ſuæ communi conſenſui conformia ſunt*, ex Cardinali Valerio lib. 3. Rhetoricæ Eccleſiaſticæ cap. 42. admonente, *Beati Auguſtini ſcripta Clericis cautè admodum legenda, ex quibus aliqui non mediocri ingenio præditi in errores aliquando lapſi ſunt*, ad quod tamen opus ſcribendum impulſus fuerat Cardin. Valerius à Cardin. pariter D. Carolo Boromeo;

tum

Digitized by Google

rum poſt Cardinales ex tribus Epiſcopis Claudio Xainte in lib. Atheiſmi Calu. tit. de Prædeſtinat. Catherino in opuſc. pariter de prædeſtinat. & Hieronymo Oſorio lib. 9. de iuſtitia, repetentibus, Auguſtinum in materia prædeſtinationis ante præſcientiam, *in nouam ſententiam contra præcedentes Patres excurriſſe*, tum ex Driedone lib. de captiuitate cap. 2. tract. 4. memb. 2. p. 8. *Non perniciosè falli eum, qui quamuis Auguſtinus aliter ſentiat, generalem agnoſcit bonitatem erga omnes homines, cum primo ad vſum rationis perueniunt, vt eos iuuet peculiaribus auxilijs*, & lib. 1. de libero arbitrio cap. 2. parte 5. dum ageret de cruciatu ſenſibili puerorum, *ex ſcripturis ab Auguſtino adductis non expreſſe, & efficaciter id concludi poſſe*, ex Tapero ad ar. 7. pag. 222. dum ageret de diſtributione gratiæ ſufficientis erga omnes, *Prior opinio, ſcil. minus Auguſtino conſentanea*, vti retulerat, *id affirmans videtur magis commendare diuinam bonitatem*, ex Bartholom. Medina in 1. 2. q. 109. de gratia, *ſine dubio ſententia eſt*, vt ſic legit Annatus, ſeu vt verè legit textus Medinæ, *ſine dubio videtur D. Auguſtini ſententia, quod homo in pura natura habet naturalem virtutem operandi, quam non habet in lapſa*, ex Valiſolillo ſæpè permittente, *liberam diſcedendi copiam ab Auguſtino*, vt Annatus loquitur ſcilicet q. 18. in 3. tomum Auguſtini de virtutibus infidelium ſine fide dicente, *non conſentire S. Thomam cum Auguſtino*, ſcil. negante, & q. 10. in decimum tomum Auguſtini de cauſa reprobationis, *Auguſtini ſententiam diſplicuiſſe pleriſque veterum Patrum*, præter alia loca eiuſdem Valiſolilli non ita fideliter ab Annato relata; ex Friguerio §. 6. de peccato originali. *In hoc ſcil. puerorum cruciatu ſenſibili non tenetur Auguſtinus*. Dominico Soto lib. 1. de natura & gratia cap. 14. *Auguſtinus plus iuſto videtur torquere paruulos, verum eius ſententiæ perpauci ſubſcribunt, & tortores paruulorum nuncupantur*, præter Horantium Fabrum lib. 4. cap. 3. *Idem ſcil. aliquando errare, Auguſtino longè doctiſſimo contigit, ſed quo feror? cui non?* ex Io: de Bononia loquente de expoſitione Auguſtini in illud Apoſtoli, *vult omnes homines ſaluos fieri, non videtur, inquit, hic modus dicendi ſufficiens*, ex Io: Arboreo in illa verba Apoſtoli ad Romanos 3. *vbi eſt gloriatio tua? excluſa eſt? per quam legem? factorum?* aiente expoſitionem Auguſtini, *ieiunam, & explodendam eſſe*, ex Petro Aragonio 2. 2. q. 10. a. 6. recedente à ſententia affirmante, *ſine gratia nullum opus bonum morale effici poſſe*, quam *ſententiam fuiſſe Auguſtini*, concludit; Ex Pennoto lib. 5. propugnaculi cap. 6. fatente, non eſſe credendum, *omnem Auguſtini rationem eſſe exactam demonſtrationem, omnem reſponſionem eſſe dogma fidei &c.* Eſtio in primum ſententiarum diſt. 44. § 14. ad ſibi obiectam auctoritatem Auguſtini, *ſi altera præmiſſa gloſſa non acceptaretur*, reſpondente, *ea, quæ de adiutorio primi hominis & Angelorum obſcurius, &, vt videtur, extra ſcripturæ auctoritatem ab Auguſtino diſputata ſunt, ad hoc, vt ex comparatione gratia noſtræ reparationis magis emineret, non debere præiudicare doctrinæ, quæ apud alios Patres, ipſumque S. Thomam in huiuſmodi rebus exactiſſimum Doctorem expreſſior reperitur*; Toſtato Abulenſi 2. p. Reſponſorij cap. 18. & cap. 81. & ſequentibus ex propoſito reſpondente negari poſſe auctoritatem Auguſtini *etiam ſtante approbatione librorum eiuſdem*, vti & cæterorum doctorum, *quorum libri approbati ſunt*; Vega lib. 12. in Trident. cap. 22. de iuſtificatione, poſt relatas reſponſiones Auguſtini ad obiectiones aduerſariorum gratiæ, ita ſubdente, *cuperem hoc clarè, & diſtinctè tradi &c. & hæc ſæpè deſideraui, vt Auguſtinus palam, & apertè reſpondiſ-*

 ſet

ſet obÿcientibus ipſi, quod à prædicatione prædeſtinationis, & gratiæ cenſendum eſset coram populo; & demum, pro coronide omnium, ex noſtro Bannez adeo pro Auguſtini doctrina aliàs inſectatore Molinæ, ſcil. 1. p. q. 23. ar. 5. ita de paritate inter cauſam prædeſtinationis, & reprobationis ab Auguſtino admiſſa ſcribente, *ſi D. Auguſtinus voluiſset attendere malitiam huius consequentiæ, numquam poſuiſset, quod originale peccatum ſolum eſt cauſa reprobationis omnium reprobatorum hominum*, in quo Bannez dicto valde triumphant, ad excuſandum ſupra relatum aſsertum Molinæ de Auguſtini doctrina, tum Annatus lib. 8. cap. 4, tum Paulus Hibernus, ſiuè Sherlogus, parte 2. ſec. 8. & 9. & alij.

Septimò tandem, quia nec licet, nec expedit id, ex quo prompta occaſio deſumitur incidendi in hæreſim, tum Caluinianam, tum Ianſenianam. Sed ita reſtringi ad vnam tantum Auguſtini doctrinam in iſta adhuc materia &c. vt loco omnium Sanctorum Patrum ſolus ipſe legatur, prompta occaſio eſt incidendi in hæreſim, tum Caluinianam, tum Ianſenianam; non igitur id licere, aut expedire cenſendum eſt; Et quidem quoad Caluinianam, nam, vt inquit Io: Adamus in ſuo Caluino deſtructo 3. p. cap. 10. de doctrina Auguſtini in materia reprobationis, *Credo mihi licere, eam exhorreſcere, quia mater eſt Caluiniani dogmatis*; vti & Molina 1. p. q. 23. dixerat, *eius occaſione plurimorum ſalutem fuiſſe periclitatam*, quia ſcil. *& Caluinus*, vt addit Caramuel fundam. 1. theſi 3. *Solius Auguſtini teſtimonÿs ſuas hæreſes fundare gloriatur*. nempè in lib. 3. inſtitutionum cap. 3. de iuſtificatione loquens, *Vnus*, inquit, *Auguſtinus ad id ſufficere poteſt*, vt repetit etiam Melancton in declamatione de D. Auguſtino & Io: Wiclef, ob iactatum Auguſtini ſtudium, *Io: Auguſtini* vocabatur, vt opponit ex Waldenſi etiam Theophil. Rainaud. in Hoplotheca ſec. 2. ſerie p. cap. 5. & Berengarij & alterius hæretici Iconomachi exempla ſubiungens vnum Auguſtinum cæteris Patribus præferentium, & inter cæteros recentiores Caluiniſtas Samuel Mareſius præfatione in Cathechiſmum de gratia cũ Scholijs pag. 3. poſt damnationem Ianſenij dicebat, *Ipſius Papæ auctoritas labaſcit, non ſolum propter ſcripta ab Arnaldo Sorboniſta &c. ſed etiam per has ipſas controuerſias de gratia, in quibus Pauli, & Auguſtini ſequaces plurimas defendunt, ac tuentur propoſitiones, quas Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. in Ieſuitarum gratiam cenſura notauerunt*. Nec minus inde Ianſeniſmus (ex modo allatis à Caluiniſmo probatus) ſuboitus eſt, vt conſtat, inter alia, ex Ianſenio ipſo tomo 2. lib. 3. de ſtatu puræ naturæ cap. 22. ſic præferenti vni doctrinæ Auguſtini etiam Eccleſiæ definitionem, *Quid ergo*, obijcit, *ad propoſitionem, quam proſcripſit Apoſtolica Sedes? Hæreo, fateor*, ſed *quid ad doctrinam Auguſtini clariſſimam, conſtantiſſimam, quam toties probauit, & ſequitur, ſequendamque monuit Apoſtolica Sedes?* & indè Vincentius Lenis, ſiuè Libertus Fromundus in epiſtola dedicatoria Anatomiæ hominis ad Eminentiſs. Barberinum, *non tantum, inquit, nouiſsimorum Pontificum* ſcil. Pij, Gregorij, Vrbani, & Innocentij, *ſolicitudine occupari oportet, vt vetuſtiſſimorum cura omittatur*, qui ſcil. doctrinam Auguſtini approbarunt, & demum hinc & Thomiſtæ aliquando nimis addicti doctrinæ vnius Auguſtini, ac S. Thomæ, hanc ſuſpicionem (vt iſti imponunt) tum Caluiniſmi, tum Ianſeniſmi incurrerunt: Caluiniſmi quidem, vt ipſi opponit Auctor Diatribarum diatriba 8. §. 151. memorato etiam libello ſub altero nomine Petri Pauli de Bellis agente *de affinitate doctrinæ Bannez cum doctrina Caluini*, & antea Ripalda

tomo

tomo 2. diſp. 118. ſec. 9. num. 55. confeſſus fuerat, *ſuos, vt notam Pelagianiſmi ſuæ ſententiæ ſeu Molinæ vitarent, obiciſſe oppoſitæ Thomiſticæ notam Caluiniſmi*; & diſp. 113. ſec. 8. n. 49. ſimilem etiã cenſuram oppoſuiſſe Vaſtidam fatetur, & ante iſtos, eamdem oppoſuit Molina 1. p. q. 23. ar. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. §. *certè*; Leſsius in Apologia cap. 3. n. 15. & alij, vt fatetur etiam Paulus Leonardus par. 2. num. 95. & 97. & num. 10. & demum iterum Franciſcus Annatus in defenſione ſcientiæ mediæ diſp. 4. cap. vlt. *Iuſta, (inquit) adhuc eſt inſignium Catholicorum ſuſpicio, quæ nimiam ſententiæ Thomiſtarum cum ſententia Nouatorum affinitatem timet, iuſta adhuc defenſorum ſcientiæ mediæ petitio, qui poſt tam longam tot annorum altercationem adhuc quærunt, quæ ſit reipſa differentia inter aduerſariorum Thomiſtarum, & Caluini doctrinam.* Nec minus quoad Ianſeniſmum id ſupponit Auctor idem Diatribarum diatriba 8. §. 140. dicens, cum quodam Siluestro Maiulico (qui forſan ipſe eſt) in lib. 5. Oceani religionum, *Molinæ quidem partum poſitum in fornace examinis Pontificij, & ſæpius igne probatum, deprehenſum eſſe aurum omnibus numeris purgatiſſimum*; e contra, inquit, *quamvis excogitatis voluntariè ſenſibus compoſitis eluſio Canonis 4. Triden. ſeſ. 6. de abijcibilitate gratiæ, tentata ſit à Cyriacis* (ſcil. Dominicanis) *æquè ac Frater Nolanus per ſenſus ſubuentaneos in ſuo cerebro natos tentauit illudere Innocentio X. &c. tamen omnia, fruſtra &c.* concludit, *Hoc audiant Ianſenianij & Cyriaci eorum collectanei, Frater Nolanus, Frater Reginaldus, & dux gregis ipſe Caper, Frater Io: Baptiſta de Marinis, qui & ſuis Lutetiæ ad ſtandum pro Ianſenio fortibus litteris impulit*, quæ partim dixerat etiam Diatriba 2. §. 33. & §. 32. *malè habuit*, inquit, *Cyriacos ea Pontificis Innocentij X. ſolicitudo aduerſus illum Caluinum perſonatum, ſcil. Ianſenium, præſertim quia prædeterminatio, vel concuti, vel quaſſari viſa eſt &c. Indè tanta Cyriacorum pro Ianſenio Cacozelia*, & diatriba 8. §. 151. *Cyriacorum plerique*, inquit, *pro remoranda vel etiam prorſus impedienda Ianſenij damnatione iuſtiſſima, omnem lapidem mouerunt, conteſtante Fratre Thoma Turco, tuendum ſtrenuè eſſe ſuburbium, ne Vrbs ad deditionem cogatur, ideſt Cyriacis ſtandum eſſe pro Ianſenio, ne prædeterminatio peſſum eat, aliaque Bannesiania placita concidant*; & demum id denuò de *Marino* ſub nomine *Pontici* repetitum legitur tomo 18. Theophili *in Arnaldo* §. 1. pag. 216. *ſcripſiſſe*, ſcil. *ad ſuos, vt ſtarent pro S. Thoma, ſeque Thomiſtas probarent, inhærendo ſenſis Ianſenij*. Hæc hucuſque iſti egregij ſimul Auguſtini, & Thomiſtarum laudatores.

ARTICVLVS II.

Proponitur, & ſtabilitur oppoſita affirmatiua ſententia, & vindicantur ſimul Cæleſtino poſteriora Capita epiſtolæ eiuſdem.

IN oppoſitum tamen eſt quod obiectiones emendicatæ ab hæreticis apud Catholicos metuendæ non ſunt, immo contemnendæ ſunt potius, quam commendandæ, ſeu tollerandæ; ſed huiuſcemodi eſſe videntur ſingulæ hucuſque exaggeratæ obiectiones, vt mox oſtendo; igitur metuendæ non ſunt, immo contemnendæ ſunt potius, quam commendandæ, ſeu tollerandæ. Sic enim in primis, dum adhuc Auguſtinus viueret, & tanti eius à Sinodis auctoritas æſtimaretur, vt in Sinodo Epiſcopali Hieroſolymitana contra Cæleſtium Auguſtini auctoritas prolata ſit, tamen Cæleſtius audacter reſpondit, præar-

ripiens iſtorum obiectiones, *Et quis eſt mihi Auguſtinus?* vt refert Oroſius in Apologia apud Noris lib. 1. Hiſtor. cap. 7. Sic poſt Auguſtinianæ doctrinæ Apoſtolicam approbationem, Semipelagiani ad conſimilia recurrerunt, vt referunt Hilarius, & Proſper in epiſtola ad Auguſtinum, & hic præſertim lib. contra Collatorem dicens, *vt Catholicarum mentium caſtitatem gratiæ defenſoribus calumniando corrumpant, præcipuum noſtro tempore in doctrina Eccleſiaſtica virum ſcil. Auguſtinum, rabido ore diſcerpunt.* Sic & Centuriatores Magdeburgenſes Centuria 5. cap. 4. pag. 507. non paucorum errorum Auguſtinum inſimulant, tum in ſermone ſcil. de Collectis, tum in lib. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 15. & alibi. Sic & ipſe Caluinus (qui in oppoſitum opponebatur) præſidenter nimis & ipſe lib. 3. inſtitutionum cap. 11. aiebat, *ac ne Auguſtini quidem ſententia per omnia recipienda eſt*, & præueniens ſui redargutionem de adhibita alicubi vehementer Auguſtini auctoritate ideò addit in præfatione ad Regem, *Patres recipimus quatenus nobis ſeruiant eorum ſcripta, non dominentur*, ſeu vt alij afferunt, & notant cum Bulingerio, *vt eorum auctoritatibus ipſi non adſtringantur.* Sic etiam, poſt Caluinum, Marcus Antonius de Dominis, cognomine Spalatenſis, lib. 7. de Rep. cap. 10. & 11. ait, *Auguſtinum multum laborantem contra Pelagianos, & Semipelagianos, etiamſi magnam obtinuerit in Eccleſia auctoritatem, ex probabilibus & laboribus proprijs proceſſiſſe, tamen multorum orthodoxorum paſſum eſſe contradictiones, & nunquam doctrinam eius in iſta materia poſſe definiri.* Sic demum, inter recentes hoc noſtro tempore hæreticos Semipelagianos, Arminius eorumdem Dux, vt refert etiam Macedo in antitheſi Arminiana, non minus quoad hoc, ac præallati, concludit, *tantum abeſſe, vt doctrina ipſius etiā Auguſtini, de prædeſtinatione in illis Concilijs recepta ſit, vt Cæleſtinus Epiſcopus Romanus, qui illo tempore viuebat, ad Epiſcopos Galliæ ſcribens, Pelagianorum doctrinas condemnans, in fine ſuarum litterarum in hæc verba concludat, profundiores vero, difficilioreſque quæſtiones &c.* vt ſupra etiam inter obiectiones ab aduerſarijs opponebatur. Sic igitur conſtat ferè omnes obiectiones exaggeratas hucuſque iamdiù fuiſſe hæreticorum, aduerſus Auguſtini doctrinam. Cur non igitur meritò Proſper concludebat in lib. contra Collatorem pro eadem doctrina Auguſtini in hæc verba? *Credunt ſe omnia auctoritatum munimina poſſe conuellere, ſi hanc paſtoralis ſpeculæ validiſſimam turrim crebra Pelagiani arietis illiſione pulſauerint. Firmum quidem fundamentum Dei ſtat, ſed congruenter iſti non deſunt partibus ſuis; dignum quippè eſt, vt quorum ſequuntur ſententias, imitentur inſaniam. Nec alia poſſunt dicere, quam quæ damnantur, & querelis procaciſſimis inſultant, ac cæterorum ſunt vulgata conuitijs. Paria ſunt vnius ſeminis germina, & quæ latebat in radicibus, manifeſtatur in fructibus.*

Reſpondeo igitur præter manifeſtos antea articulos fidei, triplicis generis aſſerta apud Auguſtinum in materia prædeſtinationis ac gratiæ diſtinguenda eſſe. Quædam primaria, quæ tanquam ſibi certò connexa cum doctrina Canonica Pauli, & Apoſtolica Eccleſiæ de gratia cōſtanter Auguſtinus aſſeruit, vt exempli cauſa quod primum auxilium gratiæ purè gratuitè detur, & ex gratuita prædeſtinatione non vero ex præuiſo bono vſu ſolius liberi arbitrij tribuatur, & huiuſmodi. Quædam ſecundaria, quæ non vt neceſſaria, ſed ſolum vt probabiliori connexione connexa cum illis, vt probabiliora ſubindè vbique, & conſtanter idem profeſſus eſt, vt v.g. quod prædeſtinatio ad gloriam ſit

ante

ante præuiſa etiam merita gratiæ; tertij demum generis ſunt, quæ neque certam neque probabiliorem cum prædicta doctrina de gratia apud Auguſtinum connexionem habent, vt an Anima (etſi conſtet immortalem eſſe) propagata ab alia anima tempore Auguſtini dicenda eſſet, vel à Deo creata; An pueri ſine baptiſmo decedentes aliqua etiam ſenſibili pœna torqueri dicendi eſſent, & huiuſmodi plura, à quorum neutra parte contradictionis pro tunc Eccleſiaſtica doctrina de gratia dependebat, & in vtraque affirmata vel certò, vel probabiliter, vt certa adhuc illa illęſa, ac immunis ſeruari tunc poterat, vt ſe non ſemel agnouiſſe idem Auguſtinus admonuit, tum epiſtola 28. ad Hieronym. tum lib. de peccato Originali cap. 23. tum lib. 1. retractationum cap. 9. tum accuratius libr. de bono perſeuerantiæ cap. 11. & 12. Primi igitur & ſecundi generis aſſerta fuere (vt plerique ſupponunt) ab Eccleſia definitiuè approbata reſpectiuè in ſuo gradu, prima quidem vt certa, ſecunda vero vt probabiliora, at tertij generis placita non niſi vt probabilia duntaxat tunc temporis, ſeu vt non erronea, approbata ſunt: Vt benè diſtinxit & vidit etiam Suarez prolegomeno 6. de gratia cap. 6. num. 16. & 17. non ſolum de duobus primis id aſſerens, vt legenti patebit, verum etiam de tertijs concludens, *credendum omnino nihil in doctrina de gratia Auguſtini inueniri, quod ſano modo intelligi non poſſet, ita vt ſaltem probabile non ſit*, & de his continuò ibidem, vt mihi videtur, ſubiungit, *ſententiam Auguſtini eſſe præferendam, niſi communis Patrum, vel Eccleſiæ auctoritas obſtare videatur, quod raro, vel nunquam contingit, nam ſi alicubi id occurrerit, explicandus erit Auguſtinus potius quam reprobandus*, vti ſupponit & Vaſquez in 1. p. diſp. 90. cap. 3. Penitus igitur ſic explicatam ſententiam iſtam amplexatur ac laudat, inter cæteros nobiliores noſtros Theologos, & Magiſter Io: à S. Th. diſp. 1. de approbatione doctrinæ S. Th. ar. 3. Et quoad tertiam quidem eiuſdem partem, me Iudice, ineunctanter id habetur ex illis Cæleſtini verbis, ad nauſeam vſque ab ipſis obtrectatoribus Auguſtini inculcatis, *Profundiores vero difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus aſtruere*, vt benè etiam quoad hoc Suarez aduertit: Quoad duas autem anteriores partes, præter obſeruata hoc loco à Suarez, conuinci poteſt ex eo, quod in primis anno 417. Innocentius I. acceptis ab Auguſtino litteris (quibus Auguſtinus librum de natura & gratia adiunxerat, vt à Romano Pontifice probaretur) reſpondit epiſt. 96. inter Auguſtinianas, *quod earum tenor, omniſque contextio eſt in conſideratione quotidianæ gratiæ Dei, & in eorum correctione, qui contra ſentiunt, integra ratione conſiſtit, vt ex illis omnem tollere poſſit errorem, & idoneum, dato cuiuis noſtræ legis exemplo, quem ſequi debeat, dignum poſſit præbere Doctorem*; præter aliam epiſtolam 93. ad Milleuitanos, Pelagio ſubindè, ac Cæleſtio, anathema dicentem. Sed hoc eſt definitiuè approbare Auguſtini doctrinam velut neceſſariò ſequendam in materia de gratia, vt in eiuſdem epiſtola abſolutè iacebat, & non ſolum, *quoad vnum, aut alterum errorem* refutatum Pelagij, vt falsò Moraines aiebat, & præuidit atque præcluſit hanc euaſionem Suarez Prolego. 6. cap. 1. de ſimili reſponſione Innocentij ad conſimiles epiſtolas aliorum Patrum cum eodem Auguſtino ſcribentium, dicens, *licet ibi non omnes errores Pelagij diſtinctè referat, & damnet Innocentius, nihilominus generatim approbat Aphricanorum Epiſcoporum doctrinam;*

Urinam; præter alia, quæ addit Noris in vindicijs cap. 6. ab initio; ergo verè ab Innocentio Auguſtini doctrina ſaltem tunc ſcripta in materia de gratia &c. fuit definitiuè approbata; adeò vt indè poſtea prædicta reſponſione Innocentij veluti fidei definitione vſi ſint, tum ipſe Auguſtinus lib. 1. retractationum cap. 50. & alibi ſępè, vt idem Suarez eo loci ſubiungit, tum Proſper contra collatorem cap. 10. tum Hieronymus epiſtola 8. ad Demetriadem, & alij Patres.

Secundò inde, præter Zozimum, qui anno quidem 418. *ad eorundem Affricanorum* Patrum litteras reſpondit, *nihil ſe, &c. immutaſſe, ſed in eodem cuncta reliquiſſe ſtatu*, poſtea tamen detecta melius Pelagij, ac Cæleſtij vafritie, iterum eos, vt hæreticos, condemnauit, & Affricanam Synodum confirmauit, (*cuius* teſte Proſpero in carmine de ingratis Auguſtinus *ingenium erat*,) litteris memoratis ab Auguſtino, tum epiſt. 47. ad Valentinum, tum 157. ad Optatum, & à Proſpero contra Collatorem cap. 41. & alijs, quos & Suarez adiungit cap. 1. num. 4. adeò vt Io. Latius lib. 1. Hiſtoriæ Pelagianæ cap. 4. conuincatur erroris, dicens epiſtolas Zozimi in hac materia ſuppoſititias eſſe, præter etiam Bonifacium, qui circa Annum 423. (referente Proſpero contra Collatorem cap. 41.) aduerſus libros Pelagianorum B. Auguſtini *reſponſa poſcebat*, præter iſtos, inquam, eatenus approbantes Auguſtini doctrinam, quatenus Pelagianorum errores contrarios eidem damnabant; Inde (vt Chronologicè etiam aliquatenus Hiſtoria texatur,) proſequens Auguſtinus frequentibus ſcriptis eradicare prædamnatos errores hæreſis Pelagianæ, inter cæteros libros, anno 424. librum de correct. & gratia ad remouendū etiam ex oppoſito extremum errorem, abnegatæ indifferentiæ libertatis à Monacis Adrumentinis, conſcripſit, ab anno 424. ad 426. à noua quieſcentium Pelagianorum oppugnatione quieſcens, alterius argumenti ſcribendis libris incumbens, de Ciuit. nimirum, de Trinitate, & huiuſmodi, anno 427. fermè cōpletis duobus retractationum libris (ex epiſtola eiuſdem ad Quod vult deum) tandem ad annum 428. poſteriores octo Iuliani libros recenter ſibi ab Alipio tranſmiſſos in Aphricam, opere, quod imperfectum dicitur, confutauit, cum interim Maſſiliæ in Galliarum Italiæque confinijs Semipelagianorum tumultus exorti ſunt. Maſſiliæ enim ea celebris Doctorum Vniuerſitas vltrò vigebat, *Cuius*, vt iam diù Cicero in Oratione pro Lucio Flacco dicebat, *Ciuitatis, ſcil. Maſsiliæ, diſciplinam atque grauitatem non ſolum Graciæ, ſed haud ſcio, an cunctis gentibus anteponendam iure dicam*. Vnde Tacitus 4. Annalium ait. *Nepotem Auguſtus ſepoſuit in Ciuitatem Maſsilienſem, vbi ſpecie ſtudiorum nomen exilij tegeretur*, & plura habet Strabo lib. 4. ſua ætate dicens, *illuc Romanos pro Attica peregrinatione ad capeſcendas diſciplinas aduentaſſe*. In hac igitur Maſſiliæ vrbe cōtinuata diſciplinarum præſtantia ille Io. Caſſianus ſacrarum litterarum profeſſione eminebat, natione Scitha, *ſed Abbas Maſsilienſis*, vt ex epiſtola Epiſcopi Caſtoris ad eumdem euincit Alardus Gazæus pręfatione in Caſsianum, *qui*, vt loquitur Proſper contra Collatorem cap. 2. *illis omnibus in ſanctarum ſcripturarum ſtudio præſtabat, & diſputandi vſu inter eos, quibus cum egit, excellebat*: hic iam celebris fama, ob vltrò vulgatos inſtitutionum libros, expendens ex vna parte damnatum Pelagianorum errorem de merito naturæ ad gratiam, ex alia parte arbitratus nimis rigidam Auguſtini ſententiam in libris contra Iulianum,

Iulianum, & multo magis in lib. de correct. & gratia, negantem etiam initium naturæ ad gratiam, inde ad aucupandam maioris nominis famam (vt ſæpè doctis ipſis contingit), ſe medium inter vtramque conſtituit, *veluti informe quid tertium,* vt loquitur Proſper contra Collatorem cap. 5. *atque vt parietem tertium,* vt dicebat idem Proſper in carmine de ingratis, negans quidem meritum contra Pelagium, aſſerens vero initium contra Auguſtinum, ſicque lōgè ante etiam ſcriptis datam, ſeù euulgatam, collationem 13. (in qua id repetit), id in Scholaſticis diſputationibus non ſemel propugnauit, vt teſtatur Proſper contra eundem Collatorem cap. 33. dicens, *quis hæc prædicari à Catholicis inter Catholicos crederet, niſi, quæ in colluctationibus domeſticis ſæpè defenſa ſunt, etiam poſtea ſcripta legerentur?* eodemque hoc tempore ſcribens idem Proſper, ideò epiſtola ad Ruffinum aiebat, *cur non ſaltem aliquibus ſcriptis Auguſtinum, à quo talis emanat doctrina, conueniunt?* & tamen (quod non ità rectè viſus eſt accepiſſe Noris lib. 2. Hiſtor. cap. 1.) non inconſequenter ibidem addebat, *Moleſtè ferunt quod his, quæ aduerſum Auguſtinum &c. inter multas collationes, aſſerere, reſiſtimus,* neque enim hinc, ſcriptas poſtea, Caſſiani collationes intelligit, ſed *Scholaſticas* potius inter doctos viros *diſputationes*, vt in hoc ſenſu ſolitas eas fuiſſe, atque hoc nomine *Collationum* antiquitus nuncupatas, eruditiſſimè oſtendit laudatus Gazæus in præfatione collationum Caſſiani ex Smaragdo Abbate in cap. 40. regulæ D. Benedicti, Iſidoro lib. 3. de ſummo bono cap. 14. Hieronymo in lib. de Monacis Ægyptijs, Caſſiano eodem lib. 5. inſtitutionum cap. 20. & 21. & Baſilio in regulis fuſioribus cap. 54. Euulgatis igitur poſtea ſolum poſterioribus Caſſiani collationibus (inter quas tertiadecima de hac materia pertractat) exeunte anno 426. (ſcil. nondum Epiſcopo conſecrato Honorato, cui dicatæ fuere, vt colligitur ex præfatione Caſſiani) Maſſilienſes peiori eiuſdem exemplo, ac opinione excitati, peiores animos arripuere detecta fronte impugnandi Auguſtini doctrinam, velut inducentem, *fatalem quamdam neceſſitatem* vt Proſper, & Hilarius, Auguſtinum miſſis litteris monuerunt, (vel ingrediente anno 429. iuxta Norim, aut verius iuxta Baronium, & Voſſium, completo anno 426) appoſitè memorantes eaſdem in eadem Maſſilienſi Vniuerſitate *diſputationes* ſcil. *non facile,* inquit Proſper, *quiſquā præter paucos perfectè gratiæ intrepidos amatores, tantis ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contraire,* in quibus adiungunt, illos admiſiſſe quidem priora ſcripta Auguſtini contra Pelagianos ab Innocentio, & ſucceſſoribus approbata, ſed ſolum in poſterioribus Auguſtini *ſcriptis*, vt ſubdit idem Proſper, *quæ aduerſus Pelagianos Hæreticos condiderat, contrarium putabant Patrum opinioni, & Eccleſiaſtico ſenſui quidquid in eis de vocatione electorum ſecundum propoſitum diſputauerat;* de reliquo, *admiratores, ſectatoreſque in alijs omnibus eius eſſe doctrinæ,* ac inde, *non putantes Chriſtianam fidem hac diſſenſione violari*, nimirum non ſic approbationi Eccleſiæ in anteriores Auguſtini libros derogari, vt proſequitur in epiſtola Proſper, idemque Hilarius repetebat ſcribens, *ſe dicunt tuam ſanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari,* & ideò hoc ſuum medium veluti placitum, *non ſolum aliorum catholicorum teſtimonijs, ſed etiam ſanctitatis tuæ diſputatione antiquiore, ſe probare teſtantur*. Et iterum, *hoc & illis tuorum opuſculorum & aliorum, quæ perſequi longum eſt, ſe demonſtrare teſtantur,* vno verbo excipientes ab Eccleſiaſtica approbatione poſtremos Auguſtini libros, præter-

tim de correptione, & gratia, mox ante vulgatos, in quo præ alijs libris aiebar, *moleſtè ferunt ita diuidi gratiam, quæ, vel tunc primo homini, vel nunc omnibus datur*, ſcil. cap. 11. & 12. illius lib. de corrept. & gratia, *quo libro*, vt antea Proſper admonuerat, *recenſito &c. qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, auerſiores, quam ſuerant, receſſerunt*. De his igitur omnibus ſigillatim Auguſtinus admonitus litteris ab ipſo receptis in Aphrica (vt mihi inter varias ſupputationes Noris, & Baronij videtur) inter annum 427. & 428. inde anno 429. Proſpero, & Hilario reſpondens, velut Cygni morientis voces, duos illos poſtremos admirabiles edidit libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeuerantiæ, & ſubindè, anno 430. glorioſiſſimus Doctor ad patriam aduolauit. Sed incrudeſcente, hoc non obſtante, poſt iſtos libros, & graſſante magis, poſt Doctoris mortem, Semipelagiana lue Maſſiliæ, cum etiam in contiguis Galliarum Vrbibus, vt antea etiam Hilarius innuebat dicens, *Hæc ſunt quæ Maſsiliæ, vel alijs locis in Gallia ventilantur*, evulgato ſimul *diabolico indiculo* ſexdecim blaſphemarum propoſitionum attributarum Auguſtini doctrinę, & Proſperi defenſoris eiuſdem, vt legitur in opuſc. eiuſdem Proſperi *ad obiectiones Vincentianas*, ideo Proſper tametſi verbis Aug. doctrinam defenderet, & emergentibus etiam quandoque cenſuris occurreret, oppoſitam tamen iam evulgatam Caſſiani, ac Maſſilienſium doctrinam ſuis ex aduerſo ſcriptis, ſeu cenſuris impetere (ex ante allatis cauſis in eiuſdem epiſtola) non audebat. Ideo tot inter turbationes tandem Hilarius, ac Proſper, anno 432, Romam ad Cæleſtinum Pontif. (cui in minoribus dilectus fuerat Auguſtinus, vt ex epiſtola 261. Auguſtini & 26. ad eundem tunc *Condiaconum Cæleſtinum*, haberi poteſt) ſupplices recurrerunt, vt approbatæ Auguſtini doctrinæ, ſimul & corũ nominis obtrectatores opportuno remedio compeſceret, vti ſtatim præſtitit eodem anno 432. quo poſtea Pontifex Sanctiſſimus obijt, eiſque impetratis Cæleſtini litteris, ac ſecum delatis in Galliam animatus continuò Proſper in lib. evulgato anno 433. aperto tunc Marte *contra Collatorem* validiſsimè vſus eſt, præſertim cap. 42. nec multo poſt (certè mortuo iam Auguſtino, quem *Sanctæ memoriæ* nominat in præfatione) ad 15. capitula Gallorum reſpondit, & etiam *excerptas* ex libris Auguſtini poſtremis *difficultates* à Theodoro, & Camillo Genuenſibus (breue enim adeſt, & aderat Maſſiliam inter ac Genuam nauigationis commercium) altero opuſculo enodauit. Hæc omnia breuiter, ſed iuxta ſeriem chronologicam, hucuſque præfati ſumus, vt perueniremus ad iſtam tam celebrem Cæleſtini Pontificis approbationem; Hæc enim illa eſt, quæ vna, etiamſi duo priora duntaxat Cæleſtini capitula contineret, præſcindendo ab adiunctis (de quibus mox contra Norin) approbationem, quam nunc intendimus, Auguſtinianæ doctrinæ, non ſolum contra Pelagium, verum etiam aduerſus Maſſilienſes, ac Semipelagianos, validiſſimè comprobaret. Eo enim modo accipienda erat vniuerſalis præſertim reſponſiua definitio Pontificis in patrocinium doctrinæ Auguſtini, quo modo repręſentata ab Hilario, & Proſpero, ex Maſſilienſibus, & Gallicanis eiuſdem repræhenſio doctrinæ, ac defenſorum eiuſdem. Sed iſta profecto repręſentata fuit, vt tangens præſertim poſteriores libros, & conſequenter in ordine etiam ad Semipelagianorum errorem, vt ex allatis iam conſtat, ergo in hoc ſenſu etiam reſponſiua, ac generalis definitio Pontificis, in patrocinium Auguſtinianæ do-

ctrinæ

ctrinæ accipienda fuit, vt tangens etiam, & approbans poſteriores libros, & conſequenter in ordine etiam ad Semipelagianorum errorem cauendum, non tolerandum; præſertim cum generalis, ſeu vniuerſalis fuerit, & talem ſine dubio fuiſſe hæc eius verba, pręcęteris, expendenda demonſtrent; Nimirum *Ad Venerium,* (qui Maſſilię Epiſcopus erat) *Marium Leontium, Leuporium, Arcadium, Philtatium, & cæteros Gallicanos Epiſcopos; Filij noſtri*, inquit, *præſentes Proſper, & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſolicitudo laudanda eſt, tantum, neſcio quibus, presbyteris illic licere, qui diſſenſioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos proſecuti, vt indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare aduerſantia veritati*, ſcil. Hilarium, & Proſperum, in defendendo poſteriorem Auguſtini doctrinam, *timeo* (ſubdit) *ne conniuere ſit hoc tacere, timeo ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis tantum loqui; in talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret, ſi falſitas diſpliceret: merito namque nos cauſa reſpicit, ſi cum ſilentio faueamus errori. Ergo corripiantur huiuſmodi, non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem; deſinat, si ita res eſt, inceſſere nouitas vetuſtatem, deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare &c. nec tamen mirari poſſumus, si hæc erga viuentes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quieſcentium Fratrum memoriam diſſipare*. Inde cap. 2. [Auguſtinum ſanctę recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec vnquã hunc ſiniſtrę ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantę ſcientię olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper prædeceſſoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, vtpotè qui vbique cunctis, & amori fuerit & honori. Vnde reſiſtendum talibus, quos malè creſcere videmus &c. intelligamus hæc ipſa vobis, quæ nobis non placeat, diſplicere. Quod ita demum probare poterimus, ſi impoſito improbis ſilentio, de tali re, impoſterum querela ceſſauerit. Deus vos incolumes cuſtodiat Fratres Chariſſimi.] Hucuſque Cælęſtinus, vt omnes admittunt, in quibus iterum, etiam aduerſus Semipelagianos, fuiſſe tunc approbatam Auguſtini doctrinam oſtendo. Nam niſi per iſtam Cæleſtini approbationem approbati fuiſſent in re etiam poſtremi libri Auguſtini à Maſſilienſibus, & Semipelagianis repræhenſi, nec conſequenter error refutatus eorum, non fuiſſet *Auguſtini reprehenſoribus malè loquentiæ adempta libertas, nec librorum, qui errantibus diſplicebant, pietas laudata fuiſſet*. Sed immo, vt inquit Proſper contra Collatorem cap. 42. *per hunc virum*, ſcil. Cæleſtinum, *intra Gallias iſtis ipſis, qui ſanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, male loquentiæ eſt adempta libertas, quando conſultantium actione ſuſcepta, & librorum, qui errantibus diſplicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum auctoritate ſentiri, ſancto manifeſtauit eloquio, euidenter pronuncians, quantum ſibi præſumptionis iſtius nouitas diſpliceret, quæ auderent quidam aduerſus antiquos Magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationis veritatis obſtrepere, Auguſtinum inquiens &c.* vt ſupra, ergo verè per iſtam Cæleſtini approbationem approbati fuerunt in re etiam poſteriores Auguſtini libri à Maſsilienſibus, ac Semipelagianis reprehenſi, & per conſequens error refutatus eorum, vt benè concludendo deducit ibidem Proſper his verbis, *Contra igitur iſtam clariſſimæ laudationis tubam, contra iſtam ſacratiſſimi teſtimonij dignitatem, audet quiſquam malignæ interpretationis murmur emittere? & perſpicuæ, ſinceriſſimæque ſententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere?* nempè eam,

quam ante Cæleſtini litteras adhibebant, vt mox antea afferebamus. Confirmo hinc præcludendo tacitam euaſionem, quod & ibidem D. Proſper referebat, ac reſutabat, nimirum ex ratione ſubterfugi poterat hæc definitiua approbatio Pontificis in ordine ad poſtremos Auguſtini libros, de prædeſtinatione Sanctorum, & bono perſeuerantiæ, quatenus iſtorum, *in epiſtola Papæ* non expreſſus eſt titulus, ſed hæc ratio nulla eſt; nulla igitur euaſio ſupererit; oſtendit vero ibidem nullam hanc etiam rationem D. Proſper, tum quia de illis libris intelligenda erat reſponſio, & ſuperflua erat expreſſio, pro quibus præſertim cauſa agitabatur, ſed pro iſtis præſertim duntaxar cauſa agitata fuit, vnde, inquit, *librorum, pro quibus actum eſt, non expreſſus eſt titulus*, pro iſtis igitur definitiua reſponſio Pontif. intelligenda fuit, & ſuperflua expreſſio fuiſſet, tum quia, inquit, *in omnibus operibus*, quæ ibi longo cathalogo de hac materia recenſet, *multiſque alijs, quæ enumerare longum eſt, idem doctrinæ ſpiritus, eadem prædicationis forma præceßit*, ergo vel vtrique ſimul, vel neutri, ab Eccleſia approbati quoad hanc materiam cenſendi ſunt, tum quia ſub approbatione generali alicuius communis & ſingula particularia approbata eĕſentur compræhenſa ſub illo, etiamſi ſingulis ſpecialis approbatio non applicetur, vt ex illo Gen. *vidit Deus omnia, quæ fecerat, & erant valdè bona* ſingula iam approbata cenſentur; ſed Cœleſtinus vniuerſim vt ſic Auguſtini doctrinam in hac ſaltem materia de gratia, de qua quærebatur, Auguſtini doctrinam *ab omni ſiniſtræ ſuſpicionis rumore* remotam decernit, ergo ſingulæ eius in hac materia doctrinæ in quibuſcumq; ſuis libris contentæ ſub illa vt ſic, per Cæleſtinum approbatæ fuerunt, vndè meritò concludebat Proſper. *Agnoſcant calumniatores ſuperfluo ſe obijcere, quod his libris non ſpeciale neque diſcretum teſtimonium ſit perhibitum, quorum in cunctis voluminibus norma laudatur. Apoſtolica enim Sedes, quod à præcognitis ſibi non diſcrepat, cum præcognitis probat, & quod iudicio iungit, laude non diuidit*; ad quod retulerat etiam anteà eam vniuerſalem, præ cæteris, particulam Cæleſtini, *benè de eo omnes*, ſcilicet etiam prædeceſſores Pontifices, *in commune ſenſerunt*. Concludat igitur meritò, præter Aluarez noſtrum diſput. 5. num. 4. Grauinam tom. 3. q. 2. ar. 9. Baronium ad annum 431. Pennotum lib. 5. propugnaculi cap. 16. num. 2, & alios, etiam Suarez proleg. 6. cap. 1 n. 9. *hanc præallatam peruerſam interpretationem Epiſtolæ, ſcilicet Cæleſtini, validiſsima ratione Proſperum confutaſſe &c. Nec enim veriſimile eſt Cæleſtinum iſtorum librorum poſteriorum Auguſtini notitiam non habuiſſe, quia Proſper ait (pro illis actum eſſe) vtique à ſe, & Hilario &c. ergo dubitandum non eſt, quin illos in ſua Epiſtola Cæleſtinus comprahenderit, præſertim cum ipſum Auguſtinum eiuſque doctrinam & fidem ſimpliciter approbet, & ab omni ſiniſtra ſuſpicione immunem pronunciet*, in quem ſenſum & Photius codice 53. de hac Cæleſtini epiſtola inquit, *ſcripſit idem & ad Galliarum Epiſcopos, de fide Beati Auguſtini, & contra eos, qui hæreſis licentia nimis elati inſoleſcerent*, eamque, vt infrà dicetur, Vincentius etiam Lirinenſis in nouitatem tunc exordientis hæreſis, ſcilicet Semipelagianæ (non Pelagianæ, quæ vetus erat) intorquebat.

Tertiò principaliter adhuc, vt magis id conſtet contra Henricum Noris (qui minus in ſuis Auguſtini vindicijs circa hanc Cæleſtini approbationem Auguſtino fauere videtur) oſtendo, inquam, & alia ſubiuncta decem ſequentia capita in epiſtola Cæleſtini velut approbata à Pontifice (legenda in fine

Pro-

Proſperi, aut in tom. Conciliorum) adhuc ſuſcipienda eſſe. Dum enim cap. 3. ſubiungebatur, *Magiſtris noſtris tamquam neceßarium modum exceſſerint obloquuntur*, profectò feriebantur ea verba, quæ Caſſianus ſcripſerat in Auguſtinum Collat. 13. à Proſpero etiam recitata contra Collatorem cap. 9. *multi*, inquit, *ſingula hac credentes, ac iuſto amplius aſſerentes varijs ſibique contrarijs erroribus ſunt inuoluti*, & cap. 15. *ne vnum horum homini ſubtrahentes Eccleſiaſticæ fidei regulam exceſsiße videamur.* Sed non eſt credendum Caſſianum poſteà audientem hæc ſua dicta ſic feriri, fore id ſilentio præteriturum, ſi vel ſuſpicari licuiſſet cenſuram illam, non ab auctoritate Pontificis, ſed ab arbitrio Proſperi ſui Antagoniſtæ fuiſſe confictam; non igitur credendum eſt ea capita *ſine ſcientia & conſenſu*, vt Suarez loquitur Proleg. 6. cap. 1, ſeu ſine approbatione Pontificis prodijſſe, vti & Aluarez noſter diſput. 5. de auxilijs n. 3. & Vaſquez p. 1. diſput. 91. num. 85. in hoc ſenſu eſſe Cæleſtini, cæterique omnes Scholaſtici ſcriptores poſt illos ſuppoſuerunt, inter quos vide Lemos in tomo 1. nunc prodeunte tract. 5. cap. 18. pollicentem etiam ſe id denuo probaturum initio libri tertij, licet id ibi non legam. Vltrò nam D. Proſper ne dum Sanctus ſed cautiſſimus *& fideliſsimus* (vt loquitur in propoſito de ipſo D. Prudentius lib. de Prædeſt. cap. 11.) vir erat, adeout evulgatam iam ante pluribus annis (vt diximus, & Noris ipſe fatetur) Caſſiani collationem 13, aduerſus Auguſtini doctrinam, non ſit auſus ſtatim ſcriptis editis impugnare, eo quod *eſſent*, vt dicebat Hilarius epiſtola ad Auguſtinum, *tales ex parte perſonæ, vt his conſuetudine Eccleſiaſtica laicos ſummam reuerentiam neceſse eſset exhibere*. At longè minor poſteà eiuſdem cautela fuiſſet, ſi Pontificio diplomati à ſe conſtructa capitula affinxiſſet, & aperto ſe diſcrimini exhibuiſſet criminationis impudẽtis falſationis Pontificij diplomatis à diligenti (vt ſciebat) aduerſariorum induſtria perquirendæ, ac faciliori euentu obtinendæ; non igitur auſum hoc imprudentiſſimum de Proſpero præſumendum eſt, vt in ſimili omninò aduerſus Gilbertum Maguinium, aientem à Fauſto acta Sinodi Arelatenſis, & Lugdunenſis fuiſſe conficta, arguebat idemmet Noris lib. 2. hiſtoriæ Pelagianæ cap. 15. dicens, *ſe his numquã aſsentiri, quis enim de Fauſto tantos ſibi dolos perſuadeat, qui coram vniuerſis Galliarum Epiſcopis tantorum mendaciorum architectum ſe ſiſtere non extimuerit?* Deindè veriſimilius eſt id ſcire valuiſſe illos potius ſcriptores, qui eodem ferè ſæculo ſua ſcripta vulgarunt, quàm illos, qui vt Voſſius hæreticus, aut Henricus Noris poſt mille ac ducentenos annos ab illis temporibus exorti ſunt, ſicut in ſimili idem Noris aduerſus Haloix non ſemel in diſſertatione hiſtorica pro 5. Sinodo repetebat. Sed inter illos, antiquitus ipſe Petrus Diaconus propè illa tempora ſcribens, vna cum reliquis Patribus Scithis ex oriente Romam fidei cauſa delegatis, in lib. de Incarnat. & gratia ad Fulgentium etiam ſubiuncta capita epiſtolæ Cæleſtini vſque ad extrema verba recenſet, his verbis, *terminat autem idem Magiſter Cæleſtinus hanc ipſam Epiſtolam atque concludit ita dicens. Quia ad confitendam gratiam Dei, cuius operi ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt &c.* vt in poſterioribus epiſtolæ Cæleſtini capitibus concludebatur, præter Creſconium, qui paulò poſt, ſcilicet anno 698, in collect. can. eodem modo prædicta cap. ex Cæleſtini epiſtola referebat. Veriſimilius igitur ea capita etiam adminus ab auctoritate Cæleſtini Pontificis emanaſſe. Rurſus cum anno 500. in Sardinia morarentur exules

illi celeberrimi Affricani Epiſcopi Auguſtinianæ doctrinæ patroni ac peritiſ-
ſimi, de quibus agit idem Henricus Noris lib. 2. hiſt. cap. 18, *cum laude ad hos
eoſdem* Scithæ Patres libellum ſuæ fidei deſtinaſſent, *quatenus*, vt aiebant in
præfatione, *diligenti examinatione ea, quæ in illo continebantur diſcutientes ſcriptis
ſententiam ſuam patefacerent*, etiam cap. 8. Cæleſtini verba ex cap. 8. eiuſdem
epiſtolæ tranſcribebant, cęteraque Cęleſtinianę epiſtolę capita, vt verè Pō-
tificis, ſupponebant. Sed hoc non obſtāte in hac ſua ſuppoſitione illos Affri-
cani Epiſcopi altero reſponſiuo libello, de Incarnat. & gratia exarato à Ful-
gentio, ingenti laude firmauerunt. Igitur ea capita etiam iuxta Affricanos
Epiſcopos, vt habentia Cęleſtini Pontificis auctoritatem, ſuſcipienda ſunt.
Immo proximiora adhuc vt afferam ad illa tempora, ſanè Sinodus Lugdunen-
ſis non niſi triginta poſt annos circiter ab editione huius epiſtolæ Cæleſtini
celebrata fuit, nempè anno 475, vt pręter Syrmundum conſentit, & Noris
lib. 2. hiſt. cap. 15. in fine, per conſequens nemo melius de hac approbatio-
ne Auguſtini Doctrinę atteſtari poteſt, quam Eccleſia ſaltem Lugdunenſis in
qua tam proxima Sinodus in eiſdem Galliarum partibus celebrata fuit, atque
(quod caput eſt) in eiſdem controuerſijs Auguſtinianę doctrinę nimirum ad-
uerſus hęreſim Prędeſtinianorum, quam ſibi aliqui ex peruerſa intelligentia
libr. Auguſtini ineptiſſimè affricuerant. Sed hęc ipſa Lugdunenſis Eccleſia
(anteriores inde notitias ſeruans in Archiuis ſuis, vt par eſt credere) in libr.
de 3. Epiſtolis atque in alijs partim editis poſtea in cauſa Gotteſcalchi hæc
etiam poſteriora capitula velut ex Cæleſtini epiſtola recognoſcit, & inter cæ-
tera cap. 12. de tenenda ſacra ſcriptura etiam ea poſtrema verba Cæleſtini,
profundiores verò & difficiliores partes intercurrentium quæſt. &c. adamuſſim recen-
ſet: & nobis igitur longè poſterioribus etiam recognoſcenda videntur, vt
prætermittam in hoc conſentiētes Hincmarum Archiepiſcopum Rhemēſem
lib. de Prædeſt. cap. 22, & 23, Lupum Ferrarienſem in Collectaneis qu. 2. &
Remigium Lugdunenſem & alios. Addo, vt ſternam aditum ad argumenta
ſoluenda, noſtris etiam temporibus morem eſſe, vt præmiſſo conſultorum
examine ipſi conſultores examinatæ doctrinæ cenſuras, ac cenſurarum capita
digerant, indeque digeſta ac ſibi propoſita Pontifex, prout ſibi videtur, ap-
probando confirmet, & confirmando promulget, adeò vt Pontificis tandem
decretoria ſententia nominetur. Sed planè & hoc modo fuiſſe concepta po-
ſteriora Cæleſtinianæ epiſtolæ capita, ex laudabili non ſolum eiuſmodi Apo-
ſtolicæ Sedis conſuetudine conſtat, verum etiam (quod pleroſque, vt video
præteriuit) ipſemet Proſper contra Collat. cap. 42. atteſtatus eſt, dum de
prædicta Cæleſtini ſententia ſic loquitur, *conſultantium* (perpendatur id quæ-
ſo) *conſultantium actione ſuſcepta, & librorum, qui errantibus diſplicebant, pietate lau-
data, quid oporteret de eorum auctoritate ſentiri, ſancto, ſcilicet Pontifex, manifeſtauit
eloquio &c.* Quid clarius vel opportunius afferri poterat? igitur, tam etſi etiam
à Proſpero vt vno, ac præcipuo conſultorum exarata dici queant, vt quan-
doque ſic dici permittuntur, tum à Suarez vbi ſupra, tum à Baronio ad annum
431. pag. 603. tum à Surio, tum à Conciliorum collectoribus in Colonienſi
editione, vel Sixti V, vt Noris addenſat, adhuc hoc non obſtante tamquam
ſine dubio ſuppoſita approbationi Pontificis Pontificiæ eiuſdem auctoritati
ſubducenda non ſunt: vnde Claudius Menardus in notis in Auguſtinum to. 7.

ait

ait, *hac Capitula Cœleſtinum Proſpero diſponente credenda ſtatuiſſe*, eo conſimili modo, quo D. Hieronymus epiſt. 51. ait (*cum in chartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum Romanæ Vrbis Epiſcopum, & orientis atque occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem*) & ad hoc facit, quod pariter idem Proſper ante hanc Cæleſtini Epiſtolam adhuc ſub eodem Cæleſtino, vti Suarez loquitur Proleg. 6. cap. 6. num. 22. *vt miniſter Apoſtolicæ Sedis in defenſionem Auguſtinianæ doctrinæ de gratia laborabat*, & idem Proſper in præfatione ad obiectiones Vincentianas atteſtabatur ſe eamdem *ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate defendere*, data etiam forſan adhoc ab eodem Cæleſtino auctoritate mox ante in miſſione epiſtolæ ad Tuentium Galliarum Epiſcopum, quam in hac eadem materia conſcriptã Cæleſtinus in cap. 1. præſentis epiſtolæ memorabat, *ſuper his multa iam ſcripta ſunt eo tempore, quo ad Fratris Tuentij dedimus ſcripta reſponſum*; & Trithemius adiungit, *etiam Beati Leonis Papæ magni quondam Notarium fuiſſe Proſperum, & multas in eius perſona epiſtolas dictauiſſe*, vt dixerat etiam Gennadius apud Hieronymum in Catalogo illuſtrium virorum de eodem Proſpero ſcribens, *Epiſtolæ Papæ Leonis aduerſus Eutychem de vera Chriſti Incarn. ad diuerſos datæ ab ipſo dictatæ creduntur*, & de alijs Capitulis notat & Vaſquez in p. p. diſp. 89. cap 4. nec tamen indè deſiere nominari decreta Pontificum, & in hoc conſentit cũ Adone Viennenſi, & alijs, etiam Baronius in Martyrologio ad diem 25. Iunij; meritò ergo concludit Suarez Proleg. 6. cap. 6. n. 23. *quod etſi hæc capita à Proſpero edita eſſe credantur, & vel ab ipſo Cæleſtino ſimul fuerunt probata & miſſa, vel tacito conſenſu Eccleſiæ ita probata ſunt, vt certam auctoritatem obtinuiſſe videantur*, & aſſeuerantius Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 18. agnoſcit *Canones à S. Proſpero editos a Pontifice ſuos factos & confirmatos miſſoſque &c.* Ex quibus omnibus in promptu eſt Voſſij & aliorum motiua vno verbo diſſoluere, ac refutare, dũ inquiunt ſecundum caput terminati illis verbis, *Deus vos incolumes cuſtodiat, fratres cariſsimi*, & conſequenter nouum opuſculum inchoatur à cap. 3. illis verbis, *quia nonnulli &c*, tum illa verba ſubiuncta, *ſacratiſsimi Petri ſedes per miniſterium ſuum Præſulum ſuorum ſanxit &c. neceſſarium fuit inquirere quid Romanæ Eccleſiæ rectores &c. iudicarint*, non videntur verba Romani Pontificis, dum nec de Romana Sede tamquam de propria loquitur, nec Romanos rectores vocat prædeceſſores ſuos, prout Pontifices conſueuerunt, nec tamquam habens *ad definiendum auctoritatem loquitur, ſed inquirens*, & denique dum ibidem dicitur *Magiſtris noſtris, tamquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur*, hæc verba, inquiunt, in gratiam Auguſtini dicta redolent magis Proſperum quam Cæleſtinum. Hæc, inquam, ſingula in promptu eſt ex dictis vna reſponſione diſſoluere, nimirum conuincere iſta verba à conſultoribus prius in *conſultantium actione ſuſcepta* fuiſſe prolata, cum quo ſtat à Pontifice poſteà approbata hac de cauſa ſimul ab eodem Pontifice ſuo diplomati inſerta, atque tranſmiſſa fuiſſe, eo modo, quo pariter Leo Magnus in epiſtola ad Nicetam Aquileiẽſem Epiſcopum in ſua epiſtola duo capitula ex operibus Auguſtini contra Pelagianos inſeruit, & Gelaſius ad Honorium contra eoſdem Pelagianos alia capita incluſit dicens, *ſequentes tituli cum ſuis reſponſionibus intimabunt*, & Felix IV. viginti quinque capita ad Arauſicanam Sinodum, & præter ſimilia capita tranſmiſsa frequenter (quidquid obclangant hæretici, quibus occurrunt ante Pallauicinum Cano lib. 5. & Bannes 2. 2. q. 1. ar. 10. dub. 4.) tranſmiſſa,

inquam

inquam, in Tridentinum Concilium, de his ſimilibus etiam Hormiſdas ad Poſſeſſorem aiebat, *præter varios lib. ſcilicet Auguſtini, & maximè ad Hilarium & Proſperum, quæ in Scrinijs Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur.* Non immeritò igitur, tum in fine operum Proſperi editionis Duacenſis anni 1577. tum in alijs antiquioribus etiam Conciliorum editionibus, ſub Cæleſtini nomine hæc etiam capita impreſſa leguntur, addito etiam hoc titulo ad primorum iſtorum capitum, ſcilicet *Sedis Apoſtolicæ Epiſcoporum auctoritates de gratia Dei*, vt prætermittam rigidam illam ex ſola verborum cenſura deprompta oppoſitionem non tanti faciendam, quoniam ſi quid probaret, reponeret etiā ſub dubio inter cæteras conſimiles decretales Pontificum in hac eadem materia de gratia eam Gelaſij epiſtolam ad Honorium, dum ſine hoc titulo *prædeceſſorum* pariter de Pontificibus ſic loquebatur, *numquid licet nobis à venerandis Patribus damnata diſſoluere?* & mox veluti magiſtros agnoſcens etiam Eccleſiaſticos tractatores ac Patres, *O ſi ſtuderent*, inquit, *aduerſus eos maiorum noſtrorum libros, reſponſa cognoſcere, cerneretur &c.* non minus ac in allatis capitulis Cæleſtinianæ epiſtolæ diceretur; vbi rurſus quorumcumque aliorum iudicio dimitto expendere, an ſolius *inquirentis*, vel potius *auctoritatem habentis* ſint ea verba, inter cætera capitum poſteriorum, dum dicitur, *in damnatis hæreticorum ſenſibus, ſeu prauitate, ſeu imperitia demorãtes pijſſimis diſputatoribus obuiare præſumunt. Profundiores quæſtionum partes &c. non neceſſe habemus aſtruere*, (id eſt definire,) *vt prorſus non opinemur catholicum, quod apparuerit præfixis ſententijs eſſe contrarium*. Hæc profectò auctoritatiua apud me verba ſunt, & auctoritatiuam cenſuram includunt.

Putaueră hic iam me obiectionibus prætallatis à minus habentibus Auguſtini doctrinam hucuſque ſatis commodè occurriſſe, cum mihi occurrit pro amouenda accuſatione *exceſſus* ab Auguſtini doctrina ſimul hæc Cæleſtini approbatio luenda (quod minus lubenti animo agam) aduerſus Norim in ipſis eiſdem Auguſtinianis vindicijs cap. 8. opponentem, tum quod (vt ipſe diſcurrit) ſi Proſper prædicta capitula decem, vt verè Cæleſtini habuiſſet, dum cap. 10. contra Collatorē poſita à Maſſilienſibus *initia naturæ ad gratiam* ſedulò refellebat, ad hoc adducta etiam Innocentij, Zozimi, & Concilij Carthaginenſis auctoritate, à fortiori & opportunius ad hoc adduxiſſet verba Cæleſtini in ſuppoſito capite 11. & 12. tribuentia præuentioni gratiæ quodcumque *initium fidei & bonæ voluntatis exordia*, ſed hoc non præſtitit; ſignum igitur eſt ea Proſperum vt Cæleſtini partum non habuiſſe. Tùm quia cap. 42, dum totus incumbit Proſper refellendo inuidioſo Maſſilienſium interpretamento, quod ſcilicet Pontifex Cæleſtinus approbaſſet anteriores Auguſtini libros contra Pelagium *quoad merita naturæ ad gratiam*, nō poſteriores ſeu poſtremos, ſcilicet de correp. & grat. de Prædeſt. ſanctorum, & dono perſeuerantiæ aduerſus Semipelagianos, *quoad initia naturæ ad gratiam*, ſi hæc, inquit, capita Cæleſtini fuiſſent, valuiſſet ſtatim opportunè ex eiſdem oſtendere approbatos & poſteriores, dum oppoſita eiſdem libris aſſerta de *initijs naturæ ad gratiam* reprobata fuiſſent, & præſertim repercuſſa ea Caſſiani cenſura, quod Auguſtinus *exceſſiſſet*, allata à Proſpero cap. 9. ſed id Proſper non præſtitit adhuc, nec eorum capitum poſteriorum vllibi mentionem egit; non igitur Cæleſtini fuiſſe hæc capita iuxta Proſperum cenſenda ſunt; tum tandem, *quod cæ-*

teris

teris argumentis (*inquit*) *ſe prætuliſse*, ſi capita illa Cæleſtini fuiſſent, & à Sede Apoſtolica emanaſſent, non videretur qua ratione Fauſtus, Vincentius Lirinenſis, Hilarius & *cæteri Galliarum Epiſcopi ab hæreſi excuſari poſsint, atque inter Diuos erectis aris connumerari*, nempè, vt ipſe eorum verba ſubiungit, *in illis initijs natura* ad gratiam hi ſinguli conueniebant: hæc autem, ſuppoſitis dictis Cæleſtini capitulis, hæreſim non euitarent, non minus ac nunc hæreticum id diceretur præſcindendo adhuc *ab Arauſicanis alijſque Apoſtolicæ Sedis decretis*, cum aliàs Epiſtola Cæleſtini ab eiſdem ignorari nō poſſet, dum immo & Vincentius Lirinenſis eiuſdem mentionem habet, & Fauſtus vixit in Lirinenſi Cœnobio cum ipſo, & vno verbo *ad Galliarum Epiſcopos* directa erat: ne igitur hoc ſubſequatur abſurdum, negandum omninò eſt, ea capitula Apoſtolicæ Sedis, aut Cæleſtini fuiſſe. Audio, ſed non aſſentior, nec minimum quidem à iam *firmata* robuſtè ſimul mea, ac omnium in re Scholaſticorum ſententia dimoueor. Et ad gemina quidem duo priora motiua ſufficeret vno hoc exemplo elucidare reſponſum; cum nempè damnatis ab Innocentio X. quinque Ianſenianis aſſertis, in Gallia adhuc Epiſcoporum quorundam, vel reluctantium priuatorum Doctorum diſſidia mox ſubextincta fumarent, qui tunc pro iuſta Pontificiæ definitionis ac ineluctabili obſeruatione pugnarunt, non Innocentij tunc regnantis Pontificis definitione (quam illi audactèr aut ſubdolè refugebant) ſed longè magis Tridentini Concilij Canonibus, contra Caluinum, ac Pij V. & Gregorij XIII. Bullis aduerſus Baium (in quibus in re iam fuerant Ianſeniſtæ damnati) prudentiſſimè vſi ſunt. Sic reluctantibus (vt Noris ipſe ſupponit) in Gallia pariter Maſſilienſibus adhuc Cęleſtini decreto, quid mirum ſi Proſper, non ſemper vſus eiuſdem verbis, aliorum potius Pontificum ac Conciliorum magis ſincerè ſuſceptis auctoritatibus vſus eſt; & ſicut indè iniquum eſſet imponere illis dubitationem de Pontificia definitione Innocentij, ità non congruit de iſto ſupponere non agnouiſſe pro certis Cæleſtini hoc non obſtante capitula. Verùm propius, & ſingillatim ad primum hæc vltrò duplex reſponſio ſe offert, aliud eſſe etiam *initia cogitationum in nobis ſeu voluntatum* à gratia procedere, vt principio, *ſine quo non*, veluti tribuente etiam poſſibilitatis initium, aliud vt à principio, *quo* cogitare incipimus ac velle, vt ritè diſtinxerat Auguſtinus in lib. de correp. & grat. cap. 11. & 12, & ex hac vna diſtinctione abſcedebant ab hoc libro Auguſtini Maſſilienſes, vt Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum admonuit ab illis verbis, *moleſtè ferunt, ità dimidi gratiam &c.* & hinc primo modo in epiſtola Proſperi aſſerebant, *quod Deus finem vniuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſset voluntate & actione, præſciuerit*, & in hoc ſenſu *voluntates ab ea, ſcilicet gratia, ſecundum ſuam phantaſiam non negabant eſse præuentas* (ſic enim legi debet cum negatiua, etſi neget Macedo Collat. 10. differentia prima pag. 434, vt eum ſenſum excepit Auguſtinus lib. de *Prædeſt. Sanct.* cap. 1.) & præter Gennadium diſſerte inter Semipelagianos id admittentem in libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus, longè ante Caſſianus ipſe Collat. 13. cap. 3. *manifeſtè* aſſerebat *non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum, ex Deo eſse principium*, vt etiam obſeruat Proſper contra Collat. cap. 3. hucuſque appellans *Catholiciſſimam definitionem*; ſed de ſecundo eo tempore diſputabatur, negato ab eiſdem Maſſilienſibus, nec ita explicitè (vti primum) in Cæleſtini epiſtola definito,

nito,

nito, vti poſteà explicitè in canone 6. Arauſicani Concilij definitum eſt. Rurſus hoc ſecundo modo adhuc aliud eſt *indefinitè* in aliquibus id ipſum verificari, aliud eſt *vniuerſaliter* in omnibus neceſſarium eſſe; primum adhuc, præ cæteris Maſſilienſibus, admittebat Caſſianus Collat. 13. cap. 10. vt relatis eiuſdem verbis Proſper idem obſeruat contra Collat. cap. 9. & 10. dicens: *ſanctarum, & fidelium voluntatum aſſeris, non in omnibus hominibus, ex Deo eſſe principium, quaſi multum gratiæ tribuens ſi hoc eam in quorumdam operari mentibus adquieſcas*; ſed de ſecundo perconſequens negato à Caſſiano tunc temporis diſputabatur non ita explicitè iterum definito, vt explicitè poſtea in Canone 8. eiuſdem Concilij Arauſicani definitum fuit. Hinc meritò Proſper expendens vtique in Cæleſtini epiſtola non ita explicitè definitum ſecundum, hac etiam ratione eo loci ex illo cap. 11. & 12. epiſtolæ Cæleſtini dimiſit in particulari conuenire Caſſianum, vltroque perpendens in eadem epiſtolæ Cæleſtinum à cap. 3. profeſſum eſſe ſe *iungere* in illis capitibus, non ſolum *quid anteriores Rectores Romanæ Eccleſiæ iudicaſſent*, verum etiam *Affricanorum Conciliorum ſententias*, ea propter meritò in cap. 10. cont. Collat. eadem teſtimonia produxit, & prout verè ſecundum rem mens fuerat eorumdem, in Caſſiani, ac Maſſilienſium errores intorſit, etſi nec epiſtolam Cæleſtini, vt mox dicemus, omiſerit. Ad ſecundum, præter mox dicta, ſubiungimus in primis falsò hic arguentem ſupponere, eam ſcilicet peruerſam Maſſilienſium interpretationem, de anterioribus ſolis approbatis Auguſtini libris, ab eiſdem Maſſilienſibus fuiſse repertam, vt ſua dogmata epiſtolæ Cęleſtini ſubducerent, cũ immo longe ante, vt vidimus ex epiſtola Hilarij, & Proſperi ad Auguſtinum, Maſſilienſes in latebras illas ſe recepiſſent, nec minus poſteà falſum eſt, ad auertendum conſimile, ſeu præcludendum effugium, Proſperum nullibi inculcaſse mox ante allata Cæleſtini capitula: quid enim quæſo aliud in cap. 42. contra Collat. intelligit Proſper, quando dicebat? *per hunc virum* ſcilicet Cęleſtinum, quem antea nominarat, *intra Gallias iſtis ipſis, qui ſanctæ memoriæ Auguſtini ſcripta reprehendunt, malæ loquentiæ eſt adempta libertas, quando conſultantium actione ſuſcepta & librorum, qui errantibus* (expendatur id quæſo) *qui errantibus diſplicebant, pietate laudata quid oporteret de eorum auctoritate ſentiri* (en approbata Auguſtini dogmata, ac reprobato ſecundum rem in allatis 11. & 12. capitibus Maſſilienſium aſſerto) *ſancto manifeſtauit eloquio*, & ne intelligeres ignorata ab eodem ea alia verba Cæleſtini in cap. 3. *Magiſtris noſtris, tamquam neceſſarium modum exceſſerint obloquuntur*, hæc profectò altiori periphraſi intonans ità ſubiungit: *euidenter pronunciauit, quantum ſibi præſumptionis iſtius nouitas diſpliceret, qua auderent quidam aduerſus antiquos Magiſtros inſolenter inſurgere, & indiſciplinata calumnia prædicationi veritatis obſtrepere*, quam ſcilicet antea calumniam conceptis verbis attulerat, & præſcindendo ab eadem auctoritate Cæleſtini neruosè repræſſerat, tum cap. 9. dicens, *tu nos ſubdis duobus erroribus & geminas, ſicut intelligis, prauitates dimidendo damnas, miſcendo iuſtificas*, tum cap. 15. poſt illa eadem Caſsiani verba, *Eccleſiaſticæ fidei regulam exceſsiſse videntur*, ita ſubdens, *Eccleſiaſtica regula eſt, prædicante Apoſtolo &c. in qua ſententia ſi auctor* (ſcilicet Caſsianus) *permaneret, Eccleſiaſticam regulam non exceſsiſset*. Poteratne Sanctus Proſper opportunius, tum aliundè, tum à laudata auctoritate Cæleſtini in Caſſianum inſurgere? neceſſe ne erat ſingulos apices epiſtolæ Cæleſti-

Digitized by Google

Cæleſtinianæ tranſcribere? ſi id neceſse fuiſset, nec indè certa fuiſsent eidē Proſpero, Innocentij, Zoſimi, & Africani Concilij capitula, quia nec iſta ex integro de verbo ad verbum exſcripſit. Ad tertium, quo ſe conuictum præ cæteris Noris ipſe dicebat, mirum in primis eſt eruditiſſimum apud me virum, vt vel Fauſtum (de cuius ſanctitate à non paucis adeò dubitatum eſt, vt in Romana cenſura ſub Braſichelenſi eidem titulus *ſancti* expunctus ſit) à materiali etiam hæreſi expurgaret, ſanctū ſine dubio ex oppoſito Proſperum falſarij macula ferè vna cum cæteris Auguſtini ſequacibus ſubnotare viſum eſſe, illis verbis eodem capite 8. *decem illa capita contexentes, quo validiori auctoritate donarentur, eiſdem Cæleſtini epiſtolam præfixere*. Hæc Noris, qui tamen ad iſtud ipſum argumentum allatum ab illo, tum iuxtà ſecundam præmiſsam noſtram probationem principalem demonſtrantem etiam præſcindendo à poſterioribus hiſce Cæleſtini capitulis Auguſtini doctrinam à Cæleſtino approbatam fuiſſet, tum iuxta Suarez commendatum à Noris aientem proleg. 6. cap. 1. n. 12. *vt cumque res ſit, doctrina in illis capitibus contenta certa fide tenenda eſt &c*, dubio procul & ipſe reſpondere tenetur, & nobis facilis pro vtriſque reſponſio ſe offert ex Cano lib. 12. cap. 8. Caiet. 2. 2. q. 11. ar. 1. Bannes ibidem circa tertiam concl. & alijs in cap. ſequenti ſubdendis, dupliciter poſse propoſitionem aliquam hæreticam dici, primò obiectiuè ex parte obiecti ſecundum ſe, ſecundo formaliter ex parte ſubiecti quoad nos, & primo modo vtiquę etiam ſine pertinacia voluntatis aduerſus definitionem Eccleſiæ conſiſtere poteſt, non verò ſecundo modo, vt præter infra dicenda interim ex Auguſtino colligitur, tum lib. 19. de Ciuit. cap. 18. tum lib. de vera relig. cap. 6. dicente, *in hac area* Eccleſiæ *pro voluntate quiſque vel palea, vel frumentum eſt, tandiu ſuſtinetur peccatum, error cuiuslibet, donec aut accuſatorem inueniat, aut prauam opinionem pertinaci animoſitate defendat*, conſequenter inde in ſecundo ſenſu negamus intentum Noris inferri, ſcilicet eos in argumento relatos in formalem hæreſim incidiſſe, quia tunc non conſtabat quoad nos expreſsè mens definitionis Eccleſiæ (vt poſteà ineluctabiliter conſtitit in Arauſicano Concilio ſecundo anno 529.) & aliàs eiuſdem declarationi, ac correctioni paratos ſe ſubijcere profitebantur, vt in ſimili reſpondet de Ianſenio Caramuel in ſua Theologia fundamentali fundamento 5. ſecundæ editionis n. 287. tam etſi ante eiuſdem mortem, & proſcriptionem aſſertorum eiuſdem, quinque eiuſdem propoſitiones in Tridentino ac in bulla Pontificum Pij, ac Gregorij prædamnatas fuiſse oſtenderint Sibilla noſter, alijque poſt ipſum. Sic in propoſito hac non obſtante negata præindicatæ abſurditatis ſequela repetimus, ac ſuſtinemus adhuc tunc temporis ſecūdum rem Auguſtini doctrinam, vt anteà probabamus cum Proſpero, remāſiſſe approbatam, non ſolùm in ordine ad Pelagianos, ſed etiam ad Maſſilienſium, ac Semipelagianorum errores, quos in priorum damnatione damnatos frequentiſſimè repetit, tum Proſper mox referendus, tum Auguſtinus in lib. de Prædeſt. Sanctorum, & de bono perſeu. etſi ob dictam cauſam eos à formali hæreſi repetitis vicibus excuſaret, non minus ac Proſper in fine contra Collat. concludens, *horum tamen, dum adhuc non ſunt à fraterna Societate diuiſi, toleranda magis eſt intentio, quam deſperanda correctio, donec Dominus per Eccleſiæ Principes, & legitimos iudiciorum ſuorum miniſtros, hæc, quæ per paucorum ſuperbiam, & quorundam imperitiam, ſunt tur-*

bata conuenat, & alibi ſæpè eos *catholicorũ nomine* cohoneſtat, quo non obſtante ex eo quod iſti etiam cum Pelagianis in re conueniebant in catenanda gratia naturæ, ideò poſt Auguſtinum idem Proſper tum epiſtola ad Demetriadem *hanc partem*, inquit, *ſuperbæ prædicationis, ſcilicet Pelagianæ, quidam ſibi, cum cætera abnuerent, ſeruauerunt*, tum epiſtola ad Auguſtinum, *in iſtis Pelagianæ prauitatis reliquijs non mediocris virulentiæ fibra nutritur*, tum contra Collat. cap. 10. *quid cineres extincti dogmatis refouendo, deficientis fumi nidorem in rediuiuam flammam conaris accendere?* & cap. 16. *quis non videat, quod hæc Doctrina*, ſcilicet Semipelagianorum, *meritum libero aſsignet arbitrio, quo præueniatur gratia, quæ ei famuletur, reddens debitum non conferens donum? quæ definitio in Epiſcoporum Paleſtinæ Synodo etiam à Pelagio anathemate damnata eſt*, & ad idem deduxerat cap. 6. & paſſim ſimilia in ſucceſſu eiuſdem libri proſequitur, tum iterum in carmine de ingratis adiungit quod

Tota nefandæ
Hæreſeos ſumma exigua ſub parte tegatur

& infrà, *Quid prodeſt verbis commentum Pelagianum*
Reſpuere, & ſola damnatos plectere voce?
Cum paucis ſqualida ſublatis de cute neruis
Intima Viperei foueantur viſcera ſenſus.

& demum, præter alia multa eo loci videnda, concludit:

Numquid non eadem ſapiunt eademque perorant
Veſtri illi, quorum ructatis verba, magiſtri?

Vndè prudentiſſimè Aluarez diſput. 5. de auxilijs num. 4. ſic inferebat, *hæc, quæ in defenſionem doctrinæ Auguſtini, & commendationem illius Cæleſtinus dixit, ſufficere vtique debuiſsent, ne Maſsilienſes, qui nondum ad perfectam ſcientiam peruenerant, contra præſtantiſsimi Magiſtri & Doctoris Eccleſiæ doctrinam inſurgerent*, & alia plurima adhoc addit Lemos in tomo 1. nunc evulgato tractatu 5. per totum, quem poſt hæc noſtra ſcripta nunc video.

Quartò tamen concludendum venit hanc etiam poſteà expreſſiorem Auguſtinianæ doctrinæ approbationem in ordine ad prædictorum Maſſilienſium ſeù Semipelagianorum errores ſucceſſu temporis contigiſſe, adeout noſtris ſubindè temporibus eidem iuxtà explicata reſiſtere formalis hæreſis diceretur. Sic enim poſt hucuſque illuſtratam ac propugnatam ex integro epiſtolâ Cæleſtini Pontificis editam anno 432, inde nedum Sixtus III. ſucceſſor eiuſdem anno 439, vt refert Proſper in Chronico, Iulianum Pelagianum iterum de Epiſcopatu diſiecit, ſicut & ante Pontificatum falſos Pelagianorum rumores de expectato patrocinio ab eodem repreſſerat, publicato anathemate in eoſdem, vt adhuc viuens & gaudens Auguſtinus laudabat in illo epiſtola 104. & 105. ad eumdem, & Proſper inde in lib. contra Collat. cap. 44. id ipſum Sixto, quod indè contigit, futurum eſſe augurabatur; verum etiam Leo Magnus ſuccedens eidem Sixto, poſt aliquos ſuæ aſſumptionis prætergreſſos annos, videlicet anno 447. in epiſt. ad Antiſtitem Aquileienſem contra nouos ibi Pelagianos exortos ſuperiores omnes Põtificias approbationes Auguſtinianæ doctrinæ firmauit, iubens, vt deteſtantes hanc hæreſim, *omnia decreta Synodalia, quæ ad exciſionem huius hæreſeos Apoſtolicæ Sedis confirmarat auctoritas, amplecti ſe apertis ac propria manu ſcriptis proteſtationibus eloquerentur*, immo

mutuatis

mutuatis à Proſpero lineis ex fine lib. contra Collat. ſic etiam Semipelagianorum verſutiam cauendam eſſe expreſſis verbis admonere incępit; *nouimus hanc iſtorum eſſe verſutiam, vt in quacumque particula dogmatis execrandi, qua ſe à damnatorum Societate diſcreuerint, nihil ſibi ſenſuum ſuorum exiſtiment eſſe non ſaluum*. Sic poſt Caſſianum ſub Leone mortuum, & longè poſt defunctum ipſummet Proſperum, poſt annum ſcilicet 456, Inde Fauſto, qui tum antea ſuos libros ediderat, tum anno 475. Arelatenſem cum Lugdunenſi Synodum excitarat aduerſus hæreſim Prædeſtinianorum, hoc, inquam, Fauſto defuncto anno 490, inde Gelaſius Papa anno 493. in epiſtola ad Honorium Epiſcopum Salonitanum aduerſus nouos in Dalmatia Pelagianos cõfirmans ſententias nominatim Innocentij, Zoſimi, Bonifacij, Cęleſtini, Sixti, & Leonis, his denuo verbis Auguſtini doctrinam, ac ſequacium eiuſdem approbauit: *Ob ſi ſtuderent aduerſus eos maiorum noſtrorum libros, reſponſaque cognoſcerent, illis modis omnibus cerneretur nihil eſſe prorſus, quod ab iſtis non fuerit ventilatum, & ab illis magnifica veritate contritum, ſicque de cunctis eorum nequitijs refutandis fideles quoque viderentur inſtructi, vt nihil amplius quæreretur*, eodemque anno aduerſus alterum Senecam Pelagianum ad Epiſcopos in Piceno ſcribens ſubiunxit, *adhuc maius ſcelus accreſcit, vt ſub conſpectu & præſentia Sacerdotum Beatæ memoriæ Hieronymum, & Auguſtinum Eccleſiaſticorum lumina magiſtrorum muſcæ morituræ, ſicut ſcriptum eſt, exterminans oleum ſuauitatis lacerare contenderet*, & demum anno 494. in Synodo Romana, inter alia aliorum opuſcula, denuo Auguſtini libros approbauit, & libros Proſperi commendauit, Caſſiani autem & Fauſti Semipelagianorum *ſub ſcriptis ab hæreticis ſiue ſchyſmaticis*, vt *apocrypha* reprobauit. Sic poſt Anaſtaſium Secundum, & Simacum, qui quieſcente, vt opinor, hac hæreſi, de nouo in hac materia nihil ediderunt, iterum anno 520. occaſione libelli Ioannis Maxentij, & Scitharum quorumdam Patrum repetentium lib. Fauſti reprobationem, Hormiſdas rurſus in epiſtola ad Poſſeſſorem repetita librorum Fauſti reprobatione præcluſit omne Semipelagianis effugium, de non approbatis poſtremis Auguſtini libris, in ſpeciali immo ſic dicens, *de arbitrio autem libero & gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica, ſequatur, & ſeruet Eccleſia, licet in varijs Auguſtini libris, & maximè ad Hilarium & Proſperum aliunde poſſit agnoſci, tamen & in ſcrinijs Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, quæ ſi ibi deſunt, & neceſſaria creditis, deſtinabimus*, quæ Lemos tom. 1. pag. 71. putat fuiſſe ea poſteriora capitula Cæleſtini defenſa ſuperius à nobis. Sic, his non obſtantibus adhuc, reuiuiſcentibus pro Fauſti doctrina quibuſdam Semipelagianis in Gallijs, vt Cyprianus diſcipulus Cęſarij Arelatenſis in eiuſdem Cęſarij vita teſtatur, necnon ſupponit epiſtola Bonifacij Secũdi ad Cęſarium, Felix IV. ne dum Cęſarij librum tunc ſcriptum aduerſus Fauſtum approbauit, vt legitur apud Gennadium de ſcriptoribus cap. 86, verum etiam anno 529. (vt probat Bail Pariſienſis tom. 2. Conciliorum pag. 193.) vigintiquinque canones ex lib. Auguſtini decerptos ad Synodum Arauſicanam ſecundam tranſmiſit, in qua tandem, confirmante Pontifice, Semipelagiana hæreſis expreſsè omninò damnata remanſit, & ineluctabiliter penitus quo ad hanc materiam approbata conſtitit per conſequens Auguſtini doctrina. Sic anno 531. Bonifacius II. (cuius non video mentionem in Noris) confirmauit eadem capitula datis ad Cęſarium litteris, quæ leguntur in tom. 1.

Conciliorum Galliæ pag. 223. & refert etiam Theophilus Raynaudus in Valeriano cap. 4. num. 19. & Bail vbi ſupra pag. 190. Sic anno 533. Ioannes II. in epiſt. 3. ad Senatores inquit, *Sanctus Auguſtinus, cuius doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſeruat Eccleſia.* Sic anno 592. Gregorius Magnus aduerſus Ioannem Conſtantinopolitanum exſuſcitantem eoſdem Pelagianorum errores aduerſus Auguſtini doctrinam, ſtatim eum ex eadem laudata Auguſtini doctrina repreſſit, vt legitur in eodem Gregorio lib. 6. epiſtola 3. & alibi ſæpè. Sic poſteà anno 638 Ioannes IV, vt legitur apud Bedam lib. 2. hiſt. Anglicanæ cap. 19. in epiſtola ad Epiſcopos Scotiæ aduerſus eumdem repullulantem ibidem errorem de hac hæreſi ſcripſit, *non ſolum per iſtos ducentos annos abolita eſt, ſed & quotidie à nobis perpetuo anathemate ſepulta damnatur.* Sic longè poſt, eàdem verè ſepulta, anno ſolum 1050. in Epiſtola ad Petrum Antiochenum iuxta Auguſtini doctrinam aduerſus Semipelagianos iterum Leo IX. credendum de fide profeſſus eſt, *gratiam Dei præuenire & ſubſequi hominem, ita tamen vt liberum arbitrium rationalis creaturæ non denegetur.* Sic inter cætera deinde Concilia (quæ eruditiſſimè pro hac eadem Auguſtinianæ doctrinæ approbatione recenſet Grauina noſter tom. 3. q. 2. ar. 9. conſulenda in eodem) ad annum 1559. in Tridentino Concilio, vt anteriorum Conciliorum epilogo, pleraq; in hac materia de gratia & libero arbitrio iuxta Auguſtini doctrinam definita ſunt, vt Torrenſis in ſua confeſſione Auguſtiniana demonſtrat, & vno verbo, poſt Auguſtini ſcripta, Concilia & Patres, vt ibidem Grauina ex profeſſo conuincit (etſi Grauinæ nomen, nec memorare dignati ſint, qui ex eodem in propoſito profecerunt) adeò Auguſtini doctrinam repetitis laudibus conſecrarunt, vt de eiuſdem approbatione, quã noſtra aſſertione poſuimus, non amplius niſi à proteruiente, aut aberrante quorumdam ingenio dubitari nunc poſſit. At ſuper omnia poſtrema duo Põtificia ſuffragia ſufficerent, alterum ſcilicet Alexandri VII. ad Louanienſes poſt damnatam adhuc Ianſenij hæreſim ſic *præclariſſimorum Eccleſiæ doctorum Auguſtini & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaq; dogmata* profitentis, vt contra iniqua ſubterfugia quorumdam conſuli poteſt poſt noſtros Baronium & Martinum Harnæi, etiam Gabriel à S. Vincentio in opere de remedijs ignorantiæ diſput. 14. dub. 9, pariter memoratus à Noris, alterum eſt Clementis VIII. in celebri illa diſputatione habita Romæ de auxilijs coram Congregatione in oratione tunc habita, vt nec inficiantur in re ſcriptores Societatis, Paulus Leonardus, Ripalda, Henaus, Bail Pariſienſis & alij, & recenſet Macedo in Euchologico ad diem 28. Auguſti, & Noris in vindicijs cap. 6. ex ipſo Autographo manu Clementis exarato, ac ſibi oſtenſo à D. Filippo Vicecomite Epiſcopo Catarenſi, qui idipſum ſcripto commendauit in notis ad lib. 8. cap. 4. Auguſtini vindicati, eiuſdemque fragmentum antea tranſcripſerat Franciſcus Cariere Minorita in digeſtis fidei tract. de gratia q. 10. apud Salmanticenſes tom. 5. pag. 80. nimirum Clemens Octavus aiebat, *quamuis niſi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen in præſentiarum rationes, propter quas aſtringere ſtatui totam hanc diſputationem ad normam doctrinæ S. Auguſtini de gratia. Prima eſt ex Proſpero &c. ideò oportet etiam vt in cauſa conſilij eumdem ducem, ſcilicet Auguſtinum, agnoſcamus & ſequamur. Secunda eſt, quod idem ſanctus nihil videtur prætermiſiſſe eorum, quæ ad præſentes controuerſias pertinent.*

Tertia

Tertia tandem ratio eſt, quod cum multi Pontifices, & Prædeceſſores noſtri, doctrinæ S. Auguſtini tam acres fuerint aſſertores ac vindices, vt quaſi hæreditario iure eam in Eccleſia relinqui voluerint, æquum non eſt, vt patiar illam hac hæreditate priuari. Hæc Pontifex, præter aliud integrum reſcriptum eius in tomo 1. Lemos in fronte legendum, iuxtaquæ anno 1584. Præfectus Generalis Societatis (vt ex alijs enarrat & Noris in vindicijs pag. 93.) in libello de opinionum delectu e ſua Congregatione ſic denunciauit. *Item definitum eſt prædeſtinationis nec rationem nec conditionem eſſe ex parte noſtra*, productis teſtimonijs Pontificum, *apud quos* (inquit) *Maſsilienſes, Caſsianus, Fauſtus, alijque huius prædeſtinationis oppugnatores malè ſemper habuerunt*.

ARTICVLVS III.

Enodantur obiectiones allatæ.

AD primum igitur, quod longè antè fuit hæreticorum obiectum, illiſum in faciem Catholicorum, vt Stapletonius aſſerebat tomo 1. cont. 3. lib. 7. cap. 15. immo fuit & Iuliani Pelagiani intortum in Auguſtinum apud Auguſtinum eumdem lib. 4. contra Iulianum operis imperfecti cap. 3, antiquitus pariter Gloſſa occurrebat in diſt. 9. decreti Gratiani, ſimilia Auguſtini aliorumque verba doctorum, *intelligi ſecundum illa tempora, cum adhuc ſcripta Auguſtini & aliorum Sanctorum Patrum non erant authentica, ſed hodie iubentur omninò teneri vſque ad vltimum iota*, & quamuis in hoc dicto exceſſerit Gloſſa, vt ſupra vidimus, tum vniuerſim de aliorum Patrum opuſculis, tum de Auguſtini doctrina vniuerſim affirmans definitiuè approbatam fuiſſe, hic tamen hæc Gloſſa reſtricta ad Auguſtini doctrinam in particulari materia Prædeſtinationis & gratiæ, iuxta gradus mox ante explicatos, opportuna eſt, & veriſsima, & illud obiectum vno ictu diſſoluit, cum profectò Abulenſis, ac alij in argumento relati negare non poſsint à pari fuiſſe definitiuè receptam, non ſolum Leonis epiſtolam ad Flauianum in Synodo Romana à Gelaſio (cuius epiſtolę Proſper Auguſtini diſcipulus fuit exarator ex dictis) verum etiam & Simbolum Athanaſij in Concilio Nicæno, vt habet Nazarius cum alijs, & Petri Lōbardi de Trinit. ſententiam in cap. firmiter de ſumma Trinit. & huiuſmodi, nec conſequenter opinor eo loci Abulenſem aliud intendiſſe, niſi quod nos in ſuperiori quæſtione dicebamus, non quamcumque librorum Apoſtolicam approbationem definitiuam eſſe, vel vnius dicti contenti in eiſdem, etſi ex Spondano ad annum 1443. num. 10. in ſuo defenſorio Abulenſis *in Pontificum etiam auctoritatem inuectus, iniuriuſque præ ſtudio tuendi ſua, apparuerit*, nec minus Caramuel in prima editione in hoc ſenſu ſe loquutum eſſe deindè in poſteriori editione teſtatus eſt fundamento 1. num. 56. præter alia de Auguſtini doctrina proponens, *an ſicut de gratia, ità etiam de diſgratia optimè ſcripſerit Auguſtinus? negat*, inquit, *Campanella art. 12. de Reprobatione, aſſerimus nos, & ſicubi aliquid durius occurrerit, textum benignè interpretamur*; Ita Caramuel præmiſſo ad nu. 54. ſe illa relata in 1. edit. ſcripſiſſe ſolum *contra indiſcretam aliquorum iuniorum deuotionem*, qui ſcilicet etiam in quæſtionibus 3. generis in concl. noſtra explicatis nimis credunt adhuc vniuerſim Auguſtini doctrinam iuxtà excedentem Gloſſæ Gratiani ſenſum eſſe definitiuè approbatam; dum interim miror

ab

tionis San. Thomæ Villanouenſis concludat Auguſtinum ab Alexandro VII. *ſanctiſſimum Theologiæ magiſtrum* appellatum eſſe, & antea à Poſſidio ad Macedonium dictus ſit *Pater Patrum, & Doctor Doctorum*, à Conſentino epiſtola 321 apud Auguſtinum, *doctrinæ Chriſtianæ culmen*, & ab alijs conſimilibus titulis inſignitus, vt etiam Ianſenius in lib. procemiali cap. 18. & indè cap. 24. cumulauit ſparſa aliorum Scholaſticorum elogia non immeritò in vnum Auguſtinum, (attento etiam Molinam à Io: Sanchez diſp. 48. ſelecta nu. 62. appellari *Magiſtrum Magiſtrorum*) cumulauit, inquam, in Auguſtinum appellans, *primũ poſt ſcriptores canonicos inter omnes verè ſolidum, ſubtilem, irrefragrabilem, Angelicum, Seraficum, Excellentiſſimum, & admirabilem.* Vno verbo S Thomas de Villanoua concione 1. de S. Auguſtino inquit, *à Sole omnia aſtra lucent, ab Auguſtino omnes, qui poſt ipſum fuerunt doctores, ſapientiæ lumen accipiunt, ipſe verò propria luce lucet*, & ante ipſum D. noſter Vincentius Ferrerius ſer. de S. Auguſtino, *omnes doctores, qui venerunt poſt Auguſtinum, ſuſtentantur ſuper eius doctrinam ſanctam, puram, immaculatam*, vt idem omninò habet & D. Antoninus noſter parte 2. hiſt. titulo 8. & S. Thomas noſter in ſequentia, quam pro eiuſdem Feſto compoſuit, de eodem ait, *Linguæ Chriſti, vox Cælorum, ſcriba Vitæ, lux Doctorum.* Neque id indè cęterorum Patrum decori præiudicat, aut enim de Patribus ante Auguſtinum ſcribentibus, non adhuc exortis Pelagianorum hæreſibus circa præſentem materiam, ſermo eſt; aut de poſterioribus ipſo. Si de primis, occurrit ipſe Auguſtinus cap. 14. de Prædeſt. Sanctorum eos dicens, *hoc argumentum breuiter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis & tranſeunter attigiſſe &c. nec ideò opus eſſe, vt eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquàm iſta hæreſis oriretur non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſoluendum quæſt. verſari, quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur*, & ideò *Pelagianis*, vt dixerat lib. 1. in Iulianum cap. 6. *non litigantibus ſecurius loquuti ſunt*, ex quo Proſper in carmine de ingratis de eodem Auguſtino canebat

Iſtius inter cunctos, qui de grege ſancto
Inſanas pepulere feras, induſtria maior
maius opus &c.

& Fulgentius lib. 2. de verit. prædeſt. & grat. cap. 17. *indutus*, inquit, *virtute ex alto abundantius illis omnibus laborauit.* De ſecundis autem conſtat omnes indubitatos Eccleſiæ Patres eum in hac materia, vt anteſignanum & Principem omnium, proſequutos eſſe, vt præter eorundem teſtimonia producta ex profeſſo à Ianſenio in lib. procemiali cap. 18. per totum, ante Ianſenium id ex propoſito oſtendit loco laudato Grauina, & Lemos tom. 1. tractatu 4. cap. 1. & poſt ipſos Noris in Auguſtinianis vindicijs cap. 6. & ante hos omnes Cocius tom. 1. Theſauri lib. 1. art. 4. inter cæteros autem Hieronymus viuenti adhuc Auguſtino epiſtola 25. ſcribebat, *Te catholici conditorem antiquæ rurſus fidei venerantur*, Gregorius ille antonomaſticè Magnus ſe adhuc maiori veluti Auguſtino ſubmittit lib. 8. epiſtola 37. *B. Auguſtini opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem non quæratis.* Rupertus Abbas lib. 7. de operibus Spiritus Sancti cap. 19. *iſte, ſcilicet Auguſtinus, eſt columna, & firmamentum veritatis*, Bernardus epiſtola 77. ad Vgonem, *ab his duabus columnis, Auguſtinum loquor & Ambroſium, difficile auellor, cum ijs me errare aut ſapere fateor;* Remigius Antiſiodorenſis in epiſtolam 2. ad Corint. *omnes Doctores lumen recipiunt*

piunt ab Auguſtino, & alij S.S. Patres paſſim id repetunt etiam indicati mox ante; nec minus inter Scholaſticos, præter Aluarez noſtrum, Suarez, & alios allatos, etiam Vaſquez (quem alibi vt nimis liberum in Auguſtinum criminatur Ianſenius in lib. proœmiali cap. 16. per totum) iſte adhuc p. p. diſput. 90. cap. 6. n. 37. id ingenue fatebatur dicens, *quamquam nullus eſset, ex Patribus commemoratis, quem pro hac ſententia de gratiæ neceſſitate ad ſingula opera bona moralia Scholaſtici Doctores allegare poſſent, in vno ſolo Auguſtino eiuſque ſchola ſuæ opinionis præſidium libenter collocarent, eumque ſibi ſufficere meritò arbitrarentur, quod vnius ſit, qui, dum agitur de gratiæ neceſſitate, ſicut ſol inter reliquos doctores præfulget*, & tandem & ipſe Caramuel in 2. edir. fundamento 1. n. 56. in hoc ſenſu ſua priora dicta temperauit his verbis, *non quidem debetur Auguſtino iſta gloria, quod eam doctrinam tenuerit aut docuerit, quam cæteri Patres ignorauerunt, negaueruntve, ſed quod habuerit occaſionem, qua nonnulli caruerunt, & ea, quæ ad gratiam ſpectant, clariùs, neruoſius, & vberius tradiderit poſteritati.* Nec tandem vel id minimum derogat Eccleſiæ dignitati infallibili vel Conciliorum, tùm quia non aliundè, quam ab approbatione eiuſdem Eccleſię doctrina Auguſtini tantam habuit certitudinem, vt S. Thomas reſpondet 2. 2. q. 10. ar. 12. tùm quia vt in 2. edit. reſpondet idem Caramuel fundamento 1. nu. 54. *Auguſtinus, tametſi non dirigat Concilia generalia vt cauſa principalis, benè tamen vt inſtrumentalis, illo enim vtitur Deus vt dirigente Concilia ad percipiendam reuelationem à Spiritu Sancto factam in materia gratiæ*, cum immò & ante tam expreſſam Eccleſiæ approbationem cecinerit Proſper in carmine de ingratis

Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque
Auguſtinus erat.

& eidem Auguſtino à Numidię & Carthaginenſis Concilij Patribus commiſſum fuerit eorum Conciliorum acta in commentarios deducere, ex Auguſtino epiſtola 110, & atteſtante Proſpero aduerſus Collat. cap. 42. Pontifex Bonifacius, *cum eſſet doctiſſimus, tamen aduerſus libros Pelagianorum B. Auguſtini Epiſcopi reſponſa poſcebat*, & Theodoſius ipſe Imperator, præter generales ad alios Epiſcopos conuocatorias litteras, ſingulari Auguſtinum Epiſtola aduocarat in Synodum Epheſinam, ſic etiam à Cyrillo rogatus, vt in parte 2. Synodi Epheſinę cap. 9. teſtatur Capreolus Carthaginenſis, & conſentit Liberatus cap. 5. Breuiarij, & præter tot Pontifices à nobis allatos atteſtantes Eccleſiam *iam ſuam feciſſe Auguſtini doctrinam de gratia &c.* vti & Suarez, aiebat tandem è Societate Decamps lib. 3. hæreſis Ianſenianæ diſput. 1. cap. 6. permiſit veritati in propoſito à ſe hæc verba imperrari, ſcripta prius à Cardinali Perronio lib. 1. teſponſionum ad Regem Britaniæ cap. 12. *ſcilicet Conciliorum ſanctiones, & Romanorum Pontificum edicta, quibus Pelagiana hæreſis iugulata occubuit, ex S. Auguſtini libris petita ſunt, S. Auguſtini doctrinam continent, S. Auguſtini verbis exprimuntur. fuit Auguſtinus quodammodo Eccleſiæ præcentor, cum Romanis Pontificibus & Concilijs ore præiuit, quod de ſuperbiſſima hæreſi iudicarunt, fuit lingua Eccleſiæ, cum eius verbis decreta concepta ſunt, & quæ prius fuerant Auguſtini voces, Spiritus Sancti oracula eſſe cœperunt, fuit ille Conciliorum dux atque ingenium, cum iis rationes & argumenta ſubminiſtrauit, quibus Pelagium eiuſque complices fregerunt.* Hæc ipte Decamps, quæ vtinam ſic ab alijs etiam ex corde proferrerentur, vt de eiſdem eneruantibus poſtea eamdem auctoritatem Auguſtini, reperi

non valeret, quod Baſilius lib. 1. in Eunomium de eodem Eunomio, *primum ut innouandi dogmatis ſuſpicionem effugeret, ipſorum Patrum fidem tamquam rectam ſuſcipiente*, & inde recedente ab eiſdem, concludit, *quæ in re dignum quid riſu commiſit, & non ſapit: nam cum eamdem Patrum fidem ſummis laudibus extuliſſet, poſt pauca illam ipſam turpiſſimis probris affecit*; Vt in propoſito pariter aliqui in hac materia de Auguſtino fecerunt, nec quidem permittentes Auguſtinum ſic ab Eccleſia approbatum, in directione præexplicata decretorum interueniſſe, *vt magiſtrum, ſed vt diſcipulum*, vt inter cæteros Ioannes Adamus aiebat, cum tamen in Auguſtino pœnes Vaſquez & alios adductos cæterorum Patrum auctoritas compendio coniuncta ſit, quos vt *magiſtros* Eccleſia ſe ſequi non ſemel profeſſa eſt, tum in epiſtola Hormiſdæ 67. ad Poſſeſſorem, tùm in Epiſtola Agathonis ad Conſtantinum Imperatorem, & Eraclitum, ac aliorum *Pontificum*, tum in epiſtola Capreoli Carthaginenſis recitata in Synodo Epheſina, tum in Synodo Chalcedonenſi actione prima, tum in Synodo 6. generali act. 12, tum in Nicena 2. act. 7, tum in Synodo 8. cap. 1. tum in Concil. Toletano 12. cap. 4, tum in Florentino ſeſſ. 25. & prætermiſſis cæterorum Patrum teſtimonijs ad hoc adductis à noſtro Grauina p. p. to. 3. q. 1. ar. 1. inter cæteros ipſe Vincentius Lirinenſis cap. 42, non de omnibus, ſed decem dumtaxat Eccleſiæ Patribus in Synodo Epheſina memoratis, inquit; *Sacrato Decalogi numero Magiſtri, Conſiliarij, teſtes, & iudices producti, quorum B. illa Synodus doctrinam ſequens, credens teſtimonio, obediens iudicio &c. de fidei regulis pronunciauit.* nec minus in ſpeciali de noſtro ipſo Auguſtino Concilium Valentinum ſub Benedicto III. *reuerenter*, inquit, *auditum & obtemperantem intellectum ſubmittimus*, vti antea Hilarius Arelatenſis Epiſtola ad Auguſtinum, *quidquid volueris, aut valueris, grauiſſime accipiemus, tamquam à nobis clariſſima & reuerentiſſima auctoritate decretum*, & Ioannes II. Pontifex epiſtola 3. ad Senatores concludebat, *Sanctus Auguſtinus, cuius doctrinam ſecundum prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur & ſeruat Eccleſia.*

Ad tertium non minus iniuſtè Auguſtini doctrinæ imponi vel obſcuritatem, vel ex negligentia ſiue imperitia imbecillitatem, vel inconſtantiam demum, ſeù Antilogiam, per ſingula percùrrendo conſtabit. De obſcuritate quidem, prout difficultas materiæ ferebat (quam Auguſtinus ipſe ingenuè fatebatur, tum epiſtola 47. ad Valentinum, tum lib. de grat. Chriſti cap. 47. tum ſer. 5. & 13. de verbis Apoſtoli, tum alibi ſæpè, nec Suarez ipſe inficiatus eſt to. 2. de grat. lib. 5. ab initio) prout aliunde ſuo defectui obſcuritas à Pelagianis opponebatur, occurrit lib. 3. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 2. ſcribens, *qui ea, quæ pro natura quæſt. dilucidè dicta exiſtimo, adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro negligentia, vel pro mea facultatis indigentia, ſed Deum potius pro accipienda intelligentia deprecentur*, tum lib. 3. operis imperfecti contra Iulianum cap. 61. *quia tenebras*, inquit, *veſtras redarguunt, vobis lucida non videntur, & quæcumque vobis ſua radiante luce moleſta ſunt, contra illa cor clauditis, vt inde nox non fugetur erroris*, tum libro 4. iterum contra Iulianum capite 140. *prorſus intelligor, velis nolis: ſed tu contra iſta nihil dicturus vis non intelligi, quod ego veriſſimum atque firmiſſimum dixi*, tum Proſper in Epiſtola ad Auguſtinum præmonuit obſcuritatem hanc obiectam ab alijs, non vero à volentibus ſincere ab Auguſtino doceri, *qui potius tarditatem ſuam cul-*

pare maluerunt, quàm non intellecta reprehendere, vbi reliqui, ſubdit, *recenſito libro de correptione & gratia, ſicut qui ſanctam atque Apoſtolicam doctrinæ Auguſtini auctoritatem antea ſequebantur, intelligentiores multo inſtructioreſque facti ſunt, ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, auerſiores, quam fuerant, receſſerunt.* tum iterum idem Proſper ad excerpta Genueſium in fine, *in quibus*, ſcilicet Auguſtini dictis, *nulla eſt obſcuritas &c.* tum Paulinus in Epiſtola ad Auguſtinum eumdem, *caliginem*, inquit, *diſcutis & ſplendore clariſſici ſermonis enubilas*, tum demum Caſſiodorus prologo in Pſal. *Auguſtinus ſuauiſſimo nidore reſplendens ſuperni luminis claritate radiat*; quidquid ſit de illa indiſcreta quorumdam interrogatione, cur de facto Deus potius trahat, vel prædeſtinet, pro ſua voluntate hunc non illum, quæ vtique non ſolum difficilis ſed impoſſibilis penitus ſolutionis eſt, niſi ad ſolam liberam Dei voluntatem refugiatur, vt prædocuit idem Auguſtinus epiſtola 105. ad Sixtum, & lib. 4. ad Bonifacium cap. 16, & Proſper ad obiectiones Vincentianas obiect. 12. vocans *id impoſſibile comprehendere*, & in ea vtique & Paulus longe antè Auguſtinum ad ea verba recurrebat. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ &c*, vt idem Auguſtinus obſeruat ſermone 2. de verbis Apoſtoli cap. 14. & epiſtola 106. reperens indiſcretè de hoc iterum interroganti illud idem Apoſtoli, *O homo tu quis es? qui reſpondeas Deo?* indeque præueniens in Apoſtolo & nunc ſibi propoſitam obiectionem in Enchiridion cap. 99. aiebat, *hoc loco quidam ſtulti putant Apoſtolum in reſponſione defeciſſe, inopia reddendæ rationis repreſſiſſe contradictionis audaciam: ſed magnum habet pondus, quod dictum eſt, homo tu quis es? & in talibus quæſtionibus ad ſuæ capacitatis conſiderationem reuocat hominem, verbo quidem breui, ſed reipſa magna eſt redditio rationis*. De reliquo, vt ritè Noris refert & laudat, ex Epiſcopo Vaſionenſi, *quod Petrus Apoſtolus de coapoſtoli Pauli ſenſit epiſtolis, vſurpare licet de operibus Auguſtini, in illis ſcilicet ſanctum loqui Patrem de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem, nulla auctoris culpa, ſed vitio lectorum*, & opportunius idipſum referri poterat ex eodem Auguſtino epiſtola 47. ad Valentinum, & demum ad hoc Clemens X. in diplomate quodam edito anno 1671. *ſole clariora ſcripta* Auguſtini ex oppoſito nominauit. Quod attinet inde ad doctrinæ imbecillitatem, ſiue ex imperitia, ſiue ex negligentia confictam, ſatis erit audire loquentes, tum Innocentium in reſponſ. ad epiſtolas Synodi Carthaginenſis, quas Auguſtinus delegatus à Patribus exararat, aientem, *conſtat cuncta dixiſſe, nihil eſſe prætermiſſum, nihil ſuppreſſum, nec decet credere aliquid, quod ad cauſam poſſit proficere, prætermiſſe*, tum Proſperum in carmine de ingratis concinentem

> *Diſcuſſæ artes, viruſque detectum eſt*
> *Hæretici ſenſus, nullumque omninò relictum,*
> *Docta fides, quod non diſſolueret argumentum.*

tum ante in epiſtola ad Auguſtinum, *quidquid in lib. cont. Iulianum ab ipſo ſub hac quæſt. obiectum potentiſſimè debellaſti*, tum Marium Mercatorem in lib. cont. eumdem Iulianum, *Auguſtinus ſingulis reſponſionibus ſuis ad ſingula capitula ſubiectis ſic vanos Iuliani ac plumbeos pugiones malleo Catholicæ veritatis obtudit, immò contregit*, tum S. Prudentium in epiſtola ad Epiſcopum Sennonenſem, *Pelagianis à Doctoribus, præcipue Beatiſſimo Auguſtino, competentiſſimè abundantiſſimeq; reſponſum ſuit*, tum ſuper omnes Gelaſium Papam in epiſtola ad Honorium de Auguſtino

guſtino eiuſdemque ſequacibus aduerſus Pelagianos. *O ſi ſtuderent aduerſus eos maiorum noſtrorum libros reſponſaque cognoſcere, illis modis omnibus cerneretur nihil eſſe prorſus, quod ab iſtis non fuerit ventilatum, & ab illis magnifica veritate contritum,* tum demum Auguſtinum ipſum ſimili contra ſe obiectioni ex Iuliano occurrentem lib. 2. cap. vltimo *quid eſt* (inquit) *quod exultas & mihi quaſi victor inſultas, tamquam non inuenirem, quid facerem, quo confugerem? ita enim tibi ponis ante oculos noſtrum in diſputatione certamen, & te argumentante me quid reſpondeam non habentem fingis, vt placet*; hinc lib. 3. cap. 1. *duarum* (ſubdit) *velut argutarum argumentationum nihil non ſolutum deſtructumque dimittam,* & in epilogo lib. vltimi, *ad omnia me tibi reſpondiſſe, Iuliane, & omnia refelliſſe &c. puto, quod proſpicis, ſi peruicax non ſis,* & huius *oppoſitum* (repetit lib. 1. operis imperfecti cap. 15.) *hoc quidem dicis, ſed tu dicis, qui autem legit & intelligit, ſi non Pelagianus eſt, hoc non dicit*: Vndè ſic magis facienti argumenta Iuliani, quàm Auguſtini, ſeù vt loquitur Proſper cont. Collat. in præfatione, *dicere audenti à ſanctæ memoriæ Auguſtino gratiam non eſſe rectè defenſam &c.* reponi poteſt cum eodem Proſpero ibidem cap. 1. *cur de ijs armis, quibus communis fides eſt defenſata, cauſantur? Cur bellum confectum retractant, ac munitiones ſecuræ dudum pacis infirmant?* & infrà cap. 10. *placet igitur tibi cum hæreticis catholicos, cum victis damnare victores, & eos erroris nota adurere, qui errorem ab Eccleſia depulerunt? Errauit igitur Papa Innocentius &c. errauerunt orientales Epiſcopi &c. errauerunt ducenti quatuordecim Sacerdotes. Errauit Sacroſancta Petri Sedes &c.* vt in ſimili arguebat etiam Ruffinus inuect. 2. in fine, & Tertullianus dicens, *interea igitur perperam euangelizabatur, perperam credebatur &c.* De inconſtantia demum vel Antilogia Auguſtini, ſi inconſtantia ex retractationum libro inferreretur, irrationabiliter carperetur id, in quo maximè Auguſtini modeſtia cautiſſimaque ſapientia commendanda eſt, vt reſpondet ad hos omninò Proſper ad excerpta Genuenſium dubit. 3. & ſolus ipſe Auguſtinus in procemio retractationum pro reſponſione ſufficeret; ſi verò de apparenti dumtaxat varietate vel etiam Antilogia apparenti, quoad aliquos minus intelligentes, non in re ipſa, intelligeretur, vel relaberetur in iam ante ſolutam de obſcuritate obiectionem, vel quo ad iſtam & ipſe Auguſtinus reſponderet eſſe à ſe librum integrum editum *de concordantia Euangeliſtarum*, nec tamen inde deduci veram eſſe in ſcripturis Antilogiam, nec conſequenter à pari in ſuis ſcriptis adeſſe, hinc iuremerito occurrebat eodem modo opponenti Iuliano lib. 5. cont. eumdem cap. 9. reſpondens: *hinc eſt quod ſententias meas inter ſe contrarias putas, vel putari cupis, tamquam improbem, quod ante approbauerim, aut amplectar, quod antè reſpuerim. Audi ergo apertam ſententiam meam, & intellige, vel ſine intelligere alios, non offundendo caligines nebuloſæ diſputationis ſerenitati ſinceriſſimæ veritatis,* & antea cap. 5. *non ſunt ergo verba mea inter ſe contraria, quamuis te patiantur vel non intelligendo, vel alios intelligere non ſinendo contrarium.*

Ad quartum, quod etiam Arminius hæreticus opponebat, vt retulimus, immò antiquitus recurrebat ad idem Cæleſtius apud Auguſtinum lib. de peccato originali cap. 23. dicens, *ſi quæ vero præter fidem quæſtiones natæ ſunt, de quibus eſſet inter pleroſque contentio, nō ego quaſi auctor alicuius dogmatis definita hoc auctoritate ſtatui,* vbi huius dicti fraudem detegens Auguſtinus ſubdebat, *vt videlicet ſi in eis fuiſſent iſti exorbitaſſe conuicti, non criminaliter ſed quaſi ciuiliter erraſſe*

viderentur; ad hoc, inquam, dimiſſa ſolutione Noris ideò¦ denegâtis Cæleſtino ea poſteriora capitula, admittendum eſt indè conuinci poſtremam partem aſſertionis noſtræ *de quæſtionibus tertij generis* non ita connexis adhuc iuxta Auguſtinum cum dogmatibus prædeſtinationis ac gratiæ, cuiuſmodi in primis (niſi aliter exponatur cum Lemos tom. 1. pag. 73.) erat Auguſtini tempore propagatio vnius animæ rationalis ab alia (vt monebat Fulgentius lib. 3. de verit. prædeſtinationis cap. 18.) etſi ſpiritualis & immortalis certò eſſet, in quam, vt facilius ſimul propagatio culpæ originalis defenderetur, aliquando Auguſtinus inclinare viſus eſt, vt patet lib. 10. in Geneſim, & alibi, & tamen modo communiter relicta eſt; huiuſmodi pariter ea quæſtio hinc eſt, *qualiter anima ſiue extra duce animarum ſiue ex carne maculetur*, in qua non ſemel Auguſtinus in vtramque partem quo ad modum ſe vertere viſus eſt, vt etiam Ianſenius obſeruat lib. procœmiali cap. 27. ſoluitque S. Thomas p. 2. q. 83. ar. 1. ad 3. huiuſmodi eſt Auguſtiniana probatio peccati originalis ex defectibus (aliàs apud nos etiam naturalibus) humanæ naturæ, quam ſolum probabilem eſſe in ſolo lumine naturæ S. Thomas in 4. cont. gentes cap. 52. aduertebat, & explicabat in 2. diſ. 30. qu. 1. ar. 1. huiuſmodi dici poſſent & illæ aſſertiones (quas tamen Auguſtinus non tenuit, licet ipſi Ianſenius imponat, & nos alibi oppoſitum in p. 2. ex propoſito vindicauimus) de negata qualibet bonitate in operibus infidelium ſine gratia, de aſſerta nimium entitatiuè concupiſcentiæ malitia, de abnegata ſubindè poſſibilitate ſtatus naturæ puræ, & hujuſmodi, præter plures philoſophicas quæſtiunculas in Auguſtini libris immixtas, ob quas Iulianus apud eumdem lib. 1. cap. 1. *eum Ariſtotilem pœnum ac phyſicum nouum* audaciſſimè pro contumelia dicere non dubitabat. quas vtique anteriores præſertim quæſtiones prudenter Pontifex Cæleſtinus aiebat, *non neceſſe habemus aſtruere*, ideſt tamquam canones definire, nec tamen ſubdebat non minus prudenter, *nec audemus contemnere*, quia etſi de veritate certæ non eſſent, erant tamen pro co tempore probabiles, non improbabiles, non erroneæ quoadusque in oppoſitum euidentia vel declaratio Eccleſiæ ſuccederet, nec conſequenter ab aliquo contemptibiles (præſciſis præſentibus motiuis) adhuc hoc tempore dici poſſent, quod vellem recentiores aliquos aduertiſſe, & duo circa has tertij generis queſtiones, extrema minus conſona euitare. Alterum eſt minoris habentium Auguſtini doctrinam, qui irreuerenter nimis ac irrationabiliter aliquando ſimiles in Auguſtino quæſtiones contemnunt; & quod peius eſt, in earum ordine ad arbitrium collocant tamquam non connexas & alias, quæ verè cum prædefinitis dogmatibus, vel tamquam certæ, vel tamquam probabiliores iuxtà Auguſtini doctrinam connexæ ſunt; atque quoad hoc poſtremum, iſtorum non eſt dijudicare prædictam connexionem, ſed (præter Eccleſiam, quæ nunc poſt Cæleſtinum non pauca ſic declarauit, & definiuit, vt Arauſicanum, Pius V. & alij) dudum Auguſtini erat ac fuit, dum bene ſciuit quandoque certò connexa, quandoque & probabilius vel probabiliter tantum coniuncta ſecernere, tum de quæſtionibus primi generis lib. 5. cont. Iulianum cap. 12. dicens, *in his quæſtionibus catholica veritate antiquitus tradita veſtra impia nouitas ſuffocatur*, & epiſtola 117. ad Vitalem duodecim aſſertiones de gratia concludens *ad fidem rectã & catholicam pertinere*, tum de poſterioribus quæſtionibus ex oppoſito in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 12. dicens,

dicens, *in tertio lib. de libero arb. ſecundum vtrumque ſenſum reſtiti Manichæis, ſiuè ſupplicia, ſiue primordia naturæ ſint, ignorantia & difficultas*, tum epiſtola 28. ad Hieronymum, tum epiſtola 157. ad Optatum, tum in libris ad Valerium de anima, tum lib. 1. retractationum cap. 9, ad quem opportunè quoad hoc propoſitum remittit lectorem ſuum eodem lib. de bono perſeu. cap. 11. per totum, & cap. 10. probabilem alterius doctoris expoſitionem affert circa Tyrios & Sydonios, in eaque adhuc ſuum intentum proſequitur, licet oppoſitum approbaret, & in generali de iſtis mox antea dixerat lib. 19. de Ciuit. cap. 18. *de quibuſdam rebus, quas neque ſenſu neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam canonicā claruerunt &c. ſine iuſta repræhenſione dubitamus*: cum quo ſtat adhuc in iſtis (quoaduſque ſuperuenerit præſertim Eccleſiæ in oppoſitum declaratio) rectè dixiſſe Suarez proleg. 6. de grat. n. 15. *etiam in his poſterioribus quæſtionibus*, quas antè nominarat non connexas, *auctoritas Auguſtini maxima eſt propter alias rationes ſuprà factas, & ideò ſemper à nobis cæteris præferetur*, & longe ante Suarez, vt noſtros taceam, Ioannes Maior in quæſt. 1. prologi in 4. ſent. ar. 2. poſtquam dixerat aliquem in ſimilibus quæſtionibus *non forè hæreticum ſi neget Auguſtini opinionem & dicat, quis ſcit ſi omnia retractabilia in tàm immenſo pelago ſuæ menti occurrerunt? iſte tamen*, ſubdit, *ſic negans, vbi poteſt gloſſam rationabilem dare, irreuerenter & perperam agit; ſi enim caput marmoreum haberet negans Ariſtotilem, vbi fidei non contradicat, à fortiori qui doctores ſanctos, quibus longitudo temporis auctoritatem dedit*, hæc ille, quibus ſimilia ſunt dicta Beſſarionis Cardinalis lib. 2. in calumniatorem Platónis cap. 1. Alterum non minus abſonum, vt video, quorumdam aliorum extremum cauendum eſt, quorum Caramuel fundamento 1. *indiſcretam deuotionem in Auguſtinum* appellabat, ac reprehendebat ex illo Pſal. *amor Regis iudicium diligit*, qui ſcilicet adeò vniuerſim approbatam veluti definitiuè ad minus vt probabiliorem exiſtimant Auguſtini doctrinam, vt in his etiam tertij generis quæſtionum partibus adhuc quaſdam aſſertiones, à Baio & Ianſenio ipſi Auguſtino attributas, non obſtante Pij V. & Gregorij declaratione aduerſus Baianos edita, ad minus vt probabiles, ſi non vt veras, rurſum defendere conati ſint, vt præ cæteris Ianſenius ſubdolas inde prædictis Bullis interpræationes affigens (ſi non eaſdem *Bullas* dictarum aſſertionum ſibi ſuppoſitæ veritati poſtponens) tùm lib. 3. de ſtatu naturæ puræ cap. 22. per totum, tùm lib. 4. de ſtatu naturæ lapſæ cap. 26. & 27. tum lib. de gratia primi hominis cap. 20. tùm alibi, & minus ſaltem voluiſſem videri eruditiſſimum Noris in ſuis Auguſtinianis vindicijs pag. 35. id ſaltem ex parte prætereuiſſe, & quod maius eſt, noluiſſem anſam aliquàm datā eſſe Ianſenio, dum Ianſenius deinde tum lib. 1. proœmiali cap. 8. præ ſimili in Auguſtinum ſequela ſugillat ſcholaſticos, velut *depuratis Ariſtotelicæ metaphiſicæ eliquationibus nimis intentos, & indè in præcipitia irrumpentes &c*, & cap. 30. eoſdem iterum criminatur, huic, inquam (quod valdè diſplicet in 2. laudatiſſimo viro) non parum Noris ex indicata radice anſam minus adimere viſus eſt in eiſdem Auguſtinianis vindicijs pag. 68, vbi *de ſenſibili pœna puerorum ſine baptiſmo obeuntium* loquebatur, aſſerta ab Auguſtino, vt denuo ipſe cum Ianſenio ſupponit (ſed falſo, vt alibi demonſtratur) negata verò communiter ab integra modo caterua Scholaſticorum (dempto vnico, inter Scholaſticos adhuc antiquos, ſcilicet Gregorio Ariminenſi, ex illis omnibus

non

non verè ſcholaſticis recolectis à Noris) etſi plerique probabilem eam ſententiam fuiſſe concedant, dum, inquam, Noris de hac materia verba faciebat, hæc ſibi excidere in Scholaſticos verba minus cauta incogitantia permiſit; *hæc antiqua Eccleſiæ ac Sanctis Patribus de infantium pœnis ſententia ſtetit, donec poſt ducenteſimum ſupra milleſimum annum Chriſtianæ Epochæ, nouæ opiniones à ſcholaſticis procuſæ ſunt. qui ſi in Patrum voluminibus tantum ſtudij ac laboris poſuiſſent, quantum Ariſtoteli explicando impendere, profectò S. Auguſtini ſententiam non obduxiſſent:* hæc ille, veluti pro ſua eruditione callere non potuiſſet, quas referat Heterodoxorum communiter, contra Scholaſticos, obloquutiones Grauina inter cæteros p. p. tom. 3. cont. 2. q. 1. principali art. 6. per totum, & ante Grauinam Magiſter Cano lib. 8. cap. 1. inter plura concludens, *connexas eſſe, poſt natam ſcholam, ſcholæ contemptionem & hæreſum peſtes*, & ante Canum ſapientiſſimè Soto in ſua illa ad Tridentinæ Synodi Patres nuncupatoria præfatione inter alia ibidem conſulenda ſic dicens, *huic profectò malo, vt coram veſtra ſanctitate in publica Synodo declamaui, niſi obuiam publicitùs occurratis, & Vniuerſitates meliùs ſibi, & bono publico conſultum properent, totum breui Chriſtianum Orbem errores ebulire dolebimus*, & demum ante Soto horum omniũ præceptor Aquinas quodlib. 4. q. 9. art. 18. omninò legendus, præter ea, quæ nos tomo 2. dogmaticæ philoſophiæ ex propoſito afferebamus, dum interim Henrico Noris ſufficiet rememorare, quæ retulerat ipſe in oppoſitum pagin. 195. ex verbis etiam Eccleſiæ, *Scholaſticos Auguſtinum fuiſſe ſequutos*.

Ad quintum, iam pleraque in argumento relata longe abſunt, vt conſtat, à materia nunc intenta prædeſtinationis & gratiæ, & per conſequens ab inſtituto recedunt, & vnum aut alterum tantum dubiam habens connexionem cum illa, vti mox diximus, ad quæſtiones tertij generis reuocandum eſt, quas ſufficit eo tempore, quo Auguſtini doctrina approbata fuit, probabiles aut nullo modo erroneas extitiſſe (quidquid ſit poſteà, vt iam præmiſimus, an ſuccedente maiori in Eccleſia notitia ex eiuſdem declarationibus in improbabiles aliquæ ſaltem Auguſtino attributæ deductæ ſint): primum enim adminus aduerſus arguentis intentum retinendum eſt, ac pro candidiori in Auguſtinum ſequela certum eſſe fatetur tum ipſe Suarez proleg. 6. cap. 6. num. 17. dicens, *ſi in ea doctrina tradenda ac explicanda aliquando Auguſtinus fuiſſet in errorem lapſus, multo labefactaretur eius auctoritas, immeritoque Eccleſia tam fidenter iudicium eius in hac doctrina ſequuta eſſet, quod impium eſt cogitare*, tum Bellarminus lib. 2. de grat. & liber. arbitrio cap. 11. aliter inquiens, *non poſſet idem Auguſtinus ab ingenti temeritate defendi, quippè qui non ſolum tàm acriter pro falſitate certaſſet, ſed etiam eam in aliquibus quæſtionibus pro fide catholica venditare auſus eſſet*, tum Nazarius in opuſ. de auctoritate Patrum concl. 10. aliter, inquiens, *errarent perniciosè Pontifices & concilia*, ſcilicet approbando ſaltem electiuè aliquo modo vniuerſam Auguſtini doctrinam, *quoniam vt dicitur capite quamuis diſtin. 34. approbare malum pro bono & falſum pro vero error eſt*: ſed ante omnes iſtos & ſuper omnes D. Prudentius in epiſtola ad Hincmarum, & Parduillum dicens, *ſi Auguſtini doctrinam aduerſam fidei orthodoxæ in quoquam conſpiceret, nequaquam eam Romanæ Eccleſiæ Antiſtes ſuſcepiſſet, neque prædictum memorabilem ſuarum epiſtolarum communitet priuatimque officijs affeciſſet, neque Bonifacius eiuſdem Apoſtolicæ Sedis Præſul epiſtolas Pelagianorum ſibi delatas ei ad reſpondendum miſiſſet, aut*

reſpon-

reſponſionem eius quatuor libris editam probabiliter atque honorificè ſuſcepiſſet: tam etſi forſan nec vnam ex condenſatis in argumento aſſertionibus vel adhuc improbabilem eſſe, vel ſi improbabilis facta eſt, non fuiſſe conſtanter ab Auguſtino defenſam, eleganter ſatis ac doctè & eruditè (vt ſolet) Magiſter Noris in ſuis vindicijs Auguſtinianis à cap. 4. vſque ad 5. duodecim integris parag. omninò conſulendus oſtendat, & præter ipſum Benedictus à S. Iacobo Ferrarienſis Auguſtinianus Excalceatus in ſuis ſeptem tomis Philoſophiæ excerptæ ex Auguſtino demonſtratat; nec aliud eorumdem dictis in præſenti, aut neceſſarium eſt aut addendum occurrit, nec iſta prolixiùs examinare nunc vacat, niſi ſubiuncto quod de philoſophicis in Patrum libris ante Melchiorem Canum libr. 7. cap. 3. conclu. 1. ex Nazianzeno, Hieronymo & alijs id probantem, præmonuerat S Thom. in 2. diſt. 14. quæ. 1. art. 2. ad 1. *ſcilicet Sancti hæc tradiderunt non quaſi aſſerentes, ſed ſicut vtentes his, quæ in Philoſophia didicerunt, vndè non ſunt maioris auctoritatis, quam dicta philoſophorum, quos ſequuntur, niſi in hoc quod ſunt ab omni infidelitatis ſuſpicione remoti*, ſeu in hoc, vt ſubiungit Cardinalis Beſarion lib. 2. in calumniatorem Platonis cap. 1. *quod ſi qui cum ſanctitate ad ſummum etiam doctrinæ & ſapientiæ peruenerunt, legeruntque Platonis, & Ariſtotilis libros &c. quicumque mentis compotes ſunt, doctores iſtos ſanctiſſimos ac ſapientiſſimos viros ſequentur &c.* vt, inter cæteros, Auguſtinus & S. Thom. ſine dubio fuere.

Ad ſextum, in cuius ſolutione idem Noris (vt id iterum in eius commendationem ingenue profiteamur) cum magna ſapientum laude profecto multus eſt, tùm à cap. 3. ad 4. diſſoluens Aduerſariorum obiectum ab inductione, tum à cap. 5. ad 6. repetitum hoc ipſum ab auctoritate argumentum in imum vſque proſternens, eorumque vel omnia, vel pleraque, quæ in inductione argumenti afferuntur, oſtendens adhuc vera vel probabilia eſſe (licet aliqua potius nos diceremus olim ſaltem probabilia fuiſſe, ſi Auguſtini fuere, non ſingula nunc, vt de concupiſcentiæ malitia ſecundum ſe, de negatis omnibus operibus bonis in infidelibus ſine gratia, & huiuſmodi, ob Bullas Pontificum aduerſus Baianos adiunctas) vel demum aliqua falsò Auguſtino impoſita recitari, quibus omnibus in eodem legendis in præſenti ſuppoſitis, nos breuiter, pro breuiori Auguſtini defenſione, prædiſtinctis dumtaxat, vt ſupra vidimus, illis quæſtionibus poſtremi generis à præcedentibus, nunc addimus adhuc aliud longè eſſe affirmare Auguſtinum quandoq; exceſſiſſe cancellos veritatis, non probabilitatis, aliud vlteriùs aſſerere eum & probabilitatis limites exceſſiſſe (cum ex primo Rethoricorum quandoque falſa probabiliora ſint veris) & quidem de anterioribus Auguſtini aſſertionibus neutrum dici poteſt, de cęteris verò poſtremi generis primum ſolum, non adhuc ſecundum, permittimus aliquando, ſed rarò, & reuerenter, vſurpari poſſe, in quo ſecundo ſenſu dumtaxat vno dicto exſufflantur, ſeù diſſipantur eructatæ veluti ab Aquilone ab Auguſtini obtrectatoribus tot ſcriptorum adglomeratorum aduerſus Auguſtini Solem ſubobſcuræ nubeculæ, & ad hunc ſenſum adduci poteſt, quod olim meus in cathedra Metaphyſicæ S. Thom. anteceſſor anno 1519. Bartholomæus Spina Piſanus parte 5. de vniuerſali corruptione generis humani cap. 15. ex propoſito aſſumens expoſitionem ſimilium dictorum S. Thom. & Bonauenturæ de *exceſſiuo modo loquendi*, Auguſtini non

ſolum,

ſolum, ſed etiam Gregorij, reſpondet, *nomine exceſsiuæ locutionis, intellexiſſe æquiuocationem quamdam vocabulorum vel impropriam acceptionem, quæ in propoſito, vt ſcilicet deteſtabilior Pelagianorum error efficeretur, fideles in admirationem ſuſpendens ad diligentiorem veritatis inquiſitionem, & declarationem incitaret, & deduceret, neque indè mendacij doctores illi vel fictionis, vt Aduerſarij inferre velle videntur, accuſandi ſunt, ſed de ſumma prudentia laudandi, dum veritatem, quam docebant non omni loco vel tempore declarabant, aut omnimodo*, vt ſe hanc methodum obſeruaſſe non ſemel Auguſtinus profitetur in lib. de præd. Sanctorum cap. 3, præter aliundè accuratum ſingulorum eorum Doctorum examē aſſumptum à Noris ordinatè monſtrante plerumque, aut non ſincerè, aut non ex integro tractatorum illorum teſtimonia proferri, vt in eodem conſulenti patebit; dum interim hic de noſtro Bannes, quem frequentius præ alijs opponunt, iam olim in meis Theologicis Mediolani prælectionibus obſeruabam, & poſteà vidi obſeruatum in editis Apologijs noſtrorum, Baronij, Gonet, & aliorum, eo loco Dominicum Bannes ſeduld examinantem, *an ex ſola culpa originali vt cauſa in actu 2. applicata homines etiam, quibus poſteà in baptiſmo remiſſa fuit, reprobati dici poſsint*, productiſque ſententijs vtrinque, ſcilicet affirmatiua tributa Auguſtino, & deindè duabus alijs *ſolo nomine differentibus*, vt ipſe loquitur, aliorum Doctorum & S. Thomæ, dixiſſe iſtas *probabiliores eſſe*, ſimul tamen conceſſiſſe, *& primam probabilem eſſe*, quod noſtro intento de his quæſtionibus ſine dubio poſtremis ſatis eſt, & indè reſpondens Bannes ad paritatem à cauſa prædeſtinationis ad cauſam reprobationis allatam ex Auguſtino epiſtol. 105. & lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 9. inficiatus eſt conſequētiam, & paritatem, allatis verbis ab arguente, ſignificans Auguſtinum ibi (vt alibi non ſemel præſtitit, & ſe feciſſe fatetur in lib. de bono perſeu. cap. 11. & 12.) eam conſequentiam pertranſiuiſſe potiùs in diſputando, quàm aſſerendo admiſiſſe, non verò Bannez ſignificauit Auguſtinum in ea concedenda, vt Aduerſarij imponunt, aberrauiſſe: hæc ſincera ſapientiſſimi noſtri ac obſequentiſsimi in Auguſtinum Banneſij ſententia fuit, qui non minus ac Soto in cap. 9. epiſtolæ ad Romanos, cum legeret Catherinum (qui à nobis exiuit ſed ex noſtris non erat, eo quia, vt loquitur Soto in apologia *iam ætate provectus ex Iuriſconſulto Theologus de repente prodijt, ſimul & audire cœpit in ſcholis, & contra egregios ſcholarum doctores inſurgere*) minus obſeruantem in Auguſtini doctrinam de Prædeſtinatione, eadem p. p. q. 23. ar. 7. in commentario parag. 5. eum licet ex ordine Dominicanorum aſſumptum Epiſcopum, accuſare his verbis non dubitauit, *Ambroſium ſcilicet Catherinum edidiſſe tres libellos de Prædeſtinatione, in quibus nihil eſt eruditionis, & plurimum erroris*, præter aliam Gloſſam videndam de Caietano in Lemos tom. 1. trac. 4. cap. 1. intelligendam iuxta verba S. Thomæ mox afferenda. Remanet ergo in alio ſenſu, præter adductum, non poſſe niſi temere affirmari *exceſsiſſe Auguſtinum*, vt iniquè olim eidem Auguſtino imponebant omninò, tum Iulianus allatus ac refutatus ab eodem Auguſtino lib. 2. de Nuptijs & concupiſcentia cap. 3. lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. & lib. 1. operis imperfecti fol. 121. & 124. & fol. 164. tum Caſſianus, vt ſuprà retulimus verba, repreſsus à Proſpero cont. Collat. cap. 9. & 15, tum Fauſtus lib. 1. cap. 1. & ſequentibus repercuſsus à Fulgentio, vt enarrat Felicianus Epiſcopus in eiuſdem Fulgentij vita cap. 28, tùm cæteri

Semipe-

Semipelagiani, vt eos refellit & S. Thomas in cap. 1. Ioannis lect. 7. admittens potius eo tempore, quo, vt ipſe fatetur, cum Semipelagianis aberrabat, *diſputando contra Manichæos viſum eſſe in hæreſim Pelagij declinaſſe*, at vero *in libris editis poſt exortam hæreſim Pelagianorum*(vt ſubdit idem S. Thomas opuſc. 1. contra Græcos) *cautius locutus eſt*. & Caſſiodorus in prologo ſuper Pſalt. appellat immò Auguſtinum *in vbertate cautiſsimum diſputatorem*, & Pomerius lib. 3. de vita contemplatiua cap. 3. eumdem dicit *in reuincendis hæreticis circumſpectum, & in explicandis ſcripturis canonicis cautum*, & Concilium Toletanum 8. can. 2. vocat *virum veſtigationis acumine cautum*, Ioannes XXII. in Bulla ad Eremitanos Diui Auguſtini de eodem Auguſtino inquit: *Magnæ circumſpectionis & præuiſionis Pater &c. veritatem firmis, & inuictis rationibus ſolidauit*, & demum Cæleſtinus (quod non poteſt hic ità adhibere Magiſter Noris conſequenter ad iam negata poſteriora Cæleſtino capitula) aduerſus omnes obtrectatores eiuſdem Auguſtini in cap. 3. Apoſtolicè ſic opportune decernebat, *nonnulli, qui catholico nomine gloriantur, indamnatis antea hæreticorum ſenſibus ſeu prauitate ſiue imperitia demorantes, pijſsimis diſputatoribus obuiare præſumunt etc. & de Magiſtris noſtris, tamquam neceſſarium modum exceſſerint, obloquuntur*; hæc Pontifex. *Contra iſtam igitur*, ſubſumit hic Proſper cap. 43. cont. Collat. *contra iſtam clariſsimæ laudationis tubam contra iſtam ſacratiſsimi teſtimonij dignitatem audet quiſquam malignæ interpretationis murmur emittere?* contra hæc ſi quis adhuc peruicax muſſitaret, legat adminus, quæ ex oppoſito immo, de euitando exceſſu diſputatorum ab vno extremo errore in aduerſum, opportune præmonuit, & ſe in primis obſeruaſſe per conſequens profeſſus eſt, Auguſtinus ipſe, tùm tract. 71. in Ioannem, tùm lib. de grat. & lib. arb. ab initio, tùm lib. 1. ad Bonifacium cap. 2. tùm lib. contra Creſconium cap. 1. & ſequentibus diſertiſſimè, tùm lib. 4, contra 2. epiſtol. Pelagianorum cap. 3. in hoc ipſo propoſito inquiens, *in vtrumque ſit cautus, ut ita ſe ſeiungat à Pelagianis, ne ſe coniungat Manichæis*, tùm lib. 8. de doctrina Chriſtiana cap. 6. & 8. prohibens etiam expoſitoribus ſcripturarum, aut fidei tractatoribus, ambigua verba vſurpare, quæ aliàs in ſcripturis canonicis veluti figurata inueniri concedit, ne alienæ deceptionis periculum inducatur.

Ad ſeptimum tandem, de Caluino iam vidimus, eiuſque verba, in præfatione ad Regem, ita ſe exponentis attulimus, ſcilicet *Patres recipimus quatenus nobis ſeruiant eorum ſcripta, non dominentur*, & Ianſenium admittimus eo exceſſu peccaſſe, vt Auguſtini doctrinæ deflexæ ad mentem ſuam in ſuoſque detortæ ſenſus anteponeret etiam Pij V. ac Gregorij XIII. Pontificum definitiones, eoquod, vti nos fecimus, non diſtinxit quæſtiones poſtremi generis ab anterioribus. Dominicani verò non ſic, qui in dubio ſenſu præſertim, aut in caſu conſimili Auguſtinianæ doctrinæ (quam diximus modo explicato ab Eccleſia etiam definitiue approbatam) repeterent cum ſuo Angelico præceptore 2. 2. qu. 10. art. 12. *magis ſtandum eſſe auctoritati Eccleſiæ, quam auctoritati vel Auguſtini vel Hieronymi, vel cuiuſcumque doctoris*, quia ſcilicet vt præmiſerat, *Ipſa doctrina Catholicorum Doctorum ab Eccleſia authoritatem habet*, vt repetit etiam idem Angelicus quolib. 9. ar. 16. ab eodem Auguſtino prædoctus verbis recitatis ab ipſo p. p. q. 1. art. 8. ad 2. & conſequenter de Ianſenio repeterent idem Auguſtinus Epiſtola 32. *neque tamen huic tam familiari amico meo ve-*

lim credas, quæ de me fortè laudans dixerit. Senſi enim etiam ipſum ſæpè, non mentiendi ſtudio, ſed amandi propenſione falli iudicantem. Certum eſt autem etiam quodlibet ſcripturæ verbũ, nec tamẽ de eiuſdẽ dubio ſenſu definitionem pertinere ad Eccleſiam negari poteſt, vt omnes omnino Catholici præſupponunt & credunt, neque ex eo quod Lutherus aut alter hęreticus nimis verbo ſcripto dumtaxat inniti velit inferendum eſt eidem Catholicos cæteros haud inniti licere, nec pariter ex eo, quod Caluinus ſeu Ianſenius in ſolis quandoque ſequendis Auguſtini verbis pro ſola ſui ingenij libidine aberrarint, deducendum venit haud expedire Orthodoxos inniti Auguſtinianæ doctrinæ definitiuè approbatæ. Sed lapſus & exceſſus vtrobique cauendi ſunt, cum aliàs, vt Tertullianus aiebat de præſcriptionibus cap. 39. *nec periclitemur dicere ipſas quoque ſcripturas ſic eſſe ex Dei voluntate diſpoſitas, vt hæreticis materiam ſubminiſtrent,* & appoſitè pro ſe ipſo Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 2. id præueniens aiebat, *arbitror ſane nonnullos tardiores id opinaturos me ſenſiſſe, quod non ſenſi, aut non ſenſiſſe quod ſenſi, quorum errorem mihi tribui non deberi quis neſciat? quandoquidem nec ipſis ſanctis diuinorum librorum auctoritatibus vllo modo quiſpiam rectè tribuerit tam multos errores et varios hæreticorum, cum omnes ex eiſdem ſcripturis falſas, atque fallaces opiniones ſuas conentur defendere,* quod exemplum pro eodem Auguſtino proſequitur Facundus Hermianenſis lib. cont. Motianum. Ad iniuſtas verò calumnias à paucis quibuſdam obiectas Caluiniſmi vel Ianſeniſmi in Scholam Angelici præceptoris D. Thomæ Aquinatis, hic Proſper in defenſionem ſui ipſius & diſcipulorum Auguſtini repeteret, præfatione ad Capitula Gallorum, *contexunt & qualibus poſſunt ſententijs comprehendunt ineptiſſimam quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eaque oſtendenda & ingerenda multis publicè priuatimque circumferunt; aſſerentes talia in noſtro eſſe ſenſu, qualia diabolico ſentiuntur maiculo, quæ falsò in nos ad excitandam inuidiam iactari, facilè & ſufficienter ſubſcriptione vnius probaremus anathematis, niſi benignitas eorum* (malignitas dicit Proſper) *qui ſe grauari putant, ſi de nobis bene ſentiatur, ipſam ſubſcriptionis noſtræ breuitatem ſuſpectam eſſet habitura. Vndè ne huius querelæ inueniretur occaſio, neceſſarium conueniensque creditum eſt, vt ſiue ad calumniantium animos mitigandos, ſiue ad eos, quorum auribus tale aliquid inſonuerat, inſtruendos, quantum adiuuante Domino fieri potuit, planè lucideque panderetur, quid de peruerſis definitionibus catholicè iudicaremus,* ſcilicet poſt Aluarez lib. 2. reſponſ. cap. 1. Ioannem de S. Thoma p. p. diſput. 20. ar. 7. Vincentium Baronium libr. de libertate humana, & alios, nouiſſimè Magiſter Gonet tom. 2. integra ad hoc Apologia reſpondit, & nos infrà lib. 6. q. 3. & 4. quo ad quæſtionem de Iure, vt dici ſolet, ſcilicet de dogmatum differentia noſtrorum à Caluinianis ac Ianſenianis, ex propoſito repetemus. Quo ad quæſtionem verò facti ſubiunctam ab auctore Diatribarum, de procurato vel intẽtato ſaltem patrocinio in Ianſeniſtas, vtinam ſaltem iſte perpetuus accuſator fratrum noſtrorum legere voluiſſet, præter alia reſponſa a Ioanne Caſalas, & Vincentio Baronio in ſuis Apologeticis libris, adminus theſes aduerſus Ianſenij dogmata editas anno 1649. à Magiſtro noſtro tunc Louanij Regente Alexandro Sibilla, obſiſtentibus ibi Ianſenij patronis, cum tamen, vt notum eſt, ſolum anno 1653. ab Innocentio X. Ianſeniſtarum proſcriptio prodierit. Legiſſet ſubindè tunc temporis Reuerendiſſimi eiuſdem Magiſtri Thomæ Turci Generalis (qui in

oppoſi-

oppoſitum à criminatore afferebatur) epiſtolam ad eumdem noſtrum Sibillam circà prædictas theſes contra Ianſenium tranſmiſſam, & anno adhuc 1652. non minus per conſequens ante proſcriptionem propoſitionum Ianſenij impreſſam Bruxellis, & inter cætera claudentem hæc verba, *Reuerende Pater Regens grauiter ſenſi quod theſes veſtræ de libero arbitrio Louanij fuerint prohibitæ. Eas accuratè perlegi, & cum nihil in eis reperirem reprehenſione dignum, quin potiùs inuenerim in omnibus & per omnia eſſe conformes doctrinæ S. Thom. hinc mando diſtrictè Prouinciali veſtræ Prouinciæ, vt eaſdem faciat publicè defendi in eodem loco in quo ſunt prohibitæ &c.* legiſſet integrum tomum apologeticum eiuſdem Sibillæ in quinque lib. diſtributum editum ſimul Bruxellis eodem anno 1652. (& denuò poſteà anno 1672. Venetijs) aduerſus eadem capitalia deindè proſcripta Ianſenij capitula, & inſpexiſſet præter enarratam ex integro ſeriem eorum, quæ hucuſque retulimus, etiam in præfatione ad lectorem eumdem Sibillam *Romæ eas, quas ferre non valebat, Ianſeniſtarum ineptias Beatiſſimo Innocentio X. fideliter expoſuiſſe, hoc inter cætera inculcantem vrgentius, vt pro gloria S. Tho. Aquinatis indiſciplinatas illorum hominum quæſtiones dignaretur compeſcere,* qui & ante iterum proſcriptionem, habita ſuper hoc lib. Sibillæ Congregatione ſpeciali, approbationem eidem impertitus eſt, vt ibidem Notarij Apoſtolici atteſtatio ſubiungitur, & præter peramplas eiuſdem commendationes doctorum Regentium in ordine Prædicatorum eodem loco verbatim allatas reprobantium ſimul tunc adhuc non damnatas Ianſenij propoſitiones, poſtrema præambulari pagina idem Sibillæ poſt recitata Generalis Ordinis verba concludit, *prælo hæc inſeri volui,* inquit, & ſemper, vt id obſerues, ante proſcriptionem propoſitionum Ianſenij loquebatur, *vt nempè digne perpenſo hoc omni exceptione maiori teſtimonio, totius excutias à te ipſo dubietatis ambiguum, & ſcias hæc certiſſimè à Thomiſticis exulare doctrinis.* Qua igitur fide potuit Diatribarum auctor ea, quæ de eodem Generali Turco vel Marino vulgauit, in oppoſitum comminiſci? qua inconſequentia Reuerendiſſimo Marino (qui in hac de Auguſtino doctrina optimum ſe potiùs, ad quem Auguſtinus ſcribebat, Simplicianum exhibuiſſet, & immò forſan velut externis his rebus minus, quam domeſticis Ordinis, gaudentibus Dominicanorum oſoribus, intentus aliquibus viſus eſt) quomodo, inquam, huic affigitur ea, & non probatur, tranſmiſſa econuerſo epiſtola ad Gallos, qui immò Marinus, vt in eiuſdem tomo Sibillæ impreſſum legitur, anno 1651. eiuſdem imprimendi facultatem libentiſſimè largitus eſt, ac doctrinam eiuſdem per conſequens Ianſeniſtis aduerſam ſine hæſitatione approbauit, & deinde non ſolum in Capitulo generali Romæ anno 1654, verum etiam in Capitulo Prouinciæ Toloſanæ præſertim, vt refert Caſalas §. 32, euitanda Ianſenij dogmata denunciauit? cur ea verba (etſi falſo in ore prudentiſſimi æquè ac ſapientiſſimi Generalis Turci compoſita) *tuendum ſcilicet ſtrenue eſſe ſuburbium, ne Vrbs ad deditionem cogatur,* cur, inquam, veluti per vim in eum præpoſterum torquentur ſenſum, de defendenda doctrina Ianſenij, ne S. Thomæ deindè doctrina impetatur, & non potius innatam eam ab origine mentem excipiunt, de ſarta tectaque tuenda Auguſtini doctrina, ne ſequax pediſſequa eiuſdem vel collactanea Angelici præceptoris ſchola labefactaretur? In hoc enim ſenſu profectò eamdem ad inſtitutum Auguſtini doctrinam iam diù *ſuburbium* ac veluti exteriorem

munitionem Eccleſiaſticæ Vrbis Sancti Patres appellauere; nimirùm Rupertus Abbas lib. 7. de operibus Spiritus Sancti cap. 19. dicens, *in Auguſtinum Spiritus Sanctus operatus eſt, quod ſe dignum fecit ad laudem ſuam, ad Eccleſiæ defenſionem, perpetuamque catholicæ fidei munitionem*. Et Proſper in lib. cont. Collat. cap. 1. *cur bellum confectum retractant, & munitiones*, ſcil. Auguſtini doctrinam, *& munitiones dudum ſecuræ pacis infirmant?* & cap. 41. *credunt ſe omnis auctoritatum munimina poſſe conuellere, ſi hanc paſtoralis ſpeculæ validiſſimam turrim crebra Pelagiani arietis illiſione pulſauerint*. Et Fulgentius libr. 2. de verit. prædeſt. & grat. cap. 18. *Auguſtinus turrim fortitudinis ipſam gratiam tenens exindè cuncta hoſtilium machinamenta confregit &c. quin etiam poſteris certandi & vincendi ordinem ſi quando iuſta prauitas recidiuo auſu infandum caput erigere niteretur, oſtendit*, & D. Paulinus epiſtola 31. apud Auguſtinum, *tu*, inquit, *in hoſtes catholicæ fidei munimenta comparaſti*.

De Molina demùm, *cuius partum* poſtremo loco dicebat auctor Diatribarum *poſitum in fornace examinis Pontificij, & ſæpius igne probatum deprehenſum eſſe aurum omnibus numeris purgatiſſimum*, & antea etiam Baeza tom. 3. lib. 15. cap. 2. ſcripſerat, *Prædicatorum Ordo ſuſpectam habuit Molinæ doctrinam, rem ad fidei iudicem Pontificem detulit &c. Sed ea erat Molinæ doctrina, quam nec anni domuere decem, vel prælia mille, immo poſt tot prælia, poſt tot doctiſſimorum hominum iacula, iuuante Pontifice Maximo, inuulnerabilis apparuit*, vt ferè repetit etiam Faſſolus allatus ac refutatus à Marialez relect. 7. de ſcientia ſect. 1. pag. 212. de hoc, inquam, quidquid ſit an *inuulnerabilis* ille liber permanſerit, cuius prolixa periodus vt irreuerentior in Auguſtinum in ſuccedentibus editionibus expuncta eſt, (vt de hiſtoria Cenſorum Romanorum nil dicam, & paream) ſane Dominicani homines in primis non fuere, (vt immerito iſte ſupponit) qui ante omnes in præallatum de ſcientia media conatum inſurgerent aut incaleſcerent, immo, ſi vera refert Paulus Leonardus ſiue Sherlogus è Societate in ipſa eadem huius argumenti apologia p. p. ſect. 6. num. 26. & ſect. 7. nu. 28, Molinæ liber, à quibuſdam Dominicanis Magiſtris deputatis pro impreſſione cenſoribus, fuit indulgenter pro impreſſione permiſſus, & iterum poſt librum impreſſum, vt idem ſubdit num. 27. *relatis ſecundis illius curis ad ſapientiſſimos Magiſtros, nominatim ad inſignes Theologos Dominicanos, nihil demendum cenſuerunt*, & antequam Molina anno 1589. ſuos commentarios in p. p. prælo committeret, iam triginta antea annis hanc ſuam ſingularem ſententiam ipſe prælegerat diſcipulis, vt idem Molina teſtatur p. p. q. 14. ar. 13. diſput. 18. memb. 2. §. *Auctores*, ex quo Leſſius audiens vel legens eadem ſcripta dictata Molinæ, eam ſententiam vt ſibi propriam vſurpauit, vti & feciſſe Molinam de ſuo præceptore Fonſeca idem Fonſeca conqueritur 6. metaph. cap. 2. q. 4. proteſtatus ſe annis 28. ante Molinam, nempè anno 1560, eamdem ipſi Molinæ prælegiſſe; Leſſius, inquam, hoc non obſtante, primus omnium ante Fonſecam atque Molinam anno 1586. Louanij publicè eamdem ſententiam propugnandam expoſuit, contra quam, non Dominicani tunc ibi, ſed Louanienſes Profeſſores inſurrexerunt, eamq; interdixere, excitati à damnatione Baij delata per Cardinalem Toletum aſſumptum ex Societate, conſpirantibus cum Louanienſibus etiam Duacenſibus, vt vtriuſque Vniuerſitatis cenſuras commemorat, ac ſeriem narrat, apud eumdem Paulum Ibernum ſeù Sherlogũ

p. 3. ſect. 9. num. 42. *Imago primi ſæculi Societatis à Prouincia Flandrobelgica lib. 6. cap. 4. §. aduerſantium nobis*; Et nuper Pater Macedo in hac noſtra Vniuerſitate Profeſſor, qui Collat. 10. ab initio, inquit, *ſe diù in Societate vixiße, & ab antiquis Patribus multa de hac re rogando & inquirendo curioſius accepiſſe, ſeque verum patefacere*, ibidem pagina 368. addit, *magnum Suarij Magiſtrum Henricum Henritium &c.* Salmanticę *non dubitaſſe apertè ac conſtanter Molinæ ſe opponere, eumque ſæpè ob illam ſententiam interpellaſſe, nec veritum illum in ſuo tractatu de fine hominis reprehendere, & cum Henrico omnes pene alij Hyſpaniæ Doctores* (audiantur hæc verba) *idem ſenſiße*, immò idem Henriquez refertur eodem lib. de vlt. fine cap. 12. denotaſſe Leſſium, dum poſt reprehenſam Catharini *ſententiam communiter relictam à communi doctrina Doctorũ*, ſubdit, *quidã doctus prædicauit in Academia Louanienſi oppoſitum cum magno ſcandalo Academiæ, & re ad Sixtum V. delata ſuſtinuit atrem reprehenſionem*, quem Henriquez aliàs doctiſsimum virum fuiſse, nec prædictum librum perfunctoriè ſcripſiſse, vt deſpicatur Faſsolus ad p. p. q. 14. art. 13. dub. 17. nu. 284. oſtendit optimè contra eundem Faſſolum idem Macedo pag. 398. ſubiungens in eadem ſententia contra Molinam etiam Bellarminum fuiſse, immo & Vaſquez, vt ex profeſso ibidem demonſtrare proſequitur, concludens pag. 402. ex teſtimonio etiam Turriani, Salazarij, Hurtadi, & Alarconis, Vaſquez diſcipulorum, eiuſdem Vaſqueſij operibus ſuppoſititia quædam folia, fauentia alicubi fundamento Molinæ, à domeſticis adiuncta fuiſse, quæ ſolùm refero ego, aliorumq; iudicio dimitto.

Occurrerent hic pariter multa contra iactarum à Baeza pro Molina, *iudicante Pontifice*, vt ipſe loquitur, ex aduerſo *triumphum*, ac repetitum altiori voce à Diatribarum ſcriptore poſt vetitam ſcriptionem hiſtoricam de Romana cenſura, quam prohibitionem bene ille nouerat, immò referebat Diatriba 8. §. 140. Sed poſsum & ego repetere cum Magiſtro Noris in ſuis vindicijs cap. 6. his verbis, *compendio res ageretur, ſi liceret acta illa Congregationum vel integram Clementis VIII. orationem, quam diſputationibus illis præmiſit, recitare. Sed quando recẽtiori Romano decreto id vetitum eſt cum diſpendio cauſæ, quam defendimus, neceſſariam defenſionem omitto, & quidem plus forte cæteris meliora dicere poſſem, cum legerim omnia manuſcripta Gregorij Coronel Auguſtiniani Luſitani, qui memoratarum Congregationum fuit à ſecretis*. Sic repeto ego, ſic ipſe ſileo, vt pateam prohibitioni prædictæ, & relinquo, qui velit, auditorem adire permiſſa iam publica ſcripta de hoc, quæ omnium teruntur manibus, & publicè proſtant. Extant ſiquidem permiſſa adhuc, non dicam noſtrorum, ſed exterorum ſcripta pro nobis, & extraneorum teſtimonio probata, non verò intraneorum, vti Arubalis manuſcripta citata à Ripalda & Hennao apparere poſſunt. Extat Aluarez adhuc in hiſtoria hæreſis Pelagianæ cap. 33. num. 19. acta originalia commemorans in Archiuo ſupremæ Inquiſitionis ſeruata, neque negata à Sherlogo p. p. ſect. 4. num. 25. Extant Gonzalez ſimul atque Ioannes de S. Thoma ad p. p. diſput. 20. art. 6. cum ſubſcriptione Notarij publici iam ſatis nota teſtimonia afferentes. Extant Religioſiſsimi, ac Sapientiſſimi Patres Salmanticenſes ad p. p. de ſcientia Dei ſubdentes alterius pijſſimi atque doctiſſimi Viri cum iuramento atteſtationem, qui facto interfuit, cum aliàs ex Carena p. 1. titulo 8. §. 10. num. 66. ſolum ab anno 1611. poſt ea tempora exierit Congregationis edictum ad Inquiſitores intimandi

in ſimi-

in ſimilibus rebus cum iuramento ſecretum, & ſaltem poſt abſolutum negotium, latamque ſententiam, cauſæ merita liceat enarrare. Extat hiſtoria Alexandri Zilioli tunc ſcripta notaque ſimul Sherlogo ſect. 6. ab initio. Extant acta Doctoris le Boſu repetitis editionibus aliorum libris inſerta. Extat epiſtola Cardinalis Bellarmini ad Antonium Padillam etiam ab Annaro relata, pag. 57. Extant, quæ ſcribunt ipſi Ripalda diſput. 113. num. 55. & Sherlogus p. p. ſect. 4. num. 17. confitentes actus ipſos nobis fauentis Congregationis 23. Extant verba ipſius Vaſtidæ impreſſa apud eumdem Ripaldam nu. 121. Extat Syluester Petraſancta lib. 3. vitæ Bellarmini cap. vlt. Extant apud Pail Pariſienſem in tomo 2. ſummæ Conciliorum, nuper edito, pag. 606. ſingulæ conſultationes Cenſorum Romanorum concluſæ contra Molinæ aſſertiones, parato ſimul Clemente VIII. decretum edere, niſi fuiſſet morte præuentus, vt narrat idem Pariſienſis, & ſi contrariæ ſcholæ ſectator. Extant tum Romę tum alibi ſinceriora & grauiora rurſus ex integro acta manuſcripta notiſſima Lemos opportuno tempore, ac Deo dante, typis edenda indicata ab eodem non ſemel, & paſſim in quatuor nunc editis tomis. Extant Epiſtolæ Accademiæ Moguntinæ, & Heliopolenſis ad Clementem VIII. impreſſæ apud Paulum Leonardum, ſiue Sherlogum p. p. ſect. 9. indicantes, cui tunc victoria immineret aut clades, vti & Nauaretes in fine tom. 1. tunc temporis ſcribens ideò inquit, ſe retardare *ſecundum tomum, quia interim Deo dante Sanctiſſimus Dominus noſter diſiniet præcipuas veritates, quæ eaſdem materias concernunt,* prę̨ter commendatorias epiſtolas pro Molina impetratas è Sereniſſimo Principe Arciduce Auſtriæ, & Maria Auguſta Matre prædicti, ad eumdem Clementem VIII. non exſcriptas à noſtris, ſed à Sherlogo par. p. ſect. 7. & 8; quibus tandem ſucceſſiſſe concludit Ledeſma in q. vnica de auxilijs pag. 1. *quod Clemens VIII. conceſſit de hac materia diſputare, cum lecta tamen differentia,* (exhibeo tantum ego vel refero vulgata iſta palamque permiſſa aliorum verba, de meo verò nil addo vel ſcribo) *taliter vt illi, qui ſunt ex Ordine Prædicatorum vt veri diſcipuli D. Thomæ, ſuam doctrinam & ſententiam ſequantur & doceant ſine aliqua limitatione, illis verò, qui ſunt ex Societate Ieſu, cum quibus eſt controuerſia, qui Angelici Doctoris doctrinam ſaltem in hac parte non ſequuntur, conceſſit vt iſtam materiam in lucem proferant, taliter quod ſanam & catholicam doctrinam in omnibus doceant, & hoc conſtat ex litteris teſtimonialibus Illuſtriſſimi Cardinalis Madrutij, quas ego vidi.* Hæc ille, non audente negare hoc fragmentum litterarum vel ipſo Sherlogo p. 2. num. 52, conuenientiaque cum verbis iam ſuprà relatis ex Generali Præfecto Societatis. Proinde Grauina tunc temporis, præter alia conſcripta de hoc in continuatione 2. p. tom. 4. pag. 261, etiam in p. p. tom. 3. pag. 269, iactabundo Baezæ de *inuulnerato Molina* reponit cum Auguſtino in Iulianum carmina illa reintorta Poetæ. *Pœnus te hoc vulnere Pœnus immolat &c.* & in hæc verba concludit, [admiranda ſanè prærogatiua Æneæ donis excellentior, dum illi, cum armis fatidicis accinctus eſſet, dictum fuit, ne ſuperbos aut acrem dubitet in prælia poſcere Turnum; huic verò, ſcilicet Molinæ, datum etiam in prælia ne dum poſcere, ſed vincere Pœnum. qualis ſit doctrina Molinæ non eſt noſtrum iudicare; quia verò, quæ continentur in his verbis Baezæ (doctrina Molinæ iudicante Pontifice inuulnerabilis &c.) decreto Summi Pontificis contraire videntur, propterea non eſt ſilendum pro eiuſdē

decreti

decreti defenſione & honore Sedis Apoſtolicæ, & ne incauti hæc legendo in lapidem offenſionis impingant. Sciendum eſt ſub Paulo V. P. R, vbi completæ eſſent diſputationes de auxilijs, eius iuſſu ordinatum eſſe anno 1608. vt Conſultores & diſputatores ad propria poſſent commeare, interim partes nō auderent ſe inuicem cenſurare, ſed definitionem Sedis Apoſtolicæ expectarent. Vbi iudicauit Pontifex invulnerabilem doctrinam Molinæ &c? perindè enim eſt re dicere iam Molinam approbatum, oppoſitam ſententiam non approbatam &c. quam Auguſtini ſibi contrariam Molina ipſe fatebatur. Si ſuſpenſio iudicij vel dilatio promulgationis definitio eſt, aliarum quoque controuerſiarū fidei aſſertores vulnerabiles, vel invulnerabiles dici poſſunt, pro placito aſſerentium, & indè innumera inconuenientia liteſque interminabiles oriri poſſent &c. Melius ergo erat dicere, vt debebatur, nihil adhuc de definitione conſtare, quàm dicere illum ne dum invulneratum ſed invulnerabilem apparuiſse] hucuſque Grauina, poſt quæ Pater Franciſcus Macedo nouiſſimè (qui ſe eiſdem domeſticum profitetur pag. 391.) Collat. 12. difficul. 1. pagina 525. laudans adhuc Societatis obſequium in Auguſtinum, & quoad hoc placitum eamdem excuſans, inquit, *accidit, vt qui tum Conimbricæ degebant ac docebant, Magiſtri, Molinæ & Suarij aſſeclæ eſſe mallent, quamquam multò melius de his rebus Suarius quam Molina ſenſerit, & minus ab Auguſtino receſſerit. Id tamen obſeruandum, tantam fuiſſe erga Auguſtinum Societatis reuerentiam, vt iuſſerit Molinæ concordiam, quæ primis typis Vliſsyponæ cuſa fuerat, recognoſci ab eo, & quæ minus de Auguſtino honorificè ſcripſerat, auferri,* hucuſque iſti,non ego. Contra alios verò pauciſſimos longè diſſimiles, certe extraneos à ſapientiſſimis Societatis Doctoribus, vel contra Spalatenſem, & Arminium hæreticos iam ſuprà relatos pesſumdantes nimis in hac materia Auguſtini doctrinam, concludere licet prolixam hanc noſtram & operoſam diſſertationem,cum Proſpero in carmine aduerſus obtrectatorem Auguſtini dicente.

Vſque adeone bonum ingenium & facundia diues
Oſtentare artem non aliter potuit?
In noua proſtratas acies niſi bella cieret
Impiaque extinctis hoſtibus arma daret.

dum interim, pergit idem in lib. cont. Collat. in fine, *ſufficienter, vt arbitror, demonſtratum eſt, reprehenſores San. Auguſtini & vana obijcere, & recta impugnare, & praua defendere, peremptoriūq; armis inteſtinum bellum mouentes, dictis diuinis atque humanis conſtitutionibus rebellare*, & cap. 19. *reſeratis definitionibus, quas hactenus, quædam prætermittendo, diſcuſsimus, non obſcurum neque ambiguum eſt, quid de gratia Dei ſentiant, qui ſinceriſsimis eius defenſoribus obloquuntur, & pacem victricis Eccleſiæ reſumptis de damnatorum ſchola quæſtiunculis inquietant.*

QVÆSTIO TERTIA.

An his ſtantibus, aut nimium quidam Patres conijciendi ſint in errorem ſeu hæreſim Semipelagianorum, aut quinam eximendi ſeu abſoluendi ab eadem.

VEritas, vt inquit Nouatianus lib. 3. de Trinit. cap. 3. *inter extremos errores media pendet ſicut Chriſtus inter latrones*, & ſicut virtus in medio conſiſtere dicitur, ſic & veritas inuenitur plerumq; inter extremas hinc inde cuſ-

tandas

tandas ſententias, aut rigidas nimis, aut nimis laxas. Rigidas porrò nis in hoc puncto ſententias eas appellamus, quę nimis præcipiti quodam iudicio in Semipelagianorum colluuiem aliquos etiam veteres Patres, ac Sanctos inijciunt, nimis verò laxas, quæ clementer nimis aut prodigè alios antiqua iam Semipelagianiſmi nota ſignatos, ab eadem abſoluere conaræ ſunt. Primas igitur primo loco afferemus, ſecundo loco ſecundas, tertio loco iudicium inter vtraſque ſubdemus, & demum hæſitandi obiectionibus occurremus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Producuntur cum ſuis fundamentis rigidæ nimis ſententiæ, immeritò aliquos deijcientes in Semipelagianorum errorem, Auguſtino fideique contrarium.

VIdentur enim quibuſdam ex vna parte extrema nimis accuſantibus Patres hi ſinguli ſubſequentes Patres conijciendi in errorem, aut hæreſim Semipelagianorum, ab Auguſtino & deindè ab Eccleſia proſcriptam. Nempè primo loco Ianſenio libr. 7. hæreſis Pelagianæ cap. 4. & ante ipſum Molinæ in Concordia diſput. 41. Vaſqueſio p.p. diſpur. 89. cap. 5. & diſput. 91. cap. 8, viſi ſunt, præter Origenem, quem Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem *Pelagiani erroris principem* appellabat, certòque omnes ſupponunt, in hanc foueam detrudendi Hieronymus, & Ambroſius inter Latinos, ex Græcis Chryſoſtomus, Theophilactus, Oecumenius, Clemens Alexandrinus, Damaſcenus, & alij; tum quia, inquiunt, ea enunciatio, *quod credimus, vel incipimus, noſtrum eſt, quod autem bonum operemur, Dei eſt*, vt Semipelagiana reprobatur ab Auguſtino lib. 1. retract. cap. 23. & in Arauſicano 2. damnatur, hanc autem repetit non ſemel Hieronymus lib. 3. dialogi cont. Pelagium coll. 880 inter alia videnda etiam col. 880, inquit, *noſtrum eſt rogare, Dei tribuere quod rogatur, noſtrum incipere, illius perficere, noſtrum offerre quod poſſumus, illius implere quod non poſſumus*, Hieronymus igitur in errore Semipelagianorum fuit, tum quia Ambroſius, vt ſupponitur auctor, in commentarijs Epiſtolarum Pauli ad Romanos cap. 6. habet, *per naturam inducti ſumus ad fidem, non per legem*, infrà, *vident naturæ ſuæ eſſe quod credunt*, in epiſtolam ad Philippenſes cap. 2. *noſtrum eſt velle, perficere verò Dei*, in caput primum iterum ad Rom. *illum Deus iuuat, quem videt tota virtute contendere*, in primam ad Timoth. 2. *vult Deus omnes homines ſaluos fieri, ſed accedant ad eum*; tum quia Chryſoſtomus (cuius & Caſſianus poſteà Semipelagianorum coryphæus anteà diſcipulus fuerat) homil. 27. in Gen. ait, *vbi Deus viderit voluntatis noſtræ firmum propoſitum, non tardat*, ſcilicet per gratiam, homil. 42. *niſi Abraham primum & ipſe, quod ſuum erat, feciſſet, non tantam à Domino gratiam obtinuiſſet*, homil. 17. in Ioannem, *cum nos prompto, paratoque animo ad ſuſcipiendam gratiam nos exhibemus, tunc multas Deus offert nobis ſalutis occaſiones*, hom. 12. in epiſtolam ad Hebræos, *non antecedit gratia noſtras voluntates, ne lædatur arbitrium, cum autem nos elegerimus, multam tunc nobis offert auxiliationem*, tum quia demum præcitati mox ante cæteri Patres Græci eiſdem non ſemel phraſibus vſi ſunt, quod *noſtri ſit velle, Dei perficere*, ſicuti eiſdem etiam vſos eſſe recenſet latè Theophylus Raynaudus in Apologia pro Valeriano cap. 9. Hilarium in Pſal. 118. & cap. 6. in Matth. Macharium Ægyptium homil. 37. Optatum Mileuitanum libr. 2. aduerſus

Par-

Parmenia. Cyrillum Hieroſolymitanum cathechiſi 1, Baſilium in cap. 6. Iſaiæ, Nicenum libello de ſcopo Chriſtiani, Nazianzenum orat. 31, Iſidorum Peluſiotam lib. 4. epiſt. 171. Hilarium Diaconum in epiſtolam ad Phil. 2, Eucherium Lugdunenſem hom. 1. de Paſchate, & hom. 9, & hom. 3. ad Monachos, Dorothæum doctrina 10. num. 2. & doct. 14. nu. 13. Gregorium ipſum Pontificem epiſt. 6. ad Bonifacium, Idelphonſum ſer. 1. de aſſumptione, Bedam q. 13. ex varijs, Damaſcenum orat. 3. de Imaginibus, Marcum Heremitam tract. de Paradiſo interrogat. vlt. Strabum Fuldenſem gloſ. ordinaria in cap. 3. Ezech. Philothæum Conſtantinopolitanum orat. in 3. ieiuniorum dominicam de Crucis adoratione, Ioannem Ziphilinum Patriarcham pariter Conſtantinopolitanum orat. de eodem argumento, D. Bernardum ipſum lib. de interiori domo cap. 68, Vgonem Victorinum lib. de Spiritu & anima cap. 48. Rabanum lib. 4. de Vniuerſo cap. 10, Rupertum libr. in Ioſuè cap. 10, Laurentium Iuſtinianum libro de Contemptu Mundi cap. 8. & alios, quorum ibi Theophylus ſimilia dicta recenſet, quod *nimirum noſtrum eſt velle, Dei perficere* & huiuſmodi, præter Seuerum Sulpitium D. Paulino amiciſſimum, quem Gennadius lib. de viris illuſtribus, inquit, *in ſenectute fuiſse deceptum à Pelagianis, licet poſteà etiam reſipuerit*, vt obſeruat Baronius ad annum 431. num. 189. & approbant Suarez proleg. 5. cap. 6. & Gonet diſput. 2. de hæreſi Semipelagiana ar. 5. §. 5. tam etſi Guibertus Abbas in Compendio Apologiæ pro eodem Seuero dixiſſet, *nunquam niſi in Gennadio* (qui Semipelagianus fuit) *legi Seuerum à Pelagianis ſeductum, qui neſcio vtrum hoc ipſe alicubi legerit, an ex ſola fama, quæ facta infectaque docet, didicerit*.

Secundo loco viſus eſt Vincentius Lirinenſis conijciendus in eamdem foueam Semipelagianorum, tum ipſi Danæo hæretico p. 3. cap. 2. pag. 223. tum Blondello de primatu Eccleſiæ ſect. 6. pag. 51. & alijs Proteſtantibus, tum ipſi Henrico Noris lib. 2. hiſt. Pelagianæ cap. 11. relatis ad hoc præter Suarez, Vaſquez, ac Louanienſes aientes ſolùm de Lirinenſi ab aliquibus dubitatum, relatis, inquam, vlterius Voſſio hæretico lib. 1. hiſtoriæ Pelagianæ cap. 9. & Claudio Faiſten Pariſienſi in Accademia Scotica titulo 2. diſput. 3. art. 48. ſect. 1. q. 1. p. 2. pag. 421. & Chriſtiano Lupo p. 4. notarum in Concilia pag. 754. probatque Noris, tum quia capitale fuit Maſſilienſium ſeù Semipelagianorum dogma, gratiam Dei generalem omnibus eſſe (ex Caſſiano 12. inſtitutionum cap. 14. & Fauſto lib. 2. cap. 10.) *ſpecialem* verò ſeù *perſonalem* gratiam abhorrebant, ex Fauſto lib. 1. cap. 6. & apud Maxentium in reſponſ. ad epiſtolam Hormiſdæ, quod tamen *donum ſpeciale & perſonale* poſteà iuxtà Auguſtini doctrinam definiuit Arauſicanum ſecundum Cano. 6. At Lirinenſis in commonitorio (ſcripto anno 434, ex eiuſdem cap. 42. & perconſequens longè ante hanc Synodum, valens ſaltem materialiter aberrare) in cap. 37. manifeſtè inuehitur pariter in gratiam *ſpecialem ſeu perſonalem, audent enim*, inquit, *polliceri & docere, quod in Eccleſia ſua, ideſt in communionis ſuæ Conuenticulo magna & ſpecialis ac planè perſonalis quædam ſit gratia Dei &c.* ex hoc eos appellans *hæreticos, incautos, homines his promiſſionibus miro modo decipientes*; igitur iam Lirinenſis cum Fauſto ſuo Abbate, pariter Semipelagiano, aduerſus Auguſtinianam doctrinam apertiſsimè conſpirabat, tum quia Auguſtini doctrina carebat, quam tunc temporis eiuſdem æmuli nouitatis nota carpebant, aduer-

ſus anteriorum Patrum Eccleſiæ explicationem, vt planè ſcribant Hilarius & Proſper in epiſtolis ad Auguſtinum, & ipſemet Auguſtinus occurrit lib. 1. de prædeſt. Sanctorum cap. 14. & de dono perſeuerantiæ cap. 19. legendus: ſed Lirinenſis integro eo libro hoc vnum capitaliter crimen exagitat inſcripto etiam libro *aduerſus profanas vocum nouitates*, vt videtur agnouiſſe & refelliſſe Proſper (addo ego) in lib. ad obiectiones Vincentianas in præfatione dicens, *euidenter agnoſcant impiarum profanarumq; opinionum nullum cordibus noſtris inhæſiſſe veſtigium*, igitur Lirinenſis hoc libro pro Semipelagianis Auguſtini doctrinam ſub nouitatis titulo impetebat: Tum quia ſicuti Semipelagiani Cæleſtini epiſtolam editam in approbationem librorum Auguſtini præpoſterè interpretabantur, de approbatione anteriorum librorum Auguſtini contra Pelagianos, non poſteriorum aduerſus Semipelagianos, vt refert Proſper cont. Collat. in fine, ità & Lirinenſis, etſi primò laudet eamdem Cæleſtini epiſtolam cap. 43. veluti contra Pelagium, quem & ipſe condemnat, ne tamen aduerſus Semipelagianos à Proſpero adhiberetur, quoad hoc eamdem in Proſperum cæteroſque Auguſtini ſequaces intorquere ſubdola interpretatione viſus eſt, nempè quod dum Cæleſtinus reprehendit *nouas* pro libertate *doctrinas tradentes*, intellexerit potius de Auguſtini ſequacibus, qui ex modo dictis *nouitatis* titulo notabantur, magis quam de Semipelagianis æmulis eorumdē, vndè ſubdit Lirinenſis; *hic aliquis fortaſsè adubitet, qui nam ſint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate ſermonem, vetuſtatis prædicatores, an nouitatis inuentores. Ipſe dicat, dubitationem legentium ipſe diſſoluat. ſequitur enim. Deſinat, ſi ita eſt, id eſt ſi ita eſt, vt apud me quidam vrbes & Prouincias veſtras criminantur, quod eas quibuſdam nouitatibus conſentire noxia ſimulatione faciatis. Deſinat, inquit, incesſere nouitas vetuſtatem*; En nedum intorta reflexio epiſtolæ Cæleſtini de Semipelagianis in Auguſtinianos æmulos eorumdem, verum & iſtos à Lirinenſi ſub illo nomine indefinito *quidam* deſpectos, vbi à Cæleſtino nominatim Hilarius, & Proſper deſignati erāt, vlterius velut, *criminatores* traductos.) *Criminantur enim*, inquit, & nedum *ſollicitos circa Deum noſtrum cum laude relatores*, vt Cæleſtinus aiebat, & non ſolum *tantum neſcio quorumdam præsbyterorum*, vt ſcripſerat Cæleſtinus, verum *& Vrbium & Prouinciarum*. quid clarius? igitur Lirinenſis omninò aduerſus Auguſtini ſequaces pro Semipelagianis eo libro æſtuabat; tùm quia aliter, inquit Noris cum Voſſio, cur Vincentius Lirinenſis intrà vnum aut alterū verſum reponit (*ſi ita res eſt*) repetens enim illius verba, *deſinat*, inquit, *ſi ita res eſt, id eſt ſi ita eſt, vt apud me quidam vrbes & Prouincias veſtras criminantur &c. deſinat itaque ſi ita res eſt &c.* Vrgendo toties illud *ſi ita eſt*, falſam ſe denotare ſignificat Proſperi, & Hilarij delationem, ſeù Pontificem ſub conditione dumtaxat, ex ſuppoſito eiuſdem delationis, illas litteras tranſmiſiſſe. Ergo, concludit Vincentius, ſuiſmet veluti armis reiecto Proſpero, *ergo hæc fuit B. Cæleſtini ſententia, non vt vetuſtas ceſſaret obruere nouitatem*, ſcilicet nouam Auguſtinianorum opinionem, *ſed potius nouitas deſineret inceſſere vetuſtatem*, nempè Auguſtinianorum opinio deſineret inſectari Semipelagianos profitentes ſe veterum Patrum imitari doctrinam de præſcientia &c. vt in epiſtolis Hilarij, & Proſperi recitatur; tum quia demum aliquis etiam Vincentius Semipelagianus auctor *obiectionum Vincentianarum*, quibus Proſper integro libro reſpondit, aſſignandus eſt, vel ergo iſte Lirinenſis, vel

alter

alter ille à Baronio aſſignatus ad diem 24. Maij ſcribente, *eodem ſæculo alterum Vincentium claruiſſe in Gallia, de quo Gennadius ſcribit eodem lib. cap.* 80, *cui potius illud opus obiectionum tribuendum putares.* At de iſto ſecundo, ſubſumit Noris, non video quo iure id in ipſum deuolui poſsit, de quo nulla ſuſpicio, nec vmbra Semipelagianiſmi nobis conſtat, nam illius interpretationes in Pſalmos interiere, cum de Vincentio vulgò Lirinenſi tanta, non dicam præſumptio ſit, ſed euidentia, vt probatum eſt; Præterea Vincentius ille, de quo Gennadius, iunior eſt, conuixit enim eidem Gennadio, quem ſe etiam audiuiſſe teſtatur, floruit verò Gennadius 60. & amplius annis poſt Semipelagianorum tumultus circa annum 426. excitatos. Tradit ibidem Gennadius ſe præſente Vincentium iſtum ſecundum legiſſe expoſitiones memoratis, *Sancto homini Dei Cannato*, at hic ſucceſſit Græco Epiſcopo Maſſilienſi anno circiter 480. ex tabulis Sammarthanis, vt planè iſte ſecundus Vincentius auctor prædictarum obiectionum, quibus Proſper reſpondit, nequeat auctor exiſtimari. Remanet igitur primus ille Vincentius Lirinenſis (concludit Noris) Semipelagianorum perconſequens ſectator aut fautor, vti & Vaſquez p. 1. diſput. 91. cap. 8. n. 43. aiebat, *horum Maßilienſium dux fuit Caſsianus, quem ſequuti ſunt per Galliam Epiſcopi ferè omnes ſuæ ætatis*, nec conſequenter iſta ſententia excedens adeò à quibuſdam iudicari debet.

Tertio loco videtur eidem Semipelagianorum gregi aggregandus & D. *Hilarius* Arelatenſis, tum ipſi Gabrieli de Hennao pro ſcientia media ſect. 28. num. 184. tum Sirmundo in notis ad epiſtolam Cæleſtini, tum Gilberto Maguino p. 2. confutationis fabulæ prædeſtinia. cap. 11. & pag. 650. tùm in ſcriptoribus Sammarthanis tom. 1. Galliæ Chriſtianæ pag. 36. tum Voſſio hæretico, & Vſſero lib. de antiquitate Eccleſiæ Britannicæ cap. 11. pag. 34. & Ianſenio lib. 8. de hæreſi Pelagiana cap. 4. tum denuò Henrico Noris lib. 2. hiſtoriæ cap. 2. ſimul referenti Lucam Holſtenium in notis ad Martyrologium Romanum pag. 67, & Theophylum Raynaudum in Apologia pro Valeriano cap. 4. num. 2. & probat Noris cum eiſdem his argumentis, quia diſertis verbis in epiſtola ad Auguſtinum Proſper de *de obſcuratis caligine opinionis* Maſſilienſium loquens, *vnum eorum*, inquit, *præcipuæ auctoritatis & ſpiritualium ſtudiorum virum ſanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum ſciat Beatitudo tua admiratorem ſectatoremque in alijs omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de hoc, quod in querelam trahit, iam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per litteras velle conferre. Sed vtrum hoc facturus aut quo fine facturus ſit, incertum eſt*, ſed hoc eſt inter Semipelagianos Hilarium etiam Epiſcopum Arelatenſem extitiſſe, vt ſcilicet *vnum eorum*, & qui Auguſtini placitum *hoc in quæſtionem traheret*, & de cuius *fine*, ſi de hoc ad Auguſtinum ſcriberet, *incertum erat*; igitur verè hic Hilarius Epiſcopus Arelatenſis cum Caſsiano in iſta quæſtione contra Auguſtinum conſpirauit, & ne quidam effugere meditetur aiendo, vtique hunc Hilarium Epiſcopum Arelatenſem ſpeculatiue dubitaſſe primitus, dum Auguſtini doctrinam non intelligeret, numquam tamen aſſenſum Semipelagianis præbuiſſe, vt colligi apertè videtur ex epiſtola Hilarij pariter Arelatenſis ad eumdem Auguſtinum ſe ab hac ſuſpicione purgantis, his verbis, *nolo autem ſanctitas tua ſic me arbitretur hæc ſcribere, quaſi de his, quæ nunc edidiſti, ego dubitem &c. Cæterum hac ſuſpicione minime careo, vt potius infirmitatem meam, qua tales,* ſcilicet Se-

mipelagianos, *parum patientèr fero, notabilem putem*, ne, inquam, ſic effugiatur (vti ego iam dudum in meis manuſcriptis Mediolani dictatis appoſitè occurrebam) reponit Noris & probare ſubſumit, cum Theophylo & alijs Hilariũ iſtum ſecundum ſcriptorem iſtius epiſtolæ ad Auguſtinum longè diuerſum fuiſse ab illo priori Hilario præmemorato Epiſcopo Arelatenſi, vt præmonuerat etiam Bellarminus in Cathalogo ſcriptorum verbo *Hilarius*, & probant, tum quia (vt loquitur Noris) Hilarius Arelatenſis numquam vixit in Affrica, ſed iuvenis Arelate à S. Honorato Abbate ad meliorem frugem reuocatus fuit; alter autem teſtatur ſe in Affrica fuiſſe Auguſtini diſcipulum illis verbis, *ſufficit mihi pœna mea, qua à præſentia tua delitijs exulatus, vbi ſalubribus tuis vberibus nutriebar, abſentia tua crucior &c*, tum quia Hilarius, qui ad Auguſtinum ſcribit, Proſperum rogauit, vt longioribus litteris Semipelagianorum querelas ad Auguſtinum deferret, *egi*, inquit, *cum viro tum moribus, tum eloquio & ſtudio claro, vt quanta poſſet collecta ſuis litteris intimaret, quas coniunctas his deſtinare curaui*, de Epiſcopo verò Arelatenſi ait Proſper, *iam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per litteras velle conferre, ſed quia vtrum hoc facturus, aut quo fine ſit facturus, incertum eſt &c.* quæ de Hilario in defendendo Auguſtino collega, cuius inſtantia litteras exaratas vna cum illius epiſtola in Affricam deferendas ſciebar, nullo pacto intelligi poſſunt; tum quia, cum Honoratus ingreſſus fuerit Epiſcopatum Arelatenſem exeunte anno 425. in occiſi Patrocli locum, ex Proſpero in Chronico, & obierit *emenſo biennio*, vt loquitur poſterior Honoratus Epiſcopus Maſſilienſis in vita Hilarij, conſequenter iſte Hilarius Arelatenſis ſucceſſor eiuſdem iam fuerat Epiſcopus Arelatenſis ab anno 429, vti & Conſtantius lib. 1. cap. 23. inquit, *illuſtrabatur eo tempore Ciuitas Hilario Sacerdote multimoda virtute pretioſo*, & ſaltem anno 430. Epiſcopus Arelatenſis Hilarius erat. At id temporis alter Hilarius, qui auctor eſt epiſtolæ ad Auguſtinum, erat laicus, inquit Noris, vt patet ex litteris Cæleſtini ad Epiſcopos Galliæ longè poſterioribus adhuc poſtponentibus Hilarium Proſpero, & ex reſponſione Auguſtini (addo ego) in lib. de Prædeſt. ſanctorum ab initio non ſolum ſic poſtponentis, verum etiam vtrũque appellantis *filios* non *fratres*, vti Coepiſcopos, vel Coepiſcopum appellauiſſet, & rurſus conſtat ex eo quod hic auctor epiſtolæ ad Auguſtinum, nomine Hilarius, non modo ſe ipſum laicum atteſtatur, ſed etiam alterum illum Hilarium Epiſcopum hiſce deſcribit eadem epiſtola ad Auguſtinum, *ſunt ex parte tales perſonæ, vt his conſuetudine Eccleſiaſtica laicos ſummam reuerentiam neceſſe ſit exhibere, quod quidem ita curauimus Deo iuuante ſeruare, vt cum opus fuit non taceremus*; non igitur ſcriptor epiſtolæ ad Auguſtinum, Hilarius nomine, idẽ fuit cum altero Hilario, quem tunc anno 430. Proſper in epiſtola *Epiſcopum Arelatenſem* nuncupabat: tum quia tandem, vt addit Theophylus, Hilarius Epiſcopus Arelatenſis vir fuit doctiſſimus, vt inquit Ado Viennenſis in Martyrologio die 5. Maij, *Hilarium ſcilicet fuiſſe magnum doctorem & præclariſſimum virum, & ſcripſiſſe varia opera ingenio immortali ad multorum vtilitatem*, vt ferè habet & Gennadius in lib. de viris illuſtribus, & ſuperſtites aliquæ lucubrationes Hilarij eum produnt eloquentiſſimum, adeout apud Honoratum in eius vita cap. 6. quidam Liuius tunc temporis inſignis Poeta dixerit, *ſi Auguſtinus poſt Hilarium fuiſſet iudicaretur inferior*, & fragmentum expoſitionis eiuſdem in

Geneſim

Digitized by Google

Geneſim ad Leonem refertur tom. 5. Bibliothecæ par. 2. & eiuſdem ſuſpicatur Bellarminus verbo *Proſper*, eſſe poema de prouidentia attributum Proſpero. At ex oppoſito Hilarius, ſcribens ad Auguſtinum, haudquaquam ſe ſtylo ſimilem prædicto exhibet in epiſtola, in cuius etiam calce ſuam tenuitatem fatetur, eſseque coactum rogare Proſperum, vt ſcriberet; non igitur iſte fuit idem cum illo; & ex iſta indiſtinctione duplicis Hilarij deceptus videtur Baronius ad annum 426. dicens, ea verba in epiſtola Proſperi, *Epiſcopum Arelatenſem*, è margine, cui appoſita fuerant ab aliquo, poſtea in textum imperitorum incuria irrepſiſse, immo perſtat cõſequenter non obſtante præallata proteſtatione epiſtolæ huius Hilarij, vere alterum illum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum in Semipelagianorum dogmate permanſiſſe, cum præſertim & nos mox infrà dicturi ſimus, non repugnaſſe hanc materialem hæreſim ſanctitati dictorum Epiſcoporum, qui ante Arauſicanam Synodum ſic in Gallia decepti in hoc dogmate ab Auguſtini doctrina aberrauerunt.

ARTICVLVS II.

Proferuntur ex aduerſo aliæ nimis laxæ ſententiæ, plerosque etiam Semipelagianos ab erroris nota eximentes cum argumentis earundem.

IN oppoſitum tamen ex alia parte extrema non deſunt, qui, ne dum prædictos Patres, verum etiam præcipuos, (vti mox refero, & refert quoque Lemos tom. 1. diffuſe tract. 5. à cap. 4.) Semipelagianorum auctores non ſolum ab hæreſi formali, verum etiam ab errore eximere conati ſunt. Et primo loco quidem Caſſiani doctrinam etiam in collat. 13. erroneam, ne dum ipſam perſonam, abſoluere ſeu vindicare ſtuduerunt, tum Henricus Cuichius Epiſcopus Rurimondenſis in adnotationibus in Caſſianum, tum Petrus Cyaconius Toletanus obſeruationibus in eumdem, tum Stephanus Tuccius in notis ad Caſſianum, vt olim idem Lemos in diſputatione Romana de auxilijs opponebat, (& tom. 1. p. 2. pag. 125. notat hunc fuiſse inter ſex illos, qui libellum Rationis Studiorum compoſuerunt anno 1564 valde Molinæ fauentem) tum Ioannes Baptiſta Gueſnai in *Caſsiano illuſtrato*, tum Ioannes Mariana lib. de morte & immortalitate cap. 6. præter Gregorium Martinez p. 2. q. 109. ar. 6. dub. 3. ad 1. & Curielem ibidem aientes ſolum, *immeritò notari tanto errore, ſcilicet hæreſi Pelagij*, non inquiunt, *hæreſi Semipelagiana*. Probant verò illi, quia etiam dicta Caſsiani in collat. 13. explicari poſsunt de opere bono naturali tamquam diſpoſitione, non proxima, ſed purè remota ad gratiam, attentis præſertim alijs locis, in quibus Caſſianus catholicè omninò de gratia locutus eſt, vt ipſi loca ſubſignant, & afferunt. Sed in hoc ſenſu ea dicta, adhuc poſt Concilium Arauſicanum, hæretica non ſunt, aliter cum ferè ab omnibus antiquis ſcholaſticis diſpoſitio naturæ ſaltem remota ad gratiam conceſſa ſit, etiam à S. Thoma in 2. diſt. 28. q. 1. ar. 4. & alijs paſſim antiquis, inde fieret omnes tunc ſcholaſticos Doctores in Eccleſia hæreſim docuiſſe, vt de facto imponunt eiſdem Lutherus & Caluinus, ille articulo 36. apud Roffenſem, iſte libr. 2. inſtitutionum cap. 3. quod abſurdiſſimum eſt; iam igitur in hoc ſenſu, verè & fideliter ex Caſſiani verbis deriuato, Caſſiani doctrina per integrum ab omni errore immunis erit; tum quia ſi in collationibus

bus

bus Caſſiani illi errores contenti eſſent, imprudenter legi conſulerentur, immò nec permitterentur, ſed non permittuntur tantum verum & legi commendantur, vt affert Cuichius, ſcilicet regula D. Benedicti cap. 24. & 73. earumdem lectionem commendat Photius etiam in Bibliotheca codice 197, Concilium Moguntinum apud Burcardum lib. 8. cap. 77. Concilium ſecundum Cabilonenſe apud Iuonem p. 7. cap. 95. D. noſter Patriarcha Dominicus apud Surium die 5. Auguſti, Vincentius Beluacenſis lib. 20. hiſtorialis §. 18. D. Antoninus lib. 2. hiſtoriæ titulo 10. S. Thom. Aquinas apud Surium die 7. Martij, & alij, ergo ſignum eſt in Caſſiani collationibus eos Semipelagianorum errores non fuiſſe, adeòut Mariana concludat, *video, quæ à Caſsiano dicta ſunt omnia de gratia certè & libero arb. à viris eruditis noſtra ætate defendi quaſi pietati conſona neque deflexa à fidei regula.*

Secundò adminus eiuſdem Caſſiani perſonam, vel ab omni errore, vel à perſiſtentia in errore liberant omninò, & mox præcitatus Guesnai, & Alardus Gazæus commentarijs in Caſſianum, & alij, & probant, tum quia in ipſa collat. 13. (quæ præ cæteris labi ſubijcitur) non profitetur ipſe Caſsianus ſe ferre ſententiam ſuam, ſed inducere ſolum Abbatis Cheremonis ſermonem, ex hoc autem non poſſe ei illa dicta attribui profeſſus eſt idem Caſſianus poſteà in Collat. 20. cap. 10. dicens, *a Lectore hoc primum depoſco, vt ſiue hoc ei placeat, ſiue diſpliceat, me quoquo modo à calumnia alienum eſſe concedens, in ſuo hoc facto aut laudet, aut reprehendat auctorem. Ego autem, qui non meam ſuper hac re ſententiam prompſi &c. æquum eſt eorum, qui id improbant, non pulſer inuidia*; ab eis igitur adhuc erroneis dictis Collat. 13. ipſe Caſſianus liberari debet; tum quia Caſſianus adeo vir prudens ac litteratus erat, vt non ſit veriſimile ipſum ſibimet paſſim in materia de gratia contradicere voluiſſe. Sed ſi in Collat. 13. in propria etiam ſententia loquutus eſſet, iam ſibi ipſi alibi paſsim contradiceret, nempè præſertim Collat. 3. cap. 10. dum attribuit, *omne initium gratiæ*, & iterum cap. 12. in perſona Paphnutij, & Collat. 5. c. 5. ſub nomine Abbatis Danielis, & collat. 7. cap. 20. in perſona Syreni, non igitur ea dicta collat. 13. in eius propria ſententia accipienda ſunt; tum quia, vt ante Guesnai & Cuichius afferebat, idem Caſsianus ſcribens iuſſu Leonis Pontificis lib. de Incarnat. contra Neſtorium, in his aduerſus quemdam Pelagianum Antiochenum Epiſcopum etiam diſputat, & lib. 7. cap. 21. vocat eum, *Pelagianæ hereſeos ſpinoſam ſobolem idem oſtendentem in germine, quod Pater habuit in radice*, vti & alibi, referente Guesnai, appellauit, *in Pelagianis cineribus ignes quærentem*, in quo videtur aliquem Semipelagianum denotare, ac reprehendere, iuxtà Proſperi phraſim, & conſequenter à Semipelagianis receſsit, ſicuti & Leporium Pelagianum à ſe correctum & emendatum teſtatur idem Caſsianus eodem lib. de Incarnat. cap. 4. & conſentit Gennadius de viris illuſtribus cap. 46, tum quia addit Guesnai, Leo (poſteà Pontifex) tunc Archidiaconus miſſus à Sixto Pontifice in Gallias pro componendis litibus feruentibus inter Bonifacium & Aetium, appulit prius Maſsiliam, ibique dum apud ſe Proſperum haberet, adueniente Caſsiano ſalutaturo Leonem bene notum atq; propenſum, idem Leo peregit, vt Caſsianus cum Proſpero conciliaretur, indeque ſimul aduerſus Semipelagianos poſteà ſociato fœdere pugnauerunt, à quibus Semipelagianis tradita etiam in collat. 13. explicatio, ſingulari longè

diſcri-

diſcrimine, diſtincta erat, omiſsis laudibus tum ſapientiæ, tum etiam ſanctitatis Caſſiano attributis à diuerſis doctoribus, quos idem Cuichius ad hoc idem inſtitutum latiſſimo calamo conglobauit; Vndequaque igitur adminus Caſſiani perſona abſoluenda eſt.

Tertio loco non minus pro Fauſto laboratum eſt à quibuſdam putantibus in ſuis ſcriptis nil contra doctrinam Auguſtini, ſed ſolum aduerſus extremam Prædeſtinianorum hæreſim, loquutum eſſe, vt inter cæteros ſic eius doctrinam ſimul ac perſonam protexerunt Driedo de captiuitate tract. 4. cap. 2. p. 4. Syrmundus in hiſtoria prædeſtiniana cap. 3. Ludouicus Celotius lib. 2. hiſtoriæ Gonteſcalchi cap. 4. §. vnico, & cum Ioanne Euſebio nuper Bail Pariſienſis tom. 2. Conciliorum pag. 162. id ſuadere nitentes, tum quia eatenus Fauſti libri malè nunc apud Catholicos habentur, tamquam continentes errores, quatenus præſertim Ioannes Maxentius in Oriente eos velut erroneos in *reſponſione* ad epiſtolam Hormiſdæ iam diù pluribus oſtendebat, & Synodus Patrum Affricanorum in Sardinia eos pariter, vt hæreticos, condemnauit. Sed, inquit Syrmundus, *quis Maxentij in Fauſtum obiectiones fallaces, & minimè ſinceras multorum iudicio eſſe habitas neſcit? ab Affris autem illis difficile non erat id ſperare, apud quos nata, vt dictum eſt, prædeſtinianorum hæreſis, vt multorum adhuc mentibus hærebat*, igitur hoc non obſtante non ſunt habendi vt erronei, tum quia adminus negari non poteſt & dicta Fauſti, ſicut & Chryſoſtomi & aliorum piorum Patrum, in bonum ſenſum aduerſus Prædeſtinianos negantes *libertatem*, reuocari poſſe; ergo, ſi quis prauum eis ſenſum aduerſus gratiam imponat, reſponderi poterit illo ſolemni eiuſdem Fauſti dicto, inquit Syrmundus, *non ita eſt*; tum quia eatenus libri Fauſti repudiandi forent atque cauendi, quatenus à Gelaſio in cap. *Sancta Romana* inter apocryphos reiecti & ab Hormiſda deinde Pontifice epiſtola ad Poſſeſſorem non approbati. Sed ex primo ſolum ſequitur libros Fauſti eſse inter *incertos*, vt quandoque vox græca, *apocryhpus*, ſignificat, & de pluribus alijs ibidem, inter *apocryphos*, libris hic ſenſus habetur, qui tamen adhuc vulgo leguntur, vt Origenis, Clementis, Lactantij, Arnobij, & huiuſmodi, & quoad ſecundum hanc pariter ſolam in libris Fauſti incertitudinem adeſſe Hormiſdas ſignificauit, dicens, non poſſe Fauſtum *religioſis præiudicium comparare*, ideſt non eſſe primæ auctoritatis inter Eccleſiæ Patres, non igitur inde adhuc ſic repudiandos eſse probatur; tum quia Fauſtus magna cum reuerentia ſæpè Auguſtinum *Beatiſsimum* nuncupat, vt lib. 1. cap. 6. & libr. 2. cap. 7. & ſolum præcipuè intendebat quemdam Lucidum ab hæreſi Prædeſtiniana reuocare, vti & fecit, comprobata ad hoc Fauſti epiſtola, & retractatione eiuſdem Lucidi, in Synodo Arelatenſi, vt refert Baronius ad annum 490. & indè eiuſdem Fauſti libros valde commendauit tunc temporis Sydonius lib. 9. epiſtola 9. ad eumdem præſertim, cum etiam appellans *Virum doctrinæ sal... is, ac ſingularis*, vti & Ruricius vocat *doctorem eximium, Paſtorem egregium*, & demum dato aliquando ante ſuos ſcriptos libros in errore fuiſſe, tandem adminus emendatum poſtea rectè ſenſiſse, tradunt Trithemius de Scriptoribus ad annum 496. & ex eo Ludouicus ab Angelis lib. 5. de vita Auguſtini cap. 15. & Theophylus Rainaud. tom. 11. *in cenſura inofficioſæ cenſuræ num.* 14. cum Simone Bartello Apologia pro Fauſto; præter quamplura ſpectantia ad eius etiam ſanctitatis laudem adunata,

ab

ab alijs forſan infra ſubdenda &c.

Quartò loco, & alij Gennadio patrocinati ſunt, ſcilicet Platina in vita Clymaci vocans eum *diligentem Auguſtini imitatorem*, & præter alios, Suarez prol. 5. de grat. cap. 5. num. 36. dicens, *fieri potuiße, vt ea, quæ pro Caſsiano & Fauſto ſcripſit, non per errorem doctrinæ, ſed per ignorantiam facti dixerit*, ſeù, vt inquit Annatus lib. 7. ſui Auguſtini cap. 2. §. 1. *non excuſo, nec probo, quod de Gennadio dicitur animi propenſionem habuiſſe nimiam erga defenſores Semipelagianiſmi &c.* quę defenſio roborari poteſt, quia ſine dubio Gennadij eſt liber de Eccleſiaſticis dogmatibus, quem toties in auctoritatem adducunt & S. Thom. & Magiſter ſentent. in 2. diſt. 8. & alij paſſim Theologi, immò & Noris hic ſatis liberalis in æmulum Auguſtini hunc librum, aduerſus etiam iudicium Eccleſiæ Lugdunenſis, à Semipelagianiſmo defendit, cum Voſsio lib. 2. ſuæ hiſtoriæ cap. 16. & cum Theophilo Rainaudo tom. 11. pro libro Fulgentij num. 14. pag. 142. ſed profectò Theologi non adduxiſſent toties auctoritates eiuſdem, ſi Gennadius inter Semipelagianos apertè fuiſſet, nec igitur iſte inter eos fuit; tū quia hic Gennadius in cathalogo virorū illuſtrium in fine recenſet *Seuerum Sulpitium in ſenectute fuiſſe à Pelagianis deceptum, poſteà vero reſipuiſſe, & pænitentiam vſque ad mortem egiſſe*; hæc autem non libenter ſcripſiſſet, ſi inter Pelagij reliquias & ipſe perſtitiſſet, vt diſcurrit Suarez. Tùm quia tandem in eodem lib. cap. vlt. de ſeipſo commemorat inter alia ſcripſiſſe lib. quemdam de ſua vita ad Gelaſium Pontificem tunc regnantem, ex quo coniectat Baronius & approbat Bail vbi ſupra, adminus tandem & Gennadium reſsipuiſſe, & Epiſcopum Maſsilienſem euaſiſſe, vt Adrianus Papa in Epiſtola ad Carolum Magnum eius dictum ex lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus ſub nomine *Sancti Gennadij Epiſcopi Maſsilienſis* allegat, & iſte igitur à grege illo Semipelagianorum ſubtrahendus venit.

Poſtremo loco Patri Franciſco Macedo cum quibuſdam alijs de recenti diſplicuit Vincentium Lirinenſem, & Hilariū Arelatenſem ab Henrico Noris fuiſſe in turbam Semipelagianorum iniectos, quia, vt præcipuè vel præ alijs firma apud ſe probatione Macedo ipſe diſcurtit, ſicut Pelagianis ſucceſſere Semipelagiani, ita & Arianis Semiariani. Sed ſemel damnatis Arianis, in Nicęna ſynodo, damnati reputati ſunt ſimul vt hæretici etiam Semiariani, igitur damnatis pariter propè Auguſtini mortem iam Pelagianis, damnati ſimul vt hæretici exiſtimandi erant ipſi Semipelagiani, nec conſequenter poterat tunc aliquis ſimul Sanctus eſſe & Semipelagianus. Vincentius autem & Hilarius Sancti fuere, vt neque Magiſter Noris inficiatus eſt, & de Lerinenſi conſtat ex congeſtis elogijs in eumdem ab eodem Macedo comment. 1. cap. 3. de Hilario pariter ex vita eiuſdem ſcripta ab Honorato Epiſcopo Maſsilienſi, Baronio in Martirologio ad 5. Maij, vbi & Suaſaius & Spondanus ad annum 446. num. 6. & Baralius de Lerinenſi inſula afferens inter cætera hymnum etiam in eiuſdem Hilarij laudem; neuter igitur iſtorum potuit eſſe Semipelagianus; adeout indè ſubinferat Macedo, *cauendum ne cum Semipelagianis Semiariani quoque & alij ſimiles excuſentur. Quod enim ait Semipelagianos magnos homines fuiſſe, refuto cum Auguſtino (ſcilicet in Pſal. 124.) non fecerunt hæreſes niſi magni homines. At fuerunt doctiſsimi; certè nihil his Arianis conceſſerunt. Arguit à multitudine; multò plures Ariani fuerunt &c. ſed vt aliquando fuerint ob inuincibi-*

lem,

lem, vt Theologicè dicam, ignorantiam inculpati; ſanctos eos horreo dicere, quos ſcilicer & Proſper vel farenre Noris in lib. contra Collat. *lupos occultos, hypocritas illos, ignominiæ cauſa, appellabat. Sumus ne igitur, concludit Macedo, in Ægypto, vbi adorabantur lupi cum Anubi & Api? te auctorem appello; minus dixit Paſtor Mantuanus*

Liquidis immiſi fontibus Apros
Dicere debuit
Sanctis immiſi altaribus Apros
Siue, quis ſancta lupis altaria turpo
Miſces ima ſummis, dum Semipelagianos in Cœlo
Ponis. Superis ſic Tartara miſces.

& poſt pauca. *Tange tu horum aras, ego frangam, aut ij expungendi ſunt ex albo Semipelagianorum, aut delendi de lib. Sanctorum.* Hæc Macedo.

ARTICVLVS III.

Prædefiniuntur quædam, de ſecta Semipelagianorum, quæſtiunculæ, vt indè ab ea demi cum cæteris Eccleſiæ Patribus Vincentius etiam Lirinenſis, ac Hilarius Arelatenſis vindicentur, contra primam ſententiam, cæteris contra ſecundam ſententiam in Semipelagianorum turba relictis.

RESpondeo pro ordinata & dilucida ſolutione præcipua huius peramplæ ac perarduæ concertationis, noſtris diebus inter doctos viros exortæ, præambularia quædam dubia ad hunc finem de Semipelagianorum dogmate ac ſecta præmittenda eſſe. Pelagij enim dogmata capitalia notiſsima ſunt, hoc compendio ab Auguſtino reſtricta lib. 4. ad Bonifacium cap. 2. *quidquid enim, inquit, dicunt Pelagiani de laude creaturæ, atque nuptiarum ad hoc referre conantur, vt non ſit originale peccatum. Quidquid de laude legis & liberi arbitrij ad hoc, vt gratia non adiuuet niſi meritum, ac ſic gratia non ſit gratia. Quidquid de laude Sanctorum ad hoc, vt vita mortalis in Sanctis videatur non habere peccatum, nec ſit eis neceſſarium pro dimittendis debitis ſuis precari Deum*; quibus tria ex oppoſito præcipua dogmata notiſsima Catholicorum recenſet idem Auguſtinus contraria lib. de dono perſeuerantiæ cap. 2. dicens, *tria ſunt, vt ſcitis, quæ maximè aduerſus Pelagianos catholica defendit Eccleſia, quorum vnum eſt gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari. Alterum eſt in quantacumque iuſtitia ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem viuere. Tertium eſt obnoxium naſci hominem peccato primi hominis.* Noti ſunt igitur ex ſe tres capitales Pelagij errores, in quorum primo, negante ſcilicet originale peccatum, pertinaciſsimè ſemper permanſit, circa ſecundum & ſubſequentem adeò inconſtans fuit, vt (quidquid renuat cum Ianſenio lib. 5. de hæreſi Pelagiana cap. 1. etiam nouiſsimè Noris libr. 1. hiſtoriæ Pelagianæ cap. 15.) eius hæreſis quatuor ſtatus obtinuerit, iſtorumque poſtremus, ſeu quartus, fuerit ille, in quo & Iulianus permanſit, Pelagianorum hæreſim terminans, inchoanſque ſequentem Semipelagianorum, vt legi poſſunt ex noſtris Aluarez diſput. 1. de auxilijs, & iterum libr. poſtremo reſponſionum de Origin. hæreſis Pelagianorum, Ioannes de S. Thoma ad p. p. q. 19. diſput. 3. ar. 2, Gonzalez diſput. 68. in re ſaltem præcipua conuenientes, ex alijs Suarez proleg. 5. de gratia, Vaſquez p. p. diſput.

89. & ſcriptores cæteri ſubſequentes; etſi nulla alia probatio ſuppeteret, ſatis eſſet Proſperi atteſtatio præſertim in epiſtola ad Rufinum, ſcripta adhuc Auguſtino viuente, quem *ſenem* nominat, & ab initio epiſtolæ, ante poſtremã Pelagij damnationem (quam ibi ſubiungit) ad propoſitum de diuerſis Pelagianorum ſtatibus, inquit, *nequiſſimum & ſubtiliſſimum germen aliarum blaſphemiarum*, (ſcilicet Pelagianorum) *eſt gratiam Dei ſecundum merita hominum dari &c. atque cum hanc definitionem doctrina ſana reſpueret, damnatum à Catholicis ſenſum, & multis poſteà hæreticæ fraudis varietatibus coloratum, hoc apud ſe ingenio ſeruauerunt, ut ad incipiendum & proficiendum, & ad perſeuerandum in bono neceſſariam hominis gratiam Dei profiterentur &c.* intelligendo tamen, vt ſubdit, *gratiæ* nomine ad incipiendum, *non aliud quam legem &c*: hi profectò varij ſtatus hæreſis Pelagianæ fuere, poſtquam *adhuc in ſuis detruncationibus palpitantem*, vt ibidem loquitur, Semipelagiani ſubindè *ſcripta Auguſtini, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamauerunt*. De his igitur ſolum Semipelagianis, de quibus non modica remanet hæſitatio, in præſenti ſequentia breuiora dubia ante præcipuam concertationem præmittenda ſunt, nempè primo loco, dum à non paucis hęſitatur.

§. I.

In quonam capitaliter hæreſis Semipelagianorum, vt à Pelagiana diſtincta, etiam in materia de gratia conſiſteret.

APparet ſiquidem Magiſtro noſtro Gonzalez diſput. 68. num. 13. propriam hæreſim Semipelagianorum, vt diſtinctam à Pelagianis, in nullo differentem fuiſſe quoad materiam adiutorij gratiæ, ſed ſolum quoad decreta prædeſtinationis. Primo nam Iulianus profectò fuit inter Pelagianos, tum quia & ipſe negauit originale peccatum, tum quia ipſius ſupponuntur eſſe illæ duæ epiſtolæ apud Auguſtinum in lib. inſcripto *contra duas epiſtolas Pelagianorum*, vt colligitur ex lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum fol. 177. & lib. 1. ad Bonifacium cap. 1. ſed iſte Iulianus quo ad materiam adiutorij conueniebat cum Semipelagianis, ſcilicet vtrique requiri ad conſumationem operis, non verò ad initium &c. vti refert Auguſtinus lib. 4. cont. Iulianum cap. 3. ergo quo ad materiam adiutorij, vel gratiæ, non differebant Semipelagiani à Pelagianis.

Secundò quia S. Thom. ſæpiſsimè referens hunc errorem aſserentium *initium a nobis eſſe, conſumationem verò à gratia Dei*, eos vocat abſolutè, & ſine addito *Pelagianos*, ſcilicet 2. 2. qu. 6. ar. 1. 3. cont. gentes cap. 149. & 152. & p. p. q. 23. ar. 5. ergo ſignum eſt quoad materiam adiutorij gratiæ Semipelagianos non fuiſse diſtinctos à Pelagianis.

Tertiò quia hæreſim Semipelagianorum etiam quo ad materiam de gratia inquit Auguſtinus ſe impugnaſse antequam Semipelagiani exorirentur, ſeu inſurgerent, dum impugnabat Pelagianos, vt ipſe Auguſtinus teſtatur lib. de bono perſeuerantiæ cap. 11. & lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 4. ſed hoc non eſset, ſi Semipelagiani in materia de gratia cum Pelagianis non conueniſsent, & niſi conſequenter circa ſolam prædeſtinationem diſtin-

cti fuiſsent, ergo ſic in primo conuenerunt, ſolumque in ſecundo diſcriminati fuere.

Quartò, quia eamdem omninò hæreſim Semipelagianorum circa materiam de gratia ante ortum ipſorum retulerat Auguſtinus epiſtola 105. tamquam Pelagianorum in 3. ſaltem vel 4. ſtatu hæreſis Pelagianæ dicens, *iam conclamantium religioſorum & piorum vocibus preſſi, ita ſe fateri ad habendam vel faciendam iuſtitiam diuinitus hominem adiuuari, vt ſui præcedat aliquid meriti &c. ſuo putantes praire meritum illum, de quo audiunt, quis prior dedit illi, & retribuetur &c.* & eodem modo de Cæleſtio & Iuliano vtique Pelagianis refert lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 28. & ſequentibus. Ergo iam in materia adiutorij gratiæ idem erat error Semipelagianorum & Pelagianorum.

In oppoſitum tamen eſt, quod Semipelagiani non poterant differre à Pelagianis in materia de prædeſt. niſi differrent etiam in materia de gratia, vtpotè vno connexo cum altero, vti optime notauit Proſper in epiſtola ad Rufinum de Semipelagianis dicens, *ab hac autē confeſſione gratiæ Dei ideò quidam reſiliunt, ne cum eam talem confeſſi fuerint, qualis diuino eloquio prædicatur, & qualis operè ſuæ poteſtatis agnoſcitur, etiam hoc neceſsè habeant confiteri, quod ex omni numero hominum per ſæcula cuncta natorum certus apud Deum definitus ſit numerus, prædeſtinati in vitam æternam Populi, & ſecundum propoſitum Dei vocantis electi; quod quidem tam impium eſt negare, quam ipſi gratiæ contraire,* & idem repetit idem Proſper in epiſtola ad Auguſtinum ab illis verbis, *ideo ſe maxime contulerunt, quia ſi profiterentur &c.* Ergo &c.

Reſpondeo ſine dubio Semipelagianorum errorem, vt à Pelagiano diſtinctum, in materia adiutorij etiam gratiæ conſtitiſſe, quia error capitalis Pelagij damnatus in Paleſtina Synodo, & iterum poſteà in Arauſicana, vt colligitur ex Auguſtino lib. de geſtis Pelagij cap. 14. fuit iſte, *ſcilicet gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari,* vt etiam Proſper in epiſtola ad Rufinum obſeruabat. Sed circa hoc pariter errauerunt Semipelagiani, etiam vt à Pelagio diſtincti, quod vbi ille ponebat ex viribus naturæ etiam opera meritoria complete, iſti ponebant ſolum initia operum meritoria ſecundum quid, vndè de hoc puncto Proſper epiſtola ad Demetriadem de Maſſilienſibus, inquit, *quam partem ſuperbæ prædicationis, ſcilicet Pelagianæ, quidam ſibi, cum cætera abnuerent, ſeruauerunt,* & Auguſtinus epiſtola ſecunda ad Valentinum, *in quorum ſcilicet, Pelagianorum, errorem cadit, qui putat aliquo merito humano gratiam dari,* & contra Caſſianum aduertit Proſper lib. cont. Collat. cap. 3. qui Collator ſeu Caſſianus collat. 13. cap. 9. 13. & 16. expreſsè in hoc conatur ſe diſcernere ab hæreſi Pelagiana, vt fecerat etiam lib. 12. inſtitutionum cap. 11. 13. & 14. & demum de eiſdem Maſſilienſibus Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum refert ſic poſuiſse *initium qualecumque &c,* vt tamen ſubiungerent, *non valere quidquam,* vt ſcilicet excluderent meritum de condigno contra Pelagium, & ſolum de congruo concederent; ergo &c. Vtique poſteà in multis alijs etiam differebant Semipelagiani à Pelagio, ac Pelagianis, quod Pelagiani negabant econtra originale peccatum, vt patet etiam de Iuliano, iſti verò admittebant, licet inconſequenter poſtea nimis tribuentes naturæ ex peccato corruptæ, illatiue videantur à D. Proſpero ſupponi nec ita bene peccatum originale admiſiſſe, vt mox ad primum ex S. Thoma referemus; illi aſſerebant ſine gratia poſſe hominem etiam

totam legem obſeruare & perfectum eſſe, vt refert & impugnat Auguſtinus in lib. cont. Iulianum, & de perfectione iuſtitiæ, & alibi ſæpè, iſti verò negabant quoad hoc, vt diſtinctè expendunt hanc diſparitatẽ Hilarius & Proſper in Epiſtolis ad Auguſtinũ, hincq; ex eiſdem Epiſtolis noſtra hæc tota reſolutio firmatur, nam ibi latè dum Semipelagianorum error recitatur, etiam vt à Pelagiano diſtinctus, reducitur inter alia ad hoc punctum de gratia, *quod ideo quis adiuuetur, quia voluit, non ideo quia adiuuatur, velit*, & cætera plurima paſſim ſimilia ibidem, nec minus Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ cap. 16. differentiam eorumdem à Pelagianis expendit dicens, *à Pelagianorum porro hæretica peruerſitate tantum iſti remoti ſunt, vt fateantur, quod eorum præueniat voluntates, quibus datur hæc gratia*, vt dixerat etiam in priori lib. de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 1. hæc autem omnia quis non videt conuincere Semipelagianorum à Pelagianis diſcrimina etiam in materia de gratia? Ita igitur diſſenſiſſe concedendum eſt.

Ad primum ergo ſine dubio concedimus Iulianum inter Pelagianos potius quam Semipelagianos numerandum eſſe, vt rectè probat argumentum, eo quod Iulianus negauerit originale peccatũ, vbi in conceſſione eiuſdem omnes Semipelagiani ſe à Pelagianis diſtinxerunt, vt Auguſtinus aduertit in lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 14. ab illis verbis, *vt nobiſcum pro catholica fide pernicium Pelagiani erroris impugnarent*, & norãt etiam Hilarius, & Proſper in epiſtolis ad Auguſtinum, *ſcilicet conſenſiſſe homines in Adam periiſſe &c.* & S. Thomas de Iuliano expreſſe in 2. diſt. 30. q. 1. ar. 2. inquit, *ſimpliciter negaſſe originale peccatum, alios tamen nomine concedentes ſecundum rem negauiſſe, dicentes in puero nato nullam culpam eſſe, ſed ſolum obligationem ad pœnam*, dupliciter igitur hoc ſuppoſito ad argumẽtum reſpõderi poteſt, primò Iulianum etſi ſimpliciter ex modo dictis Pelagianum circa originale peccatum, attamen circa gratiam potuiſſe à Pelagianis diſcedere, atque Semipelagianis conſentire, vt distinctis adhuc quoad hoc à Pelagianis eiſdem, præſertim quia Iulianus diu vixit poſt Auguſtini mortem, & ſimul exortam vidit, immò adultam, hæreſim Semipelagianorum. Secundò reſpondetur negando minorem, quia Iulianum admiſiſſe ſine gratia etiam totius legis obſeruantiam perfectam, haberi poteſt ex eiſdem locis mox allatis, qua de cauſa Auguſtinus poſtea lib. 2. cont. duas epiſtolas Pelagianorum (quas ſupponit Auguſtinus ibidem ab eodem Iuliano conſcriptas) cap. 28. poſtquam retulerat ex ipſis requiri gratiam ad perfectionem, ſubdit dubitatiuam conditionalem, *ſi tamen hoc ſaltem volunt*, nec mirum poſtremos iſtos Pelagianos vel inconſtantes vel incertos in hoc dogmate præſertim de gratia fuiſſe, cum id ipſum etiam de Semipelagianis mox infrà oſtenſuri ſimus. Qui vero plura de Iuliani erroribus quęreret, conſulat noſtrum Lemos tomo 1. tract. 3. cap. 2. qui tomus ad manus meas peruenit, dum hæc mea ſub pręlo ponuntur.

Ad ſecundum reſpondetur S. Thom. nomine Pelagianorum expreſſe intelligere ſolos Semipelagianos, vt à Pelagio, & Cæleſtio ſectatoribuſque primæuis eorumdem diſtinctos, vt ipſe ſe explicat quodlib. 1. ar. 7. dicens, *Pelagius docuit hominem non indigere auxilio Dei ad bene operãdum, ſed tantum lege ac doctrina, quia vero hoc nimis parum videbatur, ideò poſtea Pelagiani poſuerunt, quod initium boni operis eſt hominis ex ſeipſo* (en diſcrimen ab exceſſu Pelagij, quem Pelagij ex-

ceſſum

ceſſum ſuprà Semipelagianos pariter prænotauerat etiam Proſper in carmine de ingratis cap. 28. de Pelagio dicens, *nam ſi argumenti primordia non oneraſſet his, quæ diſcipuli dempſerunt callidiores, innumeras dubio cœpiſſet plaſmate mentes*. Immò, ſi iſta obiectio valeret, probaret etiam Semipelagianos non diſſenſiſſe à Pelagio in materia Prædeſtinationis, quia circa hanc pariter materiam error Pelagianus nuncupatur, ſcilicet ille, quem ſimilem errori Maſſilienſium tenuerat olim ipſe Auguſtinus, vt refert idem in lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 3. & inde cap. 9. appellat *Pelagianum*, & cap. 11. inquit, *Pelagianorum error eſt iſte damnabilis*, cap. 14. *contra nouum Pelagianorum errorem*, & alijs omiſſis etiam Proſper in epiſt. ad Auguſt. *ne*, inquit, *tam claris viris ſpiritus Pelagianæ iniquitatis illudat*, & tamen conſtat Auguſtinum in lib. de dono perſeuerantiæ cap. 17. agnouiſſe diſcrimen inter Pelagianos & Semipelagianos in hac eadem materia his verbis, *neque enim Pelagiani ſunt, vt aduerſum iſta tam perſpicuam veritatem dura & hæretica peruerſitate contendant*.

Ad tertium nego minorem, quia dum Auguſtinus generaliter probauerat contra Pelagium gratiam ſecundum nulla merita noſtra dari, conſequenter etiam probauerat non dari ſecundum initia, ſeu merita ſecundum quid, vt vrgebat etiam Proſper in lib. cont. Collat. cap. 3. & Auguſtinus ipſe lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 2. & anteà in epiſtola 105. ad Sixtum dicens, *impoſſibile eſt, vt nullum ſit meritum fidei vt is, qui tam cœpit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereatur*, cum in lib. de geſtis Pelagij cap. 17. acutiſſimè præuidiſſet fugientium diſtinctionem, ſcilicet de ratione diſpoſitionis diſtincta à quacumque ratione meriti dicens, *an aliud eſt dignum eſſe, accipere, aliud ſecundum meritum accipere? & poteſt aliquis ſubtilitate diſputationis oſtendere dignum eſſe aliquem ſed non mereri?* vbi mox infrà ſubiungit, *quantum ad me attinet, ab hoc verbo facile tranſirem &c.* Stat ergo in impugnatione generali Pelagianorum impugnatos radicaliter remanſiſſe Semipelagianos, quia generalia illa principia adaptari poterant etiam particulari poſitioni iſtorum, licet iſta à Pelagianorum errore diſtincta eſſet.

Ad quartum vel reſpondendum eſt iuxtà reſponſionem primam datam ad primum, vel iuxtà ſecundam dicendum eſt Auguſtinum ibi de aliquibus ſolum Pelagianis ſingularibus in illo loquutum eſſe, & de eiſdem ſubdubio & conditione, vt mox anteà expenſum eſt; ſicut etiam inter Semipelagianos adfuiſſe non paruam inconſtantiam adhuc & varietatem, in ſubſequenti immediatè dubio patebit, præter Lemos, quem modo video tomo 1. tract. 5. à cap. 6. comprobantem Iulianum in re fuiſſe caput Semipelagianorum, iuxta primam reſponſionem ad primum.

§. II.

An inter Semipelagianos, etiam poſt Pelagium, fuerit inter ipſos & ne dum à Pelagio diſſenſio.

IN negatiuam propendiſſe Norim obſeruat Macedo comment. 1. cap. 17. pag. 124. & ab aliquibus probari poteſt primo, quia, vt refert Proſper ad Auguſtinum, *retractatis priorum de hac re opinionibus, penè omnium par inuenitur &* vna

vna ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt, ergo ſignum eſt, quod licet aliquando anteà inuicem diſſenſiſsent, poſteà tamen in vno hoc dogmate ac principio principali conuenerunt, vti in hoc ſenſu prædicta Proſperi verba Franciſcus Ouiedo in p. 2. interpreratus eſt, & Alarcon; ergo in ſubſtantia non fuerunt inuicem diſſentientes.

Secundò, quia iterum refert Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum ſic vtique prius aliter inrer ſe diſſenſiſſe, tamen poſtea commutaſſe ſententias, & veluti conueniſſe, dum inquit, *nec mireris, quod aliter vel aliqua in hac epiſtola addidi, quantum puto, quæ in ſuperiore non dixeram, talis eſt enim nunc eorum definitio*, & pariter Proſper in eadem epiſtola ad Auguſtinum, *in iſtam verò talis gratiæ prædicationem, ſi quorum contradictione offendimur, cum prius meliora ſentirent, ideo ſe vel maximè contulerunt &c.* ergo Semipelagiani tandem in ſuo dogmate adinuicem conuenerunt.

In oppoſitum tamen eſt communior Scholaſticorum conſenſus aſserens eos diſſentienres adinuicem adhuc extitiſse, vt præter Ianſenium libr. 7. de hæreſi Pelagiana cap. 2. conuenerunt ex noſtris Aluarez diſput. 2. de auxilijs, & iterum lib. 6. reſpon. c. 6. n. 19. Io: de S. Thom. diſp. 3. de volunrare Dei ar. 3. num. 21. & ar. 4. num. 6. Gonzalez diſput. 68. Goner diſpur. 2. de gratia ar. 3. & ex alijs Vaſquez p. 1. diſput. 89. cap. 5. & diſput. 91. cap. 11. Suarez proleg. 5. cap. 5. Alarcon tract. 4. diſp. 2. cap. 8. num. 17. referens & Vaſquez ibidem cap. 5. num. 29. & 30. Theophilus Rainaudus pro Valeriano cap. 4. num. 4. Lemos tom. 1. tractatu 5. cap. 13. Thomas Auguſtinus lib. 2. cap. 1. Franciſcus Macedo vbi ſuprà, & alij, ergo in hac ſententia perſiſtendum eſt.

Reſpondeo varios vtique in ſuo dogmate Semipelagianos adhuc adinuicem extitiſse, vt diſtinctè teſtatur, tum Proſper in epiſtola ad Auguſtinum, ab illis verbis, *quidam autem horum intantum à Pelagianis ſemitis non declinant &c.* tum Hilarius pariter ad Auguſtinum dicens, *teſtimonia etiam ſcripturæ, quæ de Saule vel Dauide poſuiſti, non pertinere putant ad quæſtionem, quæ de exhortatione verſatur. Alij autem ad id referunt, vt ex his eam gratiam accipiant commendari, qua vnuſquiſque poſt voluntatem iuuatur, vel ad ipſam vocationem, quæ præſtatur indignis*, igitur ex Hilario & Proſpero nec inter ſe Semipelagiani conueniebant. Et verè ſic eſt; cum enim Pelagius in duobus illis prioribus iam præcitatis capitulis aberraret, nempè circa infirmitatem naturæ, quam negabat originali culpa fœdatam eſse, & circà neceſſitatem gratiæ, ſine qua aſserebat haberi poſse, ne dum actus imperfectos & initiales virtutum, verum etiam totam perfectionem virtutis: Hinc quatuor ordines ſubſectariorum Pelagij aliqualiter à Pelagio diſcedentium ſuborti ſunt. Primus eorum, qui cum Pelagio vtique negabant contrahi originale, vt patet ex lib. 1. ad Bonifacium cap. 22. & 23, contra Pelagium tamen aſserebant eſse ſimpliciter neceſsariam gratiam ſaltem ad perfectionem operum, licet ad initialem boni cupiditatem, vel nullo modo requiri, vel ſolum ad facilius. Ità de his accipi poteſt, quod habet Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 8. dicens, *hoc enim nobis obijciendum putarunt, quod inuito ac reluctanti homini Deum dicamus inſpirare, non quantum boni, ſed & ipſius imperfecti boni cupiditatem. Fortaſſe ergo ipſi ſaltem eo modo ſeruant locum gratiæ, vt ſine illa putent hominem poſſe habere*

habere

bere boni, ſed imperfecti, cupiditatem, perfecti autem non facilius poſse, ſed niſi per illam omninò non poſse. Conſtat autem ex Auguſtino lib. 1. ad Bonifacium cap. 1, vt notat Baronius ad annum 419. num. 45. prædictarum epiſtolarum auctorem ſub nomine Pelagianorum fuiſſe Iulianum, quem iam diximus potius reponendum in ordine Pelagianorum, quam Semipelagianorum, ob negatum originale peccatum, conſequenter & iſte primus modus ſequendi Pelagium propriè dici nequit Semipelagianorum, niſi pro quanto inter Pelagianos poſtremus fuit, extrinſecè inchoans hæreſim Semipelagianam, dum Pelagianam intrinſecè terminauit. Secundus igitur ordo fuit eorum, qui contra Pelagium cum catholicis conceſſerunt contrahi originale peccatum, tamen cum ipſo Pelagio conuenerunt & iſti in hoc, quod non eſſet neceſſaria ſimpliciter gratia, ſiue ad initium, ſiue ad perfectionem operum. Ita tenuiſse videtur etiam Fauſtus lib. 2. de grat. & lib. arb. cap. 6. & 7. & libr. 1. cap. 17, vt præter Ianſenium lib. 1. de hæreſi Pelagiana cap. 2. notat ex profeſso Suarez proleg. 5. cap. 5. num. 30. & Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 14. & conſentit Thomas Auguſtinus cum alijs vbi ſuprà, ad hoc adducentes illam differentiam, quam inter Semipelagianos referebat in epiſtola prædicta Proſper dicens, *quidam verò horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant &c. vt quantum quiſque ad malum, tantam habeat facultatem ad bonum, parique momento animam ſe vel ad vitia vel ad virtutes mouere*, quæ dempta differentia de Originali, iam circa gratiam vix non eſt ipſa hæreſis Pelagianorum, vt eam refert Auguſtinus epiſtola 106. ad Paulinum, ſcilicet *paribus momentis poteſtatem voluntatis æqua lance perpendit &c.* nempè Pelagius, neque obſtat, quod apud eumdem Proſperum Semipelagiani dicerent, *ad ſaluantem gratiam* ſcilicet habitualem *initialis gratiæ ope meruiſſe peruenire*, nam nomine gratiæ initialis iſti intelligebant ſolum lumen naturale, quod gratiam creationis nominabant, vt ibidem refertur, & explicat idem Fauſtus lib. 2. cap. 6. & cap. vlt. Tertius ordo fuit eorum, qui & originale conceſſerunt (licet nec bene vel vere eiuſdem vulnera recognoſcerent, vt probat Lemos loco citato cap. 6.) & neceſſitatem gratiæ, ne dum tribuentis poſſe, verum & tribuentis agere, ſaltem ad operum perfectionem, licet ad initia operum ſolum tribuentis poſſe admiſerunt, cum Pelagio autem adhuc perſiſtebant in hoc, quod per initia operum in actu ſecundo vnus ſe diſcerneret ab altero. Ita præter epiſtolas Hilarij & Proſperi refert ipſe Auguſtinus lib. de Prædeſt. ſanctorum cap. 1. dicens, *peruenerunt iſti fratres, pro quibus ſollicita eſt pia caritas veſtra, vt credant Eccleſiæ Chriſti peccato primi hominis obnoxium naſci genus humanum, nec ab iſto malo niſi per iuſtitiam ſecundi hominis aliquem liberari. Peruenerunt etiam vt preueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel inchoandum, vel perficiendum, ſibi quemquam ſufficere poſſe conſentiant; retentæ ergo iſta, in quæ peruenerunt, plurimum eos a Pelagianorum errore diſcernunt*, & iſti ſine dubio fuerunt Maſſilienſes. Quartò tandem, quia adhuc iſti, vt refertur in eiſdem epiſtolis Proſperi, & Hilarij, conueniebant cum illo antiquo dogmate primorum Pelagianorum negãte ſcilicet *inuito & reluctanti homini Deum inſpirare etiam ipſius imperfecti boni cupiditatem*, vt ex Auguſtino lib. 2. cont. 2. epiſtolas Pelagianorum cap. 8. referebamus, ideò inter iſtos tandem Caſſianus adhuc conatus eſt magis hæreſim vulgarium Semipelagianorum tempe-

rate,

rare, dicens, quandoque vtique etiam reluctanti inſpirari bonam voluntatem, quandoque autem Deum expectare initia à nobis conantibus &c. vt notat etiam Suarez proleg. 5. cap. 6. & conſtat ex eodem Caſſiano collat. 13. cap. 12. 13. & 17. concludente, *quoſdam volentes ad augmentum prouehi, alios etiam nolentes attrahi*, propter quod Proſper contra eumdem Caſsianum ſub nomine Collatoris cap. 5. notat Caſſianum, & à Catholicis, & à reliquis vulgo Semipelagianis diſſenſiſſe, dicens, *illi in omnibus iuſtis hominum operibus liberæ voluntatis tuentur exordia, nos bonarum cogitationum ex Deo ſemper credimus prodire principia*, & iterum cap. 20. & ſubſequentibus notat eamdem in Caſſiano diuerſitatem, *veluti*, inquit, *pars Eccleſiæ ex gratia, pars autem ex libero iuſtificetur arbitrio, & glorioſiores ſint, quos natura præuenerit, quam quos gratia liberarit*, quinimò & Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum de hoc forſan Caſſiano intellexit, dum de interpretatione ſcripturarum adductarum ab Auguſtino aiebat, quoſdam eas retuliſse *ad ipſam vocationem, quæ preſtatur indignis*. Demum in ipſo etiam tertio ordine præallato, qui communior & vulgarior inter Semipelagianos fuit, ſubdiuiſi fortaſse fuere & alij modi explicandi diuerſi rigidiores adinuicem vel molliores, penes correquiſitam excitationem ſupernaturalem purè ſufficientem etiam ad ſingulos initiales actus, vt infrà ſubdetur, vel negatam eiuſdem neceſſitatem. Fuerunt, inquam, & iſti diuerſi ſimileſq; dicendi modi, quos innuit Proſper in libr. cont. Collat cap. 2. dicens, *ne ad obſcurandam ſcientiam doctiorum ea exagitare videamur, quæ vulgus ignobile, & procax ineptorum loquacitas intemperanter effundit, vnius potiſsimum definitiones illis omnibus &c. in ſanctarum ſtudio ſcripturarum præſtantis referemus &c.* ſcilicet Caſſiani &c.

Ad primum igitur falſa eſt in primis illorum verborum Proſperi interpretatio ab Ouiedo, & Alarcone ſuppoſita, vt infrà dicetur, cum immò *per retractatas priorum opiniones* intelligantur exploratę antecedentium Patrum ſententiæ &c. ſed adhuc prætermiſſo antecedenti, negatur conſequentia, licet enim conueniſsent in explicanda prædeſtinatione penes præuiſionem operum in ſtatu conditionato, poterant differre adhuc in modo explicandi conditionem, vel ex parte ſolius naturæ vel gratiæ, vel ad initium, vel ad ſolum complementum operum, & huiuſmodi, vt mox anteà explicatum eſt.

Ad ſecundum eodem modo reſponderi poſſet, ad ſummum Semipelagianos, de quibus Hilarius ibi loquebatur, conueniſſe in regulanda prædeſtinatione iuxtà præſcientiam operum ſub conditione, non tamen in conditionis explicatione, cum adhuc in ordine ad iſtud in eadem epiſtola eorum inter ſe diſcrepantiam, vti retulimus, atteſtatus ſit &c.

§. III.

An ante Maſsilienſes, atque Caſsianum, & huiuſmodi, inchoauerint alij ac tenuerint Semipelagianorum errorem, vt Vitalis Carthaginenſis, Thiconius & aliqui Monaci Adrumentini.

VIdetur quod non ipſi Suarez proleg. 5. cap. 5. num. 5. quia propriè error Semipelagianorum ex dictis conſiſtebat in hoc, quod aſſererent nos poſſe ex nobis ſine gratia inchoare aliquid à natura, propter quod vlterior

rior gratia daretur, admittendo tamẽ originale peccatum, & indè ex infirmitate naturæ nos gratia indigere ad perfectam ſaltem iuſtitiam etiam naturalem. Sed de Vitali Carthaginenſi eſt vtique certum aſſeruiſſe primum cum Semipelagianis, non tamen eſt certum admiſiſſe ſecundum contra Pelagium, *tum Auguſtinus*, inquit Suarez, *in illa epiſtola* 107. *ad Vitalem referens eiuſdem errorem non affirmet illum diſceſſiſſe à Pelagio, vt refert de Semipelagianis in principio libri de Prædeſtinatione Sanctorum*, ergo non videtur iſte Vitalis fuiſſe in errore proprio Semipelagianorum, ſed potius Pelagianorum &c.

Secundò inquit Suarez, *quia non conſtat quando ille Vitalis fuerit, vel Auguſtinus illam Epiſtolam ſcripſerit*, ergo adhuc non eſt certum ante Maſſilienſes ab iſto Vitali inceptum fuiſſe Semipelagianorum errorem.

Tertiò quia error Semipelagianorum communiter ſolet nuncupari hæreſis Maſſilientium, ergo ſignum eſt ante Maſſilienſes ab alijs originem non habuiſſe.

In oppoſitum tamen eſt, quia in hunc eumdem errorem proprium Semipelagianorum inciderat antè Maſſilienſes etiam ipſe Auguſtinus, vt ipſemet refert lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. & 4. dicens, *quo teſtimonio, ſcilicet*, Cypriani, *præcipue conuictus ſum, cum ſimiliter errarem putans fidem non eſſe donum Dei &c. quem meum errorem nonnulla opuſcula mea ſatis indicant ante Epiſcopatum meum ſcripta &c. in qua ſententia iſtos fratres noſtros eſſe nunc video &c.* ergo à fortiori inuerisimile non eſt etiam ipſum Vitalem Carthaginenſem, cum prædictis alijs etiam Monacis Adrumentinis in Affrica, ante Maſſilienſes in Gallia in hunc errorem incidiſſe.

Reſpondeo etiam ante Maſſilienſes quoſdam alios in eumdem Semipelagianorum errorem prolapſos eſſe. Sic enim Proſper in epiſt. ad Auguſtinum de quibuſdam ſaltem inter Monacos Adrumentinos in Affrica ſupponebat, dicens, *euenit ex diſpoſitione miſericordiæ Dei, vt, cum quoſdam intrà Affricam ſimilia monuiſſent, de correptione & gratia librum plenum Diuinæ auctoritatis emitteres*. Ergo ex Proſpero aliquî etiam inter Adrumentinos in ſimilia ante Maſſilienſes mouebantur. Sic de eiſdem atteſtatur ipſemet Auguſtinus lib. 2. retract. cap. 66. dicens, *propter eos, qui cum defenditur gratia Dei putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt arbitrium liberum, vt negent gratiam, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari, ſcripſi librum, cui titulus eſt de gra. & lib. arb. ad Monacos Adrumentinos, in quorum Monaſterio de hac re cæperat eſse contentio*, ergo ex Auguſtino pariter id manifeſtè colligitur. Sic etiam idem Auguſtinus epiſtol. 107. & lib. 2. & 3. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 8. poſt iam profligatum Pelagium, & antequam Proſper & Hilarius de Maſſilienſibus ſcriberent, indicat iam ſubnatum Semipelagianorum errorem, eumque incipit refutare, ergo &c. Sic etiam lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 33. hunc etiam errorem tenuiſſe Ticonium anteà atteſtatur, dicens, *in ea ſcilicet quæſt. de gratia laborauit diſſoluenda Ticonius benè, ſed non plene, diſputans enim de fide & operibus opera nobis dixit à Deo dari merito fidei, ipſam verò fidem ſic eſſe à nobis, vt nobis non ſit à Deo.* Ergo &c. Sic demum de Vitali Carthaginenſi manifeſtè colligitur ex eodem Auguſtino epiſtola 107. ſcripta ad eumdem Vitalem referente ſic eum tenuiſſe, *vt rectè credamus in Deum, & Euangelio conſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis; ideſt ex propria voluntate*, & in fine epiſtolæ,

initium fidei eſſe donum Dei, cætera autem religioſæ vitæ bona Deum per gratiam ſuam iam ex fide petentibus elargiri. In hoc autem conſtitiſſe errorem Semipelagianorum iam vidimus. Igitur & Vitalis antè Maſſilienſes in hoc errore fuit.

Ad primum ergo negatur minor quoad ſecundam partem, immò apertè Auguſtinus in eadem epiſtola 107. oppoſitum fatetur dicens. *De orationibus autem fidelium, quæ & pro ſe, & pro alijs fidelibus fiunt, confligendum eſſe tecum non puto. Contra Pelagianos enim eſt iſte conflictus, tibi nobiſque communis*, & mox antè, *ego hæreticum quidem Pelagianum te eſse non credo: ſed ita eſse volo, vt nihil illius ad te tranſeat, vel in te relinquatur erroris*, immò ſicut Auguſtinus in Vitali reprehendit Semipelagianorum errorem, ità & Pelagianum reprehendiſſet ſi in ipſo fuiſset.

Ad ſecundum nego antecedens, cuius inter alia vehemens ſignum eſt, quod ſi Auguſtinus antè illam epiſtolam 107. ſcripſiſſet librum de Prædeſtinatione Sanctorum tam opportunum ad reuincendum errorem illius Vitalis, eiuſdem libri in eadem epiſtola aliquam mentionem egiſset, quod tamen non fecit, conſequenter ſignum eſt illam epiſtolam ante hunc librum fuiſſe conſcriptam, præter alia, quæ de Chronologica ſcriptione eiuſdem libri de prædeſt. Sanctorum expendit Noris lib. 2. hiſtoriæ cap. 5. & de alijs operibus Auguſtini in lib. priori hiſt. Pelagianæ.

Ad tertium conceſso antecedenti negatur conſequentia, ex eo enim hæreſis Semipelagianorum etiam Maſſilienſium nuncupatur, quia apud ipſos, ſi primitùs exorta non eſt, indè ſaltem adoleuit promouente ibi Caſſiano præſertim, licet & alibi in Gallijs hæc lues eodem tempore ſerperet, vt teſtatur Hilarius in epiſt. ad Auguſtinum dicens, *hæc ſunt, quæ Maſsiliæ vel alijs etiam locis in Gallia ventilantur.*

§. IV.

An Semipelagiani, inter actus naturales inchoantes gratiam, poſuerint hæc tria ſcilicet aliquam fidem naturalem, deſiderium ſanitatis, & Orationem.

IN negatiuam propendit Theophylus Raynaudus in Apologia pro Valeriano cap. 4. nu. 8. præter alios ſuppreſso nomine relatos à Suarez prol. 5. cap. 6. num. 2. & poteſt ſuaderi primo nullos ex his actibus poſuiſse; quia, vt refert Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum, Semipelagiani dicebant, *ad nullum opus incipiendum, ne dum perficiendum, quemquam ſibi poſse ſufficere.* Sed per hæc tria habita ſine gratia iam ſine gratia *inciperetur aliquod opus*, ergo in eorum ſententia nulla ex his tribus poterant ſine gratia haberi.

Secundò, quia fidem non attribuebant naturæ, ſed gratiæ, vt refert Proſper epiſt. ad Auguſtinum eos ita dixiſse, *qui autem credituri ſunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda, manſuri ſint, præſciſse Deum ante mundi conſtitutionem*, ergo fidem ad minus non ponebant inter actus naturales inchoantes gratiam.

Tertiò, quia ad ſummum Auguſtinus, dum refert Semipelagianos poſuiſſe ſine gratia actus aliquos naturales, non facit mentionem niſi *fidei*, dum in lib. de Prædeſt. ſanctorum cap. 3. ex ipſis inquit, *fidem non eſse donum Dei, ſed à*

nobis eſſe in nobis, & manifeſtius in lib. de dono perſeu. cap. 17. ꝟ, inquit, *qui ſolum initium fidei & perſeuerantiam vſque in finem ſic in noſtra conſtituunt poteſtate, vt dona eſſe non putent &c.* Ergo ſaltem non poſuerunt inter hos actus deſiderium ſanitatis vel orationem.

Quartò ab oppoſito alij probant plures alios actus poſuiſſe, quam tres allatos, quia inter iſtos actus naturales initiales ponebant etiam *timorem*, vt refert Hilarius epiſtola ad Auguſtinum, *periculum demonſtratæ mortis horrere*, & paulo infrà, *nam ſi non poteſt timere quis, vnde terretur niſi ea voluntate, quæ ſumitur*, ſcilicet ab alio, *non ex eo culpandus eſt, quod nunc non vult*, ergo non poſuerunt tres ſolos actus.

Quintò, quia pariter ponebant *dolorem*, vt ibidem referuntur dicentes, *ab homine, etſi non fides integra, ſaltem vel dolor compunctæ infirmitatis exoritur*, & infrà, *ſi autem eſt vel qualiſcumque dolor, qui ad exhortationem corripientis oriatur, hanc ipſam dicunt cauſam &c.* ergo idem, quod prius.

Sextò, ponebant *diligentiam voluntatis*, ſeù *deuotionem*, vt referuntur à Proſpero in epiſtola ad Auguſtinum aientes, *vnumquemque ſua diligentia bonum eſſe poſſe*, & mox antè, *cum voluntariæ deuotioni remuneratio ſit parata*, ergo &c.

Septimò, quia ponebant *voluntatem non peccandi*, ſeù rectè viuendi, vt habet Caſſianus Collat. 13. *non numquam bonarum voluntatum prodire principia*, & expreſſius tenuerat ante Maſſilienſes Auguſtinus in expoſitione quarumdam propoſitionum ad Romanos, propoſitione 61. *noſtrum eſt credere, & velle, illius autem dare credentibus & volentibus facultatem bene operandi*, & propoſitione 18. *in nobis autem ante gratiam non eſt liberum arbitrium, ut non peccemus, ſed tantum vt peccare nolimus*, licet poſtea retractauerit lib. 1. retractationum cap. 23. & de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. ergo idem, quod prius.

Octauò, quia in Concilio Arauſicano ſecundo canone 6, vbi prædicta hæreſis Semipelagiana recitatur ac damnatur, præter dictos actus, alij etiam plures enumerantur, ſcilicet, tum *vigilare ac ſtudere*, tum actus *humilitatis*, dum dicitur, *ſi quis ſine gratia Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, vigilantibus, ſtudentibus, quærentibus, pulſantibus &c.* Ergo &c.

Nonò tandem, quia ijdem ponebant actum *obedientiæ*, vt referuntur in epiſtola Proſperi ad Auguſtinum, *cum duo ſint, quæ humanam operantur ſalutem, ſcilicet Dei gratia & hominis obedientia, priorem volunt eſſe obedientiam, quam gratiam*, & iterum, *talem omninò remanſiſſe voluntatem, qua contemnere quis valeat vel obedire*. Quemadmodum & Lemos in nouiſſimo tomo 1. tract. 5. capit. 14. obſeruauit.

In oppoſitum tamen eſt, quod Proſper lib. cont. Collatorem cap. 6. ſummariè veluti & capitaliter colligens iſtos actus, quos Semipelagiani ponebant, videtur ad tres prædictos, & connexos, reduxiſſe dicens, *non enim nullius meriti haberi poteſt petentis fides, quærentis pietas, pulſantis inſtantia*; Ergo &c.

Reſpondeo vtique præcipuos actus, quos Semipelagiani ponebant in propoſito, tres fuiſſe prædictos. Quia peccatorem aſſimilabant ægro, gratiam autem Chriſti medicinæ medentis ſeu ſanantis. Sed ea, quæ inchoatiuè præcedunt in ægroto ante opus curationis, tres actus eſſe ſolent, ſcilicet fidere medico, ſeu credere ſe à medico ſanari poſſe. Secundò deſiderare à medico mediante medicina ſanitatem, & demum quærere ſeu petere medicum ac me-

dicinam. Ergo pariter in peccatore in ordine ad gratiam Chriſti inchoatiuè præcipuè ponebant iſtos tres actus, ſcilicet fidem, deſiderium, ac petitionem. Audi modo totum diſcurſum tranſumptum ex ipſis, nempè omnes ipſos Semipelagianos diſtinxiſſe in peccatore vt ægro actus præambulares ad opus curationis, & gratiæ, patet ex epiſtola Hilarij ad Auguſtinũ, ſic referentis, *neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & ſupplici voluntate vnumquemque ægrotum velle ſanari.* Sed clarius audi in Caſſiano diſcurſum Collat. 13. expræſsè diſtinguente præambulariter ante curationem, *credere, quæ de medico prædicantur, deſiderare ſanitatem, & eius auxilium flagitare*, & poſteà ſubiungente hæc inter opera curationis numeranda non eſſe, *non enim*, inquit, cap. 9. *cum voluerit, quis ſanitate perfruitur, aut de ægritudinis morbo pro arbitrij ſui deſiderio liberatur*, vt refert etiam & refellit Proſper contra Collat. cap. 8, ſingulos autem hos tres actus Maſſilienſes poſuiſſe conſtat ex epiſtolis Hilarij, & Proſperi ad Auguſtinum; & de primo quidem, ſcilicet fidei, refert Hilarius dicens, *conſequens putant exhibendam ab eo fidem, cuius naturæ id voluntate conditoris conceſſum eſt*, & Proſper, *ab his eam apprehendi* ſcilicet ſalutem, *qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ meritò credulitatis acceperint*: de ſecundo, ſcilicet *deſiderio*, refert Hilarius dicens, *eo merito, quo voluerint & crediderint à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & totius ſanitatis conſequantur effectũ*, & infrà, *nullam ſcilicet naturam ita deprauatam vel extinctã putant, vt non debeat vel poſſit ſe velle ſanari.* De tertio demum, ſcilicet *Oratione*, ſeu petitione, refert idem Hilarius ibidem in illis breuiſſimis verbis, *ſupplici voluntate velle ſanari*, & Proſper in eadem epiſtola, *poſſe hominem ad hanc gratiam peruenire per naturalem ſcilicet facultatem petendo, pulſando, &c.* Vnde hanc eamdem phraſim refert ac reprobat Auguſtinus lib. de dono perſeuerantiæ cap. 23. & de Prædeſti. Sanctorum cap. 3. & Arauſicanum ſecundum canone 3. & 6, vt conſulenti patebit.

Ad primum igitur admiſſa maiori negatur minor, quia prædictos actus præambulares prædiſtinguebant à toto opere curationis, nec ideò *opus* nominabant, vt referebat Hilarius dicens, *neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant &c. ægrotum velle ſanari*, & iterum, *talem præcedere voluntatem, quæ tantum medicum quærat, non autem quicquam ipſa iam valeat*, quam voluntatem, vtpotè inefficacem, ibidem appellabant, *qualecumque initium voluntatis*.

Ad ſecundum diſtinguo antecedens, loquendo de incremento ſeù augmẽto fidei, concedo, de initio fidei ſeu de fide quadam indirecta & reductiua, quæ potius ab ipſis *credulitas* dicebatur, nego. Vnde referebat Hilarius epiſt. ad Auguſtinum, *conuenienter aſſerunt veritati, ut ex eo merito, quo voluerint & crediderint a ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum & totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum*, & de primo admittebant conuincere loca ſcripturæ, non de ſecundo, vt idem refert dicens, *ad id volunt valere*, ſcilicet ſcripturas, *ut adiuuetur, qui cœperit velle, non ut etiam donetur, ut velit, reiectis alijs &c.* vt diſtinguit etiam Auguſtinus lib. de *Prædeſt.* Sanctorum cap. 2. & 4. his phraſibus vtens, *in Chriſtum credere cœpimus, primitus creditur*. Verum eſt, quod, vt notat etiam Suarez proleg. 5. cap. 6. num. 4. ſicut ante gratiam iuſtificantem ac fidem Theologicam explicitam ponebãt initia in actibus naturalibus, ita poſt

cam

eam habitam ponebant initium in natura reſpectu ſaltem finalis perſeuerantiæ hominis morientis in eadem gratia ac fide, vt apertè vtrumque diſtinguit & notanter refert Auguſtinus lib. de dono perſeuerantiæ cap. 17. & lib. de Prædeſt. ſanctorum cap. 2. & retulerat ipſe Hilarius in eadem epiſtola, ſcilicet, *ut uirtus perſeuerantiæ, quibus datur, ineſſi liceat, præcedenti tamen propriæ arbitrio tribuatur*, vt in hoc etiam cum Maſſilienſibus anteà aberrauerat Auguſtinus in præindicata expoſitione ad Romanos, propoſitione 60. obiecta etiam à Maſſilienſibus in eadem epiſtola Hilarij.

Ad tertium reſpondetur, Auguſtinum in priori loco dixiſſe vtique ipſos poſuiſſe *fidem*, nō tamen *ſolam*, aliter etiam *perſeuerantiam* ſubiunctam alibi excluſiſſet, ideò autem eam præcipuè memorauit, quia cæteris omnibus prior eſt, vt explicuimus. Vndè etiam dicebant, *quod fides impetrat*, vt refert idem Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. & alibi. Hinc ad ſecundum locum, vel dicendum eſt ly *ſolum* ſumi aduerbialiter non adiectiuè, & ſenſum facere, quod ſolum Semipelagiani reſeruabant naturæ *initium fidei & perſeuerantiam*, excludendo opus curationis, non verò excludendo alios actus initiales, vel ly *ſolum* acceptum adiectiuè cadens ſuprà ly *initium fidei*, tunc excluderet augmentum fidei, non verò cæteros actus initiales præter fidem, vel demum ſi hoc vltimo modo ſumeretur, intelligi deberet, non de ſingulis Semipelagianis, ſed de ſingularibus quibuſdam, de quibus ideò Auguſtinus ità ibidem aiebat, *ſed ij, qui ſolum initium &c.* præter inconſtantiam & varietatem in Semipelagianis iam ante notatam.

Ad quartum conceſſo antecedenti negatur conſequentia, quia *timor* eſt quid neceſſariò prærequiſitum ad fidem in intellectu, vnde totaliter reducitur ad ipſam, nec quoad hoc ponit in numero cum ipſa, vndè dicebat Auguſtinus lib. de cathechizantis rudibus cap. 5. *rariſsimè accidit, immò verò numquam, vt quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore percußus*, & repetit in Pſal. 149. ad illa verba, *initium ſapientiæ timor Domini*.

Ad quintum pariter conceſſo antecedenti negatur conſequentia, quia dolor de infirmitate non ponit quoad hoc in numero cum deſiderio ſanitatis, cū odium mali non niſi ex amore boni proueniat, ex p. 2. de amore, & dolor reſpicit in propoſito terminum à quo, deſiderium verò terminum ad quem, conſequenter vnum veluti motum animi conſtituunt.

Ad ſextum pariter immò à fortiori eodem modo reſpondetur *diligentiam ac deuotionem* inre coincidere cum deſiderio.

Ad ſeptimum eodem modo dicas de voluntate non peccandi ſeu rectè viuendi, & pariter ad octauum de actu vigilandi ſeu ſtudendi, qui ſinguli reducuntur ad deſiderij vim; actus autem humilitatis reducitur ad ſubiectionem ſupplicis orationis, vt patet.

Ad nonum dici poteſt *obedientiam* eſſe actum generaliter imbibitum in ſingulis tribus, pro quanto, vt infrà dicetur, Semipelagiani ponebant ad ſingulos prædictos actus vtique gratiam excitantem tribuentem quodammodo poſſe, ſed in actu aſſentiri dicebant naturaliter vnam voluntatem præ altera ſe diſcernere, & hoc vocabant *obedire gratiæ excitanti &c.* vt paſſim habet Caſſianus, qui pariter prædictos ſingulos actus vnico generali nomine appellabat, *laboris humani*, lib. 12. inſtitutionum cap. 14. eoſq; dicebat eſſe ad ſuo-

ſequentem

ſequentem gratiam, non quidem merita, ſed *occaſiones*, vt loquitur Collat. 13. cap. 13. quam gratiam ſubdit inde *ſub colore cuiuſdam deſiderij ac laboris impertire Deum, & nihilominus gratia Dei ſemper gratuita perſeuerat, dum exiguis quibuſdam paruiſque conatibus &c. tanta dona inæſtimabili tribuit largitate*, dum aliàs, vt dixerat lib. 12. inſtitutionum cap. 14. *præſto eſt Deus occaſione ſibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda: & obtinendæ ſalutis occaſionem* vocabant Maſſilienſes apud Hilarium in epiſtola ad Auguſtinum, hic igitur manifeſtus erat error Semipelagianorum ac Maſſilienſium &c.

§. V.

An poſt dictos actus naturales inchoantes ordinem gratiæ admiſerint Semipelagiani poſteà adiutorium efficax ab intrinſeco, ſine timore læſionis indifferentiæ ſeù libertatis.

NEgant Coninch diſput. 4. de actibus ſupernaturalibus dub. 5. num. 92. & Suarez proleg. 5. cap. 6. dub. 3. & 4. & probatur, quia, vt inquit Suarez pro principio generali habebant eumdem actum non poſse eſſe à voluntate libera & à gratiæ adiutorio *neceſſario ad illum efficiendum*, ſed hoc principium æquè vrgeret etiam in alijs actibus ſupernaturalibus poſt prædictos actus naturales ſubſequentibus in ordine gratiæ, ergo neque in iſtis admittere poterant adiutorium ſupernaturale efficax ab intrinſeco.

Secundò quia, vt refert Hilarius epiſtola ad Auguſtinum, vniueſim *quidquid libet donatum ſit prædeſtinatis id poſſe & amittere & retinere propria voluntate contendunt*, & indè inferebant *perſeuerantiā ſuppliciter emereri vel amitti contumaciter poſſe*. Sed hoc non verificaretur, ſi poſt actus initiales admiſiſſent adiutorium aliquod ab intrinſeco efficax, quod indeclinabiliter ſibi ſubijceret voluntatem, ergo non admiſerunt &c.

Tertiò, quia, vt ex relatis ſibi ab Hilario & Proſpero Auguſtinus expendit lib. de Pıędeſt. Sanctorum cap. 2, & de dono perſeuer. cap. 17. *etiam perſeuerantiam ſic in noſtra conſtituebant poteſtate, vt Dei donum eſſe non putarent*, ſed hoc non eſset ſi poſt actus initiales prædictos indeclinabile adiutorium conceſſiſſent, ergo concedere non potuerunt.

In oppoſitum tamen eſt, quod etiam in ſententia ſupponente adiutorium efficax ab intrinſeco lędere libertatem, ſi primo antè initia naturæ detur, tamen admittitur non lædere, ſi poſt initia aliqua ſuperueniat etiamſi efficax ab intrinſeco, vt diſtinguit, & explicat manifeſtè Ripalda diſput. 103. ſect. 5. & conſequenter errori Semipelagianorum circa primum non repugnat iſta poſitio circa ſecundum, ergo cum aliàs ex epiſtola Hilarij & Proſperi iſti non eſſent hoſtes gratiæ, niſi pro quanto lædi libertatem formidabant, veriſimilius eſt, non obſtante primo, poſuiſſe ſecundum, vt non pauci ſcriptores poſtea cum Aluarez lib. 6. reſp. cap. 6. ad 5. & 6. interprætati ſunt, & ſequuntur Salmaticenſes tom. 5. pag. 59.

Reſpondeo videri vtique eos ità poſuiſſe &c. Sic enim Auguſtinus in lib. de dono perſeue. cap. 17. videtur ſupponere id tamquam certo admiſſum ab eiſdem, dum ex iſto in eos retorquet eorumdem obiectiones de non prædicanda

da

da Auguſtini ſententia dicens, *ad ipſa cætera exhortationem eorum, cæterorumque prædicationem definitione prædeſtinationis non metuunt impediri*, & infrà, *ipſi hortantur quoque ad caſtitatem, charitatem, pietatem &c. quæ Dei dona eſſe confitentur, nec dicunt exhortationes ſuas impediri prædicatione prædeſtinationis Dei*. Sic clarius adhuc ibidem eorumdem ſenſum compendio reſtringit his verbis, *initium fidei & vſque in finem perſeuerantiam ſic in noſtra conſtituunt poteſtate, vt Dei dona eſſe non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari noſtras cogitationes & voluntates: Cætera verò ipſum dare concedunt*, quid euidentius? Sic etiam Hilarius in hoc ſenſu in epiſt. ad Auguſtinum aiebat, *alij autem ad id referunt*, quod ſcilicet Deus faciat vt faciamus, *vt ex his eam gratiam accipiant commendari, qua vnuſquiſque poſt voluntatem iuuatur*. Sic inde hoc etiam diſcurſu probari poteſt, quia tota origo difficultatis atque diſſidij inter Auguſtinum & prædictos reducebatur originaliter ad illud, quod homo inciperet ſe diſcernere vnus ab altero, vt vnus præ altero ſaluaretur, vt illi falsò contendebant. Sed ponendo adhuc adiutorium ab intrinſeco efficax ſubſequens ſolum, & datum poſt prædictos actus initiales diſcretiuos vnius ab altero, hoc ipſorum intentum ſeruabatur, ergo non obſtante prædicto diſſidio veriſimile eſt in hoc alio cum Auguſtino conueniſſe, quem aliàs *eiuſque doctrinam admiratos & ſectatos eſſe in alijs omnibus*, teſtatur Proſper in epiſtola ad Auguſtinum eumdem; maior colligitur ex Hilario in eadem epiſtola ad Auguſtinũ ſcribente, *ad id volunt valere, vt adiuuetur, qui cœperit velle, non vt etiam donetur vt vellit &c. & de commendio putant rationem reddi &c.* pariter Proſper ex eiſdem refert, *quod ideò aliquis accipiat, ideo inueniat, ideò introeat, quia bono naturæ bene vſus ad iſtam ſaluantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit peruenire*, & infrà, *in iſtam verò talis gratiæ prædicationem hi ideò ſe vel maximè contulerunt, quia ſi profiterentur ab ea omnia bona merita præueniri, neceſſitate concederent Deum ſecundum propoſitum diſcernere &c.* & in carmine de ingratis ideo dicebat ſecundum eos inchoari *ſalutem ex fonte volendi*; vt legi poſſunt Fauſtus lib. 1. cap. 9. 14. & 40. & Iulianus apud Auguſtinum lib. 2. operis imperfecti num. 131. & 132. minor verò facile declaratur & probatur, nam connexum cum altero impedibili à nobis & ipſum conſequenter impedibile eſt, ſed in iſta hypotheſi Semipelagiana adiutorium efficax connexum eſſet cum actu noſtro initiali à nobis impedibili, ergo & ipſum conſequenter impedibile adhuc in ipſorum ſententia remaneret. Inde in hoc ſenſu intelligi poſsunt ea verba Proſperi ad Auguſtinum in perſona eorumdem Maſſilienſium, *qui autem credituri ſunt, quiue in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda manſuri ſunt, præſciſſe ante mundi conſtitutionem*, concedendo ſcilicet *fidem deinceps iuuandam per gratiam*, vti & mox ſubiungebant, *cæterum ad nullum opus vel incipiendum ne dum perficiendum quemquam ſibi ſufficere poſſe*, quia ſcilicet *libertas ſua ab hoc auxilio Dei iuuanda ſit, ſi quod Deus mandat elegerit, (& vt gratia non ſolum erigat proſtratos, verum etiam ſuffulciat ambulantes)* & demum *ex ſcripturis commendari gratiam, qua vnuſquiſque poſt voluntatem iuuatur*, vti & Auguſtinus in hoc ſenſu hæc excepiſse videtur lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 19. referens ex eiſdem, *Deum noſtram non præſciſse niſi fidem, qua credere incipimus, & ideò nos elegiſse ac prædeſtinaſse, vt etiam ſancti & immaculati gratia atque opere eius eſſemus*. Roborari poteſt ab exemplo ſeu à fortiori, nam facilius eſt adiutorium Dei connexum cum actu initiali libero noſtro ideo nõ

deſtruere

Digitized by Google

deſtruere libertatem noſtram, quam quod actus conſequẽtes ad priores actus noſtros, ſi neceſſarij ſupponantur, liberi poſteà eſſe poſſint. Sed hoc ſecundum adhuc imaginatus eſt Chemnitius hæreticus dicens in actibus præuijs ad iuſtificationem ex adiutorio indeclinabili Dei nos agere neceſſariò, & tamen in actibus ſubſequentibus agere liberè, vt refert Stapletonius lib. 4. de Iuſtif. & ex ipſo Curiel p. 2. q. 111. ar. 2. dub. 2 §. 7. ergo à fortiori prædicti Maſſilienſes imaginari poterant ſtante libertate in actibus initialibus ſtare ſimul poſſe adiutorium indeclinabile ad ſubſequentes, & ex libertate priorum ſtare ſimul & indifferentiam conſequentium, ſeu poſteriorum. Comprobatur tandem ex Auguſtino, quia, vt refert Hilarius, iſti Semipelagiani *ſe acceptare & probare atteſtabantur* eam opinionem, quam olim tenuerat Auguſtinus in expoſitione *de lib. in epiſtolâ ad Rom.* Sed in opinione illa Auguſtinus præter fidem, quam tunc negabat ab initio *donum Dei eſse*, admittebat adiutorium efficax in ordine ad reliqua, vt colligi poteſt ex lib. de Prædeſtin. Sanctorum cap. 3. & 4. ergo pariter & Semipelagianos hoc idem adiutorium in ordine ad reliqua permiſiſſe probabile eſt.

Ad primum igitur diſtinguenda eſt maior, ſi adiutorium non ſit pediſſequũ in ſui conatione ad actus initiales noſtros, concedo, ſi ſit pediſſequum, nego, quia hoc ſecundo modo illi hæretici poterant imaginari adiutorium eſſe impedibile in radice, vtpotè connexum cum initiali actu impedibili, vt ſatis explicatum eſt, & in eorum ſententia probatum. Vnde & Caſſianus, vt inquit Proſper contra Collat. cap. 2. *probauit non auferri arbitrium his donis, ſed potius roborari*, & Maſſilienſes, vt refert in epiſtola ad Auguſtinum aiebant, *libertatem ſuam ab hoc Dei auxilio iuuandam, ſi quod Deus mandat elegerit*.

Ad ſecundum conceſſa maiori negatur minor, quia cum hoc adiutorium actuale tranſiens eſſet, non permanens, ideò ſucceſſiuè in eorum hipotheſi falſa & hæretica iterum ſubdebatur arbitrio, vt iterum obtineretur vel repelleretur per actus initiales præexplicatos.

Ad tertium, licet ex S. Thom. p. 2. q. 110. ar. 10. alia ſit perſeuerantia finalis morientis in gratia, alia perſeuerantia ſolummodò temporaria permanentis etiam diuturno tempore in gratia, & de prima explicari poſſet illud dictum Semipelagianorum, quidquid eſſet de ſecunda; adhuc tamen de vtraq; illud dictum in eorum ſententia verificari poteſt iuxtà datam mox reſponſionem ad ſecundum, iuxtà quam apud Hilarium in epiſtola ad Auguſtinum aiebant, *nec cuiquam talem dari perſeuerantiam, à qua non permittatur præuaricari, ſed à qua poſsit ſua voluntate deficere & infirmari &c*, ſtat ergo ſaltem probabile iſtos hæreticos in ſua, licet falſa, hypotheſi diſſeruiſſe.

S. VI.

An aliqui ſaltem Semipelagiani adhuc ad ſingulos prædictos actus naturales initiales admiſerint gratiam excitantem internam, determinabilem tamen pro libito voluntatum ſe diſcernentium &c.

NVllos omninò eam admiſiſſe opinati ſunt Suarez proleg. 5. cap. 6. dub. 8, & cap. 5. num. 9. & 28. Franciſcus Annatus in informatione circa quinque

quinque propoſitiones in ordine ad quartam, Thomas Auguſtinus libro 2. à cap. 1. vſque ad 11. Vaſquez p. 2. diſput. 199. cap. 3. num. 11. & p. 1. diſpu. 89. cap. 5. & alij recentiores contrà Ianſenium ex alia parte extrema id affirmantem de omnibus & ſingulis Semipelagianis lib. 8. hæreſis Pelagianæ cap. 6. Contra quem ſimul iſta negatiua ſententia abſolutè probari poteſt. Primò quia ab Innocentio X. & Alexandro VII. damnata eſt ea quarta propoſitio Ianſenij nimirum, *Semipelagiani admittebāt præuenientis gratiæ neceſsitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet voluntas humana reſiſtere vel obtemperare*. Sed hoc idem videtur aſſerere affirmatiua in præſenti ſententia, ergo in præſenti affirmatiua ſententia ſuſtineri nequit.

Secundò, quia in ſententia Semipelagianorum actus initiales ſeù prima initia reducebantur in ipſam naturam voluntatis, vt diſtinguitur contra gratiam Dei, ſed ſi admiſiſſent ſimul neceſſariò gratiam excitantem, non in naturam reducerentur, immò in gratiam, ergo illam gratiam non admiſerunt; maior, quæ ſola indiget probatione, habetur apertè tum ex Proſpero ab illis verbis in epiſtola ad Auguſtinum, *ad conditionem hanc gratiam volunt vniuſcuiuſque hominis pertinere, in qua gratia creatoris inſtituit*, vt repetit etiam ad capitula Gallorum cap. 8, & contra Collat. cap. 8. & 17. & refert ex Vitali Auguſtinus epiſtola 107. immo cum excluſione cuiuſcumque alterius gratiæ ſupernaturalis, vt teſtatur dicto cap. 8. Proſper his verbis, *laudabiles motus appetituſque virtutum remota gratia Dei nudæ libertati adſcribunt arbitrij &c. vt poſsint, etiamſi non à Deo inſpirentur, incipere*, & cap. 9. cont. eumdem Collat. inquit, *ad ea initia bonarum voluntatum liberum arbitrium ſibi ſine gratiæ ope poſſe ſufficere*, & cap. 13. *bonum conuerſionis humanæ tantummodo voluntatis eſſe in quibuſdam, & horum mentibus Deum nihil ſuæ virtutis admouere*, & demum cap. 15. *religioſas cogitationes, & ſancta conſilia nulla Dei inſpiratione concepta de naturali poſſe prodire ſapientia, ex ſolo arbitrio, & non ex inſpiratione Dei naſci*.

Tertiò quia ille, qui ad omnia initia fidei agnoſcit præcedere ſolam extrinſecam prędicationem, profectò negat intrinſecam excitātem gratiam neceſſariam eſſe. Sed Semipelagiani ſolam primām agnoſcebant, vt refert tum Proſper de Maſſilienſibus in epiſtola dicens iuxtà ipſos *ad ſalutis donum omnes homines vniuerſaliter vocari, ſiue per naturalem, ſiue per ſcriptam legem, ſiue per euangelicam prædicationem*, tum Auguſtinus de Vitali epiſt. 107. dicens, *per hoc tantum putas à Domino greſsus hominis dirigi, quia ſine doctrina Dei non ei poteſt innoteſcere veritas, cui propria voluntate conſentiat*, tum demum de ſe ipſo errante olim idem Auguſtinus in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. his verbis, *neque fidem putabam Dei gratia præueniri &c. niſi quia credere non poſſemus, ſi non præcederet præconium veritatis &c.* ergo Semipelagiani negabant intrinſecam gratiam excitantem neceſſariam eſſe.

Quartò eam gratiam negauerunt Semipelagiani ad initia operum, quam ad operum conſumationem etiam Pelagiani negabant, ſed Pelagiani ad conſumationem operum negabant etiam quamcumque excitantem intrinſecam gratiam, agnoſcentes ſolam naturam cum doctrina & lege extrinſeca, ergo eamdem pariter ad initia Semipelagiani negauerunt, vt Thomas Auguſtinus cap. 4. diſcurrit.

In oppoſitum tamen eſt ſententia affirmans, non quidem de omnibus Semipelagianis, vt Ianſenius in extremo aberrabat, ſed de aliquibus tantum, vt denuò propugnarunt Gonet diſput. 2. de gratia art. 3. per totum, Franciſcus Macedo in opere circa propoſitiones Ianſenij, & Ouiedo p. 2. trac. 1. contr. 1. punct. 4. num. 76. & cum alijs Alarcon tract. 4. diſput. 2. cap. 8. num. 26. Aluarez libr. 6. reſponſ. cap. 6. num. 19. & 20. Gonzalez diſput. 68. in p. p. Salmanticenſes tom. 5. pag. 59. & alij, ergo iſta ſententia vt media veluti inter extremas etiam ex hoc capite probabilior eſt.

Reſpondeo aliquos etiam Semipelagianos ad prædictos actus initiales, ſeu inchoantes ordinem gratię conceſſiſſe requiri inſpirationem internam licet determinabilem à libero voluntatum ſe diſcernẽtium &c. & primò probatur, quia Gennadius etiã in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus doctrinam Semipelagianam proſequutus eſt, vt contra Suarez id negantem lib. 3. de auxilijs c. 9. & contra Norim in hoc conſentientem, legi poſſunt ad hoc Ioannes Heſſelius in cenſura eiuſdem libri impreſſa in tom. 3. Auguſtini, tum doctores Louanienſes in ſua pariter cenſura, tum nouiſſimè Franciſcus Macedo commentatione prima in Norim, & nos ad argumenta aliquid ſubiungemus, ſed ibi ad actus initiales, & quemcumque actum ſalutarem neceſſariò prærequirit gratiam internam excitantem, ſcilicet, vt Gennadius loquitur cap. 19. *admonente prius Deo & inuitante &c. vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi &c.* ergo iam aliqui Semipelagiani ad dictos actus prærequirebant internam inſpirationem. Secundo longè certius eſt Caſſiani doctrinam fuiſſe Semipelagianam, vt iſti ſupponũt, cum quibus modo diſputamus, ſed etiam Caſſianus ad dictos actus prærequirebat inſpirationem, ſcilicet inquit Collat. 3. cap. 4. *inſpiratio in cor immittitur, quæ dormientes ad deſiderium ſalutis exſuſcitat*, & cap. 12. *Dei eſse vocantis oblationem &c.* & 12. inſtitution. cap. 16. negat noſtros *conatus eſse poſse ſine auxilio inſpirationis Dei atquę exhortationis gratia, quam cordibus noſtris vel per alium ſolet, vel per ſe ipſum nos viſitans clementer infundere*, & demum Collat. 13. cap. 3. dicebat, *non ſolum actionum, ſed etiam cogitationum bonarum ex Deo eſse principium, qui nobis & initia bonæ voluntatis inſpirat*, ergo iterum in aliquorum doctrina & ſententia Semipelagianorum ad actus etiam initiales interna inſpiratio, vt patet ex iſto verbo *inſpirationis*, & non ſolum vocatio externa, vt exponit Suarez, neceſſaria erat; & ne dicas cum Thoma Auguſtino admiſiſſe vtique *inſpirationem* internam, ſed merè naturalem naturæ, non verò gratiæ, ne, inquam, ſic dicas, tum quia in hoc Semipelagiani nullo modo fuiſſent diſtincti à Pelagianis, tum quia Caſſianus appellat *ſaluberrimam compunctionem*, vti & Gennadius, *ſalutiferam inſpirationem*, quę actui purè naturali non ita conuenirent &c. Tertiò probatur, quia, vt refert Proſper, Maſſilienſes admittebant gratiam ſemper eſſe concomitantem, immo etiam *ſecundum ſuam phantaſiam præuenire voluntatem*, vt loquitur Proſper, & de eiſdem repetit Auguſtinus in lib. de Prædeſti. Sanctorum cap. 1. ſed hæc concomitantia, ſimul & præuentio in voluntates intelligi nequit niſi de iſta *inſpiratione interna* licet determinabili, vt explicuimus, ergo iſtam de facto aliqui ſaltem Semipelagiani admiſerunt. Quartò, quia Semipelagiani admittebant quamdam gratiam, *quæ omnibus ingeratur*, vt loquitur Hilarius, & qua *omnem hominem ad credendum & operandum admoneat Deus*, vt loquitur Proſper in epiſtola, ſeu vt repetit in

carmine

Digitized by Google

carmine de ingratis, *vt cunctos vocet illa quidem incitetque nec vllum præteriens ſtudeat communem afferre ſalutem, omnibus &c. ſed proprio quemque arbitrio parere vocanti*. Sed iſta gratia generalis ita communiter omnibus diſtributa omnibuſque ingeſta,& omnes vocans,alia eſſe non poteſt niſi interna inſpiratio, licet pro libito determinabilis, ergo idem quod prius. Quintò quia tota ratio, propter quam Semipelagiani ab Auguſtino diſsidebant, erat ne cogerentur admittere illud æternum propoſitum Dei diſcretiuum inter homines, &c. de reliquo conantes, quo magis poterant, ſe conformare doctrinæ Auguſtini, & diminuere totum id, quod gratiæ ſubtrahebant, vt in ſuperiori expendimus, & diſertis verbis atteſtantur Hilarius & Proſper in ſæpè laudatis epiſtolis ad Auguſtinum, ſed per hanc internam inſpirationem ſic determinabilem non cogebantur admittere illud propoſitum diſcretiuum ante præſcientiam, & aliàs per iſtam admiſſam inſpirationē minus ſaltem ab Aug. doctrina diſcedere videbantur; ergo probabilius eſt eam admiſiſse. Sextò quia ſententia, quam tenuerunt poſteà Semipelagiani circà initium fidei, tenuerat anteà aberrans Auguſtinus, vt ipſe teſtatur & notat lib. de Prædeſtin. Sanctorum cap. 3. & 4. addens, *eam ſatis indicare nonnulla opuſcula ſua ante ſuum Epiſcopatum ſcripta*, ſed in iſtis opuſculis ſcriptis ante ſuum Epiſcopatum, eamque indicantibus, ſcilicet in lib. 83. quæſtionum adhuc agnoſcebat & requirebat *inſpirationem* internam dum q. 68. dicebat, *nec velle quiſquam poteſt niſi admonitus, & vocatus, ſiue intrinſecus &c. vt etiam ipſum velle operetur in nobis*, & in lib. de vita beata ſcripto pariter ante baptiſmum in fine aiebat, *admonitio quædam de ipſo ad nos fonte veritatis emanat, quæ nobiſcum agit, vt Deum recordemur, vt eum quæramus, vt eum pulſo animi faſtigio ſitiamus, hoc interioribus luminibus noſtris ſol ille ſecretus infundit*, ergo in ſententia adhuc hæretica Semipelagiana inſpiratio adhuc interna ad actus initiales permittebatur, & ad idem facit eiuſdem expoſitio in epiſtolā ad Rom. quam adhibebant, & opponebant etiam Maſſilienſes, vt refert Hilarius ab illis verbis, *vt eſt illud, quod dixit ſanctitas tua in quæſtione contra Porphyrium &c. vel illud de lib. in epiſtolam ad Rom.* vbi nimirum propoſitione 62. dicebat, *noſtrum & velle & credere vocantem ſequi etc. licet velle non poſsimus niſi vocemur*, quod poſteà retractauit lib. 1. retractationum cap. 25. & in eius retractatione ſimilia cætera retractauit, & repetiuit retractationem generalem in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 3. Septimò quia, vt vidimus, etiam Vitalis Carthaginenſis tenuit errorem Semipelagianorum. Sed etiā iſte correquirebat inſpirationē internam, apud Auguſtinum epiſtola 107. dicens, *hominem poſſe Dei ſuaſione præcedente, conſequente conſenſione, libertate naturali credere*, ergo iterum aliqui Semipelagiani eam requirebant. Octauò tandem quia, vt refert Franciſcus Macedo, & cum ipſo noſter Gonet, & videri poteſt in Antiſinodica Malderi, etiam Arminiani, & Sociniani Semipelagiani recentes ſunt, licet alij rigidiores ſcilicet Sociniani, alij verò, ſcilicet Arminiani molliores, ſed adhuc iſti Arminiani correquirunt *inſpirationem* internam licet determinabilem pro libito voluntatum ſe diſcernentium, vt prædicti etiam auctores expendunt teſtimonia eorumdem, ergo iterum aliqui Semipelagiani ad omnes actus initiales inſpirationem internam præexplicatam requiſiuerunt. De modo autem, quomodo hæretice explicarent Maſſilienſes determinabilitatem prædictæ inſpirationis à nobis etiam in vno

& eodem actu ſiſtendo, explicat optime contra Suarez noſter Aluarez conſu-lendus libr. 5. Reſp. cap. 3. per totum, & repetunt Salmanticenſes tom. 5. pag. 61.

Ad primum igitur certum eſt negandam eſſe minorem, & quidem inquiunt Macedo, & Gonet, quia Ianſenius id affirmabat de omnibus Semipelagianis, hæc verò ſententia ſolum de aliquibus. Verum quia & Ianſenius excipit Fauſtum lib. 7. de hæreſi Pelagiana cap. 2. & aliàs hoc paruum videretur diſcrimen, ideò melius reſpondetur ſecundo etiam cum Franciſco Annaro in informatione circa quartã propoſitionem nume. 26. §. 2. *tantum pars propoſitionis cenſuræ ſubijcitur*, conſentientibus etiam duobus prædictis Auctoribus; Reſpondetur, inquam, quartam propoſitionem Ianſenij eſſe copulatiuam conjungentem duas illas partes, ſcilicet *Semipelagianos admiſiſſe prævenientis gratiæ neceſſitatem*, & ſimul *in hoc fuiſſe hæreticos quod admitterent eidem reſiſti poſſe vel obtemperare*, cum autem ex Dialectica ad falſitatem copulatiuæ vnius dumtaxat partis falſitas ſatis ſit, ideò ſatis eſt ſecundam partem prædictæ propoſitionis falſam eſſe, vti in re falſa eſt, eoquia licet Semipelagiani in hoc fuerint hæretici, quod adhuc in ſtatu abſoluto poſuerint prædictam inſpirationem merè paſſiuè determinabilem à nobis pro libito naturali voluntatum ſe diſcernentium, non tamen hæretici fuere in concedenda potentia indifferenti & expedita contra Caluinum, atque Ianſenium, ad obtemperandum vel non obtemperandum, vt modò in hoc ſecundo omnes catholici conueniunt, & ſimul omnes repudiant primum, vt notauit etiam Suarez proleg. 5. cap. 3. num. 11. (quidquid de ſtatu conditionato ſit) & planè illud primum refutabat Proſper in epiſtola ad Auguſtinum, vbi poſt recitatam Maſſilienſium explicationem, ſcilicet *ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus quiſque eſſet voluntate, & actione præſciuiſſe Deum*, ſubiungit, *nec conſiderant ſe gratiam Dei, quam comitem non præuiam humanorum volunt eſſe meritorum, etiam illis voluntatibus ſubdere, quas ab ea ſecundum ſuam phantaſiam non negant eſſe præuentas*, & iterum iuxtà eorum hæreſim velut abſurda hæc ſingula inferebat, *ſic cum duo ſint, quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia, priorem volunt eſſe obedientiam quam gratiam, vt initium ſalutis ex eo, qui ſaluatur, non ex eo credendum ſit ſtare, qui ſaluat, & voluntas hominis diuinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubijciat voluntatem*, vt repetit etiam Auguſtinus de Prædeſt. Sanctorum cap. 5. Ianſenius igitur hæc duo non diſtinguens ideò peſſimè aberrauit, & propter ſecundam partem propoſitionis eiuſdem quarta propoſitio iuſtiſſimè damnata eſt, non verò propter primam partem, vt denuò poſt vltimum Alexandri VII. decretum, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Galliæ in ſcripto tranſmiſſo ad eumdem Pontificem exhibito ab Illuſtriſſimo Gilberto de Chroiſeul Conuenatum Epiſcopo, ità eodem modo damnationem quartæ propoſitionis intellexerunt, & commendantem Pontificiam epiſtolam obtinuerunt datam ſub die 29. Iulij anno 1663. impreſſam cum eorumdem ſcripto apud Gonet tom. 2. diſput. 6. ar. 8. & alia circa huius quartę propoſitionis cenſuram videri poſſunt in Salmanticenſibus Excalceatis tom. 5. pag. 59. & tom. 6. pag. 98.

Ad ſecundum conceſſa maiori negatur minor, quia admiſſa adhuc prædicta inſpiratione determinabili pro libito naturali à voluntatibus ſe diſcer-

nentibus,

nentibus, iam prima ratio diſcretionis & conſequenter initium ſalutis vnius hominis præ altero vtique iuxta ipſos in ſolam naturam tandem reducebatur, vt præter mox recitata expendebat iterum Proſper in epiſtola ad Auguſtinum de eorum ſententia dicens, *quod non, ideò quia adiuuatur, homo vult, & quod aliundè Deo placetur, non ex eo quod ipſe donauerit*, omiſſo quod Caſſianus inconſtanter ſatis & lubricè loquutus eſt, vt ipſi improperat Proſper lib. cont. Collat. cap. 3. dicens, *eum definitionis ſuæ oblitum citò à ſententia defeciſse*, & demum omiſſo quandoque & ſæpè Semipelagianos, immò & impugnatores eorumdem, quoad hoc, prædictam *inſpirationem* modo prædicto determinabilem non diſtinxiſse ab ipſa natura contra diſtincta contra gratiam, tùm quia, vt iam vidimus, eam generalem in omnibus ſupponebant, non verò diſcretiuam vnius ab alio, de qua ſola gratia diſcretiua tunc temporis diſputabatur, tum quia ex Hilario in Epiſtola eam ſupponebant eſſe inter *quaſdam integræ naturæ reliquias*, nec de ipſa ſicut *nec de fide poſse dici quid habes quod non accepiſti? cum in eadem natura remanſerit licet vitiata, quæ prius ſana ac perfecta donata ſit*, Vndè abbhorrebant *nihil quod prædicatione excitetur in hominibus remanſiſse*, de qua tamen gratia veluti creationis iam anteà Auguſtinus proteſtatus fuerat diſputationem non procedere in lib. de natura & gratia cap. 53. dicens, *nunc non de illa gratia quæſtio eſt, qua eſt homo conditus, ſed de iſta, qua fit ſaluus per Chriſtum*.

Ad tertium negatur maior, quia vt communiter dicunt Summuliſtæ, & Theologi repetunt in materia de proceſſione Spiritus Sancti etiã à Filio, particula excluſiua numquã excludit à concomitantibus, & ideò dũ Semipelagiani explicitè nominabant externam prædicationem non excludebant inſpirationem internam in vitali illius auditione implicitè ſubintellectam, immò comprehendebant apud Hilarium dicentes, *excludi omnem prædicandi vigorem, ſi nihil, quod per eum excitetur in hominibus, remanſiſse dicatur*, vt comprehendebat etiam Auguſtinus lib. de gratia Chriſti c. 10. quam tamen explicitè non ità frequenter exprimebant propter cauſas iam antè datas, verè autem eam admiſiſſe adhuc in ſententia Aduerſariorum certum eſt, aliter ſi penitus eam negaſſent, iam in ordine etiam ad conſummationem operum à Pelagianis nullo modo diſcrepaſſent, cum tamen, vt inquit Hilarius in Epiſtola, *& ipſi abhominare ſe & damnare teſtarentur, ſi quis exiſtimet quicquam virium in aliquo remanſiſse, quo ad ſanitatem progredi poſsit &c.*

Ad quartum nego minorem, vel diſtinguo, loquendo de primo ſtatu hæreſis Pelagij concedo, ſaltem de vltimo ſtatu eiuſdem nego, vt eum Aluarez prolixe explicat noſter Ioannes à S. Thom. diſput. 3. de voluntate in propoſito conſulendus, dum interim proximius ad inſtitutum hoc noſtrum circa Semipelagianos dumtaxat inquirendum ſubſequitur, ac decernendum.

S. VII.

An Semipelagiani plerumque ob inuincibilem ignorantiam cenſendi fuerint ſolum hæretici materiales, non formales, pro aliquo tempore, quo errare cœperunt.

NOn enim ex ignorantia inuincibili excuſari potuiſſe ſupponunt Danæus hæreticus Caluiniſta lib. 1. de vſu Patrum cap. 4. pag. 43. & Blondellus

lus de primatu Eccleſiæ ſect.6. pag. 51. immò & ex Catholicis recentioribus ſuppoſuiſſe videtur Henricus Noris in appendice cap. 2, necnon Franciſcus Macedo commentatione prima cap. 17. & primò probatur à Noris aduerſus Ariagam. Quia in viris doctis adminus ſimilis ignorantia inuincibilis præſumenda non eſt. At Semipelagianos fuiſſe doctiſsimos atteſtatur tum Auguſtinus de Prædeſt. Sanctorum cap. 20. appellans, *bona ingenia*, tum Proſper initio cont. Collat. *nec deſpicienda ingenia, & exiſtimatos magno ingenio ac vehementi ſtudio laborantes*, & præſertim Caſſianum vocat *ſubtiliſsimum tractatorem, quem non dubium eſt illis omnibus in Sanctarum Scripturarum ſtudio præſtare*; nec minus doctum fuiſſe Fauſtum ex Sidonio lib. 9. epiſtola 9. haberi poteſt, præter iam ſupra relata in argumentis. In iſtis igitur prædicta ignorantia inuincibilis præſumenda non fuit.

Secundò quia vbi adeſt error ex obſtinatione ſeu pertinacia, iam ſola ignorantia inuincibilis dici nequit. At iſtos in errore manſiſſe ex obſtinatione ac pertinacia teſtatur Proſper in epiſtola ad Auguſtinum dicens, *obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt*, tum poſt ipſis lectum Auguſtini librum de corrept. & grat. ſubiungens, *qui perſuaſionis ſuæ obſcuro impediebantur, auerſiores quam fuerant, receſſerunt*, & infrà, *cum prius meliora ſentirent &c.* Et demum concludens, *eo poſtremo peruicacia tota eorum deſcendit &c.* non igitur ex ſola ignorantia inuincibili aberrauerunt.

Tertiò qui ſubdolè, & non ingenuè operatur, non eſt cenſendus ex ignorantia inuincibili operari. At iſtos ſubdolè & non ingenuè operatos eſse teſtis eſt idem Proſper, tum epiſtola ad Rufinum dicens, *occultis ſed non incognitis ſuſurrationibus obloquuntur, prout ſibi notas aliquorum aures opportunaſque repererint, ſcripta Auguſtini, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamantes*, & infrà, *quis neſcit, cur iſta priuatim de ſtomacho garriant, & publicè de conſilio conticeſcant?* ex quo poſteà in libr. contra Collat. cap. 1. appellabat eorum *inſtrepentem domeſticam malignitatem*, modò, *fallacium calumniatorum hypocriſim*, mox eos dicebat, *reuerentiam ſibi præſumptione parientes*, modò, *inſidioſos ſcrutatores*, modò, *eiectis extra Ouile lupis ſub nomine ouium ſuffragantes*, & huiuſmodi titulis inſigniebat. Non igitur iterum eos ex ignorantia inuincibili operatos eſſe credendum eſt.

Quartò, quia gratis admiſſo adhuc poſt Epiſtolam Cæleſtini, ante Synodum Arauſicanam ſecundam, potuiſse pro eo interſtitio temporis aliquos etiam litteratos viros ex ignorantia inuincibili opinari, non eſse tunc adhuc explicitè ſuos Semipelagianos damnatos errores, adminus dicere adhuc eo tempore in ea materia doctrinam Auguſtini erroneam eſse, erat apertè contradicere epiſtolæ Cæleſtini aſſerentis: *Nec vmquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit &c. Vndè reſiſtendum talibus, quos malè creſcere videmus*, qui ſcilicet *nitebantur etiam quieſcentium* nempè Auguſtini, vt præmiſerat, *fratrum memoriam diſsipare*. At ita iſti fecere, vt videtur, etiam poſt eam epiſtolam nō deſinentes in ſuis ſcriptis velut hæreticum infamare Auguſtinum, vt referebat mox antè laudatus Proſper in epiſtola ad Rufinum dicens, *infamant dicentes eum liberum arbitrium penitus ſubmouere, & ſub gratiæ nomine neceſsitatem prædicare fatalem, adijcientes etiam duas illum humani generis maſſas, & duas credi velle naturas, ut ſcilicet tantæ pietatis viro Paganorum, & Manichæorum adſcribatur impietas*, nec contenti, ut anteà fecerant, *occultis non tamen incognitis ſuſurrationi-*

bus,

bus, poſteà ſingulas iſtas calumnias detecta fronte vulgatis libris inſeruerunt, quibus deindè Proſper reſpondere coactus eſt, ſcilicet tùm altero opuſculo ad *obiectiones Vincentianas*, tùm altero *ad capitula Gallorum*, in quibus appoſitè ſingulæ mox recitatæ calumniæ leguntur, & id viſus eſt ſignificare idem Proſper epiſtola ad eumdem Auguſtinum de Maſſilienſibus ſcribens, *ſub hoc, inquiunt, prædeſtinationis nomine fatalem quamdam induci neceſſitatem, aut diuerſarum naturarum dici Dominum Conditorem &c. hoc totum ab iſtis ſanctis contentioſiſſimè conclamatur; & cum contra eos ſcripta beatitudinis tuæ validiſſimis teſtimonijs &c. inſtructa proferimus, ac ſecundum formam diſputationum ſuarum aliquid etiam ipſi* (nota) *quo concludamur, aſtruimus, obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt*. Iſti igitur, vt apparet, palam etiam ipſi Cæleſtini epiſtolæ reſtiterunt; Contumaces igitur in Eccleſiam, & improbi abſque vllo excuſabilis erroris colore dimittendi ſunt.

In oppoſitum tamen eſt eiuſdemmet Proſperi atteſtatio pro ipſis, dum eos vocat in eadem epiſtola ad Auguſtinum, *Sanctos*, mox *egregios in omnium virtutum ſtudio viros*, modo, inquit, *multum nos & vitæ meritis antecellunt*, mox appellat *meritis atque honoribus claros*, tum lib. contr. Collat. adhuc poſt Cæleſtini epiſtolam eoſdem iterum ab initio ſic nominat, *noſtros concorporales & participes gratiæ Chriſti*, tum in fine poſt recitatam Cæleſtini epiſtolam ibidem concludit, *horum, dum adhuc non ſunt à fraterna ſocietate diuiſi, toleranda magis eſt intentio quam deſperanda correctio donec &c.* ſcilicet, donec explicita magis illorum errorum condemnatio ſuccederet, quæ poſteà ab eo tempore tranſacto integro ſæculo, ſcilicet anno 529. in Synodo Arauſicana ſecunda ſucceſſit. Non igitur adhuc neceſſe eſt Semipelagianos eo intermedio tempore ſaltem hæreticos formales aut extra refugium ignorantiæ inuincibilis extitiſſe.

Reſpondeo ſic me de facto opinari, non ſolum cum Ariaga tom. 1. in p. p. diſput. 36. nu. 11. (quem ſolum Noris in appendice afferebat) verum etiam cum Aluarez lib. 5. reſponſ. cap. 3. num. 2. quem vt Magiſtrum in hac materia cęteri omnes Thomiſtæ imitati ſunt, & conuenere in hoc puncto Suarez proleg. 5. de grat. cap. 5. num. 7. Vaſquez p. 1. diſput 88. cap. 6. Theophylus Raynaudus in Apologia pro Valeriano cap. 3. Iacobus Syrmundus notis in Synodum Arauſicanam ſecundam, Ludouicus Cellottius lib. 2. hiſtoriæ Gondeſchalchi cap. 2. Bail Pariſienſis tomo 2. Conciliorum pag. 293, & Ioannes Euſebius epiſtola 5. & præter cęteros, Eccleſia integra Lugdunenſis octingentis abhinc annis ſimul cum ſuo D. Remigio in lib. de tribus epiſtolis cap. 35. ſupponente, *auctores illius querimoniæ magnos & ſanctos apud Gallias viros fuiſſe.* Operoſius autem, præſuppoſitis ijs, quæ in quęſt. ſuperiori diximus de poſtremis capitibus epiſtolæ Cæleſtini, videbitur aliquibus id explicare, quàm ſuadere. Verum ex Theologorum doctrina facillimè explicari poteſt in materia de fide, præſertim ex illo Damiani lib. 1. epiſtola 13. *non error hæreticum, ſed pertinax obſtinatio facit, nec omnes hæretici dicendi ſunt, qui opinantur errorem, ſed qui pertinaciter. Ad aſſenſum quippè fidei*, ſubdit Ioannes Caramuel in ſua Theologia fundamentali fundamento 46. num. 1342. *duo requiruntur, piá affectio, & euidentia credentitatis, & quia video aliquos ita affici contra Eccleſiam Catholicam, vt ignorantia, ſi quam habent, ex odio, & inuidia naſcatur, illos formali hæreſi laborare pronuncio, ſiue ſint fœmina ſiue viri Theologicarum*

veritatum

veritatum ignari, & quia piá affectio eſt actus voluntatis liber, atque ideò hæretici ſunt quia hoc actu carent & liberè ſunt hæretici & formalis infidelitatis damnandi. Ac huiuſmodi, vt antè dixerat num. 1340. *in multas ſubdiuiduntur claſſes, ſcilicet perſiſtentium in errore nationis, vel vt regnent aut dominentur vel ne puniantur ſeu contemnantur, vel ne quidpiam bonorum amittant & huiuſmodi (etiamſi veritatem fidei Catholicæ ſeù earum credibilitatem, & credentitatem agnoſcant) iſtos omnes credendum eſt eſſe non hæreticos materiales ſed formales*, renuentes ſcilicet aſſentiri auctoritati, veracitatique Eccleſiæ, quàm ex animo prænouerunt, incurrentes in illud Matthæi, *ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Vtique ex alia parte inquit, *Multi alij ſunt, qui piè viuere volunt, & à Paſtoribus ſuis ſeducuntur, quos hæreticos materiales dicimus*, ad quos reducendos deindè & doctos viros, qui quandoque errori adhærent reipſa prædamnato ab Eccleſia, ſed ingenue, licet falsò, putantes in eo ſenſu non fuiſſe damnatũ, ſubiungit poſtea de Ianſenio num. 1342. ità dicens, *obijt Ianſenius & quia vt puto & deſidero, piè, quia in lectulo mortis omnia ſua ſcripta Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubmiſit, fuiſſe materialiter hæreticum credimus, licet argumentum videretur demonſtrare formalem*, ob prædamnatos ſcilicet errores eiuſdem in Tridentino, aut in bulla B. Pij V. & Gregorij XIII. aduerſus Baium, attento præſertim ingenio eiuſdem, cui non ita facile ignorantia inuincibilis tribuenda erat. Sed quid dico de Caramuele? Audiatur Auguſtinus lib. 3. de origine animæ cap. 15. vbi alloquens Vincentium Victorem, qui errorem non pertinaciter tenuerat, inquit, *dixis ſtudere te ſemper etiam propriam ſententiam non tueri, ſi improbabilis detegatur; eo quod tibi ſit cordi proprio damnato iudicio meliora magis, & quæ ſint veriora, ſectari. Iſte animus etiam in dictis per ignorantiam non catholicis, ipſa eſt correctionis præmeditatione, ac præparatione catholicus*, vt legi etiam poteſt adhoc, tum epiſtola 164. tum in lib. de dono perſeue. cap. 21. Quid de pluribus Theologis nominatim allatis atque ex propoſito approbatis etiam à Cardinali de Lugo diſput. 20. de fide ſect. 6. per totam, vltrò docentibus, *etiam ignorantiam craſſam & affectatam excuſare ab hæreſi*, vt Lugonis aſſertio eſt? Et formidabimus poſteà *claros illos & ſanctos viros*, vt eos Proſper appellat, qui prius in Semipelagianiſmum prolapſi ſunt, à formali hæreſi excuſare? Secure igitur & conſtanter iuxtà hanc Theologorum doctrinam, quis negabit pariter Maſſilienſes illos ac ſimiles Galliarum Epiſcopos aliquo tempore ſaltem Semipelagianorum erroribus adhærentes, dùm non ità explicitè intelligerent eoſdem errores ab Apoſtolica Sede damnatos eſſe, ob ignorantiam in hoc ſenſu inuincibilem à formalis hæreſis nota potuiſse à ſubſequentibus deindè Scholaſticis liberari? Profectò in hoc ſenſu, cum videam eodem ſæculo Saluianum vixiſſe, & Epiſcopum poſteà Maſſilienſem fuiſſe, de quo Eucherius ille excitator Caſſiani adſcribendam 13. collationem, in præfatione ad librum quæſtionum noui & veteris teſtamenti, mentionem habet de Lirinenſi Inſula dicens, *ibi te ad hoc conſummãtibus ſanctis viris Saluiano, & Vincentio*, & Hilarius Arelatenſis in vita S. Honorati cap. 4. *Saluianum Presbyterum cæterum Honorati vnum* nominat, ſuſpicarer iſtum pro vindicandis ab hæreſi ſaltem formali ſuis eo tempore Maſſilienſibus cap. 5. de Prouid. inſcripto ad Salonium Viennenſem Epiſcopum libro, appoſitè hiſce diſertis verbis ac data opera peroraſse, *qui apud nos*, inquit, *ſunt hæretici, apud ſe non ſunt. Nam intantum catholi-*

ſos

Digitized by Google

cos ſe eſſe indicarent, vt nos ipſos titulo hæreticæ appellationis infament &c. Veritas apud nos eſt, ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Honor Dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitrantur honorem diuinitatis eſſe. Inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſſe ſummum Religionis officium credunt. Impij ſunt, ſed hoc putant eſſe veram pietatem. Errant ergo, ſed bono animo errant, non odio ſed affectu Dei, honorare ſe Deum atque amare credunt. Quamuis non habeant rectum finem, illi tamen hoc perfectam Dei exiſtimant charitatem. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die iudicij puniendi ſunt, nullus poteſt ſcire niſi Iudex. Hucuſque ille, & id ſuſpicarer (vt dixi) pro Maſſilienſibus ſuis aduerſus Proſperum ſimileſque Auguſtini ſeqnaces in ea cauſa peroraſſe: niſi me duo longè ab hoc iudicio retinerẽt, alterum eſt, quod ibi ſaltem ab exemplo id exponens de Arianis in ſæculo anteriori damnatis hæc verba intermiſcet, *nos eos iniuriam diuinæ generationis facere certi ſumus, quod minorem Patre Filium dicant, hi nos iniurioſos Patri exiſtimant quod æquales eſse credamus*, de quibus ferè eodem tempore Vigilius Tridentinus (ſiue is ſit Vigilius Africanus, vt quidam colligunt ex Theodulpho Aurelianenſi in Eglogis de ſpiritu) lib. 2. cont. Eutychem recenſet, nedum illos Arianos inter ſe contendiſſe, vt narrat etiam Sozomenus lib. 3. cap. 12. verùm etiam non parum catholicos inter ſe in quibuſdam loquendi phraſibus diſſenſiſſe, timentes, ne ad alterutram extremam hæreſim Eutychis aut Neſtorij declinarent, ſicque Vigilius concludit, *tu, inquit, Eutychianus es, & tu Neſtorianus es Apoſtolicæ ſententiæ in totum oblitus, dicentis. Videte ne cum inuicem accuſatis, ab inuicem conſumemini; rogo vos incolumes ſitis cum ſenſu, cur vobiſcum inſanitis?* Alterum me ab hoc iudicio retinens eſt, quod præallata Saluiani auctoritate, vt poſteà video, etiam hæreticus Spalatenſis abutebatur lib. 5. de Republica cap. 7. indè contendens à formali hæreſi cunctos alios Proteſtantes in Germania & Anglia liberare, quod profectò longè à ſenſu Saluiani recedit (vt Spalatenſi reſpondet Grauina noſter in continuatione ſecundæ partis tom. 4. pag 187.) intendentis ſolum, vt præmiſerat, peius peccare Chriſtianos agnoſcentes & prauis moribus contemnentes præcepta diuina, quam Barbaros vel etiam hæreticos non ità ex directa malitia, ſed potius ex ignorantia licet ſupina, peccantes. Vndè opportunè ad hunc ſenſum aiebat, *minor reatus eſt ſancta non legere, quam lecta violare*, & infrà, *illi faciunt quod putant rectum, noſtri quod ſciunt eſse peruerſum; et ignoſci aliquatenus* (nota) *ignorantiæ poteſt, contemptus veniam non meretur*, & demum infrà de Chriſtianis Imperatori Romanorum ſubiectis collatis cum Gothis ac Wandalis cæteriſque, quos *Barbaros* vocat, concludit, *intelligere poſsumus quæ Romana Reſpublica mereatur, ſcilicet à Gothis & Wandalis mala pati, cum pars Romanorum offendat Deum vita, pars & infidelitate pariter & vita*, non ergo vniuerſos à formali infidèlitate Saluianus liberabat, vt abſolutè nimis Spalatenſis eo loci contendit, nec minus abſurdè quidam in Bauarienſi Curia Conſultor dicere non dubitauit, *nullos in Germaniæ regionibus hæreticos formales adeſse*, vt laudatus Caramuel afferebat, & præallata mox antè explicatione refutabat. In hac igitur explicationis hypotheſi ſtabilita ex dictis hucuſque nil remanet, niſi, vt ita appoſitè etiam Maſſilienſes atque plerumque cæteros eo tempore eo errore aberrantes ſe intra hanc methodum, velut intra dubitantium limites de Apoſtolicarum definitionum ſenſu, continuiſse probemus. Id verò luce clarius habetur ex ſola ipſa relatione Proſperi ad

Auguſtinum aientis, *multi ergo ſeruorum Chriſti, qui in Maſsilienſi Vrbe conſiſtunt, in ſanctitatis tuæ ſcriptis, quæ aduerſus Pelagianos hæreticos condidiſti, contrarium putant Patrum opinioni, & Eccleſiæ ſenſui, quidquid in eis de vocatione electorum ſecundum propoſitum diſputaſti. Et cum aliquandiu tarditatem ſuam culpare maluerint, quam non intellecta reprehendere, quidamque ipſorum lucidiorem ſuper hoc atque apertiorem beatitudinis tuæ expoſitionem voluerint poſtulare, euenit &c.* nempè peruenit ad eorum manus recens liber Auguſtini de corrept. & grat. ad Monachos Adrumentinos in Affrica ſcriptus, *quo*, inquit, *vniuerſis quæſtionibus, de quibus conſulenda erat ſanctitas tua, tam plene ibi abſoluteque reſponſum eſt, quaſi hoc ſpecialiter ſtuderis, vt quæ apud nos erant turbata, componeres.* Sed hoc lecto contra ſpem, concludit, *qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, auerſiores, quam fuerant, receſſerunt. Quorum tam abrupta diſsenſio primum propter ipſos metuenda eſt, ne tam præclaris tamque egregijs in omnium virtutum ſtudio ſpiritus Pelagianæ impietatis illudat, deindè ne ſimpliciores quique, apud quos horum magna eſt de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutiſsimum ſibi æſtiment, quod audiunt eos, quorum auctoritatem ſine iudicio ſequuntur, aſſerere.* Vbi vides hos viros primitus motos eſſe deſiderio ſciendi, ac diſſoluendi emergentes proprias difficultates, quas ſibi re ipſa maiores eſſe, perſuadebant, non verò ex hoſtili liuore, vel obſtinatione ſaltem contradicendi doctrinæ Auguſtini, aut fidei veritati contra gratiam &c. Immo fatetur ibidem Proſper eiſdem difficultatibus permotum etiam ſaltem ſpeculatiuè Hilarium ipſum Arelatenſem dubitauiſſe, dum inquit, nam *vnum eorum præcipuæ auctoritatis, & ſpiritualium ſtudiorum virum Hilarium ſciat ſanctitas tua admiratorem, ſectatoremque in alijs omnibus tuæ eſſe doctrinæ, & de hoc, quod in querelam trahit, iam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuũ per litteras velle, conferre*, & addit, *ad auctoritatem talia ſentientium non ſumus pares*. Hinc etiam Auguſtinus lib. de dono perſeu. cap. 24. iſtos vocat *noſtros*; & lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 1. & 5. *fratres*, & lib. de dono perſeu. cap. 17. *Pelagianum nobiſcum demolientes errorem*, & lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 1. ad ſummum admittit eſſe *caligantes in Sanctorum Prædeſtinatione*, vti & Proſper in eadem epiſtola vocauerat, *caliginem opinionis*, dixeratque ſe ſperare *defæcatiſsimum lumen gratiæ recepturos*, & demum hinc etiam ipſimet, quantum in ſua hypotheſi potuerunt, conati ſunt diminuere *qualecumque* illud initium naturæ ad gratiam ſub nomine *occaſionis obtinendæ ſalutis*, apud Hilarium in epiſtola, & apud Caſſianum iam ſuprà relatum, vel ſub nomine *coloris cuiuſdam deſiderij* apud eumdem Caſſianum Collat. 13. cap. 15. & demum ſub nomine *anſulæ*, & huiuſmodi, vt apud præcitatos eoſdem legere eſt. Quod ſi quis vmquam his noſtris probationibus obſiſtat adhuc, tenuatque præbere conſenſum, hac vna ſaltem atque poſtrema, vt credo, conuictus aſſentiet. Videlicet Caſſianum ſimul & Fauſtum, quidquid de alijs ſit, vt mox ad argumenta liqueſcet, communis nunc omnium probè ſapientum conſenſus eſt Semipelagianorum errori tenacius cæteris immò vt principes cæterorum adhæſiſſe; & tamen probos, ſi non ſanctos viros, fuiſſe ſi id demonſtrem, non ne luce clarius ac manifeſtum erit Semipelagianum in aliquibus errorem potuiſſe cum probitate manere? Eia igitur id videamus. Et pro probitate, ſi non probabili ſaltem ſanctitate, Caſſiani ſingula hæc ſubſequentia loquuntur. Videlicet Proſper ipſe in Chronico ad annum 439. habet, *Caſſianus Maſsiliæ inſignis &*

facun-

facundus ſcriptor. Caſtor Epiſcopus Aptenſis Caſſiano coævus in epiſtola ad eumdem, *domno*, inquit, *ſanctitatis ſpeciali gloria decorato Ioanni Caſsiano*. Theodorus Diaconus Romanus apud Palladium in Dialogo de Ioanne Chryſoſtomo tom. 1. eiuſdem Chryſoſtomi ſcribit, *Germanus Præsbyter Caſsianuſq; Diaconus viri magnæ religionis litteras ab omni Clero Ioannis Chryſoſtomi attulerunt*, in Legatione ſcilicet ad Innocentium Papam miſſi pro eodem Chryſoſtomo, de qua legatione videndus & Sozomenus lib. 8. cap. 26. Ioannes Climacus gradu 4. ſuæ ſcalæ. *De hoc a magno quoque Caſsiano venuſtiſsimè atque altiſsimè diſputatum eſt*. Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus Codice 197. de inſtitutionibus Caſſiani, inquit, *tanta ijs vis ineſt ac quaſi diuinitas*, Rabanus ad caput 38. regulæ D. Benedicti, *ſicut B. Caſsianus ait*. Vincentius Beluacenſis libro 20 ſpeculi hiſtorialis §. 18. *vir illuſtris prudens & facundus Ioannes heremita, cognomento Caſsianus*, vt repetit etiam D. Antoninus p. 2. hiſt. titulo 10. D. Dionyſius Carthuſianus in præfatione ſuæ paraphraſis in eumdem ab initio, *inter venerabiles ac deuotiſsimos Patres æternæ memoriæ dignos Ioannes Caſsianus & Climacus*. Trithemius de ſcriptoribus, inquit, *de incarnatione Domini aduerſus Neſtorium hæreticū libros 7. ſcripſit Caſsianus rogatus à Leone Archidiacono poſtea Romanæ Vrbis Epiſcopo*, vti & Bellarminus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, & anteà Gennadius id dixerat, & Caſſianum vocant *Beatum* Paulinus Aquileienſis lib. 1. & 2. contrà Felicem, & Waldenſis lib. 3. doctr. art. 3. cap. 28. num. 2. Petrus Epiſcopus Eſquilinus vulgò de Natalibus in Cathalogo Sanc. libr. 7. cap. 59. ſic habet, *Sanctus Caſsianus Præsbyter, de quo frater Vincentius*, ſcilicet Beluacenſis, *de Eccleſia Conſtantinopolitana per hæreticos eiectus in Maſsiliā &c.* Ex quo habes, vt notat etiam Baronius ad annum 404. non fuiſſe à Chryſoſtomo eiectum, vt quidam putant, cum immo adhuc in fine vitæ ſcribens lib. 7. de Incarnatione cap. 31. honorificentiſſime de eodem Chryſoſtomo ſcribat, *hæc, quæ ex fonte ego ſcripſi, ille me docuit, ac per hoc non tam meum quam illius eſſe credite, quia riuus ex fonte conſtat, & quidquid putatur eſſe diſcipuli, totum ad honorem conuenit referre magiſtri*: ab Oriente igitur à Pelagianis hæreticis fugit, dum in Monaſterio Bethlemico ante moraretur, ex Collat. 11. cap. 1. & 5, quod Cœnobium Bethlemicum eo tempore vaſtatum fuiſſe à Pelagianis obſeruat Baronius tom. 5. Annalium in odium Hieronymi, & de hoc extant litteræ Innocentij ad eumdem Hieronymum. In hoc ſenſu ergo concludit non immerito Ioannes Maldonatus in Lucam cap. 24. dicens, *fuit Caſsianus auctor catholicus & bonus, ſed nullum tam pulcrum eſt corpus, vt & neuo careat*; Lorinus in acta cap. 9. v. 7. *magnum Caſsianum* vocat, Valentia tom. 3. diſp. 4. q. 1. p. 4. § *neque*, eidem tribuit ſanctitatis opinionem, quibus omnibus addi nunc poſſunt, quæ mihi ſuppeditat Noris libro 2. hiſtoriæ cap. 12. ſcribens, *obijt Caſsianus cum opinione ſanctitatis, vnde Gregorius Magnus libr. 6. epiſtola 12. ad Reſpectam Abbatiſſam Maſsilienſem laudat Monaſterium, quod in honorem Sancti Caſsiani eſt conſecratum*, Vrbanus V. caput Caſſiani argentea Theca incluſum ac epigraphe ornandum iuſſit, *Caput Sancti Caſsiani*. Eiuſdem memoria colitur Maſſiliæ die 23. Iulij, eiq; precum officia ſolemniter perſolvuntur. Omitto Gennadium, eo quod eiuſdem Semipelagianorum furfuris reputetur, in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ità ſcribentem, *ſed & Sancti Caſsiani opuſcula quædam lato cenſa ſermone idem Eucherius anguſto verbi tramite reſoluens in vnum*

coegit volumen, præter Alardum Gazæum, quem anteà commemorare me fugerat, in Collationem decimamtertiam cap. 18. etſi fateatur eius doctrinam prauam eſſe, hoc non obſtante aſſerentem, *ab hæretici nota Caſsianum longiſsimè ſemper abfuiſſe, ſemper catholicum atque inter catholicos auctores habitum eſse*. Porrò pro Fauſto etſi tam multa ſuffragia non adſint, forſan ex eo quod longè poſt Cæleſtini epiſtolam minus inſons ab errore, aut vehementius ſaltem ac imprudentius Auguſtinianæ doctrinæ aduerſatus eſt, adſunt aliqua tamen, quæ nec defendo, nec damno, ſed referam tantum, eo quia in cenſura Romana ſub Magiſtro Braſichelenſi vulgata ad Bibliothecam veterum Patrum in opere Fauſti apponatur, *expungatur titulus Sancti quo Fauſtus indignus eſt &c.* Refero inquam, pro ipſo Sidonium lib. 9. epiſtola 9. vocantem Fauſtum *virum doctrinæ ſalutaris ac ſingularis*, & totum ferè Euchariſticum ad Fauſtum conſumentem in encomia eiuſdem. Indè Honoratus Epiſcopus Maſſilienſis in vita Hilarij Arelatenſis cap. 5. de Hilario loquens Epiſcopo in ordine ad Fauſtum tunc adhuc Monachum ait, *in eodem loco tunc temporis Sanctum Fauſtum Presbyterum pariter & Abbatem ita futurorum præſcius honorauit, vt inter ſe & Sanctos Sacerdotes Veodorum, & Maximum, medium compelleret reſidere*. Hilarius Papa anno 462. in epiſtola ad Leountium, & alios Galliarum Epiſcopos de Synodo Romana tunc celebrata ſcribebat, *præſidentibus fratribus & Coepiſcopis noſtris Fauſto & Auxonio*, per quos etiam à Synodo delegatos, compoſitis in Gallia diſſidijs quibuſdam inter Epiſcopos, idem Pontifex Hilarius ſequenti anno reſcripſit, *omnia, quæ à vobis ſunt per fratres & Coepiſcopos noſtros Fauſtum, & Auxenium definita, roboramus*. Eumdem etiam electum ad componendam inter Romanos ac Gothos pacem atteſtatur idem Sidonius lib. 7. epiſtola 6. ad Baſilium dicens, *tu Sacratiſsimorum Pontificum Leountij, Fauſti, Græci, vrbe, ordine, charitate medius inueniris, per vos mala fœderum corruunt, per vos regni vtriuſque pacta conditioneſque portantur*, præter alia eiuſdem elogia in Euchariſtico eiuſdem Sidonij. Eidem Fauſto Synodus Arelatenſis commendauit acta, & decreta Synodi ordinare, vt refert idem Fauſtus præfatione ad Leountium, & obijt Regenſis Epiſcopus anno 490. tali cum probitatis laude apud illos Ciues, vt nunc etiam ibidem adſit Eccleſia eius nomini conſecrata, & Dinamius Patritius Rhegienſis, in commentarijs de miraculis D. Maximi ad Vrbicum Epiſcopum eiuſdem Fauſti ſucceſſorem, vocat eumdem Fauſtum in præfatione *Beatiſsimum Antiſtitem*. Et licet Baronius tom. 6. ad annum 490. illum *Semipelagianorum Coriphæum* nuncupaſſet, in appendice tamen tom. 10. audiens eiuſdem cultum in Eccleſia prædicta Gallicana ſubiunxit, *eum obijſſe antè ſuorum ſcriptorum factam ab Eccleſia damnationem*: Bolandus ad 13. Ianuarij, qua die eius feſtum celebratur, inter Diuos eiuſdem vitam interſerit. Iacobus Syrmundus in hiſtoria prædeſtiniana cap. 8. de eius ſcriptis malè ſapientibus inquit, *ſed quid hæc, quæ ab illo tunc ſcribebantur, cum ita loqui fas fuit, eiuſmodi eſſe non intelligebantur, propter quæ Catholici nominis iacturam fieri oporteret*, & fere idem repetunt laudati pro noſtra aſſertione ſcriptores, quibus omnibus ſuffragari poteſt, quod Noris lib. 2. hiſtoriæ cap. 16. opinatus eſt, Fauſtum ob ſcriptum contra Arianos librum in exilium ab Eurico Rege Ariano actum eſſe, in quo ſuæ tolerantiæ ſpecimen exhibuiſſe colligitur ex epiſtola eiuſdem Fauſti 6. ad Ruritium, & ex altera ad Felicem filium Flacci magni, tranſcriptis ex parte

ab eodem Noris. Nec obſtat, quod Macedo hæc præoccupando ſcribebat cap. 17. ſcilicet vocabulum *Sãcti* ea tempeſtate commune fuiſſe & officioſum paſſim in Eccleſiaſticis epiſtolis, ac in primis Auguſtini occurrentibus exemplis, à quo item meminit Pelagium ſanctum appellari. Non obſtat, inquam, tum quia præadducta quamplura extra officioſas epiſtolas ſunt, & etiam poſt obitum reperita, & tandẽ adminus reputatis hæreticis non fuiſſe adhuc tunc temporis permiſſum titulum *ſancti* vel Macedo ipſe concedit, cum ſubdat, *ideò poſteà doluiſſe Auguſtinum ſic commendaſse Pelagium lib. 2. retractationum cap. 33.* nec tandem vel *Fauſtum ipſum hæreticum fuiſse*, vt loquebatur Macedo cap. 18. pag. 135, neque id, inquam, conuincit illud obſeruatum ab eodem, *nuſquam Fauſtum inter Lerina commendatos illuſtres viros numerari, iſtumque ſolum extra chorum*, ſiue in octo argenteis imaginibus peruetuſti Lirinenſis Miſſalis, ſiuè in Eucherij epiſtola, ſiue Ceſarij à Beralio in chronologia Lirinenſi collectis, hæc enim etſi non negem ſuſpicionem afferre, non tamen ſimiles coniecturæ conuincunt, aliter æquè à Sanctorum Albo delerentur tot alij Lirinenſes ſine dubio ſancti, non indicati, vel in prioribus imaginibus, qui poſteà in hymno Eccleſiæ Lirinenſis nominantur, nec immo in epiſtola Eucherij Hilarius adhuc Monachus cum Fauſto expreſſus eſt, ſufficiente ad hoc ea generali tum Eucherij clauſula, *hæc nunc habet ſanctos ſenes illos, qui diuinis cellulis Ægyptias partes Gallijs noſtris induxerunt*, tum Ceſarij, *hæc eſt, quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes Eccleſias erogat Sacerdotes*, etſi ex hymno iterum Lirinenſis Eccleſiæ inter tot alios omittente iſtum Fauſtum (forſan poſt damnatos eiuſdem libros non longè ab eius obitu Romæ ſub Gelaſio Papa) non negem longè grauiorem de eiuſdem fide ſuſpicionem ſuboriri potuiſſe, vt ex addendis etiam ad argumenta patebit. Cum interim, quæ ſunt prætacta, noſtro inſtituto ſufficiant, ad oſtendendum aliquos Semipelagianos eſſe tunc temporis potuiſſe, nec tamen certò amittere ſanctitatem, præſertim addito & Cheremonem Abbatem, qui à Caſſiano vt primus Doctor Semipelagianorum in Collat. 13. per totam loquens inducebatur, & de quo Palladius Lauſiaca 29. dicebat, *accidit illis diebus vt Cheremon exercitator ſedens decederet & inueniretur mortuus in cathedra tenens opus in manibus*, & hunc, inquam, inter ſanctos recenſitum eſſe in litanijs à B. Gregorio inſtitutis, & relatis ab Arnoldo Wienlib. 5. ligni Vitæ, & à Gazæo in caput 1. Collat. 13. his verſibus

Sancte Paphnuti
Sancte Sirene
Sancte Neſteres
Sancte Cheremon } Ora pro nobis.
Sancte Moyſes
Sancte Abraham
Sancte Iſac

Concludamus ergo cum Cardinali noſtro Turrecremata in diſt. 15. cap. Sancta Romana quæſito 5. concl. 3. *quod reprobata doctrina non eſt neceſsè reprobari perſonam, vt conſtat de Abbate Ioachim in cap. firmiter de ſumma Trinitate*, nec in præſenti, etſi hæretica fuerit Semipelagianorum doctrina, conſequenter omnes

ſtatim

ſtatim Semipelagianos hæreticos fuiſſe neceſſe eſt.

Ad primum igitur negandum eſt in viros etiam doctos aliquando non cadere inuincibilem ignorantiam veri ſenſus Apoſtolicæ definitionis, cui aliàs ex animo ſe ſubijcere parati ſint, vt de Ianſenio, cuius ingenium tres ingentes, operoſiq; eiuſdem tomi loquuntur, noſtris temporibus experti ſumus, & obſeruauit iam laudatus Caramuel, & ad id plerumque conſimiles præiudicatæ ac domeſticæ opiniones deduxerunt, vti appoſitè de Maſſilienſibus in epiſtola ad Auguſtinum Proſper id ingenuè confeſſus eſt dicens, *quod perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro*.

Ad ſecundum gemina pertinacia diſtinguenda eſt, altera in aſſertione, quam veram eſse credebant, etſi reipſa non eſset, altera in obſiſtendo declarationi Apoſtolicæ etiamſi ſenſum ſuum non proſcribere exiſtimarent. Si ſecunda in ipſis pertinacia adfuiſset, dubio procul neque à formali hæreſi abſoluerentur, neque ſola ignorantia inuincibili laboraſsent, vt enim dicitur Deuteronomij 17. *qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis morietur homo ille*. Et vt inquit S. Thom. quodlib. 3. art. 10. *in talibus ignorantia non excuſat, alioquin immunes à peccato fuiſset qui ſequuti ſunt opinionem Arij, & Neſtorij & aliorum hæreſiarcharum*. At permiſsa priori obſtinatione in eiſdem, de qua adducta Proſperi teſtimonia loquuntur, ignorantia inuincibilis adhuc mox antè explicata permanere valebat, vt in Ianſenio iterum ad mortem vſque experti ſumus, & partim olim in Cypriano contigiſse cenſeri poteſt, antequam definitiuè Stephanus Pontifex opinionem eiuſdem condemnaret de rebaptizandis hæreticis, cum anteà ſolum rebaptizandi executio ſuſpenſa vel interdicta fuiſset, vbi quid humani in hoc ipſo paſsus erat, licet non hæreſis, quod inde humanum etiam martyrio deleuit, vt ſic iuxtà Auguſtini verba in 1. contra Donatiſtas, *nebula illa glorioſa ſerenitate fulgentis ſanguinis fugaretur*.

Ad tertium aliud iterum eſt ſubdole agere ad reluctandum Eccleſiæ declarationi, aliud non ita clarè eadem innoteſcente præcisè artibus vti ad ſuſtinendum, quod ſibi probabilius apparet, etſi erroneum ſucceſſu temporis conuincatur. In primo equidem in fidem ſine dubio peccatur, in ſecundo verò in aliam potius moralem virtutem, quam fidem, & licet hinc inter eos Caſſianus cum alijs, vt Gazæus fatetur, in Collat. 13. cap. 18. *vt homo aliquid humani paſſus ſit, & nimio veritatis indagandæ ſtudio ſubindè à veritatis tramite aberrarit, præſertim in ijs rebus adeò obſcuris, & difficilibus nec dum id temporis ab Eccleſia aut definitis aut ad plenum elucidatis*; Non inde tamen infertur, *deſijſſe verè Catholicum eſse*: vbi quænam præcipuè ea ſint, quæ Caſſianus *clam* opponebat, præter poſteà publicius euulgata, ea intelligere poſſumus fuiſſe Iuliani Pelagiani argumenta, quæ in eadem epiſtola ad Rufinum Proſper recenſet, *de duplici maſsa naturæ*, & huiuſmodi, & de quibus repetit in epiſtola ad Auguſtinum dicens, *quod etiam in libris contra Iulianum debellaſti &c. ab iſtis contentioſiſſimè conclamatur*, quæ tamen in publicum ſaltèm ſub proprio nomine Semipelagiani obijcere, vel erubeſcebant vel formidabant, nec ipſe Caſſianus in ipſa etiam collat. 13. ea innuere auſus fuit, ne Pelagianis, quibus ſe aduerſari profitebantur, conuenire in præcipuo argumento eorumdem videri poſſent. De reliquo *hypocritas* illos *inſidiatores* vel *lupis ſuffragatores* à Proſpero vocatos

eſſe,

eſſe, non probat formales hæreticos extitiſſe, cum non mitioribus quan loq: notis quamplurimi Patres, & alios pro tunc Catholicos in æſtu diſputationis proſequuti ſint, vt ſatis ipſa loquuntur, non dicam ſcripta amarulenta Hieronymi in Rufinum, vel aliorum Patrum in Origenem, quorum neuter formalis hæreticus habebatur, ſed dicam Nazianzeni in Maximum paſſim in carmine de vita ſua appellantis, *ſpectrum malum rabidum canem*, & huiuſmodi, & Petri Bleſenſis in inue ctiua in quemdam *canonicum regularem* vocantis eumdem *linguam doloſam, maledicam, vipeream*, Paulini in Elipandum tom. 4. Biblioth. P.P. Damiani in Cadalorum lib. 1. epiſt. 22. Cryſoſtomi aduerſus vituperatores vitæ Monaſticæ, & huiuſmodi plura in non paucis Sancti Patribus aduerſus etiam immunes à formali hæreſi obuia ſunt, nec ſimilia per conſequens à Proſpero aduerſus Semipelagianos inſcripta conuincunt eos formali hæreſi *ſorduiſſe*.

Ad quartum fateor operoſiorem exigi ſolutionem; occurro tamen negando ſuppoſitum arguentis, nimirum vel obiectiones Vincentianas, vel Gallorum capitula à Semipelagianis emiſſa fuiſſe poſt epiſtolam Cæleſtini, non ſolum quia Vincentianæ obiectiones à puro putoq; Pelagiano, vt dicemus, procuſæ ſunt, & Gallorum capitula abſque auctoris nomine prodiere, verum etiã quia etſi in præfatione ad Gallorum capitula ſupponatur Auguſtinum deceſſiſſe, qui *ſanctæ memoriæ* nominatur, potuit tamen inter Auguſtini mortem & acceſſum Proſperi ad Cæleſtinum dicta repetita reſponſio elaborari, præſertim cum in earum neutra Cæleſtini epiſtola afferatur, quæ aliàs opportuniſſima illi inſtituto fuiſſet, vti propterea in fine etiam contra Collat. allata eſt, niſi quis malit dicere, tunc Maſſilienſes approbationi Apoſtolicæ in Auguſtini doctrinam (ſaltem ex ignorantia inuincibili) adhuc occurrere potuiſſe eo modo, quo auctor vulgati ſcripti ſub nomine Pariſienſis Vniuerſitatis, Magiſtro Sententiarum adiuncti, hoc modo approbationi doctrinæ Aquinatis occurrit, exindè excludi quidem ab ipſa *errorem quemlibet voluntarium ac formalem*, non verò inuoluntarium adhuc ſeù hæreſim materialem ablegari ab eadem, & ità per iſtos per ignorantiam tunc dici pariter valuiſſet, quod de facto de Auguſtino ſimul ac Pelagianis Caſsianus aiebat Collat. 13. cap. 9. *multi ſingula hæc duo credentes ac iuſto amplius aſſerentes varijs ſibique contrarijs ſunt erroribus inuoluti*, vt ibidem D. Proſper obſeruat, & minus audacter Fauſtus, vtpotè longè poſterior ad Cæleſtini epiſtolam, in epiſtola ad Græcum Diaconum ſubiungebat, *in ſcriptis Sancti Pontificis Auguſtini quod putatur apud doctiſsimos viros eſſe ſuſpectũ*, & demum audacius poſt iſtos explicatius adhuc in hoc ſenſu Gennadius Maſſilienſis in libro de illuſtribus ſcriptoribus cap. 38. de Auguſtino concludebat, *Catholicus permanſit, & error illius ſermone multo, vt dixi, contractus lucta hoſtium exaggeratus, nec dum tamen hæreſis quæſtionem dedit*. Conſtat igitur, me quidem conſule, euidenter pro eo tempore Semipelagianorum pleroſque potuiſſe, quoad hoc, à formali hæreſi vindicari, proboſque eſſe potuiſſe, etſi in eumdem in re Semipelagianorum errorem abſque etiam retractatione poſtrema incidiſsent. Nunc qui nam iſti iam fuerint, qui in eumdem inciderint, videndum eſt, & quoniam de Græcis antiquiſque Patribus Auguſtino prioribus negatiua ſententia modo inter Scholaſticos communis eſt, (vt quoad hoc Aluarez noſter, & Lemos pro omnibus ſatis ſunt, & multi in propoſito ſunt)

& ex

& ex oppoſito de Caſſiano, Fauſto, Gennadio, & eiuſmodi, vt ad argumenta videbimus, affirmatiua ſententia non minùs Thologis nunc fixa eſt; De Vincentio dumtaxat Lirinenſi, & Hilario Arelatenſi relinquitur differendum, de quibus acriter hiſce diebus inter doctos viros evulgatis adinuicem ſcriptis diſceptatum eſt.

§. VIII.

Ex præmiſsis hucuſque, Vincentium Lirenenſem oſtenditur Semipelagianis non adhæſiſſe.

EGo autem Vincentium Lirinenſem, eiuſque digniſſimum opus *aduerſus profanas vocum nouitates*, à ſuſpicione quacumque erroris aut hæreſis attributæ eidem abſoluendum, eſse ſine vlla hæſitatione pronuncio, & ſine dubio conueniunt cum noſtro Lemos in tomo 1. dum iſta edimus evulgato, tract. 5. cap. 17. cæteri (præter prætactum vnum aut alterum expiſcatum à Noris) *vniuerſi ferè ſcriptores*, vt diſertis verbis Noris ipſe fatetur lib. 2. hiſtoriæ cap. 11. noſtram etiam nominans *vulgarem opinionem*; ſed ego vt opinor, non vulgaribus eam demonſtrabo argumentis. Nimirum in hypotheſi quod Noris nolit eum vt formalem hæreticum criminari, vt verè non vult, & planè aduerſus contendentes oppoſitum demonſtrarent congeſta à Macedo cap. 3. encomia pro Lirinenſis ſanctitate, ſcilicet Martyrologij Romani, Eucherij, Petri Æquilini, Sixti Senenſis, hymni Lirinenſis, cenſuræ Romanæ in Bibliothecam veterum Patrum, & aliorum, in hac hypotheſi, inquam, admittente Vincentium formalem hæreticum non fuiſſe, ſic manifeſtè diſcurro. Hæreticum dicere ac velut hæreticum in ſua doctrina etiam vulgato libro damnare illum, de quo conſtat Eccleſiæ decretum, quod *numquam eum ſiniſtræ ſuſpicionis vel ſaltem rumor aſperſit*, profectò eſt in Eccleſiam & conſequenter in fidem contumaci ac perduelli veluti peruicacia peccare. Sed ſimile omninò de Auguſtino decretum ab Eccleſia prodierat, illudq; Vincētio prodiſſe conſtabat, cum illud in eodem ſuo libro commendet, dum Cæleſtini epiſtolam recognoſcit, & tamen Vincentius in commonitorio eodem (ſi Noris credimus) in hoc ſenſu Auguſtinum ſub formali *hæreticorum* nomine traducebat dicens in cap. 33. *illis, quæ ſequuntur, promiſsionibus, miro modo incautos homines hæretici decipere conſueuere, audent enim polliceri, & docere, quod in Eccleſia ſua idest in communionis ſuæ conuenticulo magna & ſpecialis ac planè perſonalis quædam ſit Dei gratia*. Igitur, ſi credamus Noris, Vincentius in Eccleſiam, & conſequenter in fidem contumaci peruicacia peccauit, non igitur prædicta hypotheſis ſemel admiſſa perſiſteret. Accedit quod peius eſt Auguſtinum, velut *hæreticum* infamare, quam aſſerere tantùm *in eius ſcriptis quid ſuſpectum eſſe*, aut quibuſdam *erroribus inuolutum* eſſe: ſed iuxtà Noris primum aſſeruiſſet Vincentius Lirinenſis, ſecundum Caſſianus, ac Fauſtus, vt de ſingulis relatum eſt: igitur iuxtà Norim longè peior Vincentius quàm Caſſianus ac Fauſtus extitiſſet, cum tamen nemo prudens ſit, qui non ſciat ad minus Caſſianum ac Fauſtum, vt Semipelagianorum ſectæ duces, ac Principes, ab illis temporibus audiuiſſe. Non nego & Caſſianum ſuppreſſo nomine Auguſtini quandoque eiuſdem

doctri-

doctrinam carpere voluiſse, vt affert Noris lib. 2. hiſtoriæ cap. 1. ex lib. 12. inſtitutionum cap. 13. vbi Caſſianus notat *verborum iactantiam* cap. 15. *vaniloquam diſputationem, & cum ſillogiſmis dialecticis Tullianam facundiam*; ſed prætetquamquod hæc longè antè Cæleſtini epiſtolam ſcripta erant, & tacito nomine Auguſtini in quemcumque alterum poterant detorqueri, longè adhuc prædictis hæc in commonitorio Vincentij mitiora eſsent, vt conſtat. Addo quod vel ipſe Gelaſius Pontifex de propinquiori tempore audiens & probè callens per conſequens ſimiles tumultus in Gallia in veneranda illa Romana Synodo, vti Fauſti, & Caſſiani opera condemnauit, ſic à fortiori Vincentij opuſculum, quod iuxtà Noris infenſius fuiſset, ac peruicacius, euaſiſſet ab eodem ſine dubio proſcriptum; non fuit autem, vt in cap. *Sancta Romana* conſulenti patebit; non igitur ſic fuiſse, vt putat Noris, credendum eſt. Ex oppoſito ſpontè nunc veniunt in hunc locum vniuerſim ea elogia Doctorum ac Patrum, quibus Vincentij opuſculum exornatum eſt, nempè *valiaiſſima diſputatio* dicitur ab Honorio Præsbytero Auguſtudonenſi de luminaribus Eccleſiæ, eadem repetente verba, Petro de Natalibus Epiſcopo Æquilino, *inſigne opus veteribus doctoribus percelebre* à Trithemio de Eccleſiaſticis ſcriptoribus, *libellus verè aureus* à Sixto Senenſi lib. 6. Bibliothecæ adnotatione 104. repetente eadem verba & Poſseuino in apparatu ſacro tom. 3. *diſertiſsimus commentarius* à Baronio ad annum 434. id repetente Spondano ad eumdem annum num. 4. *opuſculum paruum mole, ſed virtute maximum* à Bellarmino lib. de ſcriptoribus, *libellus vtiliſsimus pro Catholicæ fidei antiquitate* à Ioanne Aſelio Louanienſi doctore de officio pij viri, *aureus* iterum à Martino Perez de Ayala p. 2. aſsert. 5. à Ludouico Carbo introd. lib. 4. cap. 14. à Ioanne Coſterio in præfatione in eumdem, à Melchiore Cano lib. 7. cap. 13. nu. 16. & vno verbo à pleriſque Scholaſticis qui ſucceſſerunt; quorum aliqui de eodem intelligunt Gelaſium in cap. *S. Romana* dicentem, *Item Vincentij nihilominus laborioſum opus non ſpernimus ſed imitamur*. Quis igitur poſteà dicet opuſculum iſtud ex aduerſo in Eccleſiam ac definitionem Pontificis lucubratum eſse? Deindè licet ab vno ſæculo circiter ſequaces errorum Maſſilienſium Semipelagiani vocati ſint, tamen, vt obſeruauit Suarez proleg. 5. cap. 5. nu. 2. anteà ſemper & ipſi ſub Pelagianorum nomine comprehendebantur, nedum à Patribus, verùm à Scholaſticis etiam, vt ſupra retulimus ex S. Thoma 2. 2. q. 16. ar. 1. 3. cont. gentes cap. 149. & 152. p. p. q. 23. art. 5. & præſertim quolib. 1. ar. 7. & licet Proſper in epiſtola ad Auguſtinum eos appellarit *Pelagianæ prauitatis reliquias*, vti fere repetit etiam in carmine de ingratis, ſeu, vt dicebat ad Rufinum, *detruncationes palpitantis hæreſis Pelagianæ*, & huiuſmodi, numquam tamen hoc nomine *Semipelagianorum* eo tempore ab aliquo nominati leguntur, immò *Pelagianorum* nomine vt diſtinctorum à Pelagio ipſo omnes etiam *Semipelagiani* accipiebantur, ex quo Auguſtinus in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 4. & de bono perſeue. cap. 21. profitetur anteà impugnando Pelagianos præoccupaſſe ſimul etiam Semipelagianorum impugnationem, præſertim in lib. 1. ad Simplicianum q. 2. vt primo loco recenſet, tum epiſtola 105. & 106, vt ſecundo loco obſeruauit. Qui impugnabat igitur tunc temporis omnes Pelagianos vt ſic, & non ſolum Pelagium, conſequenter etiam Semipelagianos impugnare cenſendus erat. At Vincentius Li-

rinenſis in commonitorio ne dum Pelagium, vt Aduerſarij ſupponunt, verum etiam Pelagianos in communi, vt ſic impugnabat, dum inquit, *contra clamant ranæ quædam Cyniphes, & Muſcæ morituræ quales ſunt Pelagiani*, in vnum veluti *Ranarum vel Cyniphum ſeu Muſcarum* examen aut cumulum Semipelagianos acceruans, quam multitudinem ſoli Pelagiani multò pauciores non conſtruebant. Semipelagianos igitur etiam Lirinenſis Vincentius in eodem commonitorio exagitauit. Immò, quod adhuc euidentius eſt. Ibi de *Pelagianis* agebat, qui ſcriptis adhuc tunc temporis, cum ipſe ſcribebat, evulgatis veluti *Ranæ* coaxare è paludibus audiebantur, dum inquit *contra clamant Ranæ quædam &c.* At eo tempore ab anno ſcilicet 433. quo Vincentius ſcribebat, referens Cæleſtini epiſtolas ſimul & Sixti, non amplius noua ſcripta vulgabant puri ac rigidi Pelagiani, quibus poſſent audiri *clamantes*, & ſi non negem ſuperſtitem Iulianum adhuc ſub Sixto ſe in Epiſcopatum remittere, detecta poſteà fraude, ſtuduiſſe, & alibi etiam quoſdam incautos in eiuſdem Pelagij hæreſim incidiſſe, vt apud Venetos ac Britannos à Pontifice Leone correpti ſunt, nullus tamen Pelagianorum poſt Cæleſtini tempora videtur auſus pro Pelagij hæreſi noua ſcripta vulgare, vt ſupponit & Proſper in carmine de ingratis cap. 7. in ordine ad Pelagianam hæreſim iam exilio pulſam vbique ſic Maſſilienſes intrà ſe cogitantes ac diſcurrentes inducens.

Iniuſtum eſt animis cognatis non dare pacem.
Iungere ſed fœdus cum talibus, & violare
Sanctorum decreta Patrum Regumque piorum
Scriptas lege Dei leges contemnere, multum
Hoſtile eſt, nimiumque audax & pernicioſum.

conſequenter eo ſcribentis Vincentij tempore ſoli Semipelagiani vulgatis denuò ſcriptis aduerſus approbatas de gratia doctrinas, vt *Ranæ* è paludibus coaxare audiebantur: aduerſus igitur iſtos Semipelagianos ſub communi Pelagianorum nomine comprehenſos, vt diximus ibi Vincentius agebat dicens, *contra clamant Ranæ quædam Cyniphes, & Muſcæ morituræ quales ſunt Pelagiani*, vti mutuatis deinde, vt opinor, à Vincentio his verbis, ac laudatis, Gelaſius Papa non minus, *Senecam quemdam ſenem* novum apud Picenos Pelagianum appoſite *muſcam morituram* appellauit. Longè peius attamen eſt huic eidem Lirinenſi Vincentio auctori tam Sancti libri vt vidimus mox, aduerſus etiam Semipelagianos commonitorij attribuere poſtea improbum opus illud, quale eſt *obiectionum Vincentianarum*, vt à Noris, hoc non obſtante, attribuitur, non obſtante etiam quod præuiſa à pluribus, ac refutata fuiſset ex inſtituto hæc obiectio, vt poſt Baronium Lemos, Suarez & alios mox ante relatos, à Bartholomæo Lintrenſi in annotationibus in commonitorium eiuſdem Vincētij, à Filippo Labè in ſua diſſertatione philologi de ſcriptoribus Eccleſiaſt. pag. 489. addente, *hanc calumniam & artem hæreticorum eſſe, vt Vincentij acerrimi ſcriptoris in hæreſes nomen deprimant, eleuent auctoritatem*, indè à Balucio in notis ad eumdem Vincentium, Antonio, Geruaſio, Byonio Cenomanenſi in tract. de grat. Ioanne Baptiſta Gueſnay in annalibus Prouinciæ Maſſilienſis ad annum 432. Macedo comment. 1. cap. 14. & alijs. Nec inefficaciter Noris ſententia refutari poteſt. Nam adminus Lirinenſis Vincentius Pelagij hæreſim aperto marte refellit, non ſolum id fatente Noris, verum etiam id euincente

Vin-

Digitized by Google

Vincentio ipſo inter alia eodem lib. commonitorij appellante *Pelagianos Cyniphes &c*, modo, *profanum Pelagium &* huiuſmodi pluribus eam hæreſim abigente: At vero ex oppoſito ſcriptorem illum obiectionum Vincentianarum merum ac putidum Pelagianum ſe exhibuiſſe; præter Baronium id admonentem in Martyrologio 24. Maij, conſtabit expendenti inter cæteras obiectiones in ordine quintam, quod ſcilicet iuxta Auguſtinum *Deus malam faceret voluntatem hominum plaſmaretque ſubſtantiam, quæ non poſsit naturali motu niſi peccare*, quæ ſelcta Pelagianorum probatio erat ad denegandum hominibus originale peccatum, vt ſtatim ad præallatæ obiectionis verba D. Proſper admonuit dicens, *huius obiectionis vanitas de illa procedit ſchola, in qua natura humana immunis à peccato Adæ, & illaſa defenditur &c. Vt eumdem Deum videamur dicere auctorem culpæ quem profitemur conditorem eſse naturæ*. Et mox ante ad obiectionem quartam, *hoc catholicis Pelagiani conſequenter ſe obijcere exiſtimant, qui Adæ peccatum tranſiſse in omnes diffitentur*, præter verba ſimilia in obiectione 6. obſeruanda; non igitur auctor ille obiectionum Vincentianarum noſter iſte Vincentius eſſe poteſt. Deinde, vt neruoſiſſimè Suarez diſcurrit proleg. 5. cap. 5. quidquid ſit ex dictis de hæreſi materiali, conſtans adminus eſt Vincentium Lirinenſem religioſiſsimum virum fuiſſe, vt talem in *dicto commonitorio ſe prodit* & præallata eiuſdem ſanctitatis elogia demonſtrant. Sed ex oppoſito Proſper in præfatione reſponſionis ad illas obiectiones Vincentianas, earum auctorem improbiſsimum virum eſſe demonſtrat, vocans *prodigioſa mendacia diabolico contenta indiculo ad excitandam mutdiam &c*. Non igitur iſte Vincentius Lirinenſis auctor prædictarum obiectionum ſupponi poteſt. Quod ſi velimus & coniecturas, vt imitemur hic Norim, adiungerem, quàm facilè eſt & nobis fauentes vrgere & excogitatas pro parte aduerſa refellere. Pro nobis enim ea coniectura nec leuis adeſt, quod elegantiſsimus ſimul ac robuſtiſſimus in ſcribendo Vincentius, vt ex ſolo commonitorij opuſculo conſtat, ſi ſemel ibi Auguſtinianam doctrinam refellere decreuiſset, non vna dumtaxat linea cōtentus ibi fuiſset, gloſandi epiſtolam Cæleſtini: eamque torquendi in Auguſtini ſequaces, ſed repetitis erectiſque trabalibus obiectionibus illis, quæ in Hilarij, ac Proſperi epiſtolis afferuntur, longè maiori fragore in Auguſtini diſcipulos detonaſset, id verò non fecit, vt conſtat. Non igitur ibi id intendiſse Vincentium credendum eſt. Præterea ex *colluſione Vincentij cum Fauſto* in eodem Lirinenſi Monaſterio id proceſſiſſet, vt ſupponit Noris pag. 249. ſi ſemel Vincentius in hanc arenam deſcendere cogitaſset: At immò Vincentius, cum illud opuſculum ſcripſit, Monachus adhuc Lirinēſis non erat, vt ex diuerſis collatis verſibus tum eiuſdem Vincentij in commonitorio, tum Honorati Maſſilienſis cap. 12. Noris ipſe confirmat pag. 251. & Macedo ſubiungit pag. 139. ex Eucherio de laude Eremi, neque tunc temporis *Fauſtum domicilium Lirinæ poſuiſse*, ſed poſtea *infauſtum incolam acceſsiſse*, non igitur indè Vincentius in hanc arenam pro Fauſto aduerſus Auguſtinum deſcendere voluiſse præſumendus eſt. Rurſus ex illa etiam coniectura id Noris inferebat, quod monente Vaſquez in p. 1. diſput. 91. tunc temporis plurimi hoc Maſſilienſium placito caperentur: At immò in oppoſitum Proſper in epiſtola ad Rufinum aiebat, *nouerunt etiam in ipſis his locis, in quibus aduerſus eum, ſcilicet Auguſtinum, querimonia concitatur, eſſe propitio Deo plurimos, qui ſaluberrimis eius diſputa-*

ſputationibus imbuuntur &c. & de alijs paucis ſubdit, *ſperare ſe quod quos nunc libero falli arbitrio ſuo patitur Deus, non vſquequaque neque in finem ſic intelligentiæ fraudaturus; ſed hunc ipſum in longinquiora progreſſum ideò ab eo tardius reuocari, vt opus gratia eius maiori gloria celebretur*; Non igitur vel hæc conie&#x1d;ctura ſubſiſteret; quinimo ex iſta ratione non alleuaretur, vt intendit Noris, errantis Lirinenſis error, ſed peiori titulo ingraueſceret cum eo errantium malum peius ſit quo in plures effunditur, vt ſcitè Dion Chryſoſtomus orat. 32 aduertebat & Proſper ipſe cont. Collat. cap. 9. concludebat, *mala, quæ paria ſunt, merito non minuuntur cocundo, ſed creſcunt*. Iterum (tametſi hæc hæreſis Maſſilienſium vulgò non Lirinenſium nuncupata ſit) ſaltem eatenus iſta Maſſilienſis erroris extenſio in Lirinenſem præſertim inſulam probaretur, quatenus, ne dum *Maſſiliæ*, vt vulgò ſupponitur, verum etiam *alijs contiguis locis*, vt Hilarius loquitur in epiſtola ad Auguſtinum, *alijs etiam locis in Gallia iſta ventilantur:* Sed adhuc hoc dato propoſitum de Lirinenſium inſula non probaretur, & de tribus diſtinctis Inſulis potius propè Maſſiliam ſimilis ſuſpicio conciperetur, non igitur adhuc in Lirinenſes Monachos, aut in Vincètium ex illis hæc propagatio Maſſilienſis erroris deriuanda eſſet. Oſtendo minorem & profero aliquid non iniucundum erudito, vt ſpero, lectori de Inſulis ſcilicet illis in Gallico mari Maſſiliam propè iacètibus ad quarum incolas Monachos Caſſianus Maſſiliæ doctor tunc in tres diſtinctas tomos viginti quatuor pleraſque ſuas collationes ſucceſſiuè tranſmiſit, decem quidem priores ad Leuntium Epiſcopū (vt credo ForoIulienſem, vt cum Syrmundo opinatur Gazæus in cap. 1. collat. 9.) ſequentes ſeptem ad Honoratum fundatorem Cœnobij in Lirinæ Inſula tunc ſimul cum Eucherio degentem ibidem, & demum poſtremas ſeptem ad Iouinianum, & alios Monachos *in Stœchadibus Inſulis conſiſtentes*, vt loquitur Caſſianus præfatione in 11. Collat. de quibus *Stœchadibus* Inſulis legendus Plinius lib. 3. cap. 5. hæc habens, *Stœchades tres à vicinis Maſſilienſibus dictæ propter ordinem, quo Scythæ ſunt; quas item nominant ſingulis vocabulis, Proten & Meſſen, quæ & Pompeiana dicitur, tertia Hippola*, & poſt Plinium Iſidorus libro 14. Ethimoligiarum. *Stœchades Inſulæ Maſſilienſium ſexaginta millium ſpatio à continenti in fronte Narbonenſis Prouinciæ, qua Rodanus fluuius in mare exit*, & demum Ennodius in vita Epiphanij dicens, *hic regrediens ſingulas ſanctarum habitationum loca viſitauit, medianas Inſulas Stœchadas Lerum, ipſamque nutricem ſummorum montium planam Lerinum*: non igitur, vt video ſuppoſuiſſe non paucos in hac materia ſcribentes, conſequitur ſtatim, quod ſi in Maſſiliæ contiguas Inſulas Gallicanas Maſſilienſium error propagatus eſt, in Lirinenſem Inſulam præſumatur extenſus, cum immò in tres prædictas, ad quarum Monachos idē Caſsianus ſcribebat, ſuſpicio, ſi aliqua foret, magis refundenda maneret, & à fortiori per conſequens Lirinenſis Vincentius ab omni ſiniſtræ ſuſpicionis labe liberaretur. Suffragatur his tandem ratiocinationibus noſtris, & ſeries Lirinenſium Abbatum, qui, vno dumtaxat excepto Fauſto, longè ſuccedente poſt plures eorum, procul fuere ab iſta labe ſecuri (vt Pater Macedo obſeruauit pag. 135.) Honoratus nempè, inquit, primus Abbas fuit Sanctus, & miraculis clarus. Maximus ſucceſſor Honorati expers eius erroris fuit, eodemmet Nori auctore. Nazarius, quem quidam Maximo ſucceſsiſſe affirmant, à nemine culpatur. Fauſtus hic aberrauit, hic veluti Saul inter Prophe-

tas fuit. Eudo Maximi optimus diſcipulus magiſtrum ſequutus expers illius labis extitit. Amonius nihil cum ea gente commune habuit. A qua etiam Ioannes Siffredus, Vincentius alter ab illo commonitorij auctore, & qui cum excepit Amandus longiſſimè abſuerunt. Iam verò, qui extra hunc numerum ſunt, Capraſius, Eucherius, Lupus, & Teodorus, Iuſtus, Saluianus, Salonius, Veranius, Cæſarius, Anatolius, Apolinaris tam ſunt ab ea contagione alieni, vt nullum eorum, qui nonnullos expreſsè liberat, Noris ipſe auſus ſit eius ſectæ nomine appellare hucuſque vno aut altero immutato verbo Macedo. Qua veriſimili igitur (claudo) vel coniectura contra vulgarem, vt Noris fatetur, cæterorum omnium opinionem, nulla vel conuincente ratione (vt ad argumenta liqueſcet) Lirinenſis Vincentius poterit à boni nominis poſſeſſione, ſeruata hucuſque per duodecim ſæcula, deturbari? Profectò fateor me non videre. At vnus (vt video) remanet, quem Lirinenſis ſanctuarij alumnum pro viribus expurgemus à productis per Norim delationibus in eumdẽ, Hilarium ſcilicet Arelatenſem Epiſcopum, illumque non minus ac de Vincentio hucuſque diximus, nunc oſtendamus ab omni pariter ſuſpicione Maſſilienſis erroris ſapientum calculo liberandum.

§. IX.

Hilarium pariter Arelatenſem Epiſcopum à ſuſpicione Maſſilienſis erroris eximendum eſſe monſtratur.

Abſoluit equidem ipſum etiam Hilarium, præter paucolos erogatos à Noris, cæterorum omnium *ſententia vulgaris*, vt Noris ipſe in lib. 2. hiſtoriæ cap. 2. iterum loquebatur, & aduertebat etiam aduerſus Theophilum noſter Baro lib. 4. ſec. 4. pag. 188. & præter expenſa Lirinenſium Monachorum patrocinia cõmunia, id in ſpeciali pro Hilario ſuaderet in primis, quod tantum abeſt Hilarium tunc aliquibus hæreticis, ſeu hæreſi patrocinatum eſſe, quod immò Maſsilienſis Honoratus in eius vita atteſtatur *acumen in truncandis hæreticorum venenatis erroribus exercuiſſe*: Sed proximius conuincit, quod Cæleſtinus de ſingulis illis tunc exortis diſsidijs admonitus, & de valido remedio rogatus à Proſpero Romam ſe conferente ad hunc finem, ad eos ſine dubio Galliarum Epiſcopos ſcripſit, quorum præ cæteris vt *conniuentium* Maſsilienſium errori *non carere ſuſpicione vel ſolam taciturnitatem* in initio epiſtolæ aſſerebat, & à fortiori per conſequens, ſi Hilarius tunc temporis Arelatenſis Epiſcopus (vt ſupponit Noris) ne dum Maſſilienſium errores permiſiſſet, ſed propugnaſſet, profectò eumdem nominatim cum cæteris in Epigraphe eiuſdem epiſtolæ nuncupaſſet (cum immò Pontifex alter Hilarius poſteà Leuntio ſuccedenti in Epiſcopatum eumdem Arelatenſem, vt non inferiorem cæteris commiſerit & Synodos conuocare) ſed id profectò Cæleſtinus non præſtitit, neque Hilarium noſtrum, vel Arelatenſem Epiſcopum nominauit, dum immò Epigraphes litteræ Pontificiæ ſic legitur, *dilectis Fratribus Venerio Marto, Leuntio, Auxonio, Arecudio, Philtatio, & cæteris Epiſcopis Galliæ*, conuincens igitur ſignum eſt haudquaquam tunc Epiſcopum Arelatenſem Hilarium permiſiſſe non ſolum ſed propugnaſſe, vt ſupponit Noris, Maſsi-

lienſium

lienſium errorem, ſeu eorumdem tumultibus adhæſiſſe; addito præſertim ſimili arguendi modo ipſius Noris lib. 2. cap. 13. ex epiſtola Leonis omittente Eucherium anno 452. deinde aſſumo & alia eiuſdemmet Noris verba lib. 2. hiſt. cap. 2. dicentis, *cum Honorati, nec Maximi, nec Lupi ſcripta extent* (qui ſimiliter Lirinenſes Monaci erant) *nil ſiniſtri de illis ſuſpicari fas eſt, turpe enim eſt ſanctos illos, viros, quorum errata nullo certo teſtimonio conſtant, in deprauatæ ſententiæ ſuſpicionem vocare*. Appoſitè & verè. At nec Hilarij Lirinenſis, Monaci prius, poſteà Arelatenſis Epiſcopi ſcripta exrant, ſaltem ſub eius nomine certa in quibus Maſſilienſium error reperiatur, cum tamen adeò doctus ac eloquens fuerit, ex Honorato cap. 6, vt ſi voluiſſet etiam de hoc argumento ſcribere potuiſſet; igitur nec de Hilario ſiniſtri aliquid ſuſpicari fas eſt. Dixi verò *ſaltem ſub eius nomine certa ſcripta &c.* ob Noris hæſitationem lib. 2. cap. 13, ſine alicuius alterius firma atteſtatione, tribuentis Hilario poema illud de Prouidentia inſertum Proſpero, non alia ratione niſi quia ex Bellarmino verbo *Proſper* opuſculum illud de Semipelagianiſmo ſuſpectum eſt, cum tamen Noris & nimis promptè quædam opera Proſpero negauiſse apud aliquos videatur, ſicut librum de *Prædictionibus & Promiſſionibus*, quem tamen vindicat Proſpero contra vnicum Soteallum Theophylus Raynaudus erotemate 10. num. 245, & librum pariter de *vocatione gentium* denegat Proſpero Noris, quem ipſi detinet Doctor Louanienſis Ioannes Heſſels in præfatione ad Proſperum inter cætera atteſtatus, *in Bibliotheca regularium Sancti Martini Louanij, & Bibliotheca Abbatiæ Cambonenſis, nec non in Bneffienſi Abbatia apud Nauracum in antiquiſsimis exemplaribus haberi nomine B. Proſperi?* & in poemate aliàs de prouidentia longè minus aſperæ phraſes fortaſſe occurrerent, quàm in Patribus Græcis cęteriſq; quos pro Valeriani dicto longè aſperiori collegit Theophylus in eiuſdem Valeriani Apologia cap. 9, quas tamen ſimul cum phraſibus veterum Scholaſticorum, ſoluendo primum ex præcipuis argumentis, infrà commune Doctorum gloſſa exponemus, congruumque ſenſum habuiſse parebit, & demum admiſſo illud poema tamquam Semipelagiani cuiuſdam à Proſpero recitatum atque in carmine de ingratis exploſum (vbi tamen nulla vel mentio præſuppoſiti carminis innoteſcit) cur, quæſo, adhuc potiùs Hilario quam alteri cuicumque dignabimur hoc diuinando tribuere? Sanè vbique, vt video, quod ad Vincentium, & Hilarium attinet, aliàs eruditiſsimus Noris ex præiudicata apud ſe opinione diſcurere viſus eſt. Sed volo ego ex ſcripto, quod nec mihi Noris negabit Hilarij Arelatenſis eſſe, Hilarium penitus vindicare: Vita Honorati, quæ legitur apud Bolandum die 16. Ianuarij, certè eſt ſcriptum legitimum illius Hilarij, vt ipſe iam vidit. At in hac ipſa cap. 8. Auguſtini doctrina traditur, & Semipelagianiſmus penitus ſuffocatur, ergo ex ſcripto certiſſimo Hilarij Hilarius ipſe ab errore Semipelagianorum penitus vindicatur. Audi pro minori eumdem Hilarium; ſic enim Hilarius per apoſtrophem alloquens Honoratum inquit, *Deo ſemper omne conuerſationis tuæ bonum aaſcripſiſti, illud aſsiduè tibi ac tuis*, ſcilicet Lirinenſibus *ingerens, quid enim habes quod non accepiſti? Aut ſi accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis? Sed hoc magis tuum erat vita tuæ bonum, quo magis tuum eſſe negabas*. Nunc peto à Noris, hæc verba ne Semipelagiano errori conueniunt? An potius fontem ex integro totius Auguſtinianæ doctrinæ concludunt: nonne omninò conueniunt

niunt

niunt hæc Hilarij verba cum Proſperi verbis in carmine de ingratis aientis.

Et tua ſunt ſi collatis vtare modeſte
Et quod habes hoc te acceptum fatearis habere.

Nonne illa auctoritas Apoſtoli *quid habes quod non accepiſti &c.* rem totam continet in Auguſtini doctrinam adeò vt ex hac Auctoritate ſe reuocatum ab errore Semipelagiano fateatur Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctorum cap. 4. Nonne ex oppoſito Maſſilienſes apud Hilarium in epiſtola ad Auguſtinum aſſerebant *nec de fide poße dici quid habes quod non accepiſti*? Et ex oppoſito repetenti & adeò commendanti prædicta verba volemus adhuc Maſſilienſium affigere errorem, contrariumque ex integro attribuere ſenſum? Planè, ſi nil aliud mihi occurriſſet, hoc vnum ſufficere potuiſſet pro integra apologia non ſolum Hilarij, ſed totius Lirinenſis cœnobij, cui *aſſiduè* ab Honorato doctrina ſimilis *inſtilata fuit*. Quid de Hilarij humilitate adeò à ſuperba Maſſilienſium hæreſi (vt eam paſſim appellant Proſper, & Auguſtinus) ex diametro recedente? de Hilarij inquam humilitate, cum ad excipiendam Epiſcopalem dignitatem non inuitaretur electus tantum, ſed cogeretur inuitus *animus eius*, inquit Honoratus in eius vita *plus de Diuini iudicij demonſtratione ſollicitus &c. diurnis nocturniſque fletibus voluntatem ſibi Domini declarari flagitabat*, præter alia eximiæ eiuſdem humilitatis exempla *per quæ* Honoratus concludit *conſtat humilitatis culmina proprio eum comparaſſe deſpectu*, hæc ne Semipelagiani tumoris inditia ſunt? Quid de ſupremis verbis eiuſdem in fine vitæ? Audi *conflictus nulli deerit quicumque ad beatitudinem gratia cæleſti præcedente, & induſtria ſubſequente voluerit peruenire*, ſunt ne iſtæ querelę aduerſus gratiam crocitantis Maſſiliæ corui, vel pro gratia potiùs morientis Arelatæ Cygni editæ ſuauiſsimæ voces? Sed à fortiori adhuc ne dum à pari (vti mox anteà aduerſus Noris ad hominem arguebam) ab eadem iam Noris methodo ratiocinor: collatis enim ad inuicem Eucherio & Hilario, in eum potiùs ſuſpicio Semipelagianiſmi cecidiſſet, qui Caſsianum *Semipelagianorum Coriphæum*, vt à Baronio vocatur, excitauit ac impulit ad conſcribendam, & euulgandam illam collat. 13. à cap. ad calcem Semipelagianiſmo fætentem, quàm in alterum caderet, de quo conſtaret non id ſuaſiſſe Caſsiano, vel aliquid ſimile præſtitiſſe. At primum de Eucherio iam conſtat, vt Noris ipſe concedit lib. 2. cap. 1. & teſtatur Caſſianus ipſe in præfatione collat. 18. de prioribus ſeptem collationibus dicens, *quorum ſenum collationes ſancto fratre noſtro Eucherio, compellente, vtcumque digeſſimus*, immò, quod maius eſt, atteſtante Gennadio idem Eucherius eas collationes ſcilicet Caſsiani *lato tenſas eloquio anguſto reuoluens verbi tramite in vno coegit volumine*, quod repetit Damianus lib. 1. Epiſtola 19. vti & eidem Eucherio ſimul & Honorato Caſsianus eaſdem ſeptem collationes dedicarat; longè igitur maior in Eucherium, quàm in Hilarium, Semipelagianiſmi ſuſpicio ruebat: at his non obſtantibus adhuc Eucherius ſaltem (ſi ſuperis placet) à Semipelagianiſmo liberatur à Noris lib. 2. cap. 13. & ſine dubio iuſtiſsimè ex lib. eiuſdem de quæſtionibus veteris teſtamenti ad Salonium filium, vbi Auguſtinianam phraſim receptans negat *ex præſcientia quempiam eligi*, quod & filius eiuſdem Salonius poſteà imitatus eſt: à fortiori igitur etiam Hilarius ipſi Noris ab eodem errore vindicandus erat. Neque vel coniecturæ prætactæ à Noris officere potuerunt, quinimo potius ſic valide poſſunt intorqueri

torqueri

Digitized by Google

torqueri in eundem: nam vna præ cæteris ea coniectura erat, quod etiam Hilarius (quem ipſe laicum ab Hilario Epiſcopo Arelatenſi diſcriminat) in epiſtola ad Auguſtinum de Semipelagianis aiebat, *ſunt ex parte tales perſonæ vt his conſuetudine Eccleſiaſtica laicos ſummam reuerentiam neceſſè ſit exhibere*, quod eſt, vt Noris ſtatim interpretatur, & vrget, etiam Epiſcopos Galliarum fuiſſe Semipelagiana lue fœdatos: At gratis admiſſa hac ipſa, vt placet Noris, interpretatione, ratio non eſt cur ex Epiſcopis ibi in communi Semipelagianiſmo notatis Hilarius ſtatim (aduerſus Dialecticæ canones) à ſuperiori ad inferius affirmante ratiocinio inferatur, & potius immò non poſſit ſuſpicio illa deuolui, aut in Leontium iuniorem, (cui & ſeptem poſtremas collationes Caſſianus inſcripſit) aut in anteriorem Leontium Epiſcopum, cui priores decem collationes dicarat, eumque vt Epiſcopum etiam collat. 9. cap. 1. commendabat, aut in eorum alterum Epiſcoporum ad minus ad quos (non nominato Arelatenſi Epiſcopo) deinde Cæleſtini epiſtola directa fuit; non igitur adhuc ingenuè aduerſus Hilarium poteſt ſimilis ratiocinatio deflecti. Quinimò cum mihi in præſenti contigerit Cæleſtini epiſtolam memorare, ex verbis eiuſdem, quod nunc obiecimus, roboratur. Nam illi Epiſcopi, qui in Cæleſtini epiſtola magis in Semipelagianorum errore conniuentiæ accuſantur, illi præſertim erant, qui immediatè per ſaltum à ſæculo ad guberna Epiſcopalia cuncti erant, quod ideò Pontifex cap. 2. pro eorum tumultuum radice aſſerebat dicens, *niſi fortè illud obſiſtat, quod non auctoritate, nec adhuc ratione colligitur, ut aliqui è Fratrum numero nuper de laicorum conſortio in collegium noſtrum fortaſſis admiſſi neſciant quid ſibi debeant vindicare*; ſed certum eſt Hilarium Epiſcopum Arelatenſem non ſic à ſæculo, immò à Lirinenſi cænobio iam diù monachum ante aſſumptum exiſtiſſe, vt præter cōceſſa à Noris habetur in vita eiuſdem ab Honorato deſcripta ac inſerta Bolando, & in epiſtola ſimul Eucherij de laude Eremi & huiuſmodi; non igitur adhuc prædictis Epiſcopis in Semipelagianorum errore *conniuentiæ* culpatis Hilarius noſter accenſendus eſt. Quod ſi velimus ſolius Proſperi verbis inſiſtere in epiſtola ad Auguſtinum, vbi ſolis Maſſilienſibus hic error legitur attributus, dum ait, *multi ſeruorum Chriſti, qui in Maſſilienſi Vrbe conſiſtunt, contrarium putant &c.* Hilarius adhuc hic noſter non Maſſiliæ vnquam ſed Arelatæ Epiſcopus fuit, nec immò Arelatem in patriam habuiſſe mox infrà ſubdemus, nec Maſſilienſis demum ſed Lirinenſis Monachus anteà, poſteà Arelatēſis Epiſcopus fuit; nullo igitur modo Hilario noſtro ex verbis Proſperi dictus error attribui poteſt. Vel ſi velimus vltrò etiam ſubiunctam in epiſtola poſteriori ad Auguſtinum eam expédere diſiunctionem *hæc ſunt, quæ Maſſiliæ vel alijs etiam locis in Gallia, ventilantur*, & rurſus audire ſequentia verba *ſunt ex parte talis perſonæ vt his conſuetudine Eccleſiaſtica laicos ſummam reuerentiam neceſſe ſit exhibere*, quid vetat adhuc nos pro Hilario poſſe ſic iterum ratiocinari? his ſtantibus adhuc ſi cōſtet in Maſſilienſi Vrbe prius & repetitis vicibus nominata, ſi conſtet, inquam, aliquem in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutum fuiſſe, qui in libris etiam emiſſis Semipelagianam hæreſim evulgarit, alibi verò nil conſtet, de illo potius Maſſiliæ quam de alio quocumque Arelatæ vel alibi, hæc Proſperi verba accipienda ſunt. At ità de facto conſtabat Maſſiliæ (vt omittamus Epiſcopum Venerium Maſſilienſem Epiſcopum in Cæleſtini epiſtola cap. 1. reprehenſum) ſimul

mul extitiſſe Caſſianum *Maſsilienſem Abbatem*, vt eum nominat Caſtor Aptenſis Epiſcopus in epiſtola ad eumdem, Abbatem ſcilicet Sancti Victoris Maſſiliæ, quem ſimul conſtabat Collationem decimamtertiam à planta pedis vſque ad verticem capitis Semipelagiana tabe madentem aliquot iam ante annos evulganiſſe, & aliàs ſcimus tunc temporis maiorem longè apud laicos Monachorum Abbates ſibi reuerẽtiam etiam à laicis obtinuiſſe: de iſto igitur potius quam de alio Arelatæ, vel alibi exiſtente Hilatio, nihilque præſentis argumenti ſcribente, adhuc ea Proſperi verba intelligenda ſunt, vti de facto in adnotationibus Louanienſium ſic exponuntur, dum ad ea verba Proſperi, *multi ſeruorum Chriſti qui in Maſsilienſi Vrbe &c.* ſic legitur, *inter hos non poſtremus erat Ioannes Caſsianus.* At video; detinent à firmo in noſtram ſententiam aſſenſu ea dumtaxat adiuncta Proſperi verba nimirum, *aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotij honore ſupereminent*, quæ de Arelatenſi Epiſcopo Hilario tunc vtique nuper anno ſcilicet 429. (vt ſupputat Noris) euecto poſt Honoratum in eam cathedram, non verò de altero intelligi poſſe videntur: Verum omiſſo quod ex infra ſubdendis apparebit ſcriptionis tempore harum litterarum Arelatenſem Epiſcopum Hilarium nõ fuiſſe, immò Honoratum adhuc, omiſſo etiam hæc de Maſsiliæ potius Epiſcopo, quam Arelatæ, ſcilicet Venerio, aut eiuſdem prædeceſſore intelligenda fuiſſe; omiſsis, inquam, his omnibus, excupio ſolum à Noris addiſcere, cur ſi ad Epiſcopum alterum, præter Maſsilienſem, ac nuper electum excurrendum eſt, cur non potius ad Lugdunenſem Epiſcopum Eucherium excurritur? Qui & Caſsianum adſcribendum impulit, & à Caſsiano ſibi ſacratas collationes excepit, laudibus abeodem cumulatus eſt, & demum eaſdem etiam collationes eiuſdem pro grati animi munere breuiori ſtylo contraxit, ac veluti ſuas fecit, vt suprà retulimus: cur ergo potius de iſto (licet & iſtum fatear poſteà retractaſſe ſententiam in lib. quæſtionum noui, & veteris teſtamenti, vbi vtique aduerſam omninò Semipelagianis ſententiam expreſſit) prædicta ea Prosperi verba *aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotij honore*, cur, inquam, hæc de iſto intellecta non ſunt? hunc enim adminus ſub eo tempore, quo Honoratus Arelate Epiſcopus erat, & ipsum Lugdunensem Eccleſiam ingreſſum eſſe coniector, tum ex eo quod à Casſiano in præfatione ad Collat. 11. ſincronus ſimul seù eiusdem ætatis, ac collega in Lirinenſi Cœnobio iam ſenex cum Honorato indicabatur, vbi ex oppoſito veluti iunior Hilarius nullibi à Caſſiano vel nominatus eſt, & tamen poſtmodum adhuc proſequente Casſiano earumdem collationum ſcriptionem Honoratum Epiſcopum euaſiſſe teſtatur idem Casſianus poſteà in præfatione ad 18. collat. dicens, *ſeptem alias beatiſsimo Epiſcopo Honorato &c. dicaui*; Accedit Eucherium in oratione de laude Eremi Lirinenſis de Hilario noſtro ſic loqui, vt ſubindicet permanere adhuc Hilarium Monaſterio nuper antea ſociatum, ſe verò alibi longè à Lirinenſibus ſedem fixiſſe, dum inquit, *tu mi chariſsime Hilari redditus inſertuſque conſortio plurimum tibi, plurimum etiam illis contuliſti*, non inquit, *nobis*, vti dixiſſet, ſi ſimul ipſe tunc adhuc cum Lirinenſibus perduraret, & ſubdit, *qui nunc pro reddita tuo alacri exultatione lætantur*, dixiſſet potius, *alacri exultatione lætamur*; rurſus mox antè de eadem prælaudata Lirinenſi Inſula ſcribit, *vt illic*, non dicit, hic, *vt illic ſpiritum ſub illa interiore Domini vmbra anheli reſumant*, mox clarius, *quos ego illic leſu*

bene ſanctorum cœtus conuentuſque vidi? Aſſumptus igitur iam ipſe erat à Lirinenſi Cœnobio tunc cum hæc ſcriberet, in Lugdunenſem Eccleſiam, cuius ſine dubio Epiſcopum extitiſſe reſtatur Proſper Tyro in Chronico, alijq; conueniunt, vti & anno 441. tamquam Lugdunenſem Epiſcopum Synodo primæ Arauſicanæ ſubſcripſiſſe in actis eiuſdem Synodi reperitur. At cum ſcribebat hæc mox relata Eucherius, iam Honoratus à Lirinenſibus aſſumptus erat ad Epiſcopatum Arelatenſem, (qui vacauerat anno 426. ex Proſpero, propter Patroclum interfectum) ſubdit enim de Lirinenſi Inſula Eucherius ibidem, *hæc nunc ſucceſſorem eius*, ſcilicet Honorati, quem fundatorem mox anteà nominarat, *hæc nunc ſucceſſorem eius tenet Maximum*, qui ſcilicet ſecundus Abbas Honorato ſucceſſit: remanet igitur demonſtratum longè antè annũ 429. quo Honoratus circiter poſteà defunctus eſt, Eucherium Lugduni Epiſcopũ adfuiſſe, vt de ipſo poſſent (vt diximus) ea verba Proſperi verificari, *aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotij honore ſupereminent*. Quid dicet accuratiſſimus, me quidem iudice, Noris ad iſta? Hærebit fortaſſe ſed repetet in oppoſitum ſua verba lib. 2. cap. 13. pag. 265. vbi & Vſſerum eadem verba Proſperi intelligentem *de Maximo eo tempore nuper Epiſcopo Rhegienſi*, refellit, vt ea de vno ac ſolo noſtro tam male habito Hilario intelligeret, & poſteà ſubdit, *Eucherius quoque haud in numero eorum Epiſcoporum, de quibus Proſper, reponi poteſt, nam in oratione parenetica qua Valerianum cognatum ad Monaſticam vitam ſecum ineundam hortatur, atque religioſam ſolitudinem miris præconijs effert, ſcribit ab Vrbe condita ad ſua tempora fluxiſſe annos 1185. quo tempore currebat annus 432. Epochæ Chriſtianæ quando Eucherius adhuc Monachus Leronem incolebat, atque prædicta ſcribebat;* cum igitur Proſper ſcriberet anno 429. vt dicit Noris ibidem, iam Proſper de Eucherio, vt *nuper* Lugduni Epiſcopo loqui non potuit. Hæc eius obiectio, quæ vel ex ſolis mox ante relatis à nobis ex eodem Eucherio in eadem Eremi laude diſſoluitur, conſtatque potuiſſe vtique tunc Eucherium adhortari cognatum ad ineumdam Eremi ſolitudinem, vti anteà & ipſe fecerat, non tamen *ſecum*, vt addit Noris, cum certè amplius ibi non adfuiſſe probatum ſit. Solida igitur & hæc probatio, neque vt vulgaris dimittenda fuerat. Supereſt hic vnum tantum, quod ſi perſiſtat aduerſus inſtantias Noris, validiſſimum omnium pro noſtro Hilario argumentum erit. Nimirum ſcriptor epiſtolæ ad Auguſtinum ſub nomine Hilarij de Maſſilienſium errore idem ipſe Hilarius noſter erat, non ab illo diſtinctus, vt mox contrà Noris id negantem, oſtendam: at iſte ſcriptor epiſtolæ ad Auguſtinum diſertis verbis ab omni ſe ſuſpicione erroris Maſſilienſis expurgat his verbis, *nolo autem ſanctitas tua ſic me arbitretur hæc ſcribere, quaſi de ijs, quæ nunc edidiſti, ego dubitem. Sufficit mihi pœna mea, quod a præſentia tuæ delicijs exulatus, vbi ſaluberibus tuis vberibus nutriebar, non ſolum abſentia tua crucior, verum etiam peruicacia quorumdam, qui non tantum manifeſta reſpuunt, ſed etiam non intellecta reprehendunt. Cæterum hac ſuſpicione in tantum careo, vt potius infirmitatem meam, qua tales parum patienter fero, notabilem putem*; integram igitur (vt auditur) Hilarius pro abigenda à ſe ipſo hac ſuſpicione apologiam appoſitè procudebat, & ſe ipſum ingenuè ab obiectionibus Noris velut prophetando eximebat. Sed in iam mortuum nec reſpondere valentem, cum Noris poſt duodecim ſæcula hiſce diebus inſurgat expendens vltrò illum, ſcriptorem epiſtolæ ad Auguſtinum non niſi in nomine

cum

cum Arelatenſi Antiſtite conueniſſe, at verò diſtinctum in ſe ac Laicum & Auguſtini diſcipulum præ alio Hilario Arelatenſi contradicente, vt ipſe contendit, Auguſtini doctrinæ, pro ipſo nobis expedit iterum apologema (præter iam dicta hoc ipſum deſtruentia reſponſum) proſequendo ſubiungere, ac demonſtrare, aduerſus Norim, vnum quinimò eumdemque fuiſse, qui Auguſtino ſcribebat, atque qui Arelatenſis Epiſcopus vel poſteà fuit, vt volunt cum Baronio alij, vel ſaltem qui erat tunc, vt Noris etiam in hoc ſingularis exiſtimat, mirorque ſingulari placito Norim non ità pariter duos Hilarios etiam Arelatenſes Epiſcopos diſtinxiſſe, vt vni integram Semipelagianæ hæreſis notam reſeruaret, alteri ſoli concederet gloriam emittendi in Britaniam Legatos Germanum Antiſiodorenſem, & Lupum Trecenſem aduerſus quoſdam ibidem Pelagij hæreſim exſuſcitantes (vt narrant Conſtantius Præsbyter in vita prædicti Germani, & indè Ado, Beda, & fuſius idem Noris lib. 2. cap. 5.) Cum alias videam Norim, adeo Hilario Arelatenſi moleſtum viſum eſſe, vt etiam ipſos tantummodò encomiaſtes eiuſdem, ex ipſa ſola commendatione Hilarij Arelatenſis, ſuſpicatus ſit eoſdem Semipelagiani furfuris extitiſſe, vt de Honorato Epiſcopo Maſſilienſi ſcribebat idem Noris lib. 2. cap 16. his verbis *hunc ſcilicet Honoratum in eadem ſententia cum Gennadio fuiſſe ſuſpicor, quod in libello de vita S. Hilarij Arelatenſis cap. 3. ſcribit &c.* ſcilicet *meritum proprium* Hilarij nominans, & commendans, veluti non extet Proſper in libro pariter contrà Collat. cap. 26. concedens ac repetens *bonam voluntatem propriam hominis eſſe*, nec tamen inde Semipelagiana ſenſa permittat; veluti non adſit etiã ante Proſperum Auguſtinus in libr. de grat. & lib. arb. cap. 3. pronuncians, *conſentire vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſſe*, nec tamen Semipelagianis ſe in hoc fauere ſupponat, exponatq; ſimile dictum in ſenſu catholico lib. 4. ad Bonif. cap. 6. epiſt. 143. lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 5. & ſæpiſſimè alibi; veluti demum non adſit etiam Hormiſdas epiſt. ad Poſseſſorem dicens, *proficiemus inter aduerſantes proprijs bonis*, nec tamen Semipelagianum hoc dictum dici poſſe conſentiat aduerſus Ioannem Maxentium impudenter inde inſultantem Pontifici ipſemet Noris lib. 2. hiſto. cap. 19. ex Auguſtino in explicatione orationis Dominicæ. Cur ergo non ſic idem Noris ea verba Honorati catholicè interpretari permiſit? Cur Honoratum accuſare maluit, quia ità dumtaxat Arelatenſem Epiſcopum laudauit? ſed procedamus ad alia, & proſequamur intentum, quod propoſuimus de vnico eodemque Hilario, quod poſt ſibi propoſitam difficultatem ſupponit etiam Baronius ad annum 426. & cum ipſo Suarez prolegomeno 6. cap. 6. num. 21. Gazæus in cap. 1. Collat. 13. Caſſiani, & cum Louanienſibus in adnotationibus ad epiſtolam Hilarij plerique alij amplexantur, & probant; & nobis pariter multipliciter probandum eſt, tum quia moraliter repugnare videtur eũ, qui profitebatur contraire velut ſingulari doctrinæ Auguſtini ac diſcipulorũ eiuſdem (etſi in communi doctrina cum cęteris conueniret) voluiſſe poſteà vel ſuos ſenſus Proſpero, defenſori acerrimo eiuſdem Auguſtini, domeſticè communicare vel in vulgum effundere, ſe Auguſtino pro inſtructione veluti diſcipulum conſcripturum. Sed ille alter Hilarius, vt diſtinctus à noſtro ſcriptore epiſtolæ ad Auguſtinum, depictus à Noris, hæc ſingula ſimul in ſcena veluti præſtitiſſet, iuxtà Proſperi verba interpretata in hunc ſenſum à Noris,

ris, nimirum *ſciat beatitudo tua &c. de hoc quod in querelam trahit*, ſcilicet ipſe, *tam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per litteras velle conferre*; repugnat igitur moraliter ille alter Hilarius, vt diſtinctus à noſtro ſcriptore epiſtolæ, ſeu vt deſcriptus vel depictus à Noris; tum quia Hilarius ille alter, vt ab Aduerſario componitur, memoratus à Proſpero nullus alter tandem Hilarius eſt niſi ille, qui iuxtà eiuſdem Proſperi verba, *inter viros meritis atque honoribus claros quoſque caligo illius opinionis obſcurabat*, ſperabat Proſper *defæcatiſſimum lumen gratiæ fore recepturos, vnus eorum* erat &c. volens *apud ſanctitatem Auguſtini ſenſum ſuum conferre per litteras*. Sed hic ipſe noſter ſcriptor appoſite ſe vnum eorum eſſe in hoc ſenſu ab initio epiſtolæ profitetur dicens, *arbitror gratiorem fore ſedulitatem noſtræ relationis, quæ dum indicat ſecundum quorumdam proſequtiones quædam aduerſantia veritati, non tam ſibi* (expendatur id quæſo) *non tam ſibi quàm illis, qui turbantur & turbant, per conſilium ſanctitatis tuæ ſatagit prouidere*, ſcilicet *ſibi* hæſitanti, licet non aſſentienti, errori propoſito ſimul ſatagit prouidere; nullus igitur adhuc Hilarius ille acceptus à Noris, ex Proſperi verbis, nullus, inquam, alter quàm hic ſcriptor epiſtolæ erat; tum quia ſcriptor epiſtolæ non eſt Hilarius alter niſi agnitus ab Auguſtino tamquam ſui diſcipulus, vt in littera profitetur, non ignotus ipſi. Sed appoſite Arelatenſem fuiſse Hilarium notum ipſi Auguſtino, vt diſcipulum eiuſdem, ex eo conſtat, quod Proſper vix illum ſolum nominat Auguſtino nullas alias eiuſdem circumſtantias addendò, ſupponens iam Auguſtino eumdem innotuiſſe, & ſignificans eum in alijs vtique ſtare cum doctrina Auguſtini, de hoc verò dubitare dumtaxat, igitur Arelatēſis ille idem ſcriptor eſt; tum quia ex oppoſito hic noſter ſcriptor epiſtolæ, vt acceptus vel deſcriptus à Noris, velut ab illo altero Hilario diſtinctus, Laicus præſupponitur ab eodem Noris. At immò ſcriptorem epiſtolæ Laicum non fuiſſe, ſed Eccleſiaſticum non obſcurè ſignificat ſe profitens, *ſub Auguſtini præſentiæ delitijs olim ſalubribus eius vberibus enutritum*, quod vix cuique alteri quàm cœnobitæ, vel Monacho conuenire poteſt, modo *Sancti Leonis Diaconi cultoris Auguſtini cum ſuis parentibus ſalutationes* ſuæ epiſtolæ interſerens, mox denuncians *ſuum fratrem, cuius maxime cauſa*, indè ab Auguſtino *receſſerat, cum matrona ſua ex conſenſu perfectam Deo continentiam denouiſſe*, iterum, *egiſſe cum viro tum moribus, tum eloquio & ſtudio claro*, ſcilicet Proſpero, *vt quanta poſſet collecta ſuis litteris intimaret*, quæ quamdam vtique Eccleſiaſticam ſuperuigilantiam, vel præeminentiam indigitant, & demum ſe quærere inquit, ac expectare, *quomodo eſſet in hoc Maſsilienſium contradictio toleranda*, quæ ad Laici profectò hominis curam, me iudice, non attinebant; non igitur hic ſcriptor noſter diſtinctus alter eſſe poteſt ab Eccleſiaſtico Hilario, vt Noris accepit; tum quia hic ſcriptor epiſtolæ ille eſt, cui Proſper ſuammet litteram Auguſtino ſcriptam intercludendam commiſit, ſeu commendauit, vt ille ſe feciſſe teſtatur, ſic de Proſperi præindicati litteris dicens, *quas coniunctas hic deſtinare curaui*. Sed niſi ille fuiſſet Eccleſiaſticæ præeminentiæ vir, immò ex oppoſito Laicus extitiſſet, neque Proſper eius officio indiguiſſet, qui immò *per ſanctum Fratrem ſuum Leuntium Diaconum epiſtolas olim miſerat, & receperat*, vt loquitur idem Proſper de ſe ipſo, neque homini Laico res adeò grauis denunciandi tumultus in materia de fide in eadem vrbe ſubortos fidenda merito videbatur, non igitur hic ſcriptor epiſtolæ Laicus alter Hilarius eſſe poteſt

Digitized by Google

teſt ab Eccleſiaſtico Hilario diſtinctus, tum quia ſi hic ſcriptor epiſtolæ Laicus alter Hilarius fuiſſet, in iſta hypotheſi, vti de altero Eccleſiaſtico Hilario & Epiſcopo antiqua monumenta teſtantur, ita etiam de iſto adminus, inter tot ſcripta Auguſtini ac diſcipulorum eiuſdem, vt eiuſdem diſcipuli non contemnendi & iſtius notitia aliqua longe maior, quam adſit, reperiretur, immò nec in profanis temporum illorum hiſtorijs tam altum ſilentium de iſto proſequeretur, cuius aliàs frater cum *matrona* iam nupſerat, & perfectam deinde continentiam deuouit, *Leuntini Diaconi* (niſi fortè *Leuntij*, cuius nominis tres indè Epiſcopi in illis regionibus adfuere, Arelatenſis, ForoIulienſis, & demũ Burdegalenſis, vt notat Gazæus in capur 1. collat. 9. Caſſiani) *Leuntini, inquam Diaconi Auguſtini cultoris ac parentum* eiuſdem Laici amicitia eidem Auguſtino bene nota erat, non, inquam, de tam memorabili ac benefico Hilario Laico ipſi diligentiſſimo Noris ſaltem explicatior notitia defficere potuiſſet, qui Noris aliàs *laudabili auſu*, vt vtar verbis Claudiani Mamerti libr. 2. de ſtatu animæ, *mirabili ingenio non imitabili eloquio quaſiuit inuenit ac prodidit* euiſceratis antiquitatis ruderibus tot allia (ne ſua laude fraudetur) ingenti in opere ac ſuſpiciendo hiſtoriæ Pelagianæ tot obſtruſa ac pereginæ eruditionis ſecreta admiranda in eodem, vti & in nuper editis Cenotaphijs Piſanis extumulauit ac protulit. Sciuiſſet vtique (vt repetam) iſte eruditiſſimus ſcriptor à pari, immò & minori forſan difficultate à fortiori perquirere vel luce donare, quinam hic alter Laicus Hilarius extitiſſet epiſtolę ſcriptor ab Eccleſiaſtico Hilario ſeiunctus, ſed id non præſtitit, immò nec quidem id agere molitus aut meditatus eſt, ſignum igitur eſt ex ipſomet Noris commentitium potius, vel perſonatum hunc Laicum Hilarium ad finem dumtaxat effugiendi pro Eccleſiaſtico Hilario vindicias introductum esse; tum quia demum ſi ruat ſuppoſitum Noris Hilarium ſcilicet Arelatenſem eo tempore, quo Proſper Auguſtino ſcribebat, in Arelatenſi Epiſcopatu fuiſſe, iam ruit ſententia eiuſdem aduerſa, (vt profitetur pagina 168.) magno Annalium ſcriptori Baronio neganti ad annum 426. Hilarium fuiſſe Epiſcopum eo tempore ſcriptionis epiſtolæ Proſperi, quod erat antè vel propè dumtaxat annum 429. ſi, inquam, hoc ruat ſuppoſitum, eiuſdem pariter ſententia labaſcit. Verè autem ſic à Baronio (non obſtante coacta interprætatione Noris) inſuperabiliter demonſtratur. Nam Eucherius eo tempore Epiſcopus Lugdunenſis in epiſtola parenetica ad Valerianum hæc habet. *Hilarius nuper & in Italia nunc Antiſtes Petronius, ambo ex illa pleniſsima, vt aiunt, mundanæ poteſtatis ſede, vnus in religionem, alter in Sacerdotij nomen aſcendit.* At Petronius, ſubſumit Baronius, eſt electus Epiſcopus Bononienſis anno 430. vt tradit Sigonius magni nominis ſcriptor in hiſtoria Bononienſi, igitur & Hilarius ſolum ſuperioribus mox annis ante 430. iuxtà Eucherij verba *in religionem aſcendit de mundana poteſtatis ſede*, ideſt à ſæculo, à quo pariter in Bononienſem cathedram Epiſcopalem eo tempore Petronius aſcendit, qui planior videtur dictorum verborum ſenſus, quam ille affixus à Noris, vt conferenti prædicta verba patebit, non igitur ante annum 429. cum Proſper ſcriberet, Hilarius Epiſcopus erat, vti aliter ab Eucherio *in Sacerdotij nomen* aſcendiſſe & Hilarius dicendus fuiſſet; omiſſo ex ſupranotatis conſtare dumtaxat epiſtolam Proſperi ſcriptam eſſe inter finem anni 427. & terminum anni 428. vbi ex oppoſito Hilarius obtinuit

finit Arelatenſem inſulam, ſi non anno dumtaxat 430, vt Baralius intendit, non niſi adminus iam ingreſſo anno 429. poſt Honorati mortem, vti & Noris ipſe concedit.

Sed volo ego, quod non ita cæteri præſtitere, exquirere, ſaltem vt tempus, ſcopus, munuſque permittunt, quomodo & quando Hilarius Arelatenſis ac ſcriptor epiſtolæ (ex dictis hucuſque) ad Auguſtinum acceſſerit eiuſque auditor eſſe potuerit, vt in epiſtola recitata innuebat, eidem Hilario à Noris hac præſertim de cauſa denegata. Hilarium in primis Arelatenſem ſubſcripſiſſe Synodo Rhegenſi anno 439. notat poſt Baronium Bolandus ad 16. Ianuarij num. 3. eumdem pariter anno 444. coegiſſe Synodum Gallicanam pro depoſitione Cydonij reuocata à Leone Papa benè colligit Noris lib. 2. cap. 12. ſimiliter obijſſe eodem anno, quo obijt eiuſdem dilectiſſimus Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis conſtanter omnes admittunt, traditque Proſper Tiro in Chronico dicens, *Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, & Arelatenſis egregiam vitam conſumant morte:* Eucherium autem non perueniſſe ad annum 463. vt credebat ad hunc annum Baronius num. 5. neque vel etiam ad annum 454. vt Sauſaius & Labeus opinati ſunt, probat Noris pag. 264. ex quadam Leonis epiſtola anno 452. inter Galliæ Epiſcopos non numerante Eucherium. Conſtat igitur eodem circiter anno 449. Eucherium ſimul & Hilarium ad ſuperos euolaſse. Si verò deindè ſubſumamus Hilarium eumdem Arelatenſem ſolùm annum ætatis ſuæ 48. compleuiſse, vt teſtatur Honoratus Maſſilienſis in vita eiuſdem, indè conficitur retrocedendo Hilarium natum eſse anno circiter 400, cui congruit, quod etiam Eucherius in epiſtola ad Hilarium eumdem de laude eremi, quam conſtat ſcripſiſse dum Honoratus Epiſcopus erat, nominans poſt eum Abbatem Maximum, conſequenter poſt annum 426. & tamen ibi dicit Hilarium *præſeferre annis iuuenem, moribus ſenem*, ſicut etiam apud Honoratum in vita Hilarij idem Eucherius, dum Epiſcopus eſset eum vocauiſse refertur iterum *annis Iuuenem moribus ſenem*. Hæc de anno natiuitatis Hilarij, de cuius Patria deindè, vt video, plures decepti ſunt arbitrantes Arelate natum, eoquod Arelatenſis ab eiuſdem vrbis Epiſcopatu nuncupatus ſit, & tamen vnam ipſius ac Honorati fuiſse patriam certa res eſt ex verbis eiuſdem Hilarij in vita Honorati cap. 5. dicentis, *mei gratia patriam, quam faſtidierat non dedignatur accedere, nec defugit laborem tanti itineris ſuis præcipuè multis iamdudum infirmitatibus grauem meque illic &c.* ſcilicet ab ipſo ſe in iuuentute emendatum proſequitur enarrare; Patriam verò Honorati longè diſtantem ab vrbe Arelate demonſtrat idem Hilarius ſequenti capite 6. alloquens Arelatenſes, qui ſibi Honoratum in Epiſcopum anteà delegerant, & dicens, ſed *vnde illum quæſo quod tam è longinquo tam ignotus expetitur? Quis illam abſentis nec prius niſi gratiam veſtris pectoribus affixit?* Non igitur Arelates Honorati nec conſequenter Hilarij patria fuit, vt iterum & de ſe ipſo id exponit idem Hilarius cap. 8. At quænam altera fuerit patria vtriuſque, non adhuc conſtat, & forſan à Papebrochio ſequentibus tom. ad diem 5. Maij dilucidius excutietur, dum interim iam Bolandus ad diem 16. Ianuarij num. 4. in hoc cum Baralio inclinauit, vt Honorati patriam dixerit Tullum, vel Diuionem in Campania aut Lotharingia, vti & Tullenſis creditus Lupus ille Epiſcopus *Trecenſis parentibus natus regiæ propaginis ex pago Britannico, cui nupta Pimeniola Sancti Hilarij*

Arela-

Arelatenſis Epiſcopi ſoror Honorati conſanguinea, qui Honoratus (ſubdit) *Gallus nobis videtur origine Romanus, eoquod de auitis conſulatibus cap. 1. ab Hilario laudetur vſque ad conſularis prouecta familiæ Honorati nobilitas*. Ex quo Iſidorus poſteà de ſcriptoribus cap. 16. inquit, *Hilarius Arelatenſis Epiſcopus ſcripſit vitam parentis, & prædeceſſoris ſui Honorati ſanctiſſimi &c.* & ipſe Hilarius cap. 8. idē ſignificat ſcribens, *Honoratus quærens in me fidei, ſicut & ſanguinis ſui, venam* & demum Honoratus Maſſilienſis in vita Hilarij eamdem huius conſanguinitatem cum illo priori Honorato exprimit de Hilario illum laudante dicens, *laudibus venerandi propinqui præcelſum ſtemma natalium maluit commendare, dum præterit*. Hinc igitur ſimul Hilarij noſtri nobilitas ex familia dignoſcitur, laudata à Gennadio de Illuſtribus viris vocante eum *hominem genere clarum*, & modeſtè indicata ab eodem Hilario in epiſtola ad Auguſtinum dum coniugem fratris ſui *Matronam* nuncupat, & clariùs ab Eucherio in epiſtola ad Valerianum aiente *eum ex pleniſſima illa mundanæ poteſtatis ſede in religionem aſcendiſſe*; Indè duodecim circiter cum annorum eſſet, nempè, vt inquit Honoratus in eius vita, dum rethoricæ ſtudens *eloquentia ipſis ſuis inſtituentibus fluebat*, impuberem Hilarium in patria viuentem non procul ab vrbe Maſſilienſi diſtante in illis tenerioribus annis nimium Mundi delitijs, ac inanitatibus inhiantē, ad bonam frugem conſtat reuocatum eſſe per eumdem parentem ſuum Honoratum, qui mox ante fundauerat in Inſula Lerina Anacoretarum ſeù Monachorum Eremum; anno circiter ad minus 405. vt ſupputat Noris pag. 161. (contra Baronium atquè Baralium retrouertentes in annum 375. translatio. nemque corporis Honorati ponentes ſub anno 391.) & probat Noris ex retractatorijs epiſtolis cuiuſdam Leporij Pelagiani correcti à Caſſiano, cuius tamen probationis certitudo vindicanda eſſet ab ingruente hæſitatione de duplici Leporio memorato ab eodem Caſſiano lib. 7. de Incarnat. cap. 21. illis verbis *Leporius ille, vt Leporius diſcipulus ſuus dicit*, niſi fortè poſtrema hæc verba ſic legi debeant, vt *Neſtorius diſcipulus ſuus &c.* Hic igitur Honoratus ille eſt, qui poſteà anno exeunte 426. aut ingrediente anno 427. in occiſi tunc Patrocli locum ex Proſpero in Chronico, Arelatenſi Eccleſiæ præfectus eſt, cum anteà ad Maſſilienſem Epiſcopatum inuitatus fuiſſet, referente id Hilario cap. 2. dum inquit, *hunc ipſum iam tunc, cuius hodie memoria paſcimur, vrbi huic, ſcilicet* Arelate *Maſſilienſis Eccleſia penè præripuit, hortante illius vrbis Antiſtite, & talis eo gaudente collegio*, ſed Abbas Lerinæ Honoratus remanſit quouſque, vt diximus, Arelatenſis Epiſcopus fuit, cui ſubindè poſt tres circiter annos defuncto Hilarius noſter Arelatenſis Epiſcopus ſuffectus eſt. Per hunc itaque Honoratum deſcriptum hucuſq; & Hilarium noſtrum in illa molliori ætate emendatum eſſe recenſet idem Hilarius de ſe ipſo in vita Honorati cap. 4. poſt ſuprà relata verba ſic proſequens: *me illic in illis annis nimis amicum ſæculo, & contumacem Deo, vt ſeductor & verax ad amorem Chriſti blanda manu tentat*, & poſt plura ſubiuncta de modo ſuæ correctionis ac conuerſionis, inquit, *ablata eſt illicò cauſa remorandi. Tum primum illam eſſe patriam, quam fugiendam eſſe dudum crediderat, agnouit. Educit me ſecum ſuam prædam &c. Eremo me iam, tamen exemplo ſuo, ſecreti cupidum feſtinat includere. Alit primum lacte &c.* En primam adhùc teneram Hilarij ætatem, licet non adhuc Monaci in Lirinenſi Inſula ſub Honorato educatam, inſtructam, erat enim tunc temporis mos etiam

longè

longè inferiores ætate educare nobiles Iuvenes in Lerinæ Cœnobio, vt demonſtrat Eucherius in præfatione ad librum quæſtionum noui & veteris teſtamenti ſuo filio Salonio dicens, *qui vix dum decem natus annos eremum ingreſſus inter illas ſanctorum manus non ſolum imbutus verum etiam enutritus ſit ab Honorato patre illo*, ſcilicet Abbate Lirinenſi, poſteà Epiſcopo Arelatenſi &c. Verùm, ex mox ſubdendis, adminus vt probabilius admittendum eſſe conſtabit, eumdem Hilarium vix adhuc ſupergreſſum quatuordecim annos, non minus amore Diuinorum incenſum, quàm innatæ Indolis generoſitate perductum, ad *E*remos Affricæ permeaſse. Sicut enim referente Hilario eodem cap. 2. Honoratus ipſe *in teneritudine ætatis ſuæ cum ſene Capraſio, & Fratre Venantio maria tranſmiſerat, expeterat littora &c. & tolerarat ſqualorem ac ſterilitatem Actiaci litoris*,ità etiam Hilario contigiſse opinamur cum ſimul eo tempore plurimos ad Ægyptum aut Affricam Monachos transfretare conſpiceret (vt paſſim Caſſianus in libro inſtitutionum, & Collationum, enarrat, & de Rufino Aquileienſi, D. Hieronymo Dalmata, Paulo Oroſio Hyſpano, Euſebio Cremonenſi, Iuliano Campanienſi, Paulino Diacono Mediolanenſi, Pelagio ipſo Britanno, cæteriſque etiam Sanctiſſimis fęminis ac nobiliſſimis, Euſtochio, Demetriade, Paula, & huiuſmodi pluribus, in Affricam eo tempore tranſmeantibus conſtat,) cum, inquam, Hilarius horum exempla conſpiceret, credibile eſt eum etiam decenti cum comitatu ętatique congruo, atque familiæ, ſe in Affricam contuliſse, vbi parumper ſub Auguſtino vel ſaltem in Auguſtini Cęnobijs in *D*iuinis magis inſtructus diſciplinis, indè poſteà percepto ex Italia de repente nuncio à parentibus (quorum nomine etiam in epiſtola poſteà ad Auguſtinum ſalutat eumdem) ob ſuum fratrem maiorem, extemporaneè ab Affrica rurſum ſoluere ac in Italiam regredi inopinatè coactus eſt, vti tangit ipſe in epiſtola ad Auguſtinum de ſua quidem priori ſed breui in Affrica commoratione ſic dicens, *ſufficit mihi pœna mea, quod à præſentiæ tuæ delitijs exulatus, vbi ſalubribus tuis vberibus nutriebar, abſentia tua crucior*, de poſteriori verò reditu ſuo ſibimet inuoluntariò ſubiungens *ſciat ſanctitas tua fratrem meum, cuius maxime cauſa hinc diſceſsimus, cum matrona ſua ex conſenſu perfectam Deo continentiam deuouiſse*, id forſan eiſdem conſortibus ſuadente Diuinis inhiante myſterijs Hilario noſtro, vt opinor & quilibet cordatus aſſentiet. Età regrediens ac in itinere Syracuſam appellens (ſi volumus & coniecturæ prudentiali Suarez proleg. 6. cap. 6. num. 21. ſaltem ex parte adhærere) Syracuſæque audiens Pelagij errores inſperſos mox ante vel à Ruffino, qui ibidem in eis Siciliæ vrbibus mox ante obierat anno 411, vel à diſcipulis Pelagij, qui eodem anno in epiſtolam Pauli ſuos Romæ commentarios iam ediderat, eam ſuam Epiſtolam Hilarius noſter *poſteà Arelatenſis Epiſcopus*, vt inquit Claudius Menardus in præfat. ad duos libros poſteriores Auguſtini contra Iulianum miſit in Affricam ad Auguſtinum inter Auguſtinianas 88, & quibuſdam Hipponenſibus ciuibus, cum quibus venerat, vt ipſe loquitur, *de Syracuſano Hipponem remeantibus ad laudandam venerabilitatem* eiuſdem Auguſtini *erogauit*, veluti in ſui grati animi ſpecimen ſuum proteſtans obſequium, futuramque gratiſſimam eorum, quæ ibi diſputabantur, ſimul notitiam adiungens, dum planè & diſtinctè diſseminatam Pelagij hæreſim manifeſtat, vt eam epiſtolam excurrenti patebit. Huic continuò reſcripſit Auguſtinus ſequentem in ordine

ne epiſtolam 89, in qua ab initio de eius veluti proſpero Syracuſam appulſu congaudet (præmiſſo in epigraphe congruente nomine *filij*, *& Hilarij*, vti & in calce eum *filium* appellat) atque ab his verbis exordiens, *ex litteris tuis didici non ſolum incolumitatem tuam, ſed etiam religioſum ſtudium tuum &c.* quę planè per omnia ingenui nobiliſque adoleſcentis ætati, ſtatui, ac circumſtantiæ præindicatæ conueniunt; hanc porrò epiſtolam ſcriptam adminus eſse ante Autumnum anni 416. (quo Autumni tempore aduerſus Pelagianam hæreſim Numidiæ Synodus ſimul ac Carthaginenſis celebratæ ſunt, iuxtà Norim lib. 1. hiſt. cap. 10. & cæteros expenſos ab illo) mihi res conſtans eſt ex eo, quod Auguſtinus in dicta epiſtola ſoluens quæſtionem quartam contra Pelagium, inquit, *multa de ijs quæſtionibus in alijs noſtris opuſculis, & Eccleſiaſticis ſermonibus diximus*, in tribus ſcilicet ad Marcellinum libris, quos anteà ſcripſerat, & in ſermone, quem ſe habuiſse in Carthaginenſi Baſilica (circiter anno 413.) teſtatur idem Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij cap. 12, dum indè eadem epiſtola 89. proſequitur ſic, *& vnus eorum nomine Cæleſtius in eiuſdem Ciuitatis ſcilicet Carthaginenſis Eccleſia vſque ad iudicium Epiſcopale perductus eſt*, quod planè contigerat anteà Carthagine anno 412, vti & Noris conſentit lib. 1. cap. 4. cum verò in eadem epiſtola non commemoret (vt ſine dubio feciſset) Synodum Mileuitanam Numidiæ, & alteram ſimul Prouincialem Carthaginenſem, quæ, vt præmiſeram, in Autumno eiuſdem anni ſubſequutæ ſunt, reſtat hanc litteram circa medium anni 416. dictatam eſse ad Hilarium, propter quem hæc ſingula hucuſque recenſita ſunt, & quem inde ad ſuos peruenientem conicctor ad minus (quod certum eſt) non antè annum 417. ſi non longè poſt, ſe Lirinenſium conſortio inſertum reddidiſſe, ibique, antequam ad ſuperiores gradus Diaconi, Presbyteri, vel demum Abbatis aſcenderet, per aliquot annos in religionis adhuc tyrocinio ſe exercuiſſe, nobiles ibi inſtruendo Iuvenes, vt exprimit nobis Eucherius in epiſtola ad ſuum filium Salonium dicens, *cum te illic*, ſcilicet in Lirinæ Cœnobio, *Beatiſsimi Hilarij tunc Inſulani Tyronis, ſed iam nunc Summi Pontificis, doctrina formaret &c.* Hic porrò ad Lirinenſes ex Affrica Hilarij reditus, me opinante, colligitur ex illo Sydonij verſu in Euchariſtico ad Fauſtum carmine 16. in fine eiuſdem ſæculi de Lirina Inſula aientis.

Celebrat quoque laudibus
Eucherij venientis, iter redeuntis Hilari;

ideſt applaudit adhuc memoriæ illius temporis longè anterioris, quo Eucherius primum ad Lirinenſes venit, & quo Hilarius ex Affrica rediens ſe Lirinenſium conſortio Monachorum ſociauit: non enim ferunt hæc carmina ſenſum, quem longè diuerſum Noris affigit eiſdem lib. 2. cap. 13, de ſolo reditu Hilarij ab Arelatenſi vrbe, quo Honoratum de recenti Epiſcopum comitatus erat; tum quia à tam breui itinere reditus, ſi verus eſt, tam ingentem adhuc applauſum exultantis totius Lirinenſis Inſulæ non expetebat, tum quia immò nec certa eſt Noris probatio, quod tunc Hilarius in principio Epiſcopatus Honorati eumdem Honoratum Arelatem vſque proſequens Lirinam Inſulam dereliquerit. Solùm etenim Hilarius in vita Honorati cap. 8. ſic habet ad Ciues Arelatenſes, *vobis me tanto labore per litteras tanto per excurſum ſuum ambitu ab Inſula, cui me, directis Epiſcopatus ſui principijs, ſecreti amore reddide-*

iam &c. admouere ſatagebat, inquit, *admouere ab Inſula ſatagebat*, non dixit *amouiſſe*, & inquit, *per litteras directis Epiſcopatus ſui principijs*, ſcilicet miſſas ab initio ſui Epiſcopatus, non dixit *ſe in principio Epiſcopatus inſulæ reddidiſſe*, ſed longè antè ſe ex Affrica redditum ſupponebat, immò quod maius eſt, ne dum *per litteras* id tentaſſe Honoratum dicit, verum etiam *tanto per excurſum ſuum ambitu*, innuens nimirum eumdem Honoratum aliquando ad eum amouendum, Arelatemque deducendum, ſuæ forſan viſitationis ambitum in eamdem Lirinam Inſulam deflexiſſe, ac *excurriſſe*, cum aliàs Hilarius ſolum explicite cap. 7. ſe Arelatæ adfuiſſe morienti Honorato fateatur, Arelatenſibus dicens, *refeciſtis in funere ſuo latentem adhuc inter vos peregrinationem meam*, poſt quam, vt inquit Honoratus Maſſilienſis in eius vita, *iterum Sanctus Hilarius ad Eremi ſecreta feſtinauit*, nec tamen ad hunc reditum, vel fatente Noris, noui applauſus celebrati adeo ingentes; neque ergo pro alio ſuppoſito reditu à Noris celebrati fuiſſent, neque Honoratus Maſſilienſis dicit, Hilarium comitatum eſſe Honoratum Arelatem, cum Epiſcopus ille factus eſt; ſed ſolum ait, *tantum amorem ſecreti in eo fuiſſe, vt cum Honoratum ſubordinationis principium crediderit comitandum, ſtatim definierit relinquendum*, cogitauit ſcilicet, ſed in oppoſitum *definiuit*, vbi intermixta rethorica apoſtrophe ad Hilarium Maſſilienſis Honoratus in laudem conſtantiæ eiuſdem ſubiungit, *relationi huic ſcripta B. Eucherij prabent atteſtationem*, quæ ſcilicet mox afferemus, & *relationi* huic ideſt *narrationi*, inquit, non *reditui* Hilarij; non igirur in principio Epiſcopatus Honorati noſtri Hilarius adiuit Arelatem, & conſequenter *reditus* ille ſuppoſitus ſolùm à Noris eſt, non probatus. Iuxtà hunc ſenſum de reditu celebriori Hilarij ab Affrica in Lirinenſium Monachorum conſortium accipio etiam illud Eucherij de laude eiuſdem Eremi dicentis, *horum tu mi cariſsime Hilari redditus inſertuſque conſortio, plurimum tibi, plurimum etiam illis contuliſti*, non enim de ſolo illo reditu hic loqui potuit ab vrbe Arelatenſi, ad quem Noris refugiebat, ſed ſimul loquutus eſt de ingreſſu *in conſortium* eorumdem Lirinenſium, de quo Noris explicatio non procedit, vbi de vtroque Eucherius loquebatur, non quidem eo tempore ſequuto, quo ſcribebat, ſed præſuppoſito longè ante, & cuius tunc adhuc memoria & beneficio Monachos Lirinenſes gauiſos eſſe ſubiungit his verbis, *qui nunc pro reditu tuo alacri exultatione lætantur*: nollem etenim hic mihi iterum quempiam obieciſſe præpoſterum alterum Eucherij ſenſum, quod nimirum ſentiret eo tempore Hilarium redijſſe ad Lirinenſes, quo ipſe Eucherius ſcribebat: nam immò ſcripſiſſe Eucherium anno dumtaxat 432. confitetur, & probat Noris lib. 2. cap. 13. pag. 265. ex eoquod ibidem Eucherius dicat ſe ſcribere elapſis ab vrbe condita annis 1185. conſequens igitur fieret & contra Noris Hilarium anno 432. ſe Lirinenſibus reddidiſſe, cum tamen eo tempore conſtet illum fuiſſe Epiſcopum Arelatenſem Honorati ſucceſſorem, etiam Noris ipſo fatente, nec ſe Epiſcopatu abdicauit, vt contra Miſtium Bolandus obſeruabat. Remanet igitur neceſſaria explicatio noſtra, cui ſimul accedit iuxtà Sydonium redijſſe Hilarium eo tempore, quo primum Eucherius ſimul venerat ad Lirinenſes, hunc enim coniector appoſitè præmemorato mox antè tempore, ſcilicet non antè, ſi non longè poſt annum 417. ad Lirinenſes aduenisſe: Certè longè ante annum 426. erat Lirinæ Eucherius cum Honorato, quia ad iſtum non adhuc Epiſcopum,

(qualis anni 426. fuit) & ad eumdem ſimul Eucherium mittens Caſſianus collationem 11. in præfatione ſimul vtrumque appellat *ſanctos fratres Honoratum, & Eucherium;* nec conſequenter conſtat, quod ſcribit Noris pag. 264. Eucherium adhuc anno 427. extra Lirinam Inſulam habitaſse; ad quam hoc modo opinor ego aduenisse. Nempè cum prius Eucherius in proxima Inſula diſtante à Lirina ageret Anachoretam, vt ſignificat Hilarius in vita Honorati cap. 4. ſiuè ea fuerit Inſula Sanctæ Margaritæ, ſiue vna Stœchadum, indè, vt loquitur de ipſo Caſſianus collatione 11. in præfatione, *Ægyptum etiam penetrare voluerat*, ſed poſteà aliqua periculoſa tempeſtate retroactus in Lirinam deuenit, ex illis eiuſdem Caſſiani verbis, *vt ſecundo* ſcilicet Eucherio *tam periculoſæ nauigationis neceſsitas demeretur*, quibus omnibus alluſiſſe videtur idē Eucherius de laude Eremi dicens, *præcipuè tamen Lirinam meam honore complector, quæ periculoſi naufragij mundo effuſos pijſsimis vlnis receperat venientes*, non longè igitur ab Eucherij venientis tempore potuir, vt Sydonius aiebat, & Hilarius ab Affrica in Lirinam Inſulam redijſſe. Hucuſque hæc ſcripſeram, cum fortunatiſſime inuenio in Bolando (mihi crede lector) poſt recitatam Honorati vitam ab Hilario deſcriptam & poſt exploſam hallucinationem Miræi in Eccleſiaſticam bibliothecam ad cap. 69. Gennadij, memoratum Hilarij *reditum* perperam intelligentis à depoſito Arelatenſi Epiſcopatu ad monaſticam denuò vitam, quam & Baronius hallucinationem retractauit, reperio, inquam, hæc Eucherij verba de laude Eremi ad eumdem Hilarium mirificè noſtram hucuſque datam illuſtrantia interpretationem ac ſeriem. Sic enim Eucherius Hilarium alloquebatur, *magno tu quidem animo egreſsus dudum de domo tua, & de cognatione tua vſque ad mare magnum recedentia Eremi ſecreta penetraueras*, En prima progreſſio in Affricam, audi reditum, *maiore tamen virtute repetita eſt à te Eremus, quam petita*, nunc accipe & antè progreſſum in Affricam Hilarij adoleſcentis temporarium hoſpitium non adhuc Monaci in Lirinæ Inſula, *ſi quidem hunc prius hoſpes* (nota) *ingreſsus habuiſti ducem & velut itineris tui præuium* ſcilicet Honoratum conſanguineum, ad quem poſteà redijt ab Affrica, & Monachus factus eumdem pro Abbate habuir, vndè pergit, *quem deindè Militiæ cæleſtis magiſtrum habuiſti, eumque tunc ſequutus* in Lirinenſi hoſpitio *& parentes relinquens parentem tamen ſequebaris, nunc vero* etiam poſt reditum ſubdit in ſuo reditu ad Lirinenſes perſeueraſſe, indè eum non valente amouere vocatione Honorati ad Arelatenſem Eccleſiam, vndè pergit, *nunc verò cum eumdem adſcitum ad Pontificatus faſtigium proſequendum putares, ad familiare ſecretum eremi te amor detulit. Ergo nunc es nobilior & maior exemplo: prius enim cum deſertum peteres comitatus fratrem videbaris* (forſan hic frater eius erat, *cuius cauſa maxime*, dicebat Hilarius epiſtola ad Auguſtinum, *hinc* ideſt ab Affrica *diſceſsimus*) *comitatus*, inquam, *fratrem videbaris, nunc cum deſertum repetieris etiã Patrem reliquiſti*, ſcilicet Honoratum inuitantem ſimul ac parentes patriæ deſeruerat. Hæc mirificè (vt apparet & præmonebam) noſtræ explicationi conueniunt ac fauent. Vis & aliam cum prædictis conſonantiam de noſtro Hilario Arelatenſi indiſtincto ab Hilario ſcriptore epiſtolæ? Audi. Scriptor epiſtolæ memorat *fratrem ſuum, cuius cauſa maximè ab Affrica diſceſſerat*, & in vita Hilarij Arelatenſis non minus Honoratus inquit, *ob id à taxatione omnium prædiorum totius ſubſtantiæ acceptas à Germano pecunias vel vſibus pauperum, vel*

 refrigerijs

refrigerijs deputat Monachorum, en germanum, en fratrem Hilarij. Inter parentes autem, quos ille memorat ſalutantes Auguſtinum, & iſtius parens aderat Honoratus. Vtcumque attamen tandem res iſta ſit, & vt perſiſteret adhuc Magiſtri Noris interpretatio, ſaltem non minus hæc ſimul noſtra poterit permanere: non enim credo Norim fore expetiturum à nobis fundamenta maiora præallato mox nexu probabili, niſi concedat & ipſe à ſe ipſo expetenda fore argumenta grauiora illis quampluribus, quę ratiocinio conſimili paſſim ex indicatis dumtaxat in libris Auguſtini, aut cæterorum in ſua commendanda ſatis hiſtoriæ Pelagianæ Chronologia deduxit. Nec valet tandem (vt hoc etiam dicam) quod nunc intueor adductæ noſtræ interpretationi de epiſtola Hilarij Syracuſis ſcripta opponi valere, quod nempè iterum Auguſtinus epiſtola 94. inſcripta ad Hilarium ſupponit hunc, ad quem ſcribit, Syracuſis Epiſcopum eſſe, in epigraphe ſcribens, *Domino beatiſsimo & in Chriſti veritate venerando fratri & Conſacerdoti Hilario*, & in epiſtolæ progreſſu monens, *vt cura paſtorali caueret* hæreſim Pelagij damnatam, quæ certè ab Hilario Arelatenſi Epiſcopo, numquam Syracuſano, aliena ſunt. Non valet, inquam, obiectio iſta ex eo, quod immo ex varia adeò ſcribendi ratione dignoſcitur alterum illum fuiſſe Hilarium noſtrum, cui primo ſcribenti reſcripſit vt *filio* Auguſtinus, alterum iſtum, cui vt ſcribendi forſan occaſionem arriperet pro denuncianda recenti damnatione Pelagij, ipſi Palladium quemdam illuc nauigaturum hac ipſa poſteriori epiſtola commendauit, exorſus ab illis verbis, *honorabilis filius noſter Palladius, cum de noſtro littore nauigaret, beneficium poſcendo magis dedit, vt non ſolum eum benignitati tuæ, verum etiam me ipſum tuis orationibus commendarem*. Hæc ibi: Indè vbi in priori epiſtola nouerat iam Syracuſis non minus ſerpere Pelagij hæreſim, in iſta diſſimulata veluti notitia eiuſdem tamquam de nouo errore ſic loquitur, *noua quædam hereſis inimica gratiæ Chriſti conatur exurgere*: vbi in prima memorabat dumtaxat aduerſus Cæleſtium Epiſcopi Carthaginenſis iudicium, vt vidimus, in iſta hæc vltrò poſteriora Concilia Prouincialia ſubiungit, ſcilicet *in Eccleſia Carthaginenſi aduerſus eos Epiſcopalis Concilij conditum fuiſſe decretum per Epiſtolam ſancto, & venerabili Papæ Innocentio dirigendam, & nos de Concilio Numidiæ ad eamdem Apoſtolicam Sedem iam ſimiliter ſcripſimus*. Vbi in prima de Cæleſtio, an Syracuſas aufugiſſet, dubitabat dicens, *veritus ſum ne fortè ibi ſit ipſe qui veſtram fidem perturbare conatur*, in ſecunda bene iam nouerat Epheſum in Aſiæ vrbem confugiſſe; vbi in illa rogat iterum certiorem fieri eorum, *quæ illic à Sanctis Fratribus aduerſus iſtorum vaniloquia diſsererentur*, in iſta inſcio veluti Epiſcopo *nouam hæreſim vitandam* eſſe denunciat, vbi demum perconſequens illa prior ſcripta erat ex dictis antè autumnum anni 416. hæc poſt hoc tempus, quo dictæ Synodi celebratæ fuere, dictata dignoſcitur; non igitur ei, ad quem prima, ſed alteri iſta ſecunda directa fuit, nec obſtat conſequenter adducta obiectio, & noſtra incõcuſſa interpretatio ſubſiſtit. Fatebor tamen nõ ità hęc me hucuſq; recenſita attuliſſe, vt fixe nimis adhæreſcam eiſdem; nec planè ſciam aliundè nõ ſemel conſimilia chronologica ratiocinia deficere poſſe. Sed ea attigi tantũ, vt conſtet ſaltem Aduerſarios, quibus cum agimus, nec ſuis ſimilibus probationibus in re præſertim non ita peruia, proficuaque decori Sanctorum tenaci adeò ingenio ſimilibus incubare diſcurſibus expedire. Approbo ſiquidem & ego,

ego, non difitebor, ſummèque commendo inſigne iſtud ſcribendi genus, eis ſolum inuiſum, quibus non ita id aſſequi conceſſum eſt. Præiuere iamdiù principes etiam in hoc genere, quos inde nos poſteri proſequamur, atque pro viribus imitemur, ſcilicet Baronius, Panuinius, Bzouius, Spondanus, Salianus, Bolandus, & alij, præter Lipſium, Maluendam noſtrum, ac cæteros inter antiquarios nunc vniuerſorum nomina ſupergreſſos, quos nemo prudens *doſſuarios, ruderarios* aut *Baiulos* nominabit. Ante Olympiades, olim Iulius Affricanus (*cuius*, vt inquit Hieronymus in Cathalogo ſcriptorum ad Deſiderium, *veſtigium omnes Orientales, auſtraleſque diligenter vnanimiterque inueſtigant, & nulla ei in toto orbe vmquam data eſt contradictio*) in tertio Annalium laudatus ab Euſebio lib. 10. præparationis, conſentienteque Martyre Iuſtino ac philoſopho, in exhortatione ad gentes, ob contemptum huiuſmodi ſcribendi genus atteſtatus eſt, *nihil in græcorum hiſtoria exploratum inueniri, ſed eſſe omnia confuſis ſcripta temporibus, poſt Olympiades autem, quoniam quadriennio diligentiſsime cuncta notabantur, nullam temporum confuſionem extitiſſe*. Nec minus inde Euſebius ipſe in Chronico ſubdit, *à tempore Olympiadum græcam de temporibus hiſtoriam veram credi, ante Olympiades autem ſcriptores, vt cuique viſum, & libitum erat, varias protuliſſe ſententias, quo circa Marcus Varro apud Cenſorinum totum illud tempus, quod Olympiades anteceſsit, fabuloſum eſſe dicebat*: immò Auguſtinus etiam lib. 2. de Doctr. Chriſtiana cap. 28. *per Olympiades*, inquiebat, *& Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur à nobis, & ignorantia conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare*; & ſane ſic eſse vel ſolus admirabilis ille apparatus Baronij ad Annales Chriſti id proficuum non ſolum ſed neceſsarium noſtræ religioni Chriſtianæ manifeſtiſſimo experimento demonſtrat. At ex aduerſo in quoſdam (vt ſcribam quod ſentio) nimium ruentes in iſtud ſcriptionis genus, eoque non ſemel recedentes ab integro ſenſu ſapientum de prophanis quibuſdam, aut quid nimis facilè erroris ſacris Doctoribus affigentes, non poſſum non reponere cum Auguſtino epiſt. 131. ad Memorium aiente, *hiſtoria ſanè, cuius ſcriptores ſe perſpicuè narrationibus ſuis habere profitentur, fortaſsis habet aliquid cognitione dignum &c. tamen in eis cognoſcendis, qui Spiritu Sancto non adiuti ſunt, rumoreſque colligere humanæ conditionis infirmitate compulſi ſunt, quemadmodum non fallerentur in plurimis, omninò non video*. Hæc Auguſtinus pro nobis. Nunc argumentis præcipuis vtriuſque extremæ claſſis allatæ ſuperius auctorum occurrendum eſt.

ARTICVLVS IV.

Abiguntur obiectiones allatæ Artic. I. primæ claſsis extremæ accuſantium in propoſito Patres.

AD primum igitur, quod olim fuit antiquum Semipelagianorum præſidium, vt retulit Proſper in epiſtola ad Auguſtinum illis verbis, *contrarium putant Patrum opinioni &c.* & Hilarius pariter de Maſſilienſibus repetebat, adhuc ſine cunctatione etiam Chryſoſtomum vindicare debemus, & à fortiori cæteros Patres, qui minus inuolute aut duriuſculè, quam ille, loquuti ſunt, & de quibus minus, quam de illo, hæſitatum eſt, nempè Chryſoſtomum

adhuc

adhuc à qualibet ſuſpicione erroris Semipelagiani abſoluendum eſſe iamdiù oſtenderunt, & Hierem. Conſtantinopolitanus in cenſura Orientalis Eccleſiæ cap. 18, & Lucianus Monachus in additione Trithemij relatus, *ſcribens defenſionem Chryſoſtomi contra eos, qui Chryſoſtomum Diuinam extenuare gratiam, arbitrij que libertatem ſupra modum extuliſſe ſuſpicantur, & accuſant*, & inde poſteà ex inſtituto, congeſtis in aduerſum alijs locis Chryſoſtomi ſicut & aliorum Patrum explodentibus Semipelagianorum errorem, id proſequuti ſunt ex noſtris præſertim Sixtus Senenſis lib. 5. Bibliothecæ adnotatione 101. & lib. 6. adnot. 251. Bannez p. p. qu. 23. art. 5. dub. 1. in fine, Soto in cap. 1. ad Rom. ad ea verba, *qui prædeſtinatus eſt*. Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 9. Aluarez de auxilijs diſput 22. num. 22, vt cæteros noſtros recentiores omittam, ex alienis verò nec ità recentibus imitati ſunt Driedo de concordia cap. 4. ad 5. Carthagena diſcurſu 10. de Prædeſt. ad 4, Valioſolilus Epiſcopus Lucenſis in Aduertentijs ad tom. 1. Chryſoſtomi q. 9 & ad tom. 4. q. 31. & alij, & licet non negem conſenſiſſe deinde etiam poſteriores è doctiſſima Societate Doctores, præſertim Valentiam de Prædeſt. puncto 4. in 2. probat. Suarez lib. 5. de grat. cap. 44. à num. 6. & indè pleroſque ſequentes, dum tamen lego in Ripalda diſput. 17. de Ente ſupernaturali ſect. 11. hæc verba, *in hac pietate ſcilicet* defendendi Chryſoſtomum *ex profeſſo ſoli Societatis Theologi totis animis incubuere*, non video quomodo hoc dictum quoad hunc exceſſum in reliquos non ità falſum ſit, ac verum eſt primos vtique ac ferè ſolos, inter Scholaſticos, Molinam, & Vaſquez id Chryſoſtomo, & acriter, attribuiſſe, poſtquam & anteà Ioannes OEcolampadius à noſtro Sixto relatus hoc eodem impoſito errore deturpare conatus eſt illum eundem Chryſoſtomũ, quem Anaſtaſius 7. hexamer. appellat *Chriſti fluvium*, Theodoretus Dialogo 1. *magnum Orbis lumen admiratione digniſſimum*, Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 42. *Eccleſiarum omnium oculum*, Proclus Conſtantinopolitanus in encomio, *vehemens hæreticorum & errorum diluvium*, &, præter Auguſtinum mox infrà ſubdendũ, Innocentius I. epiſt. 30. *Melitam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ linguam*. Sed prætermiſſis aliorum gloſſis, in præallata ex aduerſo teſtimonia Chryſoſtomi ac cæterorum, vna ea expoſitio ſufficiet, quæ quibuſdam etiam antiquis Scholaſticis adhibenda erit, & affertur ab Aluarez lib. 6. reſponſ. cap. 7, necnon à reliquis poſteà approbata fuit, ſcilicet gratiam aliquam à Deo donari elicienti etiam aliquem actum bonum purè ab obiecto naturalem, non tamen à ſubiecto puris naturæ viribus elicitum, ſed auxilio quodam quoad modum ſaltem ſupernaturali eleuatum, vt docuit iamdiù tum Auguſtinus libr. 4. ad Bonif. cap. 6, 2. retract. cap. 37. & clarius in Exo. q. 9. tum S. Thom. in caput 10. ad Rom. lect. 3. de barbaris ità dicens. *Si qui eorum feciſſent quod in ſe eſt, Dominus eis ſecundum ſuam miſericordiam prouidiſſet, mittendo eis prædicatorem fidei &c, ſed tamen hoc ipſum, quod aliqui faciunt quod in ſe eſt, ex Deo eſt mouente corda ipſorum ad bonum ex illo Threnorum 5. conuerte nos Domine ad te, & conuertemur*, hacque vnica explicatione gloſſantur ſimiles ſuppoſitæ phraſes Patrum apud Theophilum, ne videatur non tam Valerianum, vt dicebat Hieronymus apologia 2. in Rufinum, *defendere, quam alios potius accuſare, nec renuere crimen, ſed criminoſorum turbam requirere*. Ex hac tamen explicatione colligenda non eſt alia extrema ſententia ſupponens numquam hominem vel minimum bo-

num

Digitized by Google

num actum ex obiecto naturalem elicere de facto (quem poteſt abſolutè) niſi coeleuante prædicto auxilio ſemper ſupernaturali Dei, vt deduxit Ripalda diſput. 20. ſect. 2. & 3. quod anteà ex Vega retulerat Vaſquez in p. 2. diſput. 189. cap. 12. ſed eidem Vaſquez ibidem diſplicuerat num. 95. & inde Ouiedo p. 2. controuer. 3. puncto 1. §. 5. Eſparzæ qu. 11. de grat. ad 6. & alijs, & nos ad p. 2. q. 109. ar. 2. dub. 6. per totum eamdem Ripaldæ ſententiam auctoritatibus ſimul, & quinq; rationibus refellebamus, & pro nunc ſufficit iuxtà conſimilem pro nobis diſcurſum Hieronymi Dialogo 1. contra Pelagianos in preſenti ſic breuiter reprobare, quia vt dicebat etiam Philoſophus 2. phiſ. 78. *ſic agit vnumquodque quomodo aptum natum eſt*, vt ad inſtitutum adaptat & S. Thom. eadem q. 109. art. 3. ſed natura humana iuxtà Ripaldam iam apta nata eſt de ſe cum ſolo generali ſeù naturali concurſu Dei elicere aliquem actū ex obiecto bonum, iſtum igitur etiam hoc modo de facto eliciet: vndè remanet tantum tunc elicientē eleuari per auxilium in modo ſaltem ſupernaturale, quando illius intuitu prædecreuit aut in tempore Deus ipſe dignatur alicui ſuam gratiam donare, iuxtà præexplicata Chryſoſtomi verba ac cæterorum quorumdam Patrum, quos immo Auguſtinus conſimili Semipelagianorum obiectioni reſpondens, non ſibi aduerſari, ſed concinere oſtendebat lib. de dono perſeuerantiæ cap. 6. & ſequentibus, afferens inter cæteros etiam verba Ambroſij & huiuſmodi, de quo tamen mirum eſt ſimul ab arguentibus dubitari. Immo, quod caput eſt, hinc Cæleſtinus Papa in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ pro Auguſtino reprehendebat ſententiam Maſſilienſium, vt contrariam ſententiæ Patrum, indè Concilium Arauſicanum affirmat Auguſtini doctrinam acceptam à Patribus Eccleſiæ, & Concilia Orientalia non ſemel conſenſerunt in damnationem Pelagij iuxta priorum Patrum auctoritates, in qua damnatione damnatos & Semipelagianos implicitè ſaltem, antequam orirentur, obſeruat Proſper in carmine de ingratis, ſicut & Auguſtinus longè antè Semipelagianam hæreſim epiſt. 106. atteſtatus eſt catholicam Eccleſiā ſemper huic adhæſiſſe doctrinæ, quod lib. iterum de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. repetebat. Et demum in particulari de Chryſoſtomo à Iuliano pariter contra ſe producto concludebat idem Auguſtinus lib. 1. in Iulianum cap. 2. dicens, *ita ne? iſta verba Sancti Ioannis Epiſcopi audes tamquam è contrario tot taliumque ſententijs collegarum eius opponere, eumque ab illorum concordiſſima ſocietate ſeiungere, & Aduerſarium ei conſtituere? abſit, abſit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Abſit &c.* ſcilicet à nobis, & vtinam à reliquis abfuiſſet.

Ad ſecundum de Vincentio Lirinenſi, tot probationibus eum ab errore Semipelagiano expurgauimus, vt nil modo ſuperſit niſi breuiter recitatis in illo argumento motiuis eodem ordine reſpondere. Et quidem ad primum quod attinet, etſi quidam putent eo loci Lirinenſem inuectum in *donum perſonale gratiæ* reprobaſſe dumtaxat gratiam neceſſitantem arbitrium effictam à Monacis quibuſdam Adrumentinis, apud quos infrà dicemus exortam prædeſtinianorum hæreſim, & Noris etiam in propoſito repetitam inſtantiam diluimus, longè tamen magis arridet altera intimior interpretatio Vincentij deducta ex ſingulari errore Caſſiani in Collat. 13. cap. 17. ita ſcribentis, *diuerſis atque innumeris modis Deum ſalutem humani generis procurare poterimus aduertere, & quorumdam quidem volentium & ſitientium curſum ad maiorem incitare flagrantiam;*

tiam;

ſtam, quoſdam verò etiam nolentes inuitoſque compellere (& infrà) *ob quam diſpenſationis multiplicem largitatem Beatus Apoſtolus &c. exclamauit: O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius &c.* & quoad hanc ſecundam particularem quorumdam iuſtificantem gratiam pleraque, quæ generaliter in ordine ad omnes iuſtificandos Auguſtinus proferebat, repetit ipſe Caſſianus, indè ex preallatis Apoſtoli verbis, (vt planè fecerat etiam Auguſtinus ſerm. 20. de verbis Apoſtoli cap. 7.) continuò ſubinfert, *huius ergo ſcientiæ admirationem, quam ille talis ac tantus gentium magiſter expauit, euacuare conabitur quiſquis crediderit illius inæſtimabilis abyſſi profunditatem humana ratione ſe poſſe metiri*, & ad ſecundam ſolam adaptat illud Iſaiæ 40. *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? ſed non contentus Deus* (inquit) *hac comparatione tranſcendit eam confeſtim, atque ſubiungit dicens, etſi oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* En vtique in Caſſiano quarumdam ſolum perſonarum inamiſſibilem gratiam in ſenſu hæretico *perſonalem*, quam iterum ſequenti cap. 18. veluti de Auguſtino ignorante hanc diſtinctionem triumphans, repetit, *verè colligi ab his, qui non loquacibus verbis ſed experientia duce vel magnitudinem gratiæ, vel modulum metiuntur arbitrij* (mox) *alios quidem volentes ſitientiſque ſuſcipere, alios verò nolentes renitenteſque pertrahere, & ad bonam cogere voluntatem*, & iterum Auguſtinum inſcium veluti huius diſtinctionis ſugillans inquit, *idcircò hoc ab omnibus Catholicis Patribus definitur, qui perfectionem cordis non inani diſputatione verborum, ſed re atque opere didicerunt.* Hucuſque Caſſianus, cuius appoſite in hac *fingenda gratia perſonali* placitum ſingulare recognouit & Proſper in lib. cont. eumdem Collat. tum cap. 5. dicens, *ſatis te contra calumnias Pelagianorum præcauere exiſtimas, ſi quod in vniuerſitate vocatorum ſentiendum eſt, id nobis in portione concedas.* Sed, ſubdit ſubimpugnans ipſum, *ſed nec cum hæreticis tibi, nec cum Catholicis plena concordia eſt, illi in omnibus iuſtis &c. liberæ voluntatis tuentur exordia. Nos &c. ex Deo ſemper credimus prodire principia. Tu informe neſcio quid tertium, & vtrique parti inconueniens reperiſti*, & præter alia ſimilia repetita à Proſpero cap 9. & 15. fuſius in cap. 17. eamdem exagitat gratiæ perſonalis differentiam, dicens, *in toto Eccleſiæ corpore, quod mortuum erat viuificatum eſt &c. nec ſecundum nouam partitionem aliorum ſuſceptor, ſed omnium vſquequaque fidelium & Saluator, & ſuſceptor eſt Chriſtus*, & præter plura ſubiuncta ibidem adhoc, & cap. 38. tandem idipſum obſeruatum eſt, atque damnatum in Synodo Arauſicana ſecunda canone 8. ſic decernente, *ſi quis alios miſericordia, alios verò per liberum arbitrium ad gratiam baptiſmi poſſe venire contendit, à rectâ fide probatur alienus &c. non enim Dominus aliquos, ſed neminem ad ſe poſſe venire teſtatur, niſi quem Pater attraxerit.* Non ſic autem non ſic profectò Auguſtinus, qui ſpecialem vtique, ac efficacem vocandorum ſimul, ac iuſtificandorum gratiam à ſufficienti etiam præſcitis communi ac reprobis prædiſtinxit, at primam eiuſdem rationis in vocandis omnibus eademq; efficacia operantem, non diuerſæ perſonalis rationis, vti Caſſianus dixerat, recognouit: Et primo modo potuit ambiguis verbis & Fauſtus (vt ſolebat ex dicendis infrà) videri impugnans in Auguſtino gratiam *perſonalem*, ſecundò verò modo alieniſſimum eſt, & conſequenter concludendum remanet, quod aduerſus hanc vtique abſurdiſſimam ac hæreticam Caſſiani ſententiam de gratia *perſonali* veluti in ſuis Monacis Maſſilienſis Cœnobij vſurpata, ac ſingulari præ cæ-

teris,

teris, ipſe Lirinenſis expendens iam laudatam ex aduerſo doctrinam Auguſtini in epiſtola Cæleſtini (quam referebat) inuehitur merito, & excandeſcit præcitatis in argumento vocibus in eumdem Caſſianum, & tantum abeſt Auguſtinum ibi, eiuſdemvè ſequaces, carpere voluiſſe, quod immò præcipuum antagoniſtam eiuſdem relatis verbis diſcerpere conatus eſt, vt eadem verba conferenti cum præallato Caſſiani placito apparebit. Ad ſecundam probationem admittimus Auguſtini doctrinam fuiſſe perperam anteà à Maſſilienſibus de nouitate accuſatam; ſed addimus tamen Vincentium Lerinenſem, poſt Cæleſtinianam epiſtolam ſcribentem, vidiſſe certiſſimè, tum in Auguſtini libris de Prædeſt. & de bono perſeu. probatam eamdem Auguſtini doctrinam ex antiqua præcedentium auctoritate Doctorum, tum in Cæleſtini epiſtola cōtra eorumdem immò Semipelagianorum noua placita comprobatam, verbis clariſſimis illis cap. 2. epiſtolæ Cæleſtini, *non eſt agentium cauſa ſolorum, quando vniuerſalis Eccleſia quacumque nouitate pulſatur. Intelligamus hec ipſa vobis, quæ nobis non placent, diſplicere, quod ità demum probare poterimus, ſi impoſito improbis ſilentio de tali re impoſterum querela ceſſarit*, cum anteà Auguſtinum laudaſſet & obtrectatoribus eiuſdem *reſiſtendum eſſe* præcepiſſet. Poteratne latere Vincentium damnatum indè fuiſſe ab oppoſito veluti novum Maſſilienſium errorem? Eumdemq; errorem per conſequens dicendum eſt in aureo illo commonitorio, *aduerſus omnes profanarum vocum nouitates* compoſito, profligaſſe, vt in peruetuſto Lirinenſis Eccleſiæ hymno hac de cauſa canebatur, *Vincentius fulſit diruens omnes hereſes conuincens in commonitorio*; cum aliàs *profana nouitas vocum* iamdiù vniuerſis adaptata ſit hæreſibus ex illo Apoſtoli 2. ad Timot. 1. *O Timothee depoſitum cuſtodi deuitans profanas vocum nouitates*, ſicut & ante Vincentium ſimul ac Proſperum ipſe Caſſianus ab eodem Proſpero recitatus cap. 37. Pelagianam etiam nominabat *quorumdam profanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputabant*, vbi Proſper inquit, *te ipſum configes pronunciando eos profanos*, nec igitur ex ea phraſi vſurpata à Vincentio, vel à Proſpero abdicata à ſeipſo, vllo modo Vincentium ibi intendiſſe vel eminus tangere Auguſtini doctrinam inferendum eſt. Ad tertiam probationem eiuſdem argumēti principalis, ritè Macedo dicebat hic detegi ſeù falsò denotari in Lirinenſi *magnam artem, ſed maiori arte*, nullus enim aduerſus Catholicos Auguſtini ſequaces fucus in Vincentio fuit, tota fuit cum Diuinorum doctrina & ſapientia ſimul Rethoricæ ac Dialecticæ ars in Vincentio aduerſus hæreticos vniuerſos, quos ſub nouitatis vtique corio verberabat; vti & alij antè ipſum Patres, & plerique omnes poſt ipſum, imitati ſunt *nouatorum* nomine hæreticos deſignantes, hinc poſt præmiſſas tot alias à ratione probationes monſtrantes errorem quemcumque ex ipſa ſola eſſe *nouitate* ſuſpectum, ad id iterum ab auctoritate muniendum cap. 43. his verbis accedit, *quæ omnia licet cumulate abundeque ſufficerent ad profanas quoque nouitates obruendas, & extinguendas, tamen ne quid deeſſe tantæ plenitudini videretur, ad poſtremum adijcimus geminam Apoſtolicæ Sedis auctoritatem*, & recitata tum altera Sixti Pontificis proſcriptione in errorem Neſtorij, tum altera Cæleſtini in oblocutores Auguſtini, quam nunc tractamus, nedum in iſta ſecunda, vt ſupponit arguens, verum etiam in prima (in qua certum eſt Lirinenſem non fauiſſe Neſtorio) vt validioribus lacertis in nouatores hæc ſpicula iacularetur, nunc circa iſtam elegantí ac rethoricis

ricis conſueta interrogatione perquirit, *quinam ſint ÿ, quos habere prohibeat liberum pro voluntate ſermonem*, ſcilicet Cæleſtinus, *vetuſtatis prædicatores an nouitatis adinuentores?* vt extorto ab ore Aduerſarij reſponſo euidentiùs eiuſdem præmenium thema deduceretur, dum elegantiſſima vtique periphraſi iuxta rethoricæ Chriſtianæ artes in Heterodoxos *nouatores*, non verò inſidioſo in Auguſtini diſcipulos artificio, proſequitur ſic, *ipſe dicat, & dubitationem legentium ipſe diſſoluat, ſequitur enim, ſi ita res eſt, vt quidam apud me vrbes & Prouincias veſtras criminantur, quod eas quibuſdam nouitatibus conſentire noxia diſsimulatione faciatis, deſinat, inquit, ſi ita res eſt, inceſſere nouitas vetuſtatem*: Vult dicere, en audiſtis à Cæleſtino, quos ſimul & quali ratione damnarit, *nouatores* ſcilicet & qui Eccleſiam *nouitate* turbabant; *Nouitas* igitur, pro themate infert, ſemper in doctrinarum examine ſuſpecta eſt. Hæc tota rethorica vtique, ſed Chriſtiana, & catholica diſſerendi facultas diſertiſſimi noſtri Vincentij fuit, quàm mox ante exercuerat etiam, prout materia ferebat, expendens ad idem ac premens non minus teſtimonium Sixti proſcribentis Neſtorium, ſic dicens, *ergo inquit Sixtus, quia ſi vt ait Apoſtolus fides vna eſt, quæ euidenter obtinuit, dicenda credamus & tuenda credamus. Tandem illa tenenda & credenda proſequitur & ait, nihil vlterà, inquit, liceat nouitati, quia nihil addi conuenit vetuſtati. Perſpicua maiorum fides & credulitas, nulla cæni permixtione turbatur.* Hæc Sixtus. hìc reaſſumit ad ſuum thema Vincentius, *omninò Apoſtolicè vt maiorum credulitatim perſpicuitatis lumine ornaret, nouitas verò profanitates cæni permixtione deſcriberet*. En vndè exurgat, quo tendat, & vbi perſiſtat tandem Lirinenſis oratio, vt ſcilicet à *nouitatis* colore dignoſcendos exponat ab Orthodoxis cauendos errores. Huc ſuam direxit artem, eloquentiam exercuit, aduerſus vniuerſas penitùs hæreſes, ſeù, vt loquitur Gennadius ipſe in Cathalogo virorum illuſtrium, *ad euertenda hæreticorum collegia nitido & aperto ſermone compoſuit validiſsimam diſputationem*, non verò aduerſùs Auguſtinum, qui vel eodem Gennadio fatente, *nondum hæreſis quæſtionem dedit* aut dederat, nec conſequenter contra ſequaces doctrinæ eiuſdem, aut ſcripſit aliquid vnquam aut tentauit, aut ſenſit. Numquid enim Proſperum & Hilarium deſpexit, dum vtens in epiſtolam Cæleſtini opportuna periphraſi, quod rationis robur non augebat, omiſit, ac breuitati ſtudens ſub nomine indefinito determinatam duarum complexus eſt nomina perſonarum? Numquid Hilario ac Proſpero mouere inuidiam conatus eſt vel illis verbis, *vrbes & Prouincias criminantur*, ſi immò & Pontifex de pluribus Eccleſijs vtique Epiſcoporum, conſequenter & vrbibus, loquebatur, tum pluribus Epiſcopis attitulans litteras, tum in eiſdem ſic dicens, *deſinat Eccleſiarum quietem inquietudo turbare?* Numquid inde culpandus eſt, quod eorum nomina prætermiſit, quieti forſan eorum conſulens, ſi non nomini parcens, ne denuò refricata in Maſſilienſibus vulnera recrudeſcerent, dum ex aduerſo Pontifex non obſcure nec ſemel exceptas delationes eorumdem, prouidens magis iuſtitiæ cauſæ quàm delatorum diſcrimini, detexerat ſcribens, *filÿ noſtri præſentes Proſper & Hilarius &c. ſunt apud nos proſequti*, mox repetens, *recurrerunt ad Apoſtolicam prædicti Sedem hæc ipſa nobis, quæ tentat perturbatio, conquerentes?* Numquid ob ſolum verbulum *conquerendi* immutatum in verbum *criminandi* Lirinenſis cenſendus eſt in improbam partem à Pontifice *laudatam ſollicitudinem* excepiſſe, dum apud

latiniores

latiniores non ſemel in mitiorem ſenſum, ne dum *criminari*, ſed *crimen* receptū eſt? Nimirum *crimen* pro ſola cauſa, 7. Æneidum 68. accipiebatur, *ſere crimina belli*, ſuſpicione apud Terentium Hecyra 5.2.13. vbi Donatus *crimen nunc pro falſa ſuſpicione*, modo criminis pro iuſta reprehenſione apud Ciceronem 6. Verr. 52. *iam non libet omnia criminari*, & apud Hieronymum apologia 2. in Rufinum de ſe ipſo in hæc verba, *qui laudantem reſpuis ſenties criminantem*, & alibi non infrequenter. Ad quartam inde probationem iam conſtat qua ratione, quo fine, idem Lirinenſis inculcet ea verba, non quidem ſua, ſed Pontificis, ſcilicet *ſi ita eſt* quod à nouitate vetuſtas perturbaretur, nempe vt rationabilem cauſam à nouitate depromptam, ac in Pontificis decreto explicatam, appoſite adaptaret ad inferēdum indè aduerſus quoslibet errores intentum, à nouitate ſcilicet iudicari ac diſcerni: ſicuti dum frequentiſſimè etiam Dialectici dicunt, *ſi Chriſtus eſt homo, eſt riſibilis*, & Theologi repetunt, *ſi Deus eſt, eſt omnipotens*, malè profectò ſcriatus eſſet, qui exaudiens ità loquentes ſub conditione de Deo vel Chriſto, leuiter inde ſuſpicaretur eoſdem de fide Chriſti vel Dei ancipites eſſe: ſunt enim iſtæ ac conſimiles phraſes idoneæ ad deſignandam vnius rationem ab alio, vti & Vincentius id repetens in nouitate Maſſilienſis erroris intendit, (vti eodem modo à Pontifice proponebatur) generalem plerumque aduerſus hæreſes rationem Decreti Pontificis aſſignare: aliter & Sixtus ipſe mox ante à Lirinenſi laudatus *de vnitate fidei* dubitaſſet, dum ex Apoſtolo eadem omnino inculcata loquendi forma damnandæ hæreſis Neſtorianæ motiua depromp ſit, ſic dicens, *ſi vt ait Apoſtolus, fides vna eſt &c.* aliter immò, & in ſcriptura quandoque hæſitatio de veritate abſurdiſſimè probaretur, vt nunc video antiquius præuidiſſe, & obſeruaſſe ſubinde doctrinam iſtam præ cæteris Philippum Abbatem lib. 6. in Cantica cap. 26. & cap. 18. ita dicentem, *coniunctio, ſi, in ſcripturis tam Diuinis quam ſæcularibus frequenter ponitur affirmatiuè. Per Malach. Prophetam dicit Deus. Si Pater ego ſum, vbi eſt honor meus, ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Et Poeta ille inſignis ait. Si qua eſt in Cælo pietas, non vtique dubitans, ſed affirmans pietatem in Cælo eſſe.* Sicut ergo non caderet, vel in Theologos, vel in Pontificem, vel in Scripturam ſic conditionata locutione ſua ratiocinia efferentes, conſimilis hæſitationis ſuſpicio, cur in vnius Lirinenſis verba tam rigidè deflectebatur? *Vndè ergo hæc diligentia tam ſeueri emerſit examinis?* Repeteret ſimilia verba pro ſe ipſo Vincentius, quæ olim Proſper cap. 1. in Collat. pro ſuo Auguſtino apponebat, *vt menſuras ſcilicet ſenſuum, pondera locutionum, numeros ſyllabarum ſcrutator euentilet, magnumque ſe aliquid conficere arbitretur, ſi catholico prædicatori notam erroris affigat?*

Ad quintam, cum probauerimus iam auctorem earum obiectionum, quæ Vincentianæ dicuntur, hunc certè noſtrum Lirinenſem non extitiſſe, etſi dubitanter aliqui paucisſimi id illi tribuiſſent, expoſtulanti deinde, *quis ergo ille auctor obiectionum Vincentius extiterit*, occurrit vtique elegans, & opportuna Patris Macedo cap. 13. reſponſio, ab exemplo Macharij, qui poſt interrogatum hominis interfecti cadauer, *an hic reus illum interfeciſſet*, & obtento miraculoſo negationis reſponſo, rogantibus inde vt inquireret etiam, qui nam igitur interfector fuiſſet, *ſatis ſibi eſſe* reſpondit, *innocentem liberaſſe, non eſſe ſui officij prodere homicidam*. Ità plane (nobis nolentibus amplius hic immorari in diſqui-

diſquirendo de illo Vincentio iuniore, quem negat Noris, defendit verò Macedo illud opuſculum obiectionum ſcribere potuiſſe) noſtro huic inſtituto ſufficiet, vti etiam reſpondet Suarez prolego. 5. cap. 5. num. 18. vindicaſſe ab affixa ſuſpicione Lirinenſem Vincentium, quicumque poſteà alter Vincentius in eo libro deliquerit, cum aliàs res conſtans ſit etiam tunc temporis alios non obſcuros Vincentios ſuperfuiſſe, ex quorum nominis ſimilitudine à recitatis à Noris non mirum de Lirinenſi dubitatum eſſe, ſicut ob nominis ſimilitudinem etiam Sixti Pontificis creditus liber eſt ſexti Pithagorij à Hieronymo, & alijs, vt Hieronymus ipſe recenſet in epiſtola ad Creſiphontem, & Auguſtinus in retract. cap. 42. & aliàs etiam ab aliquo nebulone obiectiones illæ vulgari potuerunt ſub perſonato non exſtantis Vincentij titulo, vti etiam tūc temporis Gallorum capita aduerſus Auguſtinum ſine nomine prodierunt, vt innuit Proſper conſimiles hoſtium in Auguſtinum fraudes in Epigrammate aduerſus calumniatorem eiuſdem dicens.

Nec te mutato defendi nomine credas
Si Paſtorem omnium lædere vis, lupus es.

& noſtro hoc ſæculo nomine Vincentij Lenis in Gallia Liberti Fromundi libri aliqui procuſi ſunt, & nouimus aliàs ſub perſona D. Bernardi viuentis quemdam Nicolaum improbum opuſculum ediſſe, vt ipſe expoſtulat epiſt. 228, nec minus in ſimili de quodam conquerebatur Monacho Andrea Gregorius lib. 9. epiſt. 69, immò & ipſe Paulus Apoſtolus in 2. ad Theſſalo. 2. innuebat ſibi falſo tributam epiſtolam, *tamquam*, inquit, *per nos miſſam*. Numquid ergo ex ſola conuenientia in titulo libri, ſeù in Vincentij nomine, prædictus liber Lirinenſi continuò tribuendus eſt? Numquid eodem ſæculo vnus dumtaxat hic Vincentius fuit? Numquid ſic pariter ex nominis ſimilitudine, quæ Iudæ proditoris fuere, Iudæ Apoſtolo tribuenda erunt? Vti perperam hic aliquis deciperetur, ità non meritò ibi ratiocinari aliquis videri poteſt.

Ad tertium principale de Hilario, quod ſpectat ad primam probationem, repetimus, quod ſupra diximus, Hilarium vtique oretenus Proſpero & in epiſtola ad Auguſtinum confeſſum eſſe *pro ſua tenuitate* de aliquibus non ita peruio intellectu facilibus in anteriori Auguſtini doctrina hæſitaſse, quod pariter, & vix quid aliud, de Hilario catholici illi ſcriptores congeſti à Noris intellexerunt. At ſubindè deducere eumdem aſſentiendo Maſſilienſium errori conuenisse cum ipſis, nimis alienum eſt, aliter & Proſper ipſe eadem ratione eiſdem Semipelagianis accenſendus foret, eo quod & ipſe in epiſtola ad Auguſtinum id de ſe ipſo profiteatur dicens, *illud etiam qualiter diluatur quæſumus patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres &c.* & infrà, *ſperamus, non ſolum tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos &c.* Nec enim ea verba Proſperi, de noſtro Hilario, *de hoc quod in querelam trahit ſenſum ſuum per litteras velle conferre*, in eo ſenſu accipienda ſunt, vt Noris accepit, tamquam ly *quod* in accuſandi caſu ponatur, & fiat hic ſenſus, *de hac re quam* Hilarius *trahit in querelam*, ſed potius ly *quod* in caſu nominandi ſubſiſtit, & facit hunc ſenſum, *de hac re, quæ in querelam trahit*, quem ſenſum omninò ipſe Auguſtinus accepit, dum in libr. de dono perſeuer. cap. 21. reaſſumens eadem ferè verba in hoc ſenſu reſcribit ſic, *videant tamen ij, qui præter hoc quod in quæſtionem venit*, & ne quis dicat inconſuetam videri hanc phraſim de verbo

bo *trahere* ſine accuſandi caſu ſubiuncto, præter alia, quæ ad inſtitutum præſens ex latinæ linguæ peritis, caſtigatiſque ſcriptoribus, poſſent huc aduocari, ſat erit in Proſperi ſcriptione ſiſtentes audire eumdem hanc phraſim alibi in vna pagella benè ſex vicibus repetentem, nempè cap. 14. contr. Collat. dum inquit, *trahit igitur ad Deum contemplatio elementorum. Trahit rerum geſtarum cognitio, trahit timor. Trahit deſiderium: trahit delectatio lectionis;* cur ergo non ſic in epiſtola idem Proſper dicere valebat, *de hac re, quæ in querelam trahit,* abſque eo quod Hilarius in eam querelam trahere cenſeatur? Ex eo porrò, *quod eſset incertum*, vt loquitur Proſper, *vtrum Hilarius ſcripturus eſset, aut quo fine facturus erat*, ſubinferre gratuitò, ac iudicare Hilarij finem oppoſitum Auguſtino extitiſſe, id hariolari in vtrumque videri poteſt, non ſecus ac ſi quiſpiam audiens de Principe cogitante impertiri dignitatem alicui, & ſubaudiens poſteà equitem de illo Principe aſſerentem, *An id facturus ſit & quo fine incertum eſt*, ſi inde improbum Principis finem arbitraretur, profectò temerè de Principis illius voluntate ac de ſermone Equitis iudicaret, ſic non diſſimili modo in propoſito, quia vt ſcriptura nos monet, *quæ in homine ſunt, nemo nouit niſi ſpiritus hominis*. Ideo de Hilario præſertim poſt Honoratum iam Epiſcopum ſimul Lirinenſium rebus & parentum & germani indicati in epiſtola iugiter occupato, aut non ità ſemper extemporaneo delatorum diſceſſui ad ſcribendum parato, commodè prædicta verba explicari poſſunt, vti & ſcripſiſſe de facto ſuburgente nimis deferentium diſceſſu atteſtatur idem Hilarius in eadem epiſtola dicens, *per me deferre maluiſsem, vel quia hoc non merui ſaltem pro laxiore tempore omnia, quibus mouentur, collecta dirigere &c. Sed neutrum ex voto prouenit &c.* & infrà, *præter illa, quæ per feſtinationem aut obliuionem fortaſsè prætermiſi*: hic finis, aut exitus erat, de cuius qualitate etiam Proſper non immeritò dubitabat, ad ſummumque in prædictis verbis Hilarium ſpeculatiuè hæſitantem, vt præmiſimus, exhibebat. Ad ſecundam indè probationem de diſtinctione Hilarij Arelatenſis ab altero Hilario ſcribente epiſtolam ad Auguſtinum, neganda eſt ea ſuppoſita diſtinctio ſimulque negandum, vt ſatis vidimus, Arelatenſem Hilarium in Affrica non fuiſſe. Ad tertiam iam illa Proſperi verba, indicantia ſuſpicionem aliquam de Hilario Arelatenſi, mox antè commodè expoſita ſunt, cum aliàs Hilarium, ſi Semipelagianos fouiſſet, nō cenſeretur probabile ea ſua conſilia Proſpero collaturum. Ad quartam permiſſa etiam plerumque Henrici Noris ſupputatione, iam litteras adhuc Hilarij, & Proſperi, ex ſuprà obſeruatis, vt tempus delationi earumdem adeſſet, & ſimul ſcriptioni, ac tranſmiſſioni gemini libri reſponſiui Auguſtini (qui in de anno 430. defunctus eſt) ſcriptas fuiſſe neceſſe erit ante principium adhuc anni 429, quo ſolo anno (ſi Noris credimus) Hilarius Epiſcopus electus eſt: Non igitur poterat in epiſtola Proſper eum Epiſcopum nominare, nec vere nominaſſe ex eo etiam haberi poteſt, quod eum anteà longè diuerſo titulo ab Epiſcopo nominarat, ſcilicet *ſpiritualium ſtudiorum virum*, quod eſt adhuc Presbyterum in Lirinæ Inſula ſacras diſciplinas edocuiſſe, vt poſteà Maximum Abbatem præſtitiſſe colligitur ex homilia Euſebij Gallicani inſcripta de Sancto Maximo tom. 5. Bibliothecæ p. p. & de Fauſto etiam habetur ex Euchariſtico Sidonij, in quo ei gratiæ redduntur de Sollio Sidonij fratre inſtructo ab eodem Fauſto. Vndè potius, vt obſeruauit Baronius, titulus ille

Epiſcopi

Epiſcopi prius in margine appoſitus cenſendus eſt, poſteà in textum litteræ ir-
repſiſſe, eo modo, quo Honorato etiam Caſſianus inſcripſit ſeptem priores
Collationes, dum Honoratus adhuc Lirinæ Monachus erat, vt denotant illa
Caſſiani verba in præfatione, *Sancti fratres Honorate, & Eucheri*, & tamen, quia
Honoratus Epiſcopus creatus eſt (vt idem Caſſianus in præfatione ad Colla-
tionem 18. ſubiunxit) *ſeptem alias beato Epiſcopo Honorato &c. dedicaui*, ideò &
in præfationem ſeptem priorum collationum irrepſit omninò conſimilis titu-
lus, *Ad Honoratum Epiſcopum &c.* & paſſim id cõtigit in reimpreſſionibus ope-
rum Caietani, & huiuſmodi, quæ pleraque priori edita tempore, cum Cardi-
nalis non eſſet, omnia nunc opera *Thomæ à Vio Cardinalis Sancti Sixti* titulum
detulerunt. Addo non ita vrgere id, quod premit acriter Noris, nempè ex
eo Hilarium intrà annum 429. fuiſſe Epiſcopum, quia exeunte Ianuario obie-
rat Honoratus, ingreſſus iam intra annum 426. *emenſo biennio*, vt loquitur
Honoratus Maſſilienſis in vita Hilarij: non vrget, inquam, tum quia anno 426.
conſtat occiſum Patroclum, non tamen conſtat ſtatim eodem anno ingreſſum
Honoratum, itaut non potuerit ingredi ad initium anni 427, neque conſtat
ea verba, *emenſo biennio*, ſic Arithmeticè intelligi, vt non potuerint eſſe duo
anni cum dimidio, nec demùm defuncto Honorato ſtatim Hilarius Epiſcopus
fuit, quinimmò, vt inquit Maſſilienſis Honoratus, *iterũ Hilarius ad Eremi ſecre-
ta feſtinauit*, interim eum elegerunt, poſteà miſerunt *electum ciuium numeru~*,
Ipſe diſtulit anceps, & neceſſaria fuit columbæ apparitio, vt acceptaret &
veniret, vt ibidem proſequitur enarrare; potuit igitur ad minus ingredi an-
no 430. ante quem annum dubio procul iſtæ litteræ, immò & ante annum 429
ſcriptæ erant. Hoc itaque breuiter præexplicato concludimus ſcriptore~
epiſtolæ ad Auguſtinum, quem Arelatenſem Hilarium fuiſſe oſtendimus, ſcri-
ptionis tempore non quidem Epiſcopum (vt quo ad hoc argumenta Noris
oſtendunt) neque tamen ex oppoſito Laicum, vt minus verè contendit idem
Noris, ſed verè Monachum eo tempore extitiſſe, qui idem poſtmodum Are-
latenſis Epiſcopus in Honorati locum ſuffectus eſt. Indè ad eam huius noſtræ
hypotheſis impugnationem, recurrentem ad annum 432, quo Cæleſtini epi-
ſtola data fuit, & tamen Hilarius epiſtolæ ſcriptor ac Proſperi Socius non ad-
huc Epiſcopus ibi indicatus eſt, cum immò Proſpero poſtponatur; Reſpon-
demus econtrà Hilarium eumdem Proſpero fuiſſe antepoſitum in epiſtola
Hormiſdæ Pontificis ad Poſſeſſorem aientis, *licet in varijs libris D. Auguſtini,
& maximè ad Hilarium, & Proſperum poſsit cognoſci &c*, omiſſo igitur, an eo tē-
pore Cæleſtini ſcribentis Proſper etiam alicubi Epiſcopus fuerit, quem ali-
quando Epiſcopum fuiſſe conſtat, licet de loco aut tempore nec Nori con-
ſtet, omiſſo etiam in hac hypotheſi tunc potuiſſe Proſperum eſse adminus
Præſulem Eccleſiaſticum, vti & Leoni à ſecretis fuit, ex Gennadio, Adone,
& alijs ante relatis; his omiſſis quid vetat vel nominationis ordinem Pontifi-
ci non tam ſollicitæ curæ fuiſſe, vel ea adminus ratione præpoſitum Hilario
Proſperum, quod ipſe præ altero acrius, vt conſtat, à Maſſilienſibus impete-
retur, & etiam præ altero aduerſus eoſdem tum dictaret capitula, ex ſupradi-
ctis, tum reſponſiones edidiſset, cum iterum contrà Collat. opuſculum vul-
gaturus eſset, vt in præſenti adaptetur reſponſio, qua hæreticis olim, oppo-
nentibus primatui Petri indicatam alicubi Coapoſtoli Pauli præeminẽtiam,

Ter-

Digitized by Google

Tertullianus de præſcriptionibus cap. 23. occurrebat dicens, *inter ſe diſtributionem officij ordinauerunt, non vt aliud alter, ſed vt alijs alter prædicaret, Petrus in circumciſionem, Paulus in Nationes*, vt repetit etiam lib. 4. contr. Marcionem cap. 2. Porrò minus probant ſcriptorem epiſtolæ ad Auguſtinum purè Laicum extitiſse ea verba ſcriproris, *ſunt ex parte tales perſonæ, vt his conſuetudine Eccleſiaſtica Laicos ſummam reuerentiam neceſsè ſit exhibere, quod quidem ità curauimus Deo iuuante ſeruare, vt cum opus fuerit non taceremus*, immò in oppoſitum, ſi ſcriptor iſte aduerſus Præſules etiam in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutos loqui non deſtitit, planè in ordine Laicorum ipſe non erat, ad quos non pertinet ab Eccleſiaſticis in ſuperiori præſertim dignitate conſtitutis atque in religionis materia diſcedere, vel quod turpius eſset, eiſdem etiam diſputationibus contraire; deſcribebat igitur tantum non ſui ſed Laicorum cæterorumque inferiorum in ſalute diſcrimen, *quorum multos*, aiebat & Proſper, *reuerentia illorum* Eccleſiaſticorum *aut inutili cohibebat ſilentio, aut incurioſo ducebat aſſenſu*, & cum non poſſent ab ea iam conſueta in Eccleſiaſticos reuerentia Laici deſinere, ideò inquit in epiſtola Hilarius, *quod ità curauimus Deo iuuante ſeruare*, ideſt non prohibere, non impedire, *vt tamen cum opus fuerit, non taceremus*: hæc ne Laicum demonſtrant Hilarium, vel Eccleſiaſticum potius pium ſimul modeſtum, prudentem, ac prouidum Eccleſiaſticæ diſciplinæ cuſtodem?

Ad poſtremam tandem à Theophylo additam probationem, ſane meam fateor tenuitatem, me non videre ingentem eam in ſcribendi ratione, vel ſtylo diuerſitatem, inter epiſtolam, quam nos diximus eſse Hilarij Arelatenſis ad Auguſtinum, & librum eiuſdem de Vita Honorati, quem omnes ſciunt eiuſdem *Hilarij* fuiſſe: Eædem immò vtrobique repetitæ phraſes ſunt, vt ſi per tempus liceret eaſdem etiam conferendo ob oculos demonſtrarem, nec mihi videtur epiſtolaris ille ſtylus adeò dimiſsus, aut deſpiciendus, vt celeberrimo adhuc Hilario (in carmine præſertim præ oratione ſoluta) debeat denegari, non ſolum quia in epiſtolis ſimplicior dicendi ſtylus commendari ſolet, vt obſeruat eruditiſsimus Lipſius in inſtitutione epiſtolica à cap. 9. ex Cicerone, Demetrio, Seneca, & alijs congeſtis ab ipſo, verum etiam quia attenta iam indicata ſuperius extemporanea dictandi ratione, ob vrgentem nimirum tabellariorum diſceſsum, pro Hilarij epiſtola reperiri poteſt, quod Soranus, Cous de examine librorum Hippocratis apud Patritium lib. 4. diſcuſs. peripat. aiebat, *vnus & idem aliquando validius, aliquando debilius, etiam ob ætatem, conſcribere poteſt*, vti ſubdit Patritius, *alius eſt etiam Platonis ſtylus in Phædro, alius in libris de Republica, alius denique in Thimæo*, nec minus in Ariſtotele Simplicius id obſeruauit dicens, *multam præſefert dicendi facultatem Ariſtotelica eloquutio &c. quod quidem patet etiam ex ijs, quæ voluit clariſsimè docere, vt in metheoris, in topicis, in germanis eius Rebuſpublicis, quæ ob theorematum quamdam communitatem, clarius eloqui nouit*. Iam igitur omnes culpati Patres, Græci ac latini, à Molina ac Vaſquez, & Vincentius Lirinenſis, & Arelatenſis Hilarius, inſimulati erroris à Noris cum quibuſdam alijs, vindicati manent; nunc reliquum eſt, vt poſt extremam iſtam ſentẽtiam nimis & Patrum accuſatricem, ad alteram non minus extremam auctorum claſsem, ſuſcipientem etiam ſingulorum ferè Semipelagianorum cauſam, atque ad eiuſdem obiectiones pro Auguſtinianæ doctrinæ vindicijs iuſta methodo procedamus.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Obiecta ſecunda Claſsis extremæ, innodata Artic. II. ſoluuntur notos etiam Semipelagianos eximentis à Nota.

AD primum igitur alterius extremæ Scriptorum claſſis capitale argumentum doctrinam etiam Caſsiani liberans ab errore, mirum eſt iſtos aduerſa eidem doctrinæ Caſſiani fulmina à Sede Apoſtolica repetitis excuſſa vicibus non formidaſſe. De ea enim nominatim Gelaſius in cap. *Sancta Romana*, diſtinctione 15. allatus, ſacro Romano approbante Concilio, poſt iam commendata quorumdam etiam Doctorum opuſcula, & ne dum ſcripturas canonicas cum generalibus Synodis definitiuè approbatas, immò indicatis atque ſecretis ab eiſdem quibuſdam dubijs opuſculis, quæ nec certò reprobat, neque commendat, vt legitur ab illo verſu, *item geſta Sanctorum Martyrum*, & iterum ibi, *item ſcripta de inuentione ſanctæ Crucis &c.* ſubſequitur indè certò reprobata opuſcula nominare, ab his verbis hic opportunè notandis, exordiens, *cæterum, quæ ab hæreticis, vel ſchyſmaticis conſcripta, vel prædicta ſunt, nullatenus recipit Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia: e quibus pauca, quæ ad memoriam venerunt, & à Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda*, pergens indè poſt multa alia nominata ibidem vitanda opuſcula, quæ ſemper *apocrypha* nuncupantur, inquit item, *opuſcula Caſsiani Presbyteri Galliarum apocrypha, opuſcula Fauſti Rhegienſis Galliarum apocrypha &c*, indè vt etiam Gazæus obſeruat in Collat. 13. Caſſiani cap. 1. in indice Romano inter libros proſcriptos antiquitus etiam eiuſdem Caſſiani collatio præſertim 13. proſcripta ſic legebatur, *Caſsiani Conſtantinopolitani de libero arbitrio collatio, quæ Anganouæ impreſſa eſt per Ioannem Sicerum*. Hæcne dubiæ lectionis dumtaxat, ſeù *inferioris auctoritatis* ad cæterorum opuſcula Patrum Caſſiani libros denotant, vt præallati pro Caſſiano effugiebant, an potius certæ iam confixionis oſtendunt? an permittunt hanc gloſsam ea poſtrema verba Gelaſij: *ſub anathematis indiſſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata?* vt Bail etiam Pariſienſis to. 2. Concil. pag. 168. aduertebat. Videant iſta, quos ità incautè perditæ cauſæ patrocinari audaciſſima interpretatione non puduit. Videant integrum Proſperi librum contra Collatorem, qui Caſſianus erat, quem ibidem Proſperi librũ Gelaſius mox antè approbarat, poſt libros Auguſtini & Hieronymi, dicens, *item opuſcula Proſperi viri religioſiſsimi*. Videant an hoc conniuere dici poſſit cum Semipelagiano Gennadio, qui in Cathalogo ſcriptorum cap. 84. credo tamen ante Gelaſij declarationem, in quo minus audax præ iſtis fuit, ex oppoſito ad relatam declarationem Pontificis carpit Proſperum, Caſsianique doctrinam commendat, de Proſpero dicens, *legi & eius librum aduerſus opuſcula ſuppreſſo nomine Caſsiani, quæ Eccleſia Dei ſalutaria probat, ille infamat nociua*, in cuius ex aduerſo Proſperi laudem præter iam ſuprà relata conſuli poſſunt Giraldus lib. 5. de Poetis, Beda, Baronius, & Suarez proleg. 6. cap. 6. num. 23. ſic concludens, *inter omnes Patres*, qui *poſt exortos Semipelagianos pro gratia Dei ſcripſerunt, Proſper maximam auctoritatem poſt Auguſtinum obtinuit, & ſane merito* propter quatuor ſcilicet motiua, quæ robuſtiſsimè ibidem ſubiungit. Videãt

iterum

ſterum iſti quam prudenter eorumdem conatus reprehēdat idem Suarez prolegom. 5. de grat. cap. 5. à num. 7. & indè ex eadem ſapientiſsima Societate nuper Theophylus in apologia pro Valeriano cap. 3. num. 5. & infrà præter cætera claudens, *interclusas propter auctoritatem Proſperi, cui Romana Eccleſia suffragata eſt, omnes benignas Caſsiani in ſenſum Catholicum interpretandi vias, quas inire aliqui antehac infeliciter tentauerunt, vt monſtraui, nec deſunt, qui idem etiam nunc cogitent* (profectò iſti non ex noſtris ſunt) *euentu, vt auguror, non diſsimili conſilioque parum probabili*. Ad primam igitur in oppoſitum probationem, prætermiſsa aſsumpta ea interpretatione doctrinæ Caſsiani, vt ſcilicet intelligatur tantum de actu naturali initiante, ſeu diſponente remotè ad gratiam, negamus adhuc omninò in hoc ſenſu ſententiam illam vel tolerabilem eſse, vel à ſchola antiquorum ſaltem Scholaſticorum approbatam fuiſse, vt prolixè demonſtrat in tom. 4. nunc prodeunte Lemos trac. 6. per totum; etſi enim in eodem eo ſenſu à nota etiam erroris abſoluant eam ſententiam è Societate Turrianus, Leſsius, atque Coninch, referente Ripalda diſpu. 17. de Ente ſupernaturali ſect. 12. Cęteri tamen Scholaſtici *grauibus cenſuris notant*, vt loquitur idem Ripalda, & licet ipſe deindè permittat immò contendat hoc non obſtante in prædictum errorem ſic explicatum Scotum quoque antiquitus, & cum ipſo plures Scholaſticos, & quoſdam etiam ex noſtris incidiſse, vno per ipſum excepto Diuo Thoma ob dilucidam damnationem Semipelagianiſmi apud *ipſum*, quolib. 1. ar. 7, omnes tamen antiquos Scholaſticos, duobus exceptis, ferè ex vnica ſuprà data gloſsa Chryſoſtomi liberat ab errore noſter Aluarez libr. 6. reſponſ. cap. 7. per totum, & Lemos vbi ſuprà à cap. 14. ſingula eorum teſtimonia percurrens omninò videndus, dum interim vtique nobis ex oppoſito diſplicet alios quoſdam poſteriores ſcriptores, etſi in prædictum non ceciderint errorem, ad ſenſum tamen adminus acceſsiſse prædictum, quos in quatuor aſperiores vel minus aſperos adhuc explicandi modos adduximus ac pro viribus ſigillatim exploſimus in commentarijs Mediolani dictatis ad 1. 2. q. 109. ar. 3. dub. 3 per totum, quæ nunc repetere nec locus nec tempus, neque inſtitutum in præſenti permittunt, & vel grauiſsima tantum eiſdem admonitio Baronij ſufficiet tom. 6. ad annum 490. legenda in eodem, vel contra hæſitantes, an doctrina Caſsiani approbatæ doctrinæ Auguſtinianæ, & conſequenter, & Proſperi contraria ſit, & ex aduerſo damnata, ſatis erit commemorare eos dubitare non poſse de prædicta contrarietate doctrinæ, quam immò Gennadius etiam his verbis loco relato confeſsus eſt, *reuera Caſsiani, & Proſperi de gratia, & liber. arb ſententiæ in aliquibus inueniuntur contrariæ*, vel tandem in eorum aliquos nimis Caſsiani doctrinæ propinquos ſeque dumtaxat protegentes ex eo, quod ſententia eorum, à Caſsiani verbis diuerſa, non ſit adhuc explicite proſcripta ab Eccleſia, licebit ea repetere verba Proſperi aduerſus Caſsianum eumdem, antè Arauſicanam Synodum eodem modo ſe defendentem, dum nempè Proſper in carmine de ingratis aiebat

An quoniam culpa ſecurus operta
Non premeris Synodo, nec te pœna metus vrget,
Spernis propoſiti ſpeciem erroris, & iſthac
Plena velut vanis ſimulacris ſomnia rides?

Ad ſecundam probationem, quis neſciat aliud eſſe damnata fuiſſe ex integro ſingula Caſsiani opera, propter errorem in materia de gratia intermixtum Collationi 13. præſertim, aut alibi, aliud eſſe damnatis iſtis ac cum iſtorum cautela laudari aliter ſimul & legi eiuſdem Caſſiani opera potuiſſe? Vt in hoc ſecundo ſenſu Doctores allati in argumento legentes vel commendantes in reliquis Caſſiani opera aſſerto noſtro, & aliorum, de reprobata & improba doctrina eiuſdem in materia de gratia non repugnarunt. Dicere profectò valerent & illi, quod olim Hieronymus epiſtola 76. opponenti ſibi lectionem prædamnati Origenis aiebat, *ego Origenem propter eruditionem ſic interdum legendum arbitror, quo modo Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarem, & reliquos, vt eorum bona eligamus, vitemuſque contraria, iuxtà illud Apoſtoli, omnia probate quod bonum eſt tenete*, addito præſertim, ſi verum eſt, antiquitùs Caſsiani opera à prædictis prædamnatis erroribus expurgata ac ita ſolita legi (quod certè nunc non eſt, immò mendoſa leguntur, vt contra Baronij coniecturam obſeruat Vaſquez 1. 2. diſput. 199. cap. 3. & Suarez proleg. 5. cap. 5. n. 7.) ex eo nimirum, quod, vt inquit Caſsiodorus libro 1. inſtitutionum cap. 29. *Caſsiani dicta Victor Martiritanus Epiſcopus Affer ità Domino iuuante purgauit, & quæ minus erant addidit, vt ei rerum iſtarum palma meritò conferatur, quem inter alios de Affrica partibus nobis citò credimus dirigendum*, & quia poſteà, quem expectabat, non accepit, ipſemet idem Caſsiodorus (vt ſubdit Ado Viennenſis in Chronico ad annum 425.) *errores illius Caſsiani Caſsiodorus Rauennatum Senator purgare voluit. Sed nec ad plenum omni ex parte potuit*, & indè tandem Dionyſius Chartuſianus deleta ex integro 13. Collatione Caſsiani, in qua ſcabies erat, nouam ipſe doctrinam Auguſtinianam ſubſtituere laborauit. Hincque vltrò firmatur, quod diximus, iam ab antiquo ſemper Caſsiani doctrinam, quod ad hanc partem attinet, omninò morboſam reputatam eſſe, vt præter adducta teſtantur, tum idem Caſsiodorus cap. 29. citato, poſt commendatam Caſsiani lecturam adiungens, *tamen de libero arbitrio à B. Proſpero iure culpatus eſt, vndè monemus, vt in rebus talibus excedentem ſub cautela legere debeatis*, tum Trithemius de Scriptoribus, *quia per B. Proſperum de arbitrij libertate in certis reprehenditur, opuſcula eius inter apocrypha numerantur*, tum Bellarminus de ſcriptoribus, verbo Ioannes Caſsianus, *hac omnia*, inquit, *extant, & vtiliter legi poſſunt excepta collatione 13. & paucis alijs, qua in editione Romana notata ſunt*, nullo igitur modo reſtat Caſſiani doctrinam excuſari iam poſſe.

Ad ſecundum de ſola perſona procedens, quo ad primæ probationis intentum, ſcilicet Caſſianum numquam eam doctrinam, quam ſcripſerat, approbaſſe, & velut in aliorum perſona dumtaxat, ſcilicet Cheremonis loquentis, eam retuliſſe, & incongruam iſtam quoque dicimus defenſionem, vt benè vidit Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 4. Suarez proleg. 5. de gratia cap. 5. nu. 75. Vaſquez & alij, tum quia doctrina Collationis 13. ſub nomine prædicti Abbatis Cheremonis conſonat omninò cum doctrina eiuſdem Caſſiani in proprio lib. inſtitutionum, vt accuratè confert loca Suarez, & vnum ſufficit cap. 14. libri 12. inſtitutionum, vt ibidem Gazæus aduertit, tum quia hinc ipſe Caſſianus in præfatione ad ſeptem vltimas Collationes, inter quas *peſsima ea 13. reperitur*, ſingula mox ab ipſo ſubdenda vt decretoriam immò ſuam ſententiam profitetur dicens, *vt illis ea, quæ de perfectione in præteritis opuſculis obſcurius*

forſitan

forſitan erant comprahenſa, vel prætermiſſa, ſuppleantur, egtegium ſanè ſupplemẽtum; tum quia hinc Proſper contrà eumdem Collatorem cap. 2. in fine dicebat, *eum induxiſſe quemdam Sacerdotalis ordinis Abbatem de grat. Dei & lib. arb. diſſerentem, cuius ſe oſtendit per omnia probaſſe, ac ſuſcepiſſe ſententiam, vt iam non cum illo, ſcilicet Chæremone, nobis ſit negotium, qui fortè tales opiniones ſuas aut negando refutaret, aut corrigendo dilueret, ſed cum iſto, qui vt inſtrumentum inimicorum gratiæ Dei talem ſtuduit proferre doctrinam*, tum quia aliter nil de propria Caſſiani ſententia ex aliqua earum vigintiquatuor collationum innoteſceret, cum ſingulas ſub aliorum interloquentium perſona tranſcurrat, quod tamen contra cõmunem ſenſum eſt, aliter nec Platonis doctrina ex eius dialogis colligi poſſet, nec Luciani damnari valeret impietas, quia Dialogos conſcripſerunt; tum quia, vt Cæleſtinus aiebat cap. 1. *in talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret*, & conſequenter errorem Chæremonis, quem ſaltem referebat, ſi non repulit, approbauit; tum quia immò in fine eiuſdem Collationis 13. præallata laudando concludit, *hoc nos B. Chæremonis confirmatos cibo laborem fecit tam inuij itineris non ſentire*, & demum, vt alia dimittam, placet à Theophylo etiam in laudata apologia pro Valeriano cap. 3. hanc audire omnium optimam probationem, *eo ſane*, inquit, *deuenire videntur, qui Caſſianum purgant, vt Proſperum Cæleſtini, & Gelaſij elogio illuſtrem, vel calumniæ in detorquenda Caſſiani mente, vel inſcitiæ in ea perſpiciẽda inſimulent, quod quam ſit iniutum & iniuſtum, nihil attinet dicere: ipſeque Caſſianus, quamuis Proſperi impugnationem moleſtè tulerit, vt Proſper ſub initium epiſtolæ ad Ruſinum refert, tamen non eſt calumniam cauſatus, quod fuiſſet auertendo Proſpero accommodatiſſimum*: conſequenter ſimile non eſt de ſingulari ea narratione cap. 10. Collatione 20, ex qua timebat ſe de aperta hæreſi damnationis nuptiarum accuſati, & ideò ibi proteſtatus eſt ſe eam referre, non aſſerere, non approbare, at verò cur quæſo de cæteris, quæ alibi ſub aliorum perſona toto libro procudit, non generalem alicubi addidit proteſtationem? Quinimmò, cum illud particulare dumtaxat exceperit, à fortiori iam cætera approbaſſe vniuerſim cenſendus eſt. Ad ſecundam de contradicẽtibus inter ſe Caſſiani locis, ſi ſingula in eiuſdem Caſſiani ſententia recipienda eſſent, vt arguens opponebat, ad hoc, inquam, ſat eſt audiuiſſe quod ipſe in præfatione ad 11. Collationem aiebat, ſe alibi dicta in ſubſequentibus collationibus ſuppleturum, & conſequenter huic 13. collationi vt decretoriæ præ anterioribus de eius mente inſiſtendum eſt, quod iamdiù obſeruauit Proſper cap. 13. contrà Collat. dicens, *quia tamen inter initia diſputationis à veritatis pietate non diſſonat, & iuſto honorari præconio mereretur, niſi præcipiti leuique progreſſu ab inchoata rectitudine deuiaret*, vt ibidẽ loca ac verba in ſucceſſu expendendo proſequitur demonſtrare, & præſertim cap. 4. ſequenti, *citò*, inquit, *hic diſputator præmiſſæ definitionis oblitus eſt, citò à ſententia ſua inſtabilitate & leuitate diſceſſit*, non igitur ex anteà dictis latenti aliunde ambiguitate, vel fraude manifeſti adeò in præcitata Collatione Caſſiani prolati poſterius errores excuſandi ſunt. Ad tertiam, in lib. 7. cap. 21. Caſſianus prædamnato vtique Pelagio, quem Maſſilienſes etiam ritè damnatum eſſe dicebant, & abbhorrebant, vt referunt Hilarius, & Proſper in epiſtolis ad Auguſtinum, Caſſianus ibi & Neſtorium hæreticum refutare conatus eſt, ad quod præſtandum non ſemel eum eiuſdem Pelagij *reliquiam, aut ſobolem*, verè

& meritò pronunciauit, vt prænotauit etiam Baronius ad annum 430. & hujus dicti fundamenta iecerat iam Auguſtinus, antequam Neſtorij hæreſis pāderetur, lib. 4. contra Iulianum cap. 82. & lib. de Prædeſt. Sanctorum c. 15. proindè iſte Neſtorius ille eſt, in quem Caſſianus inuehitur vt Pelagij *ſpinoſā ſobolem*, non verò aliquem ibi Semipelagianum, ideſt Maſſilienſium errori adhærentem intelligit, aut de eo verba facit, vndè poſt recitata ab arguente verba proſequitur, *Leporius ille*, qui pariter Pelagianus fuit, *Dominum noſtrum aſſerebat Chriſtum factum eſſe per baptiſmum, tu in baptiſmo templum Dei dicis factum eſſe per ſpiritum*, ex quo Baronius tom. 5. ad annum 420. colligit dictum Pelagianum Leporium auctorem Neſtorio ſuæ hæreſis extitiſſe, & alia in Gazæo ad illum locum pro noſtra iſta explicatione videri poſſunt. Ad quartam tandem eiuſdem præcipui argumenti probationem de retractata ſententia à Caſſiano ante ſupremum vitæ diem. Duo mihi extrema vitanda ſuccurrunt, alterum eſt nimia credulitate opinantium pleroſque, vel omnes Maſſilienſes à ſe tandem abdicaſſe Semipelagianorum errores, ex aliena nimis intelligentia quorumdam verborum Proſperi in epiſtola ad Auguſtinum aientis, *retractatis priorum de hac re opinionibus penè omnium par inuenitur, & vna ſententia &c.* ex quo Ouiedo in par. 2. tractatu 9. controuer. 1. puncto 4. num. 76. ait Proſperum aſſeruiſſe iam plures ex Maſſilienſibus *priores opiniones retractaſſe*, & Alarcon trac. 4. diſp. 2. cap. 8. num. 17. *hoc eſt*, inquit, *reiectis priorum ſeu Pelagianorum opinionibus*, & partim fauens huic interpretationi Rodericus de Ariaga in p. 1. tom. 1. diſput. 36. num. 11. inquit, *nomine priorum & antiquiorum, de quibus Proſper, non intelliguntur Sancti Patres, ſed Maſſilienſes &c.* hæc ſanè verborum Proſperi interpretatio tam eſt repugnans Proſpero, quam veritati, vt benè agnouit & Arrubal apud Alarcon, & carpſit etiam è Societate Franciſcus Annatus diſpu. 4. de Scientia Media num. 80. indè Noris & alij, & ex lectione dumtaxar, tum Proſperi ibidem, tum Auguſtini in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 14. reprobatur, vbi ea verba, *retractatis priorum opinionibus*, excepta ſunt in hoc ſenſu, nimirum exploratis ſeù excuſſis denuò anteriorum Eccleſiæ Doctorum ſenſibus atque doctrinis, in qua ſignificatione ly *retractare* acceperunt, tum iterum Proſper contrà Collat. cap. 41. dicens, *ne quod ſemel meruerat abſcindi nequaquam admitteret retractari*, tum Gelaſius ad Honorium Epiſcopum contrà Pelagianos Dalmatiæ ſic ſcribens, *numquid licet nobis à venerandis Patribus damnata diſſoluere, aut ab illis exciſa nefaria dogmata retractare?* Perſtiterunt igitur aliqui, & materiales ad minus hæretici in ea hæreſi nominari meruerunt. Alterum porrò quorumdam rigidiorum extremum fugiendum eſt, qui ſine certa improbatione veritatis, maiorique aliàs cum decore Patrum, qui forſan eidem errori aliquantiſper inculpabiliter incubuerunt, valentes admittere illos ante mortem adminus illucente maiori lumine, doctioreſque ſua errata tandem recognouiſſe, atque ſanctiſsimè dereliquiſſe, perpetuis adhuc volunt in eis cimerijs tenebris obijſſe. Non is ſum ego, qui ignorem cum Dauid *perfecto odio* errata aut peccata ſemper odiſſe debere, errantium autem aut peccatorum perſonas non ſic. Doctrinam ideò Caſſiani hucuſque *perfecto odio* perſecuti ſumus, etiam cum Lemos noſtro tom. 1. tract. 5. à cap. 4, qui tamen cap. 2. concedit, *non inueniri per Eccleſiam perſonam Caſſiani damnatam, ſed inueniri tantum ſententiam Caſſiani apertè damnatam*. Ideo nunc & Caſſiani

per-

perſonam amantes, admittimus vt veriſimile, antequam moreretur, errorem proprium reuocauiſſe, pro quo, dimiſſis illis Baptiſtæ Gueſnai ratiocinijs non ritè innixis, meritoque reiectis ac refutatis à Noris in appendice cap. 2. per totum, id ego nunc coniectarer ex eo, non ſolum quod ſeptem illos ſatis elaboratos libros de Incarnat. Dei cont. Neſtorium, vt *Pelagij ſobolem*, in ſuæ vitæ termino, iubente magno Leone, lucubrauit, verum etiam quod in eorumdem præfatione non obſcurè ſignificat agnouiſſe quædam à ſe ante ſcriptorum Eccleſiæ Doctoribus, immò Cæleſtino Pontifici diſplicuiſſe, atque ſcribendi proindè propoſitum (niſi iuſſiſſet Leo) mox anteà deprecatum eſſe. Audiamus in hoc opere, *in quo*, vt Gennadius cap. 61. loquitur, *Caſsianus ſcribendi apud Maſsiliam, & viuendi finem fecit*, audiamus, inquam, eiuſdem verba ſingularia in iſta vltima ſuorum operum præfatione, quæ in nulla altera quorumque introductione ſuorum operum legi queunt. Poſt excuſatum tacitè in ſuperioribus ſaltem collationibus ſenſum, etſi male habitum verborum ſonum, *cogitaram*, inquit, *& propemodum conſtitueram, poſt illum prodita inſcitiæ pudorem, ita me in portu ſilentij collocare, ut excuſarem quantum in me eſſet, per taciturnitatis verecundiam loquacitatis audaciam. Sed viciſti propoſitum, ac ſententiam meam laudabili ſtudio, & imperioſiſsimo affectu tuo mi Leo &c. producens me ex illo præmeditati ſilentij receſſu in publicum formidandumque iudicium, & noua ſubire cogis adhuc de præteritis erubeſcentem*. Hæc mihi apparet generalis implicita quædam erratorum omnium retractatio priorum, ſi præſertim nominatim agnitam ac deprecatam hanc *ſuæ loquacitatis audaciam* in traductam S. Auguſtini doctrinam conferamus cum epiſtola Iſidori Peluſiotę ad eumdem Caſſianum inſcripta, eumdemque Caſſianum *de frenandæ linguæ licentia* appoſite coarguente, vt præobſeruauit Baronius, & verè potuit hoc corrigendi iudicium non malè ferre Caſſianus ab Iſidoro, qui ſenior, ac conuiuens Chryſoſtomo, benè anteà nouerat eumdem ſub Chryſoſtomi diſcipulatu, vt ex Euagrio habemus lib. 5. hiſtoriæ cap. 15. & Niceforo libr. 14. cap. 28. & 53. Accedit Proſperum contra eumdem Caſſianum ſub nomine Collatoris adhuc eo viuente ſcripſiſſe, vndè de eo veluti ſuperſtite inquit, *diſputandi vſu inter eos*, ſcilicet Maſſilienſes, *excellit*, conſequenter dum in hoc lib. Caſsianus toties audiuiſſet præſertim cap. 1. ſe argui tamquam *eiectis extra ouile lupis ſuffragantem*, ſcilicet Pelagianis, & alia ſimilia in ſeipſum ſcripta legiſſet, niſi ſuæ eum pœnituiſſet anterioris ſcriptionis, profectò veluti abſciſſa lingua in Proſperum eo tempore non tacuiſſet. Accedit quod Proſper non ignarus forſan iam exordientis erubeſcentiæ in eodem de ſcriptione priori, ideò toties ac repetitis vicibus apertam eiuſdem emendationem ſperare profeſſus eſt, tum in epiſtola ad Auguſtinum inquiens, *credimus, & ſperamus etiam ipſos, quos caligo iſtius opinionis obſcurat, defæcatiſsimum lumen gratiæ recepturos*, tum in epiſtola ad Rufinum, *ego quidem etiam hoc de diuitijs miſericordiæ Dei ſpero, quod eos, quos nunc libero falli arbitrio ſuo, & ab humilitatis via patitur euagari, non vſquequaque neque in finem ſit intelligentia fraudaturus*, tum in finem contrà eumdem Collatorem ſeù Caſsianum dicens, *toleranda magis eſt intentio quam deſperanda correctio*, tum demum indè Auguſtinus in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 1. idipſum ex relationibus Hilarij, & Proſperi ſe ſperare conſentit. Accedit deindè Proſperum in Chronico longè poſterius ſcripto nominatim & Caſsiani tamquam ſuperſtitis ad-

huc

huc honorificam egiſſe mentionem, quod perſpicuè præſuppoſitis iſs titulis, quibus illum in lib. contrà Collatorem inſigniuerat, niſi fuiſſet de eiuſdem emendatione iam certus, non pręſtitiſſet. Accedit Caſſianum, ſi ſcribente contra ipſum Proſpero ſuperſtes erat, vti prædiximus, anno adhuc 433. ſuperuixiſſe, quo anno Proſper illud opuſculum ſcripſit viuente Sixto, quem regnantem nominat, & conſequenter Cæleſtino defuncto, cuius epiſtolam pro Auguſtino recenſet, cum igitur indè Caſsianus audiuiſſet acrem eam Cæleſtini increpantem ep. contra Auguſt. obtrectatores, quis neget ipſum pium aliàs, & nunc excultum alicubi vt ſanctum, à reprehenſo per Pontificem errore pręterito receſſiſſe? Accedit eidem Leoni, cuius iuſſu per litteras idem Caſsianus in Neſtorium ſcripſit, ſimul Proſperum, vt ſuprà vidimus, à ſecretis adfuiſſe, quid igitur prohibet hunc ipſum Leonem, in vtrumque beneuole inclinantem, per litteras tandem Caſsianum, ac Proſperum conciliaſſe? Accedit tandem, quod aduertente Baronio tom. 5. ad annum 430. ideò *Leo Neſtorij impugnationem per Caſsianum præſtari voluit, cum ipſe Leo, & eruditiſsimus eſſet & quam feliciſsimè id preſtare valuiſſet &c. ne ſcilicet opinarentur Orientales hereſim Neſtorianam ex Pelagiana prognatam defenſores habere in Occidente, qui Pelagiani erroris quoquomodo ſuſpecti redditi eſſent, & ideo per vnum ex illis ſcilicet Caſſianum voluit validiſsime Neſtorium oppugnari &c. & Caſsianum inprimis, qui omnes antecellebat, Leo prudenter quidem ſcriptione ſua eum teneri voluit obligatum, & cum eo omnes, qui inter Catholicos Pelagiani erroris viderentur eſſe fautores*, hæc Baronius, vt ità ſcilicet vno ictu ſimul Neſtoriana Pelagianorum ſoboles nuper exordiens veluti in vtero ſuffocaretur, & exſuſcitatæ mox ante in Semipelagianis eiuſdem Pelagij reliquiæ hac vna retractatione Caſsiani reſtinguerentur: hæc mea coniectura, fateor, potius quàm aſſertio ſit, illuſtrans ea, quæ longè obſcurius præallegati in argumento auctores dicere incęperunt.

Ad tertium principale pro Fauſti doctrina ſimul & perſona à Syrmundo ac cæteris elaboratum; Non ſic tamen audebit dicere, qui ſedulò Fauſti ſcripta percurrat, & conferat cum definitis in materia de gratia dogmatibus, vt poſt noſtrum Aluarez diſput. 2. de auxilijs accuratè, Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 15. & 16. Suarez id præſtitit proleg. 5. de grat. cap. 5. à num. 19, & anteà Baronius to. 6. ad annum 490. Fauſtum dicens *Semipelagianorum Coryphæum*, vt à cenſura etiam Romana vocatur edita sub Braſichelenſi pag. 145. & pag. 105. & indè à Petauio cum alijs tom. 1. dogmat. libr. 9. cap. 2. Non ita ſenſit ab antiquis Eccleſia temporibus viuenteque adhuc, aut vix mortuo Fauſto, nimirum anno 494, in Concilio Romano Gelaſius eodem ſenſu, quem ſuprà in Caſsiani doctrinam vrgebamus, continuò poſt Caſsiani opera decretoria hæc verba ſubiungens, *item opuſcula Fauſti Rhegienſis Galliarum apocrypha.* Nō ita ſenſere Monaci Scithæ Romā legati pręſidente eiſdem Petro Diacono anno 520. in libello ſuæ fidei tranſmiſso ad Patres Affricanos in Sardinia commorantes, dum in fine cōcludunt, *anathematizamus, et præcipuè libros Fauſti Galliarum Epiſcopi, qui de Monaſterio Lirinenſi prouectus eſt, quos contra Prædeſtinationis ſententiam ſcriptos eſſe non dubium eſt.* Non ſic & Synodus Affricanorum Patrum, quæ parum ab eo tempore, tum prædictis reſpondens in libr. à Fulgentio, ipſis præſidente, conſcripto à cap. 17. in te doctrinam Fauſti reprobauit, tum iterum repetita epiſtola ad Ioannem Maxentium in cap. 18. in hæc

verba de ſuo Fulgentio deſcendit, *aduerſus duos libros Fauſti Galli ſeptem libros edidit, quos cum recenſueritis agnoſcetis protinus, quemadmodum memorati Galli commenta veritati contraria, catholicæ fidei penitus inimica, diſcuſsio prodidit, ratio manifeſta conuicit, auctoritas Diuina compreſsit, & præcedentium Patrum conſona prorſus atteſtatio confutauit*. Non ſic Hormiſdas Pontifex circiter anno 520. in epiſtola ad Poſseſsorem ſenſit, dum etſi animo minus propenſo in ſubaſperum veluti prædictorum Scitharum Patrum rigorem quoad rem alteram, de Fauſti tamen libris expoſtulatus reſpondit, *neque illum neque quemquam, quos in auctoritate Patrum non recepit examen Catholicæ fidei, aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ambiguitatem poſſe gignere &c.* ex oppoſito ſtatim definitiua approbatione Auguſtinianæ doctrinæ ſubiuncta. Non ſic anno 522. Ioannes Maxentius in reſponſione ad epiſtolam præallatam Hormiſdæ concluſit, dum eiuſdem Fauſti dicta ſimul & Auguſtini congeſsit, *vt cum in breui*, dicebat, *collata adinuicem contraria ſibi repperta fuerint, euidenter clareat libros Fauſti eſſe hæreticos, quod equidem*, ſubdit vbi ſuprà Suarez, *latè oſtendit eo ferè modo, quo nos ſtatim idem præſtabimus*, & repetit Vaſquez p. 2. diſput. 199. cap. 3. *Sententiam Petri Diaconi, & Ioannis Maxentij tam in materia de grat. & lib. arb. quam in damnandis libris Fauſti magni momenti eſſe debere*. Non ſic anno 523. Fulgentius arbitrabatur, qui, vt Iſidorus inquit de viris illuſtribus cap. 14. *in ſeptem reſponſionum libris Fauſto Galliæ Rhegienſis vrbis Epiſcopo Pelagianæ prauitati conſentienti reſpondens, obnititur eius profundam deſtruere calliditatem*, quem Fulgentij librum Ferrandus Diaconus in epiſtola ad Fulgentium qu. 5. vocat *librum de regula fidei*, & Iſidorus ipſe cap. 14. *regulam veræ fidei* appellabat. Non ſic Cæſarius Arelatenſis anno 542. in libro inſcripto ex propoſito de grat. & lib. arb. aduerſus Fauſtum, quem librum, vt legitur apud Gennadium cap. 86. *Papa Felix per ſuam epiſtolam roborauit, & in latius promulgauit*, & demum pręter S. Auitum Epiſcopum Viennenſem, & Ioannem Antiochenum Presbyterum, qui Fauſtum pariter, atteſtante Baronio ad annum 490. *impugnauerunt*, præter Iſidorum recitato cap. 14, & Felicianum in vita Fulgentij cap. 28. in laudando Fulgentij opere Fauſtũ reprobantes, & præter obuiam cuique Concilij Arauſicani collationem cum aſsertis Fauſti in eodem Concilio damnatis, audiant ſaltem, qui Theologos agunt, quæ ſcribit Ado Viennenſis in Chronico ad annum 492. *Fauſtus*, inquit, *apud Regnum Galliæ Epiſcopus dum Pelagianum dogma deſtruere conatur, in errorem labitur, vndè qui eius ſenſus in hac parte Catholicos prædicant, ſicuti Gennadius, omninò errant*. Audiant Baronium ad annum 490, hic etiam à Gonet noſtro relatum, hincque iuremerito ità inferentem, *cum igitur Fauſti ſententiæ vbique ab Eccleſia Catholica fuerit contradictum, videant quanto periculo quidam ex recentibus, dum in nouatores inſurgunt, vt eos confutent, à S. Auguſtini ſententijs de Prædeſtinatione recedunt, cum alioquin arma non deſint, quibus hæretici profligentur*. Audiant præter Suarez, & Vaſquez in ea diſputatione 199. num. 15. concludentem. *Ecce iam ſcripta Fauſti de grat. & lib. arb. in Gallijs, in Oriente, in Affrica tamquam veræ fidei diſſentanea improbata & notata, vt deindè nullus audeat apologiam pro Fauſto contra communem ſenſum Patrum elaborare*. Audiant hæc & peiora longè fidei detrimenta præcaueant, dum immò vel nimium noſtris hiſce temporibus vidimus extumulatam iamdiù ſepultam cum Fauſto iterum Semipelagianorum doctrinam hæreticam inter Socinianos, & Arminianos exortam,

ortam, contra quos agit Malderus Epiſcopus in antiſinodiea aduerſus Pſeudoſynodum Dordacenam integro libello per totum. Audiat & Theophylus Raynaudus in morali diſciplina diſtinctione 2. q. 3. art. 5. ad impugnandam Thomiſtarum ſententiam non veritus dicere, *licet proindè contrà huiuſmodi placitum exclamare cum Fauſto Rhegienſi lib. 2. de grat. & liber. arb. cap. 3. &c.* veluti neſciret eos libros à Fauſto aduerſus Auguſtini doctrinam conſcriptos eſse, ac proindè fieri ex eo certiorem Thomiſtarum ſententiam, ſi in eiuſdem impugnatione impugnata, ibidem ſubindè, vt Auguſtini propria comprobetur. Hinc ad primam in oppoſitum probationem, quod vel Maxenrius minus faciendus ſit, vel Affricani Patres prædeſtiniana hæreſi infecti eſſent, vtrumque audacter nimis credimus pronunciatum, eum iam Maxentij auctoritas, quo ad inſtitutum pręſens ex adductis comprobata ſit, & Affricani immò Patres ibidem, vt notat & Noris in cap. 11. prædeſtinianæ hæreſis dogma prædamnarint. Ad ſecundam iam diligenter Suarez oſtendit (vt fecerat & noſter Aluarez, & ante omnes ille Maxentius) teſtimonia Fauſti conferendo, nequaquã ſensum aliquem Catholicum eiusdem dicta habere posse, tametſi, vt loquitur Felicianus in vita Fulgentij cap. 28. *eos libros Fauſtus ſubdolo ſermone compoſuerit, fauens occultè Pelagianis, ſed catholicus tamen videri volens*, ex quo de Fulgentio subdit, *plus laboraſſe exponere quàm conuincere, quia dubios ſermones eius exponere hoc erat delirantis argumenta conuincere.* Ad tertiam iam agendo de Caſſiani libris, expendẽdo Gelaſij verba, deduximus ibi vocara Caſſiani vel Fauſti *opuſcula apocrypha* fuiſſe certò *ſub vitandis libris* proſcripta, & ne dum vt *incertæ lectionis* opera prætermiſſa, nec aliud Hormisdas intellexit præponens doctrinæ eiusdem Fauſti ſolam Auguſtinianæ doctrinę ex oppoſito approbationem, ſupponẽs proindè illam doctrinam Fauſti fuiſſe damnatam. Ad quartam non negamus Fauſto in Arelatenſi Synodo fuiſſe commiſſum *ordinare* damnationem prædeſtinianæ hæreſis aduersus Lucidum, & quoad hoc hanc ſolam epiſtolam Fauſti ad Lucidum ibidem fuisse à Synodo approbatã, vt Suarez poſt Baronium aduertit, & antea monuit censura Romana sub Braſichelenſi edita in Fauſto pag. 144, at in gemino deindè lib. de grat. & lib.arb. etſi quoad alios priores in Pelagium libros Auguſtinum commẽdet, quoad poſtremos tamen tangentes Semipelagianos, recedit ab ipso, vti & Maſſilienses apud Hilarium, & Prosperum in epiſtola ad Auguſtinum, *præter hoc, quod in querelam trahebat*, Auguſtinum venerabantur, vt recognoscit & idem Auguſtinus in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 1. & de bono perseue. cap. 21, & quoad hoc pariter Fauſtus ibidem aliquando quidem, vt obseruauit Facundus initio libri contra Morianum, Auguſtini dictis peruerſe detortis pro suo errore firmando vtebatur, alibi autem detecta fronte asserebat *apud doctiſſimos in Auguſtini ſcriptis ſuſpectum aliquid inueniri.* Nec inde prædictis Fauſti libris suffragari posse vel aliquam in ipsos Sidonij commendationem præmonebat Vasquez loco laudato in hæc verba, *licet Sidonius fuerit vir doctus & pius, tamen adhuc iunior, penetralia rerum Eccleſiaſticarum minimè fuerat perſcrutatus, vt ait idem Baronius*, & repetit index librorum expurgandorum sub Braſichelenſi pag. 145. ſic dicens, *Sydonio nondum comperta fuiſſe videbantur techna, & impoſtura Fauſti.* Ad poſtremam inde probationem, licet in eodem indice librorum expurgandorũ iuſſu Pontificis edito à Braſichelenſi in cenſura to. 3.

biblio-

Bibliothecæ veterum Patrum, in Fauſto, ſic habeatur, *in inſcriptione operis Fauſti & alibi nomen Diui, vel Sancti deleatur omninò, quod eo prorſus indignus Fauſtus extiterit*, ſi quis attamen adhuc pro perſona Fauſti contendere velit eum ſuum errorē vltimò retractaſſe, iam vti de Caſſiano prædiximus, ità de Fauſto q io. ad hoc litem nolumus, aut quæſtionem, præſertim cum atteſtetur antiquus ſatis ſcriptor Trithemius, *eum à Fulgentio correctum ſeu conuerſum ſcripſiſſe volumen egregium de gratia Dei*, de quo forſan & Gennadius intellexit cap. 85. poſt alia opera Fauſti dicens, *edidit quoque opus egregium de gratia Dei*, & indè huic ſuppoſito ſubſcripſere Ludouicus de Angelis Luſitanus, Simon Bartellus in apologia, Theophylus Raynaudus tom. 11. in apologia pro libro Fulgentij num. 14. Franciſcus Macedo pag. 124. Vaſquez etiam, vbi ſuprà, ſubiungens hanc fortè per Trithemium memoratam Fauſti retractatoriam ſcriptionem extitiſſe in eo lib. Fauſti poſteriore, qui poſteà perijt, *quia*, inquit, *adhuc Fauſti poſterior liber de lib. arb. integer non reperitur*. Et liber poſtremus à Trithemio laudatus dicitur *liber vnus*, qui vero extāt duo ſunt; & id, ſi ſemel probabile permittatur, confirmant ſingula ea, quæ pro probabili ſaltem ſanctitate eiuſdem ſuprà producta ſunt; nec adeò creditu difficiles ſunt iſtæ ac conſimiles acriter diſputantium emendationes, cum præter hæreſis noxam in diſput. de auxilijs Romæ iam habita ſub Paulo V. Ferdinandus ipſe Vaſtida, poſtquam in ſe vnū ſolemnem illam Molinæ cauſam ſuſcepiſſet (quæ quomodo acta ſit, aut terminata, dimittimus, vt prohibitioni Pontificis circa ſcripta Pennæ pareamus) in Hyſpania deinde Molinæ ſententiam à ſe ipſo abdicauit, vt cum alijs enarrat Ioannes Martinez à Prado, neque ex toto inficiatur Ouiedo in controu. 9. Phiſicæ puncto 3. §. 1. num. 24. admittens ſaltem, *Vaſtidam phiſicam prædeterminationem Abulæ defendiſſe intrà clauſtra Dominicanorum in prælectionibus habitis pro laurea Doctoratus etc.* vti & eamdem ſententiam poſteà Societatis depoſuit, referente Caramuele in Theologia fundamentali fundamento primo nu. 64. *in Vniuerſitate Viennenſi Pater Heruuart Societatis Ieſu*, do verba Caramuelis ſecundæ editionis, *magni ingenij Doctor defendens iterum iterumque eſſe poſsibile ......qualitatem, quæ ex eſſentia ſua phiſica & reali infallibilitatem illæſa libertate inducat*, & præter Bellarminum, de quo Macedo mox referendus, præter Michaelem Marcum relatum à Ledeſma pag. 9, præter Claudium Tiphanium in libr. de Ordine recitatum à Gonet diſput. 6. ar. 5. §. 7. & præter alios iam longè antè iſtos, Henricum Henriquez, qui Franciſci Suarez præceptor fuerat, vt inquit Macedo olim eiuſdem Societatis alumnus collat. 11. differentia 1. ſect. 5. pag. 397. *conſtat relicta Societate ad Prædicatorum Ordinem tranſijſſe*, neque Faſſolus id negat ad p. p. q. 14. ar. 13. dub. 17. num. 284. pro veritate concedens à Societatis ſententia penitus receſſiſſe. Atque perſpicuè huc reſpexit Nauarete noſter tom. 2. controuer. 21. §. 7. dicens, *maiores natu*, ſcilicet Societatis, *ad vbera ſanctiſsimi Doctoris Thomæ, & Academiarum eius enutritos perpetuò Dominicanæ ſententiæ adhæſiſſe*, vt fermè ſignificat etiam Herice è Societate tractat. 3. diſput. 25. cap. 2. in fine, nec ideò de hoc noſtri ſcriptoris dicto debuerat Paulus Leonardus expoſtulare par. 2. §. 15, neque Ouiedo vbi ſuprà pro reddenda vice reponere quoſdam alios Dominicanos, adhuc ſuis ſcriptis ignotos, qualitatem phiſicè prædeterminantem repudiauiſſe, diſſimulata nimirū ab Ouiedo vulgari ea diſtinctione Thomiſtica de phiſica prædeterminatio-

ne, altera quidem per modum morionis virtuoſæ dumtaxat ad ordinem ſolius actus ſecundi attinentis, & altera per modum qualitatis, quæ perperam ab aliquibus accipiebatur vt tribuens poſſe, & ſic intrinſecè complens actum primum, & Ianſeniſtarum explicationi appropinquans: vndè ſecundam hanc non ſolum illi ab Ouiedo citati, ſed reliqui etiam Dominicani repudiarunt, noſque repellimus in hoc ſenſu phiſicam prædeterminationem, & tamen primam in alio ſenſu conſtanter ſemper retinuerunt viri docti Dominicani, & vſque adhuc noſtris temporibus retinent. Præter alia, quæ addit noſter Lemos libr. 3. tract. 1. cap. 15. & ſequentibus, & Magiſter Ferrè nouiſſimè, in præambulari diſput. de ſcientia, ſimilia Hennaui obiecta, ſeu commenta refellens.

Ad quartum principale de Gennadio, communior etiam hucuſque ſententia eum in aliquibus ſuæ doctrinę locis pro Semipelagiano habuit, vt poſt Eccleſiam Lugdunenſem tom. 9. Bibliothecæ veterum Patrum adductam, profitentur Baronius ad annum 433. num. 28. & ad annum 490. Vaſquez diſput. 91, Doctor Louanienſis Ioannes Heſſels in præfatione ad opera Proſperi, Bellarminus lib. de Scriptoribus, verbo Gennadius, Franciſcus Annatus lib. 7. ſui Auguſtini cap. 2. §. 3. Macedo commen. 1. cap. 5, noſter Gonet diſp. 2. de grat. art. 5. §. 4. Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 2, & alij, & inter cæteras huiusce adeò nunc certæ ſententiæ probationes (vt de ſapientiſſimo Suarez ex parte de hoc hæſitanti aliqui mirati ſint) me quidem iſta conuincunt, quod vt suprà retulimus iſte Gennadius in Cathalogo Scriptorum cap. 84. dixerit *Caſsiani opera ſalutaria probata ab Eccleſia, à Proſpero infamata eſſe vt nocina*, cuius totum oppoſitum vidimus; Inde Auguſtinum cap 38. non erubuit tantum formalem hæreticum non appellare, dicens, *Catholicus permanſit tamen, & error illius ſermone multo contractus lucta hoſtium exaggeratus nec dum hæreſis quæſtionem dedit*; Vbi cum Euagrius ſimul cum Pelagianis vt hæreticus damnatus eſſet, vt habet Hieronymus lib. 4. comment. in Hiero. Gennadius, vt inquit Baronius tom. 4. ad annum 388. *quia erga Pelagianos propenſior, tribuit falſas eidem Euagrio ſigna atque prodigia.* Rufinum (cuius opera, quia à Hieronymo reprehenſa, Gelaſius poſteà vt apocrypha condemnauit) ipſe ex oppoſito cap. 17. cum Hieronymo antepoſuit, & Rufini opera laudauit, accuſauitque Hieronymum dicens, *obtrectatori opuſculorum ſuorum reſpondit Rufinus duobus voluminibus arguens & conuincens ſe Dei intuitu & Eccleſiæ vtilitate ingenium agitauiſſe, illum verò æmulationis ſtimulo incitatum ad obloquium ſtylum vertiſſe.* Rufinum eumdem, de quo Anaſtaſius Papa in epiſtola ad Ioannem Hieroſolymitanum aiebat, *Rufinum haberi a noſtris partibus alienum*, ipſe eodem capite inter præcipuos Eccleſiæ Patres connumerauit dicens, *Rufinus non minima pars fuit Eccleſiæ Doctorum.* Pelagij librum Eulogiarum, ſiue capitulorum, quem hæreſibus plenum aſſerunt Hieronymus in Dialogo contra Pelagianos, & Auguſtinus lib. de geſtis Pelagij cap. 3, eodem libr. Gennadius laudat, aut excuſat, vt ſcriptum à Pelagio ante ſuã hæreſim, nec verè hæreſim continentem. De Iulio Pontifice eodem libr. non erubeſcit ita falsò ac temere pronunciare, *Iulius vrbis Romæ Epiſcopus ſcripſit ad Dionyſium quemdam de Incarnat. Domini epiſtolam vnam, quæ illo quidem tempore vtilis viſa eſt aduerſum eos, qui ità duas per Incarnationem in Chriſto aſſerebant perſonas ſicut & naturas: nunc autem pernicioſa probatur*;

tur; fomentum enim eſt Eutichianæ & Themiſtianæ impietatis. Hic ille Gennadius eſt, cuius libros aliqui ab errore immunes, vel dicere, vel laudare non erubeſcunt, quod vtique tamen Suarez non fecit, vel dixit, ſed nec tamen quod ipſe aſſeruit, verum eſt, *nimirum per ignorantiam facti* ea de Fauſto ac Proſpero ſcribere potuiſſe, cum immò idem ipſe eodem omninò loco fateatur, *ſe legiſſe librum ſcilicet Proſperi aduerſus opuſcula ſub perſona Caſsiani*, quem ſi legit, profectò & legit in ipſo, & agnouit Cæleſtini epiſtolam in Caſſianum, & reliquos Auguſtini obtrectatores editam, ſimul & Proſperi opera commendantem, nec conſequenter *ex facti ignorantia* excuſari poteſt; Vndè melius index Romanus librorum expurgandorum, ſæpè laudatus à Reuerendiſs. Michaele de Braſichele olim editus, in cenſura tom. 3. Bibliothecæ veterum Patrum, vbi *de Fauſto* ſermo erat, de Gennadio eum laudante ſic dicit, *nulla ei in his fides adhibenda, quod eo tempore, quo iſta ſcribebat, nimium Pelagianis addictus eorum encomia celebrabat*. Inde ad primam in oppoſitum probationem de libro Eccleſiaſticorum dogmatum, fateor eo vſum eſſe, pro aliquali ſaltem auctoritate, poſt Sententiarum Magiſtrum, & S. Thomã quodlib. 12. ar. 19. in cathena aurea, in caput primum Matthæi, & huiuſmodi locis, ſicut & à Strabo Valfrido antiquitùs ille liber laudatus eſt in opere de rebus Eccleſiaſticis cap. 20. à Platina in Simmaco, & alijs; cum quo tamen ſtat, vt ſuprà de collationibus Caſſiani dicebamus, benè agnita fuiſſe ab eiſdem ea, quæ in eodem lib. vitanda vel erronea permixta erant, vti & perſpicuè octingentis ab hinc annis Eccleſia illa Lugdunenſis contra Ioannem Scotum circà caput primum damnatum eiuſdem præmonebat dicens, *non eſt Catholicum ſed Pelagianum. Et inuenitur in libello, cuius titulus eſt dogmatum Eccleſiaſticorum, quædam talis definitio; ſed omninò, vt diximus, vt alia nonnulla in eodem libello, Pelagiani erroris eſt*, & inde ſimilia eiuſdem libelli errata poſteriores doctores vitauerunt, nec conſequenter in hoc video defendi poſſe à Theophylo, Noris, & alijs prædictum libellum, niſi & ſimile aſſertum prædamnatum Ioannis Scoti defenderetur, & præter ponderationes recentes Macedi cap. 5. in defenſionem Eccleſiæ Lugdunenſis in propoſito præoccupatas etiam à Doctore Louanienſi loco ſuprà relato, longè maiorem apud me fidem obtinet peruetuſta illa Synodus Lugdunenſis, quam duo vel tres in propoſito recentiores. Ad ſecundam probationem, quod Gennadius reprehendat lapſum anteriorem Seueri Sulpitij in Pelagij hæreſim, non video quomodo indè vel indicetur Gennadium in Semipelagianorum errore non fuiſſe, cum iam certò noſcamus ſingulos Maſſilienſes, ac Semipelagianos, in damnando prædamnatum Pelagium vtique conueniſſe, vt præter alia iam ſuprà recitata eleganter deſcribit Proſper in carmine de Ingratis hinc Pelagianos inducens ità à Semipelagianorum cohorte, à qua damnabantur, commiſerationem atque ſubſidia petentes.

Pulſi mundo nullaque recepti
Sede vagi tandem fama exhortante redimus
Quæque placent vobis, amplectimur edita nobis.
Hæc ſi veſtra fides, veſtra eſt doctrina, remotis,
Quæ veſtro exemplo reiecimus, addite ſanctis
Nos gregibus, tandemque bonos defendite veſtros.

& infrà ſe ità ad Pontificem conuertentes ſuas querulas voces proſequuntur

Qui damnata docent, & per clara oppida tuti
His magna implent populos, quæ nos perhibentes
Plectimur, & nulla ſinimur conſiſtere terra.

Ad tertiam probationem, hoc non obſtante, concedimus poſteà Gennadium, cum damnationem ſuo tempore editam audiuiſſet operum Caſsiani, & Fauſti in Concilio Romano à Gelaſio, inde ab eorumdem laudibus reſipuiſſe (vti & quondam circà Origenem ſibi contigiſſe fatetur Hieronymus in apologia in Rufinum) & tunc ſuo ſcriptorum Cathalogo, quem mox ante ſcripſerat, duo poſtrema capita addidiſſe, in quorum penultimo, ſcilicet 99. de Honorato Maſſilienſi, forſan apud vulgus de eodem errore ſuſpecto, recenſet ſuæ fidei proteſtationem ad eumdem Gelaſium Pontificem tranſmiſiſſe his verbis, *ſanctus quoque Papa Gelaſius Romanæ vrbis Pontifex, per ſcripturam agnoſcens eius fidei integritatem, reſcripto ſuo probatam indicauit*; Et idem de ſe ipſo ſubiungit dicens, *& opus de fide mea miſi ad B. Gelasium vrbis Romæ Epiſcopum*, quod opus poſteà aliqui perperam, vt Voſſius monuit lib. 1. hiſt. Pelagianæ cap. 10, pro eodem opere de viris illuſtribus acceperunt, nec adhuc certum eſt hoc fuiſſe alterum Gennadij librum de Eccleſiaſticis dogmatibus, vt ſupponit cap. relato Noris, cum altera eſſe potuerit breuior, & aptior proteſtatio Gennadij, qualem non minus breuem Rufinum tranſmiſiſſe idem Noris commendanda eruditione produxerat, ex Vaticani codice, lib. 1. cap. 3. Sicque Semipelagianorum tandem eorumque Principum perſonæ abſolvuntur, & doctrinæ eorumdem improbatio iam conſtat, vt inde validius approbatio ex oppoſito Auguſtinianæ doctrinæ ex ipſo etiam poſtremo ſuorum contradictorum conſenſu comprobetur.

Ad quartum principale ac poſtremum, quo Macedo præcipuè conuincebatur, ſumus iam cum ipſo in aſſertione concordes, ab eius tamen præcipua probatione diſcedere coacti ſumus, vt nimis probante, nimirum neque Caſsianum vel ſimiles tunc temporis Galliarum Epiſcopos, ſi ſuam poſtremò materialem hæreſim non reuocaſſent (quod adhuc incertum eſt, vt ſuprà retulimus) *Sanctos* eſſe non poſſe, cum tamen *Sancti* apud aliquos nuncupati ſint, nec aliàs valeat, vt ſuprà tetigimus etiam, interpretatio de titulo officioſo duntaxat *ſanctitatis*; nam neque hunc titulum officioſè antiquitùs conceſſum eſſe reputatis hæreticis inter cætera probat epiſtola Sancti Maximi Monachi & Martyris ad Petrum Illuſtrem, ideò denegantis hunc titulum Pyrrho in hæreſim prolapſo his verbis, *a cuncta cecidit ſanctitate, qui ab Eccleſia Catholica ſponte receſsit, nec niſi per piam confeſsionem & orthodoxam fidem ſanctificatio recipitur, ſanctumque vocabulum*; præter alia, quæ ſuprà latè perpendimus, oſtendendo prædictos tunc temporis Semipelagianos potuiſſe ex ignorantia inuincibili excuſari, neque in hoc par ratio videtur de Semiarianis poſt Synodum Nicenam, & de Maſſilienſibus poſt epiſtolam Cæleſtini, nam illi ideò erant formales etiam hæretici, non verò iſtos fuiſſe neceſſe eſt, quia illi renuebant admittere illud verbum *conſubſtantiale* directè & explicitè definitum, Eccleſiæ per conſequens repugnabant. Semipelagiani verò ſingula decretorum verba colentes, vt ſibi videbantur, incongruis tantum interpretationibus effugiebant, nec conſequenter Eccleſiæ reniti profitebantur, vti de ſecundis repeti poſſunt, quæ ſuprà in hac quæſtione adduximus Artic. 3. §. 7, de illis autem

Semi-

Semiarianis conſuli poſſunt Epiphanius de hæreſibus cap. 33. Auguſtinus in lib. ad Quodvultdeus cap. 51. & alij, qui de hæreſibus conſcripſerunt. Hæc igitur ſunt, quæ in præſenti de abſoluendis à Maſſilienſium errore, vel eiuſdem accuſandis antiquis ſcriptoribus, poſt ſcripta ab alijs, & à nobis ſubdenda occurrerunt, valentibus præ illis claudere cum Hieronymo ad Deſiderium, *ſcilicet illi in lignum fructuoſum aſcendere voluerunt, paulatim ad ſuperiora & maiora carpere poma feſtinantes, ramos autem proximos paruulis reliquerunt. Nos igitur, qui paruuli ſumus infimique atque minores, ſi inferiora congregare valuimus, nobiſcum benè actum eſt.* Nec diffitebimur longè plura potuiſſe addi, niſi nos operis breuitas detinuiſſet, in quo vt ſubdebat ibidem de Heliodoro Hieronymus, attenta granditate materiæ contenti fuimus *domum ampliſsimam per modicum foramen reſpicere, & quæ potuimus, fideliter enarrare.*

Finis Libri Primi in ordine huius Secundæ Partis
Quinti vero in ordine totius Operis.

LIBER

LIBER
IN ORDINE SEXTVS.

DE OPPORTVNITATE, AC MAIORI PROBABILITATE Diſputationis Auguſtinianæ aduerſus Maſsilienſes circa præſcientiam etiam conditionatorum ab oppugnationibus vindicata.

PRæſciri à Deo futura etiam conditionata, quæ nunquam erunt, exempli gratia illud Matt. 11, vel Luc. x. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, pænitentiam egiſſent*, adeo etiam (præter Semipelagianorum, ſeu Maſſilienſium abuſum) Auguſtino exploratum erat Libro de Dono perſeuerantiæ cap. 9, vt vulgo nũc etiam innata quadam anticipatione naturæ dicere ſoleamus, *ſi in tali ipſe vel altera circumſtantia collocarer, Deus ſcit, quid acturus eſſem*. Verum Auguſtinus dumtaxat, vt mox apparebit, hanc præſcientiam Dei volebat inniti propoſito, & ideò præſciri à Deo illud futurum adhuc conditionatum, non quia ſub tali conditione, aut circumſtantia homines de ſe hoc, vel illud facturi eſſent, ſed quia Deus facturus erat vt facerent, idque ſe facturum eſſe ſub tali conditione per conſequens prædecreuerat. Maſſilienſes autem ex aduerſò præſciri dumtaxat futurum illud aiebant, quia ſub tali circumſtantia, ſeù conditione homines de ſe pro libera ſua voluntate operaturi forent, indeque ſubdebant decreta Diuinæ voluntatis, aut prædeſtinationis, regulari vt pediſſequa iſtius *exploratricis præſcientiæ*. Itaque Auguſtiniana præſcientia futurorum etiam conditionatorum innitebatur *propoſito voluntatis diuinæ* (vt infrà iterum patebit) Maſſilienſium verò ex oppoſito innitebatur, aut veritati obiectiuæ, aut alteri cuicumque diſtincto motiuo, vel medio, præter *efficaciæ diuinæ propoſitum*, quæ præſcientia conditionatorum, vt nobis videtur, in re erat ſcientia quædam intermedia inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, licet non hoc eodem nomine intermediæ ſcientiæ nominaretur. Ex hoc inde diſſidio circa præſcientiam conditionatorum, hæreticumque eiuſdem abuſum, velut ex capite ſubſequentium errorum, Maſſilienſes, ſeù Semipelagianos ab Auguſtini doctrina receſſiſſe, in eiuſdemque doctrina acriter hanc *præſcientiam ſecundum propoſitum* abominatos eſſe, ſeu horruiſſe, teſtantur, tum Hilarius, tum Proſper in datis epiſtolis ad Auguſtinum, tum alij pleriq; Scriptores deinde quo ad hoc in communiori veluti placito conuenientes: ita enim Proſper Maſſilienſibus diſplicuiſſe, ait, *quidquid de vocatione electorum*

ſecund

ſecundum propoſitum diſputarat, ſcilicet Auguſtinus, *hoc propoſitum* (ſubdit) *nempe vocationis Dei, quo dicitur facta diſcretio ſecundum quod placuit Creatori; ex quo*, in perſona Maſſilienſium ſubinferebat, *non poſſe aliud erga eos quam Deus definiuit accidere*, ſeu vt addit, *ſi aliud habeat prædeſtinantis electio, caſſa erit annitentis intentio*, & demum, vt Maſſilienſes pro coronide concludebant, *remoueri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præueniat voluntates &c. ſub hocque prædeſtinationis nomine fatalem induci neceſſitatem: hoc* appellabant *ſecundum propoſitum, & conſilium voluntatis ſuæ occultum iudicium ſolum opere manifeſtum: hoc ne concederent*, negabant etiam *bona merita præueniri*. Simili modo & Hilarius de eiſdem hæc habet: *non ad incertum* (inquit) *voluntatis Dei deduci ſe patiuntur, quo*, vt præmiſerat, *quidam ſecundum propoſitum eligendi dicuntur*: hoc appellabat horrebatque ſimiliter Fauſtus lib. 2. cap. 7. *decretum ſpeciale*, & lib. 1. cap. 4. *Gentilitatis malum, & abſconditum fatale decretum*, cap. 12. aſſerens ipſe, *ſtatutum homini in diuerſa non pro conſtitutione Dei, ſed pro arbitrij libertate verſari*, & demum lib. 2. cap. 3. concludebat, *aliud eſt præſcire, aliud prædeſtinare præſcientia gerenda praenoſcit, poſtmodum prædeſtinatio retribuenda deſcribit, ac ſic niſi præſcientia explorauerit, prædeſtinatio nihil decernit*. Hæc igitur (vt apparet) Auguſtiniana præſcientia vniuerſim futurorum etiam conditionatorum *innixa propoſito voluntatis Dei erat*, & hæc ea erat, quæ capitaliter, & ante omnia à Maſſilienſibus in ſignum poſita proiectis telis, erectiſque machinis impetebatur: hæc nunc igitur appoſite erit, quæ poſt vindicatam in communi Auguſtini doctrinam, ſingulariter modo à contradicentium oppoſitionibus abſoluetur, & primo quærendo an hæc diſputatio Auguſtini, & noſtra expedierit? ſecundo, An circa eandem probabilius, quod nunc aſſerunt Thomiſtæ, olim etiam Auguſtinus aſſeruerit? Tertiò, An prout ſic explicata, vel Manichæiſmi in Auguſtino, vel Caluiniſmi in Thomiſtis ſuſpecta dici poſſit? Quarto, an ſaltem valeat cum hæreſi Ianſeniana confundi. Quinto tandem, An ab eadem diſtincta verè extiterit in orbe hæreſis Prædeſtinianorum.

QVÆSTIO PRIMA.

An Auguſtiniana Diſputatio de Præſcientia etiam Conditionatorum, innixa Decreto, tempore Auguſtini opportuniſſima fuerit aduerſus Maſſilienſes, & nunc inter Scholaſticos rationabiliter permittatur.

NEgaſſe id Molinam negabit nemo qui ſciat eum in Concordia editionis prioris q. 23. art. 4. diſput. 1. membro vltimo, §. *Nos &c.* aſſeruiſſe, quod ſi dimiſſa iſta Auguſtiniana præſcientia innixa *Decreto*, ſua illa conditionatorum ſcientia ſine decreto *data, explanataque ſemper fuiſſet, fortè neque Pelagiana hæreſis fuiſſet exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrij noſtri libertatem fuiſſent auſi negare, neque ex Auguſtini opinione, concertationibuſque cum Pelagianis tot fideles fuiſſent turbati, cum Pelagiani defeciſſent, facileque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quarum in epiſtolis Proſperi, & Hilarij fit mentio, fuiſſent extinctæ*. Hæc ille, nec multum ab his dictis Molinæ recedens denuò alter in lib. 3. ſui Caluini deſtructi inter cætera ad noſtrum inſtitutum cap. 8. ſcribebat. *Si intra verborum S. Auguſtini altitudinem me continerem Caluiniſta eſſem*, & cap. 1. de

hac

hac ipſa in re Auguſtini ſententia differens inquit. *Mihi eam licitum eſt horrere, quod mater eſt illius, quam Caluinus tanta impietate, ac rabie contrà Eccleſiam inculcat*, vt cætera aliorum ſimilia dicta pertranſeam, prætacta ſupra libr. 5. qu. 2. ab initio, & prælaudata iam diù à Spalatenſi hæretico libr. 7. de Repub. cap. 11. num. 136.

ARTICVLVS PRIMVS.

Proponuntur argumenta Sententiæ negantis.

HIs autem obiectionibus hæc negans ſententia inniti poteſt. Primò quia omittenda ſunt, quæ ſunt contraria ædificationi Audirorum, & quæ aliàs capi, aut explicari non poſſunt. Sed diſputare, an Deus ab æterno ex ſe decreuerit quid ſub quacumque circumſtantia acturi ſimus, vel non, videtur contrarium ædificationi Audientium, nec videtur aliàs capi poſſe, vel explicari, ergo hæc diſputatio omittenda eſt. Sic refert Proſper in epiſt. ad Auguſtinum dicens, *eò poſtremum peruicacia tota deſcendit, vt fidem noſtram ædificationi audientium contrariam eſse definiant, ac ſic etiam ſi vera ſit non promendam, quia & pernicioſe non recipienda tradantur, & nullo periculo, quæ intelligi nequeant, conticeantur.*

Secundo, quia ſuperfluè exſuſcitatur diſputatio aliàs turbans corda imperitorum, & quam alij iam antea maiores toties abundantiſſimè pertractarunt. Sed hæc de præſcientia conditionatorum, & turbat corda imperitorum, & iam olim toties, ac tot voluminibus à prędeceſſoribus abundantiſſimè pertractata eſt, ergo ſuperfluè aſſumitur pertractanda. Sic refert Hilarius ad Auguſtinum dicens. *Ad ſummum fatigatis omnibus nobis ad id perſcrutatio eorum, vel potius querela conuertitur, conſentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent; vt dicant: quid opus fuit huiuſmodi diſputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari? neque enim minus vtiliter ſine hac definitione, aiunt, tot annis a tot tractatoribus tot præcedentibus libris, & tuis, & aliorum, tum contrà alios, tum maximè contra Pelagianos, Catholicam fidem fuiſse defenſam.*

Tertio, quia dato quod expediat agere de his, quæ neceſſe eſt refutari, ſaltim ſuperfluum eſt de illis agere, quæ poſsunt ſine periculo fidei tolerari. Sed ex præſcientia conditionatorum, quocumque modo explicetur, nullum timendum eſse videtur periculum fidei. Ergo de prædicta conditionatorum præſcientia agere ſuperfluum omninò eſt. Ita refert Proſper dicens: *Ac primum quia plerique non putant Chriſtianam fidem hac diſsenſione violari*, & hinc Hilarius profitetur ideo ſe Auguſtino de hac materia ſcripſiſſe, *vt quidquid de hac re contradicitur, quatenus refelli, vel si id non poteſt, tolerari debere audiret.* Et infra, *Tuæ Sanctæ prudentiæ eſt diſpicere quid facto opus sit, vt aliorum ex tantis ſuperetur, vel temperetur intentio.*

Quarto, quia experientia notum eſt, quod ſi Eccleſiaſtici Oratores ad populum ſic declamarent. *Audite populi, ita ſe habet de prædeſtinatione definita ſententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate accepta obedientiæ voluntate veniſtis ad fidem, vel accepta perſeuerantia maneatis in fide, cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum ſurrexiſtis, quia nondum vos adiutorium*

gratiæ

gratiæ miſerentis erexit; Verumtamen ſi qui eſtis nondum vocati, quos gratia ſua præ- deſtinauerit eligendos, accipietis eandem gratiam, qua velitis, & ſitis electi; & ſi qui obeditis, ſi prædeſtinati eſtis reiciendi, ſubtrahentur obediendi vires, vt obedire ceſſetis. Experientia, inquam, notum eſt, quod, ſi hoc modo ad populum declamaretur, profectò plurimi in ſegnitiem deſcenderent, aut ſaltem in deſperatione deficerent. Sed ſi ſemel agi poſſet & palam de hac conditionatorum præſciẽtia innixa *propoſito*, iam poſſent etiam iuxta iſtius ſententiæ principia præadducta proferri. Ergo ſignum eſt non licere, aut expedire palam agere de eadem. Ita verbatim oppone bant Semipelagiani relati ex Proſpero, & Hilario apud Auguſtinum lib. de Dono perſeuer. cap. 15, quæ licet verba in epiſtola extante Hilarij non reperiantur, ea tamen extitiſſe neceſſe eſt in altera anteriori epiſtola, de qua Hilarius inquit, *nec mireris, quod aliter, vel aliqua in hac epiſtola addidi, quantum puto, quæ in ſuperiori non dixeram, talis eſt enim nunc eorum definitio*. Et in ſubſtantia, licet non eiſdem verbis, Proſper in perſona Maſſilienſium addebat dicens. *Et lapſis curam reſurgendi adimere, & Sanctis occaſionem teporis afferre*. Et infra, *remoueri itaque omnem induſtriam, tolliquè virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præueniat voluntates*.

Quinto, quia, vt inquit Hilarius in eadem epiſt. ad Auguſtinum, *non ignoratur, quanto plures ſint in Eccleſia, qui authoritate nominum in ſententia teneantur, aut ad ſententiam transferantur*, propter quod infrà ſubdit: *parum prodeſſe exiſtim, te reddere rationem, niſi & addatur auctoritas, quam tranſgredi infatigabiliter contentioſa corda non poſſint*. Sed qui ſuffragati ſunt præſcientiæ non innixæ propoſito contra Auguſtini diſcipulos, & numero, & nomine magni fuerunt, vti & de illis, qui Auguſtinianæ eidem præſcientiæ repugnabant, inquiebat Proſper; *poſſumus quidem ad non credendum eſſe conſtantes, ſed ad auctoritatem talia ſentientium non ſumus pares, quia multum nos & vita meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotij honore ſupereminent, nec facile quiſquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores tantis ſuperiorum diſputationibus auſus eſt contraire*. Ergo non expedit Auguſtini diſcipulos de hac conditionatorum præſcientia verba facere.

Sexto, quia ſaltem Auguſtini tempore ſuperfluum erat aggredi onus impugnandi illos, de quibus nihil certi haberi poterat, quid ſentirent, cum inter ipſos tam varij eſſent atque inconſtantes dicendi modi, ſeu explicandi. Sed in hac præſertim materia de conditionatorum præſcientia adeo varij, & inſtabiles fuerunt aduerſarij Auguſtini ab initio, vt nihil certi ferè adhuc conſtet, quid conſtanter aſſeruerint, aut in quo modo explicandi præſcientiam conditionatorum ſine propoſito perſtiterint. Ergo ſuperfluum videri potuit, videriquè poteſt, hoc onus impugnandi prædictos &c. Ita de eiſdem referebat Proſper dicens. *Cumque, vt ipſi ea exponant ſecundum quorum velint ſenſa depoſcimus, nihil ſe profitentur inueniſſe, quod placeat &c.* & Hilarius eandem varietatem, atque incõſtantiam in eiſdem deſcribebat, ab illis verbis: *nec mireris quod aliter, vel aliqua in hac epiſtola addidi, quæ in ſuperiori non dixeram, talis eſt enim nunc eorum definitio &c.* Et plura alia iam ſuprà lib. 5. q. 3. relata ſunt.

Septimo tandem addubitantes aliquos, an modo ſaltim id liceat pertractare vulgaris illa oppoſitio, conturbat: quod iſta præſcientia innixa decreto diuino adminus abſolutè tractari, & abſolui non poſſe videtur (vt iſti falsò ſup-

ſupponunt) niſi immiſceatur & altera ea connotata materia de concordia inter auxilia intrinſeca gratiæ, & libertatem humanam. Sed hæc ſecunda materia vt ſuſpenſa, ac interdicta nunc permittenda non eſt, ex Decretis Pontificijs Pauli V, & Vrbani VIII. ſub die 22. Maij Anno 1625. id prohibentium: *etiam ſub prætextu, commentandi D. Thomam*, vt ibi dicitur, *ſeu in Philoſophicis agendi de concurſu cauſæ primæ cum ſecunda*. Neque igitur hæc pertractatio de conditionatorum præſcientia innixa propoſito ſarta tutaque eſſe videtur nec Auguſtini tempore, aut ſucceſſiuè opportuna omnino cenſenda eſt.

ARTICVLVS II.

Producitur, & ſtabilitur oppoſita affirmatiua ſententia.

IN oppoſitum tamen eſt auctoritas & exemplum Auguſtini (vt de Scholaſticis innumeris prætermittam) qui audiens prædictas ſingulas obiectiones Semipelagianorum contra ſe à Proſpero & Hilario relatas, hoc non obſtante repoſuit ſtatim, & edidit ad hoc propoſitum geminos alios libros de Prædeſtinatione, ſcilicet Sanctorum, & de Dono perſeuerantiæ. Sed quidquid de Scholaſticis diceretur ad minus dicendum nō eſt Auguſtinum id perperam præſtitiſſe, vel in hoc ipſo carpendum eſſe, cum immo de eodem Cæleſtinus in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ atteſtatus ſit, *quod bene de eo omnes in commune ſenſerunt, vtpote qui vbique cunctis & amori fuerit & honori.* Ergo ab exemplo & auctoritate Auguſtini remanet adhuc non poſse dici præſentem diſputationem de conditionatorum præſcientia, aut incongruam, aut importunam eſse.

Reſpondeo vtiq; præſentem diſputationem de conditionatorum præſciētia, *innixa propoſito*, & tempore Auguſtini fuiſse opportunam, & nunc inter Scholaſticos rationabiliter ſolere permitti. Et ſuaderi primo ſic poteſt, quia expediebat tunc & ſucceſſiuè ſcripta edere de his, in quibus aduerſariorum impugnationes exſtimulabant magis quam de illis, in quibus tacebant aduerſariorum impugnationes, ſed tempore Auguſtini & ſucceſſiuè magis in hac materia quam in materia Trinitatis & huiuſmodi exſtimulauerunt, & excitarunt aduerſariorum impugnationes: ergo de hac materia magis quam de materia altera, vel huiuſmodi, tempore Auguſtini & ſucceſſiue expediēs fuit ſcripta edere, ac diſputare. Sic diſcurrebat etiam Hilarius in epiſtola ad Auguſtinum in initio dicens: *ſi ceſſantibus contradicentium quæſtionibus gratæ ſunt plerumque ſtudioſorum inquiſitiones, vt etiam illa, quæ abſque periculo ignorarentur, ediſcantur, arbitror gratiorem fore ſedulitatem noſtræ relationis, quæ dum indicat ſecundum quorundam proſecutiones quædam aduerſantia veritati, non tam ſibi quam illis, qui turbantur & turbant, per conſilium ſanctitatis tuæ ſatagit prouideri.* Immo poterat Hilarius addere, quod Antagoniſtæ doctrinæ Auguſtini id vltrò egiſse viderentur, quod olim, vt loquitur Nazianzenus epiſtola ad Cledonium, *egerunt Appolinariſtæ, qui ab Occidentali Synodo ſe ſe ſuſceptos eſse affirmabant, à qua prius condemnatos eſse nemini obſcurum erat &c.* vt ſcilicet *hoc fuco & prætextu cupiditates ſuas nefariè explentes ſimplicitatem noſtram, qua fiebat vt non alienorum loco eos haberemus, in ſceleris occaſionem arripientes apud deceptos populos infamarent,*

ſeu,

ſeu, vt Monotholitæ referente Baronio ad annum 648. num. 8, qui non contenti Honorium eiſdem antea indulſiſse, ſilentio vtrique parti interpoſito, vt idem Baronius obſeruauerat mox ante ad annum 633. *inde ipſi indictum de curioſa diſputatione ſilentium violauerunt, immo & per publicas aſſertiones publicè affixas in Eccleſiæ portis ſuam hæreſim palàm promulgauerunt, vt Conciliorum ſententijs ſtabilitam, ideo tunc haud aliquis locus potuit eſſe ſilentio*, & hinc etiam Hormiſdas in epiſtola ad Imperatorem expoſtulantem pro Scithis contendentibus *unum de Trinitate crucifixum eſse*, & ab eodem Hormiſda male habitis, vt rem narrat idem Baronius ad annum 519. num. 103, reſpondit Pontifex, *non auſteriorem me dicat eſſe prioribus, nec adhortatis pro ſententiæ auctoritate teneatur; diligentiorem me, non pertinaciæ ſtudium, ſed ſcandala ſecuta fecerunt.*

Secundo quia id potuit fieri ab Auguſtino, & ſucceſſiuè, quod etiam Apoſtolus Paulus egit, & Ambroſius ac Cyprianus egerant ante Auguſtinum. Sed Apoſtolus paſſim præſertim in epiſtola ad Romanos hanc difficultatem de futurorum præſcientia, & de diuinæ prædeſtinationis decretis, pertractauit & publicæ Eccleſiæ propoſuit, & idem in ſuis ſcriptis præſtiterunt Ambroſius ac Cyprianus, vt ex profeſſo percurrit, & arguit ad inſtitutum Auguſtinus ipſe lib. de dono Perſeuerantiæ cap. 14. per totum, & iterum cap. 17. ergo pariter id optimè fieri potuit ab Auguſtino & ſucceſſiuè; vnde concludit Auguſtinus idem his verbis, *nonne ille Doctor gentium in fide & veritate prædeſtinationem toties commendauit, & Verbum Dei prædicare non deſtitit?* & infra, *prædeſtinatio prædicata eſt, quæ ſi Cyprianum à prædicatione obedientiæ non prohibuit, nec nos vtique debet prohibere.* & mox cap. 20. *quam ob rem ſi & Apoſtoli & Doctores Eccleſiæ, qui eis ſucceſſerunt eoſque imitati ſunt, vtrumque faciebant, id eſt & Dei gratiam, quæ non ſecundum merita noſtra datur, veraciter prædicabant, & piam obedientiam præceptis ſalubribus inſtruebant, quid eſt quod inuicta veritatis rectè ſe iſti noſtri dicere exiſtimant? nempe & ſi verum eſt, quod dicitur de prædeſtinatione beneficiorum Dei, non eſt tamen prædicandum: prædicandum prorſus vt qui habet aures audiendi audiat.* Hæc ille, quibus omnino conſonant, quæ ad illa Apoſtoli verba 1. Corinth. 9. *neceſſitas mihi incumbit prædicandi*, Theodoretus à pari ſubiungebat, *nullus famulus ſe iactat, ſi ea implet, quæ imperantur à Domino; ut mihi eſt ſi non euangelizauero, hoc eſt æternam maledictionem mihi accerſam tanquam Dominici præcepti tranſgreſſor*, vt repetunt poſtea eadem verba Agatho Pontifex in epiſtola ad Conſtantinum Pogonatum Imperatorem, Gelaſius ad Anaſtaſium pariter Imperatorem, nobis autem opportunius Hormiſdas epiſtola 13. ad Epiſcopos Orientis, poſt inductum idem exemplum ac pronunciatum Apoſtoli dicens, *Quid prodeſt igitur cuilibet paternarum reuerentiam ſeruare regularum; ſi contenti hoc ab alijs, ſi ſine honore tractari patienter accipiat? infirmum oſtendit affectum, qui quod diligit non tuetur.*

Tertio, quia non minus bonum eſt in Domino gloriari & non in ſe ipſo, quam bonum ſit habere fidem, charitatem, religionem, continentiam, aliaſque virtutes. Sed ex doctrina Auguſtiniana de præſcientia *innixa decreto* nemo ad hoc bonum excitatur vt in Domino totaliter glorietur, non in ſe ipſo, ergo Auguſtiniana doctrina de præſcientia *innixa propoſito* tempore Auguſtini & ſucceſſiuè propter hoc bonum vtiliſſima dicenda eſt, & edenda non minus ac edantur doctrinæ cæteræ de fide, charitate, & huiuſmodi. Ita arguit Au-

guſtinus eodem libro de Dono perſeuerantiæ cap. 20. dicens, *ſicut enim prædicanda eſt pietas, vt ab eo, qui habet aures audiendi, Deus rectè colatur, prædicanda eſt pudicitia, vt ab eo, qui habet aures audiendi, nihil illicitum perpetretur, prædicanda eſt charitas vt ab eo, qui habet aures audiendi, Deus & proximus diligatur, ita & prædicanda eſt ipſa prædeſtinatio beneficiorum Dei, vt qui habet aures audiendi, non in ſe ipſo ſed in Domino glorietur*. Hæc Auguſtinus, atque aduocari poſsunt quæ apud Adrianum Pontificem pijſſimi Principes Conſtantinus & Irenes, referente Baronio ad annum 785. num. 9. ſalubri erga populos diſciplinæ inſiſtendum eſse ſcribebant, nimirum *quia Diuinus prædicator Apoſtolus veritatis, qui ab Ieruſalem & circuitu prædicauit Euangelium, ſic mandauit: paſcite gregem Domini diſciplina, quem acquiſiuit ſanguine ſuo*, & ad noſtra proximius Proſper in libro ad excerpta Genuenſium in fine poſt recitata eadem Auguſtini verba concludit. *Pia igitur conſtantique doctrina abundanter probauit ipſe Auguſtinus prædicandam eſſe in Eccleſia Prædeſtinationem, in qua eſt gratiæ præparatio, & gratiam, in qua eſt Prædeſtinationis effectus, & præſcientiam Dei, qua ante ſæcula æterna quibus eſset collaturus ſua dona præſciuit: cuius prædicationis quiſquis eſt impugnator apertiſſimus eſt Pelagianæ elationis adiutor*. Hæc ille.

Quarto, quia ſicuti ſtante decreto Dei ab intrinſeco efficaci per Auguſtini diſcipulos eſt ab æterno infallibile aut nos fore ſaluandos vel non, ita pariter ex ſola præſcientia prius conditionata, idem eſt ab æterno infallibile, ita vt oppoſitum futurum non ſit, & nequeat eſſe ſaltem potentia conſequenti. Sed non obſtante hoc ſecundo conſentientibus etiam Maſſilienſibus Auguſtini tempore, & ſucceſſiue commendata ſemper fuit etiam in publicum euulgatio doctrinæ de Præſcientia, ergo pariter non obſtante primo etiam tempore Auguſtini, & ſucceſſiue ſemper commendanda fuit euulgatio etiam doctrinæ de decreto efficaci ab intrinſeco per ſubſequentes etiam Auguſtini diſcipulos: ita diſcurrit Auguſtinus lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 15. dicens, [iſta cum dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, & à confitenda ſecundum eam prædeſtinatione Sanctorum deterrere non debent, ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo ſic loquatur, vt dicat. ſiue nunc rectè viuatis ſiue non recte, tales vos eritis poſtea quales vos Deus futuros eſſe præſciuit, vel boni ſi bonos, vel mali ſi malos &c.] & eandem comparationẽ, ſeu paritatem repetit infra cap. 21. & 22, vt legenti patebit, & verè præſcindendo à decreto hæc fuit ab orbe condito ignauorum obiectio ex pura ac nuda adhuc *præſcientia* futurorum deſumpta, quam obiectionem præter Ammonium in librum de interpretatione diffusè eam afferentem ſimul, & Agelium lib. 6. cap. 2. iam diu elegantiſſime Cicero in libro de fato expendebat immo deſpiciebat his verbis, [nec nos impediet illa ignauorum ratio, quæ ſic dicitur à Philoſophis, qua ſcilicet ſic interrogant. ſi fatum tibi eſt ex hoc morbo conualeſcere, ſiue medicum adhibueris ſiue non adhibueris, conualeſces &c. rectè genus hoc interrogationis ignavum atque iners nominatum eſt, quod eadem ratione omnis è vita tollatur actio, licet etiam immutare.] Audi tranſitum à decreto ad præſcientiam (licet Auguſtino nobiſque decretum fatale non ſit) & intorſionem ex iſta in arguentem. [Licebit etiam immutare, vt fati nomen non adiungas, & eandem tamen teneas ſententiam hoc modo. Si ex æternitate verum hoc fuit, ex iſto morbo conualeſces, ſiue adhibueris medicum,

cum ſiue non, conualeſces, quæ tamen ratio,] ſubdit Cicero [*à Chryſippo reprehenditur*. Audi quam nunc tradunt communiter reſponſionem Theologi in Præſcientia ſalrem, quidquid de decreto ſit, conuenientes. *Quædam enim ſunt, inquit, in rebus ſimplicia, quædam copulata. ſimplex eſt, morietur eo die Socrate, huic ſiue quid fecerit ſiue non fecerit, finitus eſt moriendi dies. at ſi fatum ſit* (vel tu cum Cicerone dicas ex æternitate verum ſit) naſcetur Ædipus Laio, non poterit dici, ſiue fuerit Laius cum muliere ſiue non fuerit, copulata enim res eſt] & ita de tribus alijs exemplis, quæ ſubiungit ibidem concludens [omnes igitur iſtius generis captiones eodem modo refelluntur, ſiue tu adhibueris medicum ſiue non adhibueris, conualeſces: captioſum; tam enim fatale ſeu ex æternitate verum eſt medicum adhibere, quam conualeſcere, ſcilicet cum fatalia ſeu copulata ſunt]. Clariùs antea. *nō magis*, inquit, [verum erat morietur Scipio quàm morietur illo modo, nec magis neceſſe eſt mori Scipioni quam mori illo modo &c, nec, cum hæc ita ſint, eſt cauſa cur Epicurus fatum extimeſcat]. Huc vſque Cicero præter fati errorem veram vtique præueniens eam Theologorum reſponſionem apud S. Thomam 1. p. q. 14. de ſcientia art. 13. ad 2. & 3. de ſenſu compoſito, & diuiſo, ſeu de re & de modo, quam Chryſippus, approbante Cicerone, dicebat *de ſimplici & copulato*, & quam demum Auguſtinus in re ſuam fecit præſertim lib. 3. de libero arbitrio cap. 2. eadem omnino difficultate ſibi ab Euodio propoſita de eadem præſcientia, vti antea Cicero proponebat, nimirum aiebat Euodius [Quiſquis dixerit aliter euenire poſſe aliquid quam Deus ante præſciuit, præſcientiam Dei deſtruere inſaniſſima impietate molitur]. Sic Auguſt. cap. 3. reſpondet [cum ſit præſcius voluntatis noſtræ, cuius eſt præſcius ipſa erit, voluntas ergo erit, quia voluntatis eſt præſcius. nec voluntas eſſe poterit, ſi in poteſtate non erit. ergo & poteſtatis (attende ſenſum compoſitum Thomiſticum ſeu copulatum) & poteſtatis eſt præſcius. non igitur per eius præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille, cuius præſcientia non fallitur, adfuturam mihi eſſe præſciuit]. Sic & Anſelmus exponit in lib. de concordia cap. 1. dicens, *quoniam quod Deus vult non poteſt non eſſe &c. neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam & eſſe quod vult*. Sic & S. Thom. 6. metaph. lect. 3. inquit [cum de Diuina Prouidentia loquimur non eſt dicendum ſolum prouiſum à Deo vt ſit, ſed hoc eſt prouiſum, vt contingenter ſit vel vt neceſſario ſit, vnde non ſequitur quod ex quo Diuina Prouidentia eſt poſita, quod omnes effectus ſint neceſſarij, ſed neceſſarium eſt eſſe effectus contingenter vel ex neceſſitate,] vt repetit etiam 3. contra gentiles cap. 94. 1. 2. q. 10. art. 4. 1. par. q. 19. art. 8. q. 23. de veritate art. 5. & alibi, ſed quid dico de Patribus vel Scholaſticis? non ad aliud profecto vel Petrus Apoſtolus apud Clementem lib. 3. recognitionum vt reſponderet eidem difficultati à Simone Mago de Præſcientia propoſitæ, recurrebat (vt nominatim agnoſcit & Lirinenſis in commonitorio cap. 34.) quam ad hoc ipſum dicens [ignoras Simon, & valde ignoras, quomodo in ſingulis quibuſque voluntas Dei ſit; quædam enim voluit ita eſſe, vt aliud eſſe non poſſint &c. ea vero quæ ita eſſe voluit, vt in ſua poteſtate habeant agere, quod velint, his pro actibus ac voluntatibus ſuis ita ſtatuit &c. omne ergo quod vult Deus eſt, quod autem non vult non eſt] en neceſſitatem ex voluntate Diuina, non ad actum in ſenſu diuiſo, ſed copulatim ad actum & libertatē

eiuſdem.

eiuſdem. Hæc Apoſtolo familiaris reſponſio fuit atque diſtinctio; hæc Patribus, hæc ante Patres (quod mirum eſt) vel ipſis Ethnicorum ſapientibus nota fuit, & poſtea ad iſtam per Auguſtinum repetitam velut inauditam aut inexplicabilem Aduerſarij ridebunt?[Dediſſent vtinam illi, qui ridebant, faciliorem hominibus, ut ſpondebant, ſed Dei ſimul dominio non inuidam reſpõſionem, vel vt dicebat Auguſtinus in lib. de ſpiritu & littera cap. 34. [cui iſta reſponſio non placet, quærat doctiores, ſed caueat ne inueniat præſumptiores.] Reſpondeant alij, vt repetit idem Auguſtinus in lib. de Correptione & gratia cap. 8, huic antiquiſsimę ſemper ab orbe condito difficultati, *reſpondeant, qui nos irrident, quando in talibus rebus exclamamus, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius?* vti ſingulos ſic exclamare in re tam ardua humana imbecillitas cogit, adnotante eodem Auguſtino epiſt. 105.

Quinto igitur dimiſſis his, vt ad id, vnde diſceſſimus pauliſper non tamen inutiliter, redeamus, intentum pręcipuum ſic probatur, quia non minus requiritur potentia ad oppoſitum, & libertas ad ipſam operis perfectionem & complementum (dicamus nos) ad futuritionem operis in ſtatu abſoluto, quã requiratur ad ipſum initium operis, ſeu ad futuritionem operis in ſtatu conditionato. Sed non obſtante primo adhuc laudabiliter & plauſibiliter auditur ab omnibus ex ſolo decreto Dei haberi operis perfectionem ſeu futuritionem operis in ſtatu abſoluto, nec inde deſperatio vel ſegnities formidatur, ergo pariter non obſtante ſecundo poterit plauſibiliter audiri etiam ex ſola voluntate Dei haberi operis initium ſeu futuritionem etiam operis in ſtatu conditionato, nec inde timeri audientium ſegnities vel deſperatio debebit: ita proportionaliter arguit Auguſtinus lib. de Dono Perſeuerantię cap. 17. ab illis verbis, [cur ergo & ipſi nobiſcum prędicant dona Dei eſſe ſapientiam & continentiam? quod ſi hęc cum Dei dona eſſe prędicantur, non impeditur hortatio, qua homines hortamur eſſe ſapientes & continentes, quę tandem causa eſt, vt exiſtiment impediri exhortationem, qua exhortamur homines venire ad fidem? neque enim iſti, propter quos hęc dicimus, qui prędicatione Prędeſtinationis & gratię exhortationem clamitant impediri, ad ſola illa exhortantur dona, quę non à Deo dari ſed à nobis eſſe contendunt, ſicut ſunt initium fidei, & in ea vſque in fidem perſeuerantia, quod vtique facere deberent] ſcilicet iuxta principia illorum &c. *ij igitur*, vt mox ante pręmiſerat, [qui ſolum initia ſic in noſtra conſtituunt poteſtate, vt Dei dona eſſe non putent, cætera vero ipſum dare concedunt &c. cur ad ipſa cætera exhortationẽ eorum cæterorumque prædicationem definitione prædeſtinationis non metuunt impediri? Sicut ergo ipſi hortantur quoque ad caſtitatem, charitatem, pietatem, & cætera, quæ Dei dona eſſe confitentur, eaque ab illo eſſe præcognita ac per hoc prædeſtinata negare non poſſunt, nec dicunt exhortationes ſuas impediri prædicatione prædeſtinationis Dei, hoc eſt prædicatione de his donis eius futuris præſcientiæ Dei, ſic videant &c. (ſcilicet neque ad initium prædeſtinationis prædicatione impediri,) vt antea dixerat, nempe (Thomiſtæ hic dicerent) ſicut non impeditur exhortatio ad pie libereq; operandum abſolutè in ſtatu abſoluto non obſtante ſola gratuita translatione diuina actus noſtri de ſtatu conditionato ad abſolutum in vno ſubiecto præ alio, cur impedietur exhortatio ex prædefiniente pariter decreto in eo ſtatu conditionato

ditionato vt initio anteriori ſtatus abſoluti ſequentis? Immo ſic præſtat hinc à fortiori arguere. Nam maior violentia apparet, negari alicui id, quod primo de ſe habiturus erat, quam id, quod ſolum ab alio donante accepturus erat. Sed in aduerſariorum ſententia voluntas reprobi ſub conditione vocationis primo de ſe habitura erat conſenſum, in noſtra vero ſententia ſolum à Deo donante per aliud efficax adiutorium erat acceptura conſenſum. Ergo in aduerſa ſententia magis quam in noſtra apparet violentia hunc conſenſum negari voluntati reprobi in ſtatu abſoluto &c. emicat iam & percipitur, vt video, ab aduerſarijs hæc ad hominem difficultas, adeout ſapientiſſimus omnium inter ipſos Suarez lib. 5. de gratia cap. 28. num. 15. ab hac difficultate permiſerit ſibi ſequentia verba impetrari, & ſuam etiam ſuorumque contra Thomiſtas explicationem *valde ſupernaturalem eſſe, & multa includere, quæ ab homine non comprehenduntur, & inprimis nimis eſſe obſcuram & difficilem, neceſſariumque eſſe fidei adiutorium, vt ea credatur.* Veh Thomiſtæ, ſi eum vnquam de ſua ſententia ita loquentem Alarcon audiuiſſet, qui diſpur. 2. de Viſione cap. 11. noſtris improperabat, *Eos quaſi fidei fundamenta ſuadere velle commenta ſua,* contra quem ibi Ioan. de S. Thoma videndus eſt. Pergit Suarez admittens, *obſcurum eſſe quomodo ſcilicet gratia proueniens ex abſoluto decreto Dei etiamſi illam ſcientiam mediam ſupponat, libertatem non impediat*: audis, hic tangit prætactam iam ab Auguſtino ac à nobis intortam in ſuos Aduerſarios difficultatem. cum *abſolutè*, concludit Suarez, *voluntati Dei nemo poſſit reſiſtere.* id tenemus, en habemus iam Principem aduerſæ ſententiæ ſeu explicationis, quid vltro quærimus alios? ad quid inter cæteros nuperrimum afferemus Theophylũ Raynaudum in Apologia pro Valeriano cap. 4. num. 13. adhuc de ſua eadem explicatione fatentem, *eſſe tamen in ea ingenijs omnibus fixam crucem, hærendumq; eſſe in Diuini iuſto ſed occulto iudicio.* Sentiunt igitur & nobis oppoſiti Patres perdocti conuincere præadductam ab Auguſtino, & à nobis ad hominem difficultatem, vt vnus Suarez pro omnibus confeſſus eſt. *Ego autem* (concludat igitur ſoluens pro nobis ſimul & pro illis communem vtriſque difficultatem Auguſtinus ibidem.) *Ego autem nolo exaggerare meis verbis, ſed illis cogitandum potius relinquo, vt videant quale ſit, quod ſibi perſuaſerunt, prædicatione Prædeſtinationis audientibus plus deſperationis quam exhortationis afferri: hoc eſt enim dicere tunc de ſua ſalute hominem deſperare, quando ſpem ſuam non in ſe ipſo ſed in Deo didicerit ponere, cum tamen Propheta clamet, maledictus omnis qui ſpem habet in homine,* hæc Auguſtinus, quibus quilibet cordatus vir aquieſcet longe magis quam illis, qui apud Proſperum in epiſtola ad Auguſtinum abſcedentes ab eiuſdem Auguſtini doctrina, *cum vt ipſi exponerent ſecundum quorum vellent ſenſa depoſcerentur, nihil ſe profitebantur inueniſſe quod placaret, & de his taceri exigebant, quorum altitudinem nullus attigiſſet.*

Sexto, eatenus inde Auguſtini tempore vel ſucceſſiue hæc controuerſia dimittenda fuiſſet, quatenus excelſa nimis ac ſuperans ſua difficultate humanas mentes à pleriſque ſupponitur, vt mox ante tactum eſt. Sed longe magis excelſum eſt Trinitatis, Incarnationis, aut Euchariſtiæ myſterium, humanam ſuperans intelligentiam, & tamen laudabiliter etiam, ne dum inter Scholaſticos diſcuti ſolet, verum & populis (quod maius eſt) prædicatur; ergo hæc pariter controuerſia Auguſtini tempore, & ſucceſſiuè, hac non obſtante difficultate

cultate dimittenda non fuit. ſic vere arguit Auguſtinus in eodem lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 16. poſt recitata ea Apoſtoli verba; 1. Corinth. 3. *quaſi paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam, non dum enim poteratis, ſed nec adhuc quidem poteſtis*, ſubdit, *modo quodam dicendi fieri poteſt, vt id quod dicitur & paruulis lac & grandibus eſca ſit. Sicut in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Quis Chriſtianus tacere poteſt? quis capere? aut quid in doctrina ſana poteſt inueniri grandius? quod tamen & paruulis non tacetur, & nec grandibus, nec paruulis occultatur*. Inde D. Hilarius exponens ea verba Pauli, *nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum &c.* ſubiungebat, *vobis fratres dico, qui iam non lacte alimini, ſed firmo cibo valetis, numquid quia iſta ſapientes mundi non intelligunt, & his ſtulta ſunt, nos cum mundo ſapientes erimus vt hæc ſtulta eſſe credamus? male ſanctis præiudicatur rebus, ſi quia non ſancta à quibuſdam habentur eſſe non debeant. Nos ergo gloriemur in cruce Chriſti, quia ſcandalum mundi eſt, neque in viuente Deo mortem prædicemus, ne ab impijs mortuus Deus arguatur*. Non nego tamen, vt inquit etiam eodem capite 16. Auguſtinus, quandoque *facile eſſe immo & vtile vt taceatur aliquod verum propter incapaces, iuxta illud Domini, adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo, & cauſas verum tacendi longum eſt omnes quærere vel inſerere, quarum tamen & hæc vna, ne peiores faciamus eos, qui non intelligunt, dum volumus eos, qui intelligunt, facere doctiores: qui nobis aliquid tale tacentibus doctiores quidem non fiunt, ſed nec peiores fiunt*; in quo caſu tolerantiam etiam Eccleſiæ erga quoſdam infidelium ritus admittit S. Thomas 2. 2. quæſt. 1. art. 11. & eleganti ſimilitudine exponebat Gregorius Papa epiſt. 40. dicens, *ſicut nauis Gubernator, cum aduerſari ſibi ventum conſiderat, quoſdam fluctus directo clauo exſuperat, quoſdam vero, quos ſuperari non poſſe preuidet, inflexo curſu prudenter declinat, ſic ſanctitas veſtra quædam compeſcendo quædam tolerando mitiget &c.* & aliam pulchram ſimilitudinem addebat etiam Auguſtinus lib. de dono perſeuerantiæ cap. 13. *nimirum*, inquit, *doloſi vel imperiti medici eſt etiam vtile medicamentum ſic alligare, vt aut non proſit, aut obſit*, & demum de hoc intelligitur illud Iob cap. 3. *qui præcipit ſoli & non oritur*, vt ibi Gregorius ad inſtitutum conſulendus eſt. At ſubdit ſtatim Auguſtinus eodem cap. 16. *Cum autem res vera ita ſe habet, vt fiat peior nobis eam dicentibus ille, qui capere non poteſt, nobis autem tacentibus ille, qui poteſt, quid putamus eſſe faciendũ? nonne potius eſt dicendum verum, vt qui poteſt capere capiat, quam tacendum, vt non ſolum id ambo non capiant, verum etiam qui eſt intelligentior ipſe ſit peior? qui ſi audiret & caperet, per illum etiam plures diſcerent, & quo eſt capacior vt diſcat, eo magis eſſet idoneus ut doceret*. Nonne huc tendebant, aduerſus ſe obtegentes hoc clypeo difficilioris diſputationis, ea verba Hormiſdæ Pontificis ad Iuſtinianum aientis? *cauenda eſt ſubtilium magna circumſpectione calliditas, qui ingerunt difficilia, dum nituntur labefactare compoſita*. Nonne hic tandem, quem Semipelagianorum, ſeu Maſſilienſium retulimus, erat etiam olim Arianorum prætextus, vt ita Eccleſiæ examen cenſuraſque Doctorum euitarent, ſic Conſtantino ſcribentium? *Licet ad exercendi ingenij acumen hæc inſtituantur, neque tamen debemus in publicos populi conuentus temere efferre, neque vulgi auribus iſta concedere. Quotus enim quiſque, qui rerum tam grauium tanta obſcuritate inuolutarum vim vel ſatis accurate peruidere, vel pro dignitate valeat explicare?*

Septimò hinc etiam, vt pergit ibidem Auguſtinus, abſonum eſt *timere ſolum*

lum

Digitized by Google

lum ne loquentibus nobis offendatur, qui veritatem non poteſt capere, & poſtea non timere, ne tacentibus nobis qui veritatem poteſt capere falſitate capiatur. Sed iam nedum tempore Auguſtini etiam *Docti & clari virtutibus Viri*, vt loquitur Proſper, in hac materia erroribus capiebantur, verum etiam noſtris hiſce temporibus experti ſumus in hac eadem materia in purum putumque Semipelagianiſmum denuò homines non illitteratos incidiſſe, vt de Arminianis rixantibus, & Soſinianis in Holandia, & Anglia ex eorundem Pſeudoſynodo Dortezena iam notum eſt; ſed quid dico de iſtis? novum nobis indigitat inter Catholicos aliàs Semipelagianiſmo putentem ipſe Theophylus Raynaudus Apologia pro Valeriano cap. 4. num. 13. dicens, *ſe non videre quam commode à Semipelagianiſmi labe liberari poſsit Auctor operis contra Prædeſtinianos toto lib. 3*, cuius nomen ſuppreſſum à Theophylo, vt Auctor neſciretur, lege, ſi placet, in Henrico Noris lib. 2. hiſtoriæ Pelagianæ cap. 15, dum interim Lectoris iudicio remitto ea verba Ioannis Adami recitata ab eodem Noris in Anthidoto 93. ſcilicet, *probabilior magis expedita reſponſio aliorum eſt hunc trahi illum non trahi, quia hic trahentem Deum ſequi voluit, ille noluit, quod ipſe Auguſt. coactus eſt fateri in lib. de Prædeſt. & Gratia*. Immo hic liber Aug. non eſt, vt occurrit Noris poſt Lemos to. 2. pag. 216, & in eod. cap. 15. oppoſitum habet, & fuſius lib. 1. de Prædeſtinatione Sanct. cap. 8. dicens, *valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur & docetur, vt veniatur ad filium*. Et dicta propoſitio reprobatur à S. Thoma in cap. 6. Ioannis expreſſe recitato Auguſtino. Igitur Auguſtini tempore, & ſucceſſiue, de hoc argumento abſonum adhuc tacere erat. Vnde ad hunc ſenſum, & finem, ex conſimilibus aliorum lapſibus etiam *Baſilius* epiſtola 77. concludebat, *rident nos infideles, nutant, qui ſunt modicæ fidei; fides ipſa in ambiguum vocatur, ignorantia offunditur mentibus, propterea quod formam ac ſpeciem veritatis prætexunt, qui ſermonem verſutè adulterant, dum aliàs ora piè docentium ſilent*; & Hormiſdas epiſtola 8. ad Synodum. *Non hæc ſunt per patientiam negligenda, quando malo hoc vitio prauæ conſuetudinis animatum apud plures ſub quodam colore legis inoleuit, dum aut praua ſtudia in vnum congruunt, aut recta ſe ſubtrahunt*. Soter epiſtola 2. *Si quid reprehenſioni reperitur obnoxium, cæleſti ſolicitudine ab ignorantiæ imperitia, & præſumptionis vſurpatione reuelandum eſt*, & quod peius eſt, adhuc apud prædictos Holandos aut Anglos ſub Auguſtinianæ ſequelæ pallio hoſtium Auguſtini, ſcilicet Maſſilienſium, cineres inflammantur, ac vſurpatis ſibi quibuſdam minus apertis Auguſtini vocibus lucidiſſima alia ex oppoſito eiuſdem integra teſtimonia obſcurantur, immo penitus extinguuntur, vti lib. 1. Baſilius præſtitiſſe refert Eunomium, quem impugnabat. *Patrum*, inquit, [fidem proponit Eunomius, cuius fidei verba cum indifferentia ſint, neque confirmationi ſermonis ſui repugnantiam poterant afferre, & ex illis facile ſequi ſua putabat, ſi inde ad ea, quæ volebat orationem traduceret &c. Sed detecta eſt verſutia, non quos ſimulabat ad amuſſim recipere, dum dicit eam regulam acceſſionem poſſe recipere, & propriam vocem ignorans à regulæ ratione turbat, quæ vt diminutionem non recipit, ita nec accretionem,] & de his in hoc ſenſu ſimulantibus ſe adhærere Patribus vel Auguſtino intelligi poteſt illud Pſalm. 8. *vt deſtruas inimicum & vltorem*, vbi Auguſtinus ſic legit, *vt deſtruas inimicum & defenſorem*, ſcilicet tam Arminianum, quam Socinianum, vel aduerſantem Auguſtino, vel ſimu-

Digitized by Google

lantem Auguſtino adhærere, contra quem vtique congruit D. Proſperi Carmen in Epigrammate ita canentis.

Contra Auguſtinum narratur ſerpere quidam
Scriptor, quem dudum liuor aduſsit edax.
Quæ concepta fouet, promat, quæ parturit edat,
Seu vetere armatur dogmate ſeu nouo &c.
Declinare ſenem vipera non poterit.

Octauò ea ratione ſaltem tempore Auguſtini, aut ſucceſſiue hæc diſputatio admittenda non fuiſſet, vt ſcilicet quies inter Catholicos alios doctores permaneret, vti & tunc Maſſilienſes Catholici erant viri docti ac potentes, è quibus per conſequens poterat ab Auguſtino præuideri turbatio, ſed hæc ratio nullo modo debuit mouere Auguſtinum, nec rationabiliter mouit; ergo hac non obſtante ratione dimittenda non fuit; & in primis non debuiſſe moueri ab hac ratione Auguſtinum ab exemplo probatur, nam ſimile etiam omnino ſubterfugium erat aliorum in epiſtola Baſiliſci Imperatoris apud Euagrium lib. 3. cap. 4. dicentium, *ne inferrerentur tumultus, & turbationes ſanctis Eccleſiæ Dei &c.* nec minus Ariani relati apud Calagurit. lib. 2. Apol. pro Athanaſio aliter adfuturas eaſdem turbationes minabantur his verbis, *alioquin quia nos multum poſſumus (imperium noſtrum eſt.) quibus velimus vos modis grauabimus, & omnes tollemini è veſtris ſedibus*, quibus tamen omnibus vel ſimilibus intentatis turbationibus, vel minis poterat vtique reſpondere Auguſtinus, quod Stephanus Cænobita in quendam Iconomachum in ſimili omnino adaptatis verbis Eliæ reſpondit, *Ego non conturbo Iſrael, ſed tu, & Domus Patris tui, neque enim ego ſum, qui conturbo, verum ij, qui contempta veterum Patrum eruditione nouum quoddam dogma introduxerunt*, nec minus Eccleſia, vel Auguſtinus eiuſdem nomine, iterum reſpondere valebat præoccupatis Leonis verbis epiſtola 77. ad Theodoricum, *dum nonnulli diſſenſionum inuitati ardore ad contradictionis bella proſiliunt, ad maius bonum eorum malum Auctore totius boni diſpenſante peruentum eſt, dulcia ſiquidem munera gratiæ diuinæ proueniunt, quoties non ſine magnis ſudoribus acquiruntur. Ipſa quoque veritas & clarius reniteſcit, & fortius retinetur, dum quæ fides, quæ prius docuerat, hæc poſtea examinatio confirmabit.* Merito igitur concludebat è ſapientiſſima Societate Perrerius in Commentarijs epiſtolæ ad Romanos cap. 9. diſput. 8. num. 78. *Hæc, ſcilicet* recitatæ turbationes in Gallijs [nihil mouerunt Auguſtinum, quo minus ſententiam ſuam conſtanter tueretur, & perſeueranter teneret vſque ad mortem, neque ſcandala, ſi quæ ob id oriebantur, & nonnullis accidebant, curanda eſſe putauit, vt quæ ex inſcitia veritatis, & imperitia diuinarum ſcripturarum naſcerentur]. Merito longe ante Eccleſia Lugdunenſis ſub Diuo Remigio in lib. de tribus Epiſc. cap. 35. *Auguſtinus*, inquit, *nec tanta perturbatione, & commotione fidelium ab intentione veraciſsima & fideliſsima doctrina ſua frangi potuit, aut reuocari. Sed magis eos &, ſcriptis ſuis, in quantum potuit, admonuit & inſtruxit*, & Proſper ad excerpta Genuenſium dubitatione 10. concludebat, *pia igitur conſtantique doctrina probauit abundanter Auguſtinus prædicandam eſſe Eccleſiæ prædeſtinationem, in qua eſt Gratiæ præparatio & præſcientia Dei.*

Nonò tandem gratis admiſſo (etſi oppoſitum ſupra ab Auguſtino probatum ſit) hanc ſententiam coram Idiotis, ac imperitorum conuentibus non ita

com-

communiter exponendam eſſe, atque indiſcriminatim facile nimis vel crudè prædicandam, negari tamen non poteſt eandem velut ſublimiorem magiſque Deo fauentem intra ſcholæ, ac diſputationis cancellos longe magis præaltera oppoſita eſſe Auguſtinianæ doctrinæ conformem, & per conſequens veritati. Sed hoc nobis ſufficit vt Auguſtini tempore, & ſucceſſiuè plauſibiliter etiam, audita, & audienda merito ſupponatur; ergo ſic vere ſupponenda eſt. Audi nunc pro eo, quod in maiori propoſuimus, elegãtem ad hoc Patris Macedi Hiſtoriolam, quam ſeruatis eiuſdem verbis exſcribo ex Collatione 11. differentia prima pag. 524. *cum puer eſſem & in Societate Ieſu, quam vix dum pubes ſum ingreſſus, inter illos* [ſanctiſſimos & ſapientiſſimos Patres verſarer, & neſcio qua propenſione naturali, aut impulſione Diuina ad huiuſmodi controuerſiarum introſpectionem incitarer, & iam etiam antequam Theologię operam darem, nullam occaſionem elabi ſinebam de ijs inquirendi & audiendi. Memini tum (is erat anno 1614) ventitare in Collegium Conimbricenſe, in quo eram, Epiſcopum illius Ciuitatis Illuſtriſſimum & doctiſſimum virum Dominum Alphonſum Albicaſtrium, hominem magnis natum, in Sanctis Patribus ac in primis Auguſtino verſatiſſimum, & cum præſtantiſſimis, qui rum florebant in eo Collegio, Magiſtris de his controuerſijs multum & acriter diſputare. Erat tum in viuis P. Franciſcus Suarez ſummus in omni doctrina vir &c. cuius ſententiam omnes verè illi Magiſtri amplectebantur, niſi quod ad Fonſecam, & Molinam, quorum recens erat memoria, magis inclinabant, quibus cum Epiſcopus in aula domeſtica palàm diſputabat &c, & erat Epiſcopus in oppoſita Patribus illis ſententia negans ſcientiam mediam &c. Memini cum ſemel incaluiſſet, diſputandi contentione prorſus exarſiſſe, & percutiendo baculo terram exclamaſſe (Patres mei: veſtra ſententia eſt idonea pro vulgi captu, & ad conciones populares accommodata. Verum illa eſt omnino à S. Auguſtini doctrina aliena) dicam planius, quamquam inelegantius (veſtra, inquiebat, ſententia eſt bona pro vulgo, ſed eſt contra S. Auguſtinum) commotus ijs vocibus ſolebam rogare Patres illos venerabiles: an Epiſcopus verum diceret? at illi negabant, meque de eo dubitantem confirmabant, adiecto: Epiſcopum illum nimio plus ſenem eſſe. Quid ille ſentiret aut diceret non eſſe curandum. Acquieſcebam tunc illorum auctoritati & eorundem poſtea præceptionibus ac doctrinis imbutus, dum in Societate fui, acquieui. Verùm poſtea quam Auguſtini lectioni me dedidi, & in eum altius intraui, & mutato vitæ inſtituto ad hos, quibus cum viuo tranſiui, & licuit mihi pro meo arbitratu ſentire ac dicere, *omnino comperi illum Epiſcopum vera dixiſſe*.] Vti & antea Collatione 11. ſectione 6. de hac eadem conformitate noſtræ ſententiæ, & difformitate oppoſitæ cum doctrina Auguſtini, ingenuè profeſſus fuerat dicens: *ex quo Auguſtinum attentè* [legere cœpi, vt ex eo diſcerem, cœpi autem anno 1638 annis abhinc 36, intellexi eum à ſcientia media pœnitus abhorruiſſe. Equidem miror Suarez, & alios graues Societatis Auctores mediam ſuam ſcientiam Auguſtino tribuere. Et laudo hac in parte cãdorem Molinæ in prima ſuæ Concordiæ editione, ingenuè fatentis alienam eſſe ab Auguſtino, immo pœnitus aduerſari eiuſdem doctrinæ) hæc Macedo, quæ omnia magis ad ſubdenda in ſequenti iuuabunt, præſertim cum ſcientiam eandem mediam ab Auguſtino diſcedere fateatur, & Ioannes Philip-

patrum è Societate tom. 1. in Oſeam cap. 1. apud Salmanticenſes tomo quinto pagina 57.

ARTICVLVS III.

Soluuntur obiectiones productæ Articulo primo.

AD primum igitur ex adductis pro oppoſita ſuperius ſententia reſpondet Auguſtinus lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 22. dicens, *quæ tamen* ſcilicet [prædeſtinatio non ita populis prædicanda eſt, vt apud imperitam, vel tardioris intelligentię multitudinem redargui quodammodo ipſa ſua prędicatione cenſeatur, ſicut redargui videtur & præſcientia Dei, quam certe negare non poſſunt, ſi dicatur hominibus, ſiue curratis ſiue dormiatis, quod vos præſciuit, qui falli non poteſt, hoc eritis. Doloſi autem vel imperiti medici eſt etiam vtile medicamentum ſic alligare, vt aut non proſit, aut obſit. Sed dicendum eſt. Sic currite vt comprehendatis, atque vt in ipſo curſu veſtro ita vos eſſe præcognitos noueritis, vt legitimè curreretis: & ſi quo alio modo Dei Præſcientia prædicari poteſt, vt hominis ſegnitia repellatur.] Quo ad id vero, quod additur, ſcilicet non poſſe hoc capi vel explicari, reſpondet eodem lib. cap. 14. dicens, *nunquid ideo negandum eſt quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt? nunquid, inquam, propterea dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quoniam cur ita ſit non poſſumus inuenire?* Immo ex his, quæ de Diuino dominio & creaturarum dependentia à Deo certò cognoſcimus, poſſumus etiam ſperare cognitionem eorum, quæ nunc nobis in hac materia vel occulta vel difficilia ſunt, vt inquit idem Auguſtinus lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 1. dicens [ambulando in quod peruenimus, & quo non peruenimus, peruenire poterimus, Deo nobis reuelante, ſi quid aliter ſapimus, ſi ea, quæ iam reuelauit, non relinquamus] & libr. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 1. *habent iſti*, inquit, [vnde ſi quid aliter ſapiunt, hoc quoque illis reuelet Deus, ſi in eo ambulent, in quod peruenerunt. Propter quod Apoſtolus cum dixiſſet, ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelauit; verumtamen, inquit, in quod peruenimus, in eo ambulemus.

Ad ſecundum reſpondet idem Auguſtinus lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 2. dicens *hanc*, ſcilicet materiam [diligentius & operoſius, cum iam contra Pelagianos diſputaremus, defendere neceſſitas compulit, didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes etiam intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius defenderetur Veritas, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret.] & idem dixerat generaliter etiam lib. 8. de Ciuit. cap. 2. in fine concludens, *ab aduerſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio*, ſic & in iſta materia de conditionatorum præſcientia erroneè etiam à Maſſilienſibus intellecta, nouis emergentibus oppoſitionibus nouas ſemper neceſſe fuit etiam à poſterioribus reſponſiones adiungi, dum, vt dicebat Cæleſtinus in epiſtola ad Gallos de hac ipſa materia, *in talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret, ſi falſitas diſpliceret*. neque obſtat aliquantiſper aliquos anteriores tacuiſſe, quia vt reſpondet idem Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. [quid opus eſt, vt eorum ſcrutemur opuſcula, qui prius quam iſta orirentur non habuerunt

buerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſoluendum quæſtione verſari: quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur? vnde factum eſt, vt quid ſentirent, breuiter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent, immorarentur vero in eis, quæ aduerſus alios &c. diſputabant.]

Ad tertium libenter admittimus nunc inter Catholicos vtramque in hac materia ſententiam ſecundum ſe tutam eſſe, in praua tamen intelligentia præſcientiæ conditionatorum minus Auguſtino conformis errauiſſe, tum Maſſilienſes, tum denuo antea relatos in Anglia Semipelagianos negari nō poteſt, propter quod D. Proſper lib. contra Collatorem cap. 38. antiquitus præmonebat, *referendum eſse, vt non tam illi Catholici quam nos, quod abſit, ſimus Pelagiani, contrariorum enim permixtio meliorum defectio eſt. Quia cum virtus vitium recipit, non à vitio ſed à virtute diſceditur*, & in carmine de ingratis cap. 8. de hoc eodem puncto inquiebat, *quod Hæreſeos ſumma exigua in parte tegatur*, & clarius in epiſtola ad Auguſtinum, *in iſtis*, inquit, *reliquijs, non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis malè in homine collocatur, ſi Diuinæ voluntati impie voluntas humana præfertur, vt ideo quis adiuuetur quia voluit, non ideo quia adiuuatur velit: ſi originaliter malus receptionem boni non à ſummo bono, ſed à ſemetipſo inchoare male creditur: ſi aliunde placetur Deo, niſi ex eo quod ipſe donauerit*. Vt igitur iſta vel prædicti Angli aut Holandi aberrātes denuo abſurda eſſe cognoſcant, expediens fuiſſet frequenter etiam has diſputationes innouaſſe, quia aliàs, vt dicebat Cæleſtinus in epiſt. ad Gallos in fine, *gratiæ operi ac dignationi nihil pænitus ſubtrahendum eſt*, & Auguſtinus lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 6. *tutiores* inquit, *viuimus, ſi totum Deo damus, non autem illi ex parte & nobis ex parte committimus*, & Proſper ipſe ad Demetriadem cap. 7. *gratia Dei niſi tota ſuſcipitur, tota repellitur*.

Ad quartum reſpondet Auguſtinus libr. de Dono perſeuerantiæ cap. 22. concedens ea verba in populorum conuentibus proferenda non eſſe, *quamuis enim*, inquit, *hæc vera ſint, non tamen iſto modo dicenda ſunt audientibus multis, ut ſermo ad ipſos etiam conuertatur*; *ſed alio modo pro captu minus intelligentium temperanda eſſe* ſubiungit, & modum ipſe proponit eodem loco legendum, poſtea in fine concludens, *hæc atque huiuſmodi cum dicuntur ſiue paucis Chriſtianis ſiue multitudini Eccleſiæ, cur metuimus Sanctorum Prædeſtinationem, ſicut eam Sancta Scriptura prædicat, prædicare? an uero timendum eſt ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes eius ponenda demonſtratur in Deo, non autem deſperaret, ſi eam in ſe ipſo ſuperbiſſimus & infelici feliciſsimus poneret*. Et poſt alia ibidem petenda, clarius etiam cap. 15. hanc totam obiectionem de decreto retorquet contra aduerſarios de Præſcientia, adducens exemplum cuiuſdam Monachi, [qui corripientibus fratribus reſpondebat, qualiſcunque nunc ſim, talis ero, qualem me Deus futurum eſſe præſciuit. Qui profecto & verum dicebat; & hoc vero non proficiebat in bonum: ſed vſque adeo profecit in malo, vt deſerta Monaſterij ſocietate fieret canis reuerſus ad vomitum &c. nunquid ergo propter huiuſmodi cauſas ea, quæ de præſcientia Dei vera dicuntur, vel neganda ſunt, vel tacenda, tunc ſcilicet quando ſi non dicantur in alios itur errores?] & cap. 16. concludebat [dicatur ergo verum, maxime vbi aliqua quæſtio vt dicatur impellit, & capiant qui poſſint, ne forte cum tacetur propter eos, qui capere non poſſunt, non ſolum veritate nudentur, verum etiam falſitate capiantur,

qui

qui verum capere poſſunt, quo falſitas eaueatur.]

Ad quintum, præueniebat eam obiectionem Proſper in eadem epiſtol. ad Auguſtinum dicens, *quorum tam abrupta diſſenſio primum propter ipſos metuenda eſt, ne tam claris tamque egregijs in omnium virtutum ſtudio viris ſpiritus Pelagianæ impietatis illudat; ne ſimpliciores quique, apud quos horum magna eſt de probitatis contemplatione reuerentia, hoc tutiſsimum ſibi æſtiment, quod audiunt eos, quorum auctoritatem ſine iudicio ſequuntur, aſſerere*, & ſe ſperare ſubiungebat eoſdem, *quos meritis atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defæcatiſsimum lumen gratiæ recepturos*, vti de eiſdem ſperabat etiam Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 1. dicens, *eo modo tractandi ſunt quo tractauit Apoſtolus, quibus ait. Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit: adhuc quippe in quæſtione caligant de Prædeſtinatione Sanctorum*, & infra, *recenta ergo iſta, in qua peruenerunt, plurimum eos à Pelagiano errore diſcernunt. Proinde ſi in eis ambulent & orent eum, qui dat intellectum, ſi quid de prædeſtinatione aliter ſapiunt, ipſe illis hoc quoque reuelabit, tamen etiam nos impendamus eis dilectionis affectum, miniſteriumque ſermonis, ſicut donat ille, quem rogamus, vt in his literis ea, quæ illis eſſent apta & vtilia, diceremus.*

Ad ſextum reſpondebat etiam pro Auguſtino Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem dicens, *Eccleſiæ victoria eſt vos aperte dicere, quod ſentitis, ſententias veſtras prodidiſſe, viciſſe eſt*, vt in ſimili etiam antea dixerat Tertullianus in libro Præſcriptionum, ſcilicet *primam hanc victoriam auſpicabimur, quia quod tanto impendio abſconditur, etiam ſolummodo demonſtrare deſtruere eſt*, in ſpeciali vero de hac ipſa materia Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. penitiora ſuorum aduerſariorum ſenſa detegebat dicens, *qui ſcimus, quid ſentiatis, neſcire non poſſumus, quomodo iſta dicatis*, ſcilicet dum verbis ambiguis vterentur, & inde contra ſimiles ſuæ diſputationis obtrectatores in lib. de Dono perſeuerantiæ cap. vltimo concludebat, *qui errare me exiſtimant, etiam atque etiam diligenter, quæ ſunt dicta, conſiderent, ne fortaſsis ipſi errent. Ego autem, cum per eos, qui meos labores legunt, non ſolum doctior, verum emendatior fiam, propitium mihi Deum agnoſcam, & hoc per Eccleſiæ Doctores maxime expecto, ſi & in ipſorum manus veniant, dignenturque noſſe quod ſcribo.*

Ad ſeptimum tandem, quod potius de noſtra diſputatione quam de diſputatione Auguſtini (vt hucuſque dicta) procedit, planiſſima & communis ſolutio eſt, alterum longe diuerſum argumentum eſſe de præſcientia futurorum quorumcunque ſiue ante ſiue poſt decretum, & aliud de concordia auxiliorum intrinſecorum gratiæ cum hominis libertate, cuius ſecundi tractatio pro attẽperando per tempora ſuccedentia feruore contentionis interdicta fuit, non vero tractatio primi, vti per omnia intellexerunt allatas in obiectione prohibitiones, (vt alios ſine numero omittam) P. P. Salmanticenſes expreſsè tractatu 10. de voluntate diſput. 10. num. 1. Ioan. de S. Thoma diſput. 2. de ſcientia ar. 2. §. 2. & nuper in hoc conſentit Faſolo Mariales relectione 1. de ſcientia ſect. 1. laudans ſcriptorum Societatis commune dictum, *quod vtra difficultas de ſcientia media, & de concordia eiuſdem cum libertate alia plane eſt à difficultate de efficacia diuinæ gratiæ, ſubinde abſque inobedientiæ nota de illa, omiſſa iſta, optimè ab aduerſarijs, & à nobis licere diſputare*. Et vno verbo in praxi id amplexati ſunt omnes omnino Scholaſtici, quos longo ſyllabo ad hoc addenſat etiã Paulus Leonardus ſiue Sherlogus in part. 3. ſuarum reſponſionum ſect. 12. &

vna

vna ſufficeret ad hoc probandum impreſſio tom. 1. Suarez de Gratia, in cuius initio legitur adhuc Epiſtola Cardinalis Burgheſij nomine Pauli V. reſponſiua ad eundem, neganſque ipſi diſpenſationem à mox ante tunc edita prohibitione prædicta in materia auxiliorum &c. & tamen Suarez, dimiſſa dumtaxat impreſſione tom. 2. de Auxilijs (qui nunc poſtea poſthumus, *Ex obſcuri Luſitani hominis ſcrinijs* prodijt) in eodem primo tomo integro Prologomeno 2. de prædicta præſcientia conditionatorum ac ſcientia media fuſiſſimo calamo pertractauit; apertè igitur inde concluditur, iuxta prædictos omnes Scholaſticos, non fuiſſe mentem Pontificum tunc iſtam etiam interdicendi materiam, ſed auxiliorum dumtaxat, ſeu concordiæ eorundem, ut tangit etiam hanc noſtram ponderationem, vt poſtea video, Monteſinus 1. 2. q. 111. in fine. Accedit etiam in ordine ad concurſum præuium, cuius in dicto decreto mentio fit, mox inde ſub Vrbano VIII. noſtrum Lemos Romæ degentem à Magiſtro Sacri Palatij deputatum pro reuiſione libri Caraffæ, *de concurſu præuio in ordine naturali*, hoc reſcripſiſſe, vt in fronte eiuſdem libri nunc legitur, *die* 17. *Maij* 1626. *cum in ſola materia naturalis concurſus ſiſtatur, nec vllo modo ſe immiſceat in tractatu de Auxilijs Supernaturalibus, nullo pacto Apoſtolici Throni decretis contradicit, quibus de ſupernaturalis auxilij concurſu tractari non debere vetitum eſt; cui ſententiæ Magiſter Sacri Palatij & P. Regens Collegij S. Thomæ alijque doctiſsimi P.P. diuerſarum Prouinciarum Romæ commorantium adſtipulantur &c.* Sed omnem remouet nunc vel ſuſpicionis vmbram, quod habet creditus Teophylus in Diatribarum lib. Diatriba 5. §. 94. contra nos ſcribens, & tamen intento noſtro ſic fauens, *quidam*, inquit, *ſtrangulaturus ſententiam Ieſuitarum, voluit ex prohibitionibus Pauli V. tractationis de efficacia auxiliorum comprehendi tractationem de libertate expedita, & tractationem de ſcientia futurorum ſub conditione, iamque mollitudo Vitellica* (ſcilicet Præfecti Generalis Societatis) *manus dederat, contenta, vt tractatione de ea ſcientia abſtineretur, ne crabrones Cyriacos commoueret. Sed ſapientiorum curis, artificium illud Cyriacorum diſiectum eſt, monſtratumque aliud eſſe tractare de Auxilijs, aliud tractare de ſcientia illa.* Hæc ille præter alia, quæ cum alijs ſcriptoribus addunt longe ampliora nouiſſimè Salmanticenſes in ſuo edito etiam *de gratia efficaci* tractatu, & Carolus ab Aſſumptione in ſuo Triumpho Thomiſtarum firmato in præfatione cum Philippo à S. Trinitate in p. 2. to. 2. in Prologo, Labat noſtro & alijs, quibus magis quam præcedentibus ſedato animo de hac noſtra materia ad mentem Auguſtini in ſequenti aggrediemur. Et præſertim Spalatenſi, omiſſo in ordine ad præindicatos Anglos, vel Holandos Semipelagianiſmum iterum Auguſtino aduerſum exſuſcitantes, cum D. Proſpero in lib. contra Collatorem, & nos in propoſito repetemus. *Ecce ſalua Catholicæ pace victoria, ſalua indiſſolubilium reuerentia decretorum, parati ſumus Patronos doctrinæ emendatioris audire, & circumciſas ab omni errore lineas ſubtiliſsimæ diſcretionis agnoſcere. conſtituatur in medio, quod de eorum emerſit ingenijs*; dum immo ex eiſdem mox indicatis nonniſi Pelagiana iterum dogmata reuiuiſcunt, *quæ niſi iſti didiciſſent*, vt loquebatur Auguſtinus lib. 4. contra Iulianum cap. 11. *vtique Pelagiani dogmatis machina ſine architecto neceſſario remanſiſſet*.

QVÆ-

QVÆSTIO SECVNDA.

An circa prædictam conditionatorum præſcientiam probabiliùs, quod nunc aſſerunt Thomiſtæ, olim etiam Auguſtinus aſſeruerit?

SCientiam futurorum conditionatorum *ante propoſitum ſiue decretum voluntatis diuinæ* præexplicatam in huius principio libri, quæque nunc vulgo *ſcientia media* communiter nuncupatur, quidam dilexerunt vt filiam à ſe ipſis exortam, quidam vt ſponſam ab alijs genitam à ſe ipſis ornatam, erroriſque exuperantis crine detonſam, Semipelagiani nimirum abuſus, ſicut ex Deuteronomio 21. ſponſa de gente captiuorum à Iudæis appoſitè tondebatur, vt Niſſenus aduertit in vita Moyſis. primi illi viſi ſunt, qui de eadem tanquam nouo adinuento gloriati ſunt, vt Molina in Concordia q. 23. art. 4. diſput. 1. membro vltimo. Fonſeca 6. metaph. ſect. 8. *Herice* 1. p. diſput. 7. cap. 10. Secundi generis mihi videntur, qui à Semipelagianis eandem adhibitam ſed abuſu fœdatam etiam Auguſtini tempore confeſſi ſunt, vt Suarez Prologomeno 2. cap. 1. Faſolus ad primam partem quæ. 14. art. 13. & alij poſtea ſubſequentes: quos, vt nouiſſimè etiam Macedo obſeruauit Collatione 11. differētia 1. pag. 307, noſtri Dominicani pacificè conciliare conati ſunt, aſſerentes vtique cum abuſu damnato antiquam ſobolem extitiſſe, vt poſteriores iſti dixerunt, vt vero ab abuſu dilutam, ſicuti nunc in Societate probatur, nouam vtiq; dici poſſe, vt voluere priores. Antequam igitur iſtā (quam ſibi adeo quidam Scriptores deſponſauerunt) etiam ſecundo modo, iuxta probabiliorem ad minus Auguſtini ſententiam, *ſcientiam mediam* è medio tollamus, apud nos ſaltem, eiuſdem primo modo etiam origo antiquiſſima altius repetenda eſt.

ARTICVLVS PRIMVS.

Origo ſcientiæ conditionatorum, vel mediæ cum abuſu, quomodo hæreſis eſt ab Auguſtino, à Concilijs, & communiter à Scholaſticis reprobata.

EXiſtimo enim hoc modo, ſcilicet cum abuſu, conſideratam (quo modo neque à Societate probata eſt, ne ad excitandam inuidiam aliquibus iſta ſcribere videamur) à condito orbe continuo habuiſſe pro magiſtro ſerpentem, pro diſcipulo peccantem Adam, & Euam, quibus ex arbore veluti è Cathedra, ex arbore, inquam, ſciētiæ boni & mali inſtillata fuit; cum nempe Geneſis 3. ſerpens appoſitè in Deo illam conditionalem ſcientiam expreſſis verbis aſſerebat, *ſcit Deus quod in quocumque die comederitis*, en conditionem, *ex ea aperientur oculi veſtri*, en ſola in homine aſſerta naturalis libertatis origo, ſcilicet indifferentia iudicij. *Et eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum*, en noſtræ voluntatis aſſenſum ſub ea conditione præuiſum vt futurum liberè independenter à Deo vt prima cauſa, à noſtra dumtaxat, ac ſi diuina eſſet, libertate pendentem, adeo expreſsè, vt mirer poſtea conſimilibus verbis eandem explicuiſſe Theophylum Raynaudum in ſua noua explicatione libertatis par. 2. cap. 4. num. 35. dum inquit, *obijcitur enim diuino intellectui operatio voluntatis*

creata

creatæ tanquam exoritura ab ea, ſi ipſa voluntas ſe ſola agere poſſit. Hæc ille, quæ parum mutatis verbis promiſerat ſerpens dicens, *eritis ſicut Dij*, cum tamen, inquit Auguſtinus lib. 1. contra aduerſarium legis, & prophetarum cap. 14. *ſic datum ſit liberum arbitrium, vt eum tamen neceſſe ſit viuere ſub poteſtate melioris* (& libro de ſpiritu & littera cap. 30.) *an ita ergo ſunt liberi vt nec Deum velint Dominum habere?* In hoc ſenſu non minus peccantem Adam, ſicut & Dæmonem, ſibi hanc arripuiſſe ſerpentis doctrinam obſeruauit iamdiu noſter Angelicus prima p. q. 63. art. 3. de eodem pari modo peccante ſic habens, *dum appetijt illam Dei ſimilitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex diuino auxilio ſecundum Dei diſpoſitionem* (ſcilicet decretum) *& hoc conſonat dictis Anſelmi* (ſcilicet de caſu Diaboli cap. 4.) & clariùs 2. 2. q. 163. ar. 2. dicens, *primus homo peccauit principaliter appetendo ſimilitudinem Dei quantum ad ſcientiam boni & mali, ſicut ſerpens ei ſuggeſſit, vt ſcilicet per virtutem propriæ naturæ determinaret ſibi quid eſſet bonum, & quid malum ad agendum &c.* quid clarius? Ex oppoſito autem Deus volens de tam ſuperba præſumptione reprehendere Adamum, appoſitè ſic irridens eundem per ironiam cap. 4. dicebat, *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum*; ac ſi diceret, independenter à prima cauſa diuina creata hæc cauſa ſecunda operaturam ſe eſſe præſumit *quaſi vnum ex nobis. Verba enim hæc Dei*, inquit Auguſtinus lib. 11. ſuper Geneſim cap. 39, & repetit eadem omnino idem S. Thomas 2. 2. qu. 164. art. 2. ad ſeptimum, *non tam fuere verba inſultantis primis parentibus, quam cæteros deterrentis exemplo, ne ita ſuperbirent, quod non ſolum Adam non fuerit factus, qualis fieri voluit, ſed nec illud quod factus fuerat conſeruarit*. Contempta, hoc non obſtante, & iuſtè amiſſa à noſtro primo Parente ea arbore vitæ, in qua gratia appoſitè, iuxta P.P. præſignabatur, in arbore ſcientiæ ex aduerſo hæc cum abuſu ſcientia media (in quo ſenſu id dico, vt mox antea proteſtatus ſum) infecta veneno ſerpentis enata eſt, ad quod, an poſtea reſpexerit, id aliorum iudicio dimitto, vel S. Thomas 1. p. q. 102. ar. 2. dicens, *ſic arborem ſcientiæ nominatam eſſe propter euentum futurum*, vel Rupertus libr. 2. in Geneſim cap. 27. ſcribens, *hoc lignum ironicè appellatum eſſe ſcientiæ, vt ipſo ſuo nomine monumentum legentibus mendacij Diabolici repræſentaret*, vt Ruperti interpretationem iſtam Toſtatus, omiſſis cæteris, poſtea amplexatus eſt in c. 3. Geneſis qu. 154. & Perrerius ibidem libr. 3. Catherinus & alij. Hoc certe ſcio perſpicue Proſperum in Carmine de ingratis aduerſus Semipelagianos opportunè omnino in hoc ſenſu id accepiſſe, dum inquit.

Hoc Patribus primis mortis ſator inſinuatus
Conſilio eſt, hac arte omnes proſtrauit in vno,
Dum ſuadet multo præſtantius eſſe quod ipſis
(Non tribuente licet Domino) ſponderet habendum.
Pendens libertas vetitoque inſtinctu cupido,
Qua nunc per veteris ſerpens veſtigia fraudis
Deceptos ſimili ſtudet inflammare furore.

hæc ibi, iuxta quæ forſan nunc merito legitur damnata Romæ die 23. Nouēbris 1679. ea propoſitio. *Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, vt ea vtamur, ſicut aliquis donat alicui villam vel librum, & Deus ſubijcit nobis ſuam omnipotentiam &c.*

Fuit hæc igitur ab Adæ peccato propagata cum poſteris cæteriſque gene-

ris humani miſerijs, atque per Ethnicos intermedios ad tempora vſque Semipelagianorum deriuata tam ſuperba & arrogans hæc ſaltem cum abuſu cōditionatorum doctrina. Dimiſſis enim intermedijs ſæculis, in quibus homines neceſſitatibus humanis magis quam humanis litteris vel diſciplinis incumbere compulſi ſunt, vix poſtea Ethnicorum ſapientum ſeu Philoſophorum in Græcia Gymnaſia reſerata ſunt, cum ſtatim in ipſa ſimul conditionatorum hæc ſcientia iamdiu profuga nec ita excepta blanditijs, & antea peregrinata per orbem, iterum ingredi ab Ethnicis quibuſdam Philoſophis deoſculantibus ipſam permiſſa eſt. Hi quinam fuerint, præ cæteris, Cicero in lib. de fato (vt ego intelligo) ediſſerat nobis his verbis. *Mihi quidem videtur*, inquit, *cum duæ ſententiæ fuiſſent veterum Philoſophorum, vna eorum, qui cenſerent omnia fato fieri, in qua ſententia Democritus, Eraclitus, Empedocles, Ariſtoteles fuit, altera eorum, quibus viderentur ſine vllo fato eſſe animorum motus voluntarij, Chryſippus tanquam arbiter honorarius medium ferire voluit ſed applicans ſe ad eos potius, qui neceſſitate qualibet motus animos liberatos volunt.* De Chryſippi ſententia media, ac ipſa ſcientia media conditionatorum eiuſdem ſubiungam mox, nunc circa priores dumtaxat duas illas extremas veluti Claſſes à Cicerone relatas, aduerto vtramque poſtea ſubdiuiſam eſſe in duos modos. Prima quidem claſſis, & fatum nominans ſeu diuina decreta prouidentis Dei ab aliquibus ruditer nimis accipiebatur atque ſtolidiùs defendebatur, quod nimirum ſtantibus diuinæ prouidentiæ mouentis cuncta decretis, *fatalis illa neceſſitas* auferens libertatem, ac contingentiam, ſubillata daretur, vt tenuere ſine dubio Democritus, Eraclitus, & Empedocles à Cicerone pariter eo loco citati (vt affert etiam, ſed reprobat noſter Philoſophus Ariſtot. in 2. Phyſicorum, & alibi) & Genethliacis hoc idem attribuebat Auguſtinus libr. 2. ad Bonifacium cap. 6, & eidem Auguſtino calumnioſè id attributum depellit Proſper in epiſt. ad Ruffinum dicens, *ea, quæ de fato &c. iactantur, neque Auguſtinum quidem onerant, in cuius libris copioſiſſime eiuſmodi deſtruuntur errores*, & hoc non obſtante poſtea Fauſtus contra eundem Auguſtinum lib. 1. cap. 4. *gentilitatis hoc fatum* dicere non dubitauit: verum ab alijs adhuc gentilibus eadem prima claſſis (etſi perperam fati nomen retinerent) ita accepta fuit, vti nunc etiam, (quo ad ordinem ſaltem naturæ,) à quamplurimis defenſatur, vt ſcilicet quodlibet, quod futurum eſt, quocunque modo ſiue ſimplex ſiue copulatum, vt illi loquebantur, immutabilis prouidentiæ decreto innixum eſſet, eiq; connexum, infallibilem vtique inde ſubinferendo certitudinem, non tamen fatalem eam abhorrendam neceſſitatem, quomodo intellexiſſe Ariſtotelem expendunt, poſt S. Thomam q. 2. de veritate art. 2. Bernardinus Mirandulanus lib. 24. ſect. 7. Carpentarius in Alcinovum cap. 19. Licetus cap. 4. de immortalitate animę à capite 33. & ante iſtos Alexander Aphrodiſæus integro lib. de fato ad Antoninum, & ſufficit legere eundem Ariſtotelem 1. Periherm. cap. 8, & hoc modo perſpicue etiam intellexiſſe fatum, ex antiquiſſimis, Triſmegiſtum Ægyptium conſtat, dum ad Ammonem inquit, *omnia natura & fato ſunt, nec eſt locus vacuus à prouidentia, ſcilicet ratione Dei*, vt poſtea ſubiungit Seneca etiam lib. 2. quæſtionum naturalium, *vis*, inquit, *illum ſcilicet Deum fatum vocare? non errabis. Hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſa cauſarum &c*, & forſan aliqui etiam Stoici proſecuti ſunt, vt in hoc ſenſu eorum teſtimonia eruditè recenſet & explicat Lipſius lib. 1. Phiſiologiæ Stoicorum diſſertatione

11. per

Digitized by Google

11. per totam. Immo & Platonici conſenſerunt apud Plutarchum de fato, & inter ipſos Apuleius de dogmate Platonis, *fatum*, inquit *eſſe, per quod meuitabiles cogitationes Dei atque incœpta complentur*, & poteſt videri Ficinus Æneide 3. lib. 1. & S. Thomas p.p.q. 116. art. 3. & Auguſt. 5. de Ciuit. cap. 8. poſt reprobatum præcedens *fatum Aſtrologorum*, inde ſubiungens, *at qui omnium connexionem, ſeriemque cauſarum, qua fit omne quod fit, fati nomine appellant, non multum cum eis de verbi controuerſia certandum atque laborandum eſt, quandoquidem ipſum cauſarum ordinem, & quandam connexionem ſummi Dei tribuunt voluntati*, & hæc perſpicue fuit Poſſidonij ſententia, quam eodem libro de fato Cicero ab initio referrebat, & in hoc ſenſu perperam refutabat ab illis verbis, *ſed Poſsidonium, ſicut æquum eſt, cum bona gratia dimittamus &c.* immo, ut per omnia cõſtet hanc primæ claſſis Ethnicorum interpretationem conueniſſe in re cum Auguſtini ſententia, conferamus ex vna parte Auguſtinianam illam celeberrimam ac præcipuam diſtinctionem in libr. de Correptione, & gratia cap. 12. de adiutorio, *ſine quo non*, & *adiutorio quo &c.* male præ alijs habitam à Maſſilienſibus, vt Hilarius refert ad Auguſtinum his verbis, *moleſte ferunt ita diuidi gratiam &c.* conferamus, inquam, iſtam cum diſtinctione altera Philoſophorum eorundem relata apud eundem Ciceronem eo libro de fato in hæc verba, *inter eſſe autem aiunt vtrũ eiuſmodi quid ſit, ſine quo aliquid effici non poſsit, an eiuſmodi cum quo aliquid effici neceſſe ſit*, hæc ibi, quæ eiſdem fere vocibus Auguſtini adeo explicare proſequuntur, vt niſi integro ſæculo etiam Chriſti natiuitatem Cicero præceſſiſſet, Ciceronem ibi referre Auguſtini verba aliquibus ſuſpicari, (licet deceptis) forſitan contigiſſet.

Ex aduerſo non minus altera extrema claſſis à Cicerone relata ſimiliter in duos explicandi modos ſubdiuiſa fuit: primus fuit eorum, qui adeo quæcunque futura etiam abſoluta diuinę Prouidentiæ decretis penitus ſubtrahebant, vt etiam illorum veritatẽ præſciri à Deo prorſus inficiati ſint, dicentes immo ante euentũ ea certo ſcibilia non eſſe, inter quos præter antiquos alios allatos in Pſal. 93. dicentes, *non videbit Dominus, non intelliget Deus Iacob*, inde Epicurum præcipue adfuiſſe ſupponit Cicero eodem libro, dum diſputando cuidam Chryſippi argumento occurrere conabatur ſic dicens. *Hic primum, ſi mihi libeat aſſentiri Epicuro, & negare omnem ennunciationem aut veram eſſe aut falſam, eam plagam potius accipiam, quam fato omnia fieri comprobem. Illa enim ſententia ſcilicet Epicuri aliquid habet diſputationis, hæc vero de fato non eſt tollerabilis*, & iterum, *niſi forte volumus opinionem Epicuræorum ſequi, qui tales enunciationes nec veras nec falſas eſſe dicunt, aut cum id pudet, illud tamen dicunt, quod eſt imprudentius, veras eſſe ex contrarijs diſiunctiones, ſed quæ in ijs enunciata eſſent, eorum neutrum eſſe verum*; in quo ſenſu Minutius Fœlix in Octauio inquit, *Epicurus Deos aut otioſos fingit aut nullos*, & Petronius Arbiter in Epigrammate canit

Epicurus inertem

Iuſsit & hanc vitam dixit habere Deos,

Notantquè demum de eodem Epicuro Lactantius libr. 3. inſtitutionum cap. 17. Tertullianus contra Marcionem, & alij Patres. Poſterior alter explicandi modus circa præallatam ſecundam claſſem aliorum fuit, qui admittentes omnia ſutura certo & determinate futura eſſe, admiſerunt etiam, non quidem à Deo prædefiniri vt futura eſſent, ſed ex futuritionis euentu ſeu futuri euen-

tus ſuppoſitione præcedente deinde præſciri, adeo vt conſenſus noſter etiam abſolute futurus præcognoſcibilis eſſet, non ex alia cauſa anteriori efficiente præterquam ex cauſa innata propriæ voluntatis. Sic planè cum Carneade Cicero in eodem lib. de fato apertè poſt recitatam Epicureorum opinionem exclamat, *ò admirabilem licentiam & miſerabilem inſcientiam diſſerendi! ſi enim aliquid in eloquendo nec verum nec falſum eſt, certè id verum non eſt &c. tenebitur igitur id quod à Chryſippo defenditur, omnem ennuntiationem aut veram aut falſam eſſe, ratio ipſa cogit & ex æternitate quadam vera eſſe & ea non eſſe nexa à cauſis æternis etc.* de qua independentia à cauſis æternis dum Chryſippus vrgentem & veram (quam nunc Thomiſtæ repetunt) eam rationem opponebat, nimirum, *cauſas efficientes quod non habebit, id nec verum nec falſum erit, omnis autem enunciatio aut vera aut falſa eſt, motus ergo ſine cauſa nullus eſt,* ideſt futurus non eſt, eam ſic effugit Tullius dicens, *cum conceſsiſſent motum, ſcilicet voluntarium, animi nullum eſſe ſine cauſa, non concederent omnia, quæ fierent, fieri cauſis antecedentibus, voluntatis enim noſtræ non eſſe cauſas externas & antecedentes &c.* & poſt datum ad explicationem exemplum, *ſimiliter*, inquit, *ad animorum motus voluntarios non eſt requirenda externa cauſa, motus enim voluntarius eam naturam in ſe ipſo continet, vt ſit in noſtra poteſtate, nobiſque pareat, nec id ſine cauſa, eius enim rei cauſa ipſa natura eſt*, ſicque ſubinfert & futura ſcibilia eſſe, & tamen *non nexa cauſis externis*, vt antea dixerat, & ab exemplo ſic explicabat [non erant vtique cauſæ fatales, cur aliquid ita caderet vel accideret, ſed quod ita cecidiſſet, certe caſurum, ſicut cecidit, fuit, nec ij, qui dicunt immutabilia eſſe, quæ futura ſunt, nec poſſe verum futurum conuerti in falſum, fati neceſſitatem confirmant: ſed verborum vim interpretantur. At qui introducunt cauſarum ſeriem ſempiternam, in mentem hominis voluntate libera ſpoliatam neceſſitate deuinciunt.] vis clarius à Cicerone certam Præſcientiam futurorum ſine decreto? Audi iterum, *nec ſi omnes*, inquit, *ennunciatum aut verum aut falſum eſt, ſequitur illius eſſe cauſas immutabiles eas atque æternas, quæ prohibeant quidquam ſecus cadere &c. erat quidem hoc verum ex æternitate, ſed cauſas id efficientes non habebat.* Audi etiam regulatam hanc certam præſcientiam ex veritate obiectiua de futuro, argumento deducto (vt poſtea repetunt recentiores) à paritate de præterito, *nam*, inquit, *vt præterita ea vera dicimus, quorum ſuperiore tempore vera fuerint inſtantia, ſic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia.* negat pariter & ipſe in voluntate determinanda à ſe ipſa ad aſſenſum *antecedentem cauſam* præapplicatiuam eiuſdem, & iuxta hoc poſtea alibi de natura Deorum lib. 3. permiſſo nos gratias agere Deo de cæteris bonis naturæ, quoad libera bona, præueniens veluti Pelagij Hæreſim, aiebat, *virtutem autem nemo vnquam Deo retulit, num quis, quod bonus vir eſſet, gratias Dijs egit vnquam?* Scio Auguſtinum in quinto de Ciuitate cap. 9. recenſere Ciceronem veluti negantem in Deo præſcientiam, *& dum vellet facere homines liberos, feciſſe ſacrilegos*, ſed ſcio etiam eundem Auguſtinum lib. de Bono Perſeuerantiæ cap. 18. monuiſſe aliquando *eandem Prædeſtinationem ſignificari nomine Præſcientiæ*, & in hoc ſenſu verum eſt à Cicerone negatam Præſcientiam cum decreto & cauſalitate, non vero præcisè præſcientiam ſine decreto ab æterno, vt repetenti allata mox Ciceronis verba patebit.

Sic igitur explicatis cum ſuis auctoribus duabus extremis claſſibus circa

futurorum quotumcunque præſcientiam, vt ſic, ſubſequitur ſententia media Chryſippi, qui, vt idem Tullius aſſerebat, *tanquam arbiter honorarius medium ferire voluit*, & in re ſcientiam mediam conditionatorum tutatus eſt, quo ad abſoluta quidem & ipſe cum prima claſſe admittens fati decretum (eo modo quo in prima Claſſe pro Stoicis explicatum eſt) quo ad conditionata vero cũ ſecunda Claſſe præciſam ſine vllo decreto præſcientiam tutatus eſt, hinc ſaluans cum Dei decretis nos libere *poſſe* diſſentiri, licet nunquam *ſit futurus diſſenſus*, vt de ipſo aduertit Cicero ſic ipſum alloquens: *tu aduerſus Deodorum & quæ non ſint futura poſſe fieri dicis &c.* Sed audiamus de hac præſertim conditionatorum pręſcientia propria, pręalijs Stoicis, ipſi Chryſippo Ciceronem eũdem ſic atteſtantem, *quædam*, inquit, *Chryſippus, ſunt in rebus ſimplicia, quædam copulata*, en con iunctiones conditionales, quæ ſecundi generis etiam, vt ſubdit Cicero, *confatalia ille appellabat*, & pręter plura exempla ibi ſubiuncta de eiſdem, clariùs ad inſtitutum noſtrum hoc exemplo, vt refert Cicero, ea explicabat, *vt inquit qui protruſit Cylindrum, dedit ei principium motionis, volubilitatem autem non dedit, ſic viſum obiectum*, en circumſtantiarum conditionem, & ex obiecto congruam cogitationem, *imprimet illud quidem, & quaſi ſignabit animo ſuam ſpeciem, ſed aſſenſio noſtra erit in poteſtate, eaque quemadmodum in Cylindro dictum eſt, extrinſecus pulſa, quod reliquum eſt, ſuapte vi & natura mouebitur*; Enucleatius apud Agellium lib. 6. cap. 2. idem Chryſippus inquit, [ſicut lapidem Cylindrum ſi per ſpatia terræ prona atque deruta iacias, cauſam quidem ei & initium præcipitantiæ feceris, mox tamen ille præceps voluitur, non quia tu id iam facis, ſed quoniam ita ſe modus eius, & formæ volubilitas ſe habet. Sic ordo & ratio neceſſitatis fati principia cauſarum mouet, impetus vero conſiliorum mentiumque noſtratum, actioneſque ipſas voluntas cuiuſq; propria & animarum ingenia moderantur:] & in hoc ſenſu dumtaxat in dicto ſtatu conditionato admittebat, non ita *ad animi motum cauſam antecedentem*, vt admittebat *in abſoluto*, ad cuius explicationem & ipſe diuerſum cauſæ & concauſæ cooperantis concurſum diſtinguebat apud Ciceronem dicens, *Cauſarum aliæ ſunt perfectæ & principales, aliæ adiuuantes & proximæ. Quamobrem, cum dicimus omnia fato fieri cauſis antecedentibus, non hoc intelligi volumus cauſis perfectis & principalibus, ſed cauſis antecedentibus adiuuantibus & proximis &c.* quæ *proxima & adiuuantes*, ſubdit, *ſi non ſint in noſtra poteſtate, non ſequitur, vt ne appetitus quidem ſit in noſtra poteſtate, at hoc ſequeretur ſi omnia perfectis & principalibus cauſis fieri diceremus, vt cum hæ cauſæ non eſſent in noſtra poteſtate, ne ille quidem eſſet in noſtra poteſtate*. Hæc ille, ſed clariùs adhuc prædictum ſtatum conditionatum futurorum expreſſit idem Chryſippus in libr. 2. de fato recitato apud Euſebium lib. 6. pręparationis Euangelicæ cap. 7. his eiuſdem Chryſippi verbis, *multa enim ſunt, quæ fieri non poſſunt, niſi nos quoque ſtudium conferamus. iſta enim confatata, ſi voluerimus*, en conditionem expreſſam, vti etiam apud Ciceronem apparebat ex conſenſu conditionato noſtro, ſeu, ut ipſe loquitur, *copulato* in eo ſtatu non dependente à cauſa niſi *adiuuante*, ideſt cooperante, non *antecedente*, ideſt non præapplicante, ſubinferens inde ſaluari in ſtatu abſoluto ſeu *ſimplici*, vt loquitur ipſe, *in noſtra poteſtate eſſe appetitum*, licet connexa in hoc ſtatu abſoluto (ne à ſuis Stoicis omnino diſcederet) futuritione abſoluta cum decreto fati, ſine quo ideo nihil de facto fieri ibidem acriter tuebatur.

Hinc

Hinc poſtea alij audientes in ſtatu ſaltem abſoluto admiſſum fatum (quod libertatem auferre ſupponebant) neque expendentes alterius conditionati ſtatus diſtinctionem, dixerunt *Chryſippum pugnantia dicere*, vt Diogenianus Syrus apud Euſebiũ lib. 6. & Oenomotus Cinicus dixit Democritum *ſeruos feciſſe animos noſtros Chryſippum ſemiſeruos*, vti nec Cicero ipſe ſatis poterat hanc mediam Chryſippi ſcientiam ſeu ſententiam, ac diſtinctionem, decoquere, propter quod inquit ſæpe laudato libro de fato, *Chryſippus æſtuans laboranſque quonam pacto explicet & fato omnia fieri, & eſſe aliquid in nobis*, en vtramque partem ſententiæ Chryſippi, *intricatur hoc modo; ſed reuertitur ad Cylindrum, & turbinem ſuum, quæ moueri incipere niſi pulſa non poſſunt*. Quo eodem poſtea omnino exemplo vſus eſt & Ammonius in libro de Interpretatione, vbi propoſita ea vulgari diſiunctiua obiectione (*aut præſcitum eſt te hoc facturum, vel non facturũ, & ſi primum, facies quocunque modo, ſi ſecundum, nullo modo*) quam & Cicero afferebat dicens, *Genus hoc interrogationis ignauum atque iners nominatum eſſe:* tandem Ammonius poſt plura, negato ſaltem in ſtatu conditionato ipſo decreto prædefinitiuo Dei, concludit, *non quia Dij definito norunt contingentia, ideo illa euentura ſunt. Sed quia cum naturæ ancipitis ſint, aut talem, aut talem obtinebunt exitum, norunt Dij neceſſario, qualem, ſeu vtrum obtinebunt &c. Sic enim poteſt quidem etiam globus in plano horizontis quieſcens; manente plani ipſius ſitu, aut moueri aut non moueri: at ſi plani inclinatio fiat, fieri non poteſt, vt non moueatur &c.* Ad eandem conditionatorum præſcientiam ante futura abſoluta refugiſſe videntur alij pariter Ethnicorum Philoſophi apud Euſebium lib. 6. præparationis Euangelicæ cap. 6. dicentes: *Laium Dominum ſui fuiſſe, ſiue vellet filium procreare, ſiue nollet, filio vero nato neceſſe fuiſſe ab eo interfici, quare potuiſſe id recte Apollinis prouidentia percipi*, vti & Maximus Tyrius Oratione 3. ex propoſito inquirens, *vtrum exiſtente diuinatione aliquid ſit in noſtra poteſtate*, ad eaſdem verè conditionales coniunctiones refugit dicens, *calamitatem prænunciat Deus, cuius exordiũ facturus eſſet Laius, cauſam intelligeret Deus*

Cræſus Halyn penetrans magnam peruertet
Opum vim.
Quod Halyn traiecturus eſſet ſubticuit,

profert autem, quid eſſet paſſurus, ſi Halyn traijceret. Res quippe eiuſmodi ſunt, vt ſi earum ſuſtuleris complexum, diuinationemque Dei ab humana mente disiunxeris, harmoniam omnium conſonantiſſimam diſſoluas. His merito addendus eſt Alcynous de inſtitutione ad doctrinam Platonis cap. 19, vbi decretum Dei in primis generale indifferens, ſub conditione conſenſus noſtri, non minus ac Maſſilienſes ſub fati nomine ſic exponebat dicens, [omnia quidem in fato eſſe ait Plato, non omnia tamen fato eſſe definita. Fatum enim inſtar legis nequaquam dicit. Hic illa faciet, ille vero hæc. Hoc enim in infinitum abiret penes infinitos homines, & periret quod in nobis ſitum eſſe dicitur. ſed dicit, quod ſi quis animus vitam eiuſmodi delegerit, atque talia fecerit, hæc illum conſequentur.] audi nunc clarius præſcientiam conditionatorum, *ſic quoque, ait, & quod Apollo ipſi Laio prædixit. Si genueris filium, natus ipſe te perimet, in connexione continentur Laius & filius*, en conditionata complexa, ſubdit modo poſt conditionatorum præſcientiam decreta abſoluta dicens, *at quod ex eis eſt conſequens id fato definitum. Eius enim quod fieri poſſe dicitur, natura inter verum &*

falſum

falſum media incidit,eaque ex ſe indefinita, nempe conditionata definita non ſunt à decreto, vti poſtea abſolute futura,illiſque exploratis, hæc definiuntur,vnde de eorum præſcientia pergit, *in qua tanquam vehiculo fertur id quod in nobis ſitum eſt*, ſcilicet ſcientia media conditionatorum vehiculum eſt ad deferenda decreta deinde abſoluta erga liberum datum, *quod in nobis ſitum eſt*. Non poterat manifeſtius iſte Platonicus ante Maſſilienſes, & alios Semipelagianos, ſcientiam mediam melius exponere aut adornare,vti etiam eandem ex Platone ſententiam Nemeſius referebat lib. de Homine cap. 38. hucuſque igitur iſti Ethnicorum Philoſophi ſcientiam conditionatorum mediam diuinæ vtique prędefinienti voluntati inconnexam non paucis etiam ante Chriſtum exortum annis amplexati ſunt.

Nunc poſt Chriſti natiuitatem inter Chriſtianos ad quos deuenerit eadē, vel quomodo alij in eas diſtinctas claſſes reinciderint, videndum eſt. Primum equidem modum explicandi primam claſſem, pro fatali ſcilicet neceſſitatē auferente contingentiam aut libertatem, poſt natum Chriſtum hi omnes abſurdiſſime comprobarunt, ſcilicet Phariſæi, qui, vt loquitur Ioſeph Hebræus lib. 2. de bello Iudaico cap. 2. Romæ captivus tunc ſcribens poſt Chriſtum, *Primum dogma habent, vt fato & Deo vniuerſa deputent*, & ſi fortaſſe iuxta ſecundum modum etiam explicari poſſent, ex ſubiunctis verbis ibidem, *& quidem agere eſſe in hominibus, adiuuare autem in ſingulis & fatum*, vt obſeruauit noſter Ioan. à San. Thoma diſput. 3. de voluntate art. 1. Hunc certe errorem tenuit Priſcilianus cum Priſcillianiſtis damnatus in Concilio Bracharenſi 1. cap. 9. vt refert Caſtro verbo *Fatum*: tenuerunt Manichæi, vt referunt Epiphanius & Auguſtinus libro de Hæreſibus 46: inde Wicleph damnatus in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. & refutatus à Waldenſi tomo 1. cap. 22. & 25. ſecutus Monachos illos Adrumentinos apud Auguſtinum epiſt. 46. ad Valentinum, quos poſtea etiam ſecutus eſt Lucidus quidam cum Hęreticis Prędeſtinianis, de quibus infra q. 5. inde Lutherus, Caluinus, & impij ſinguli ſectatores eorundem, vt notum eſt, addito hoc ſolum de Caluino, quod & ipſe ſaltem quo ad Adam in ſtatu innocentię vſus eſt omnino eadem ſcientia media conditionatorum independente à decreto & efficacia Dei, vt ex eodem Caluino lib. 2. inſtitutionum cap. 3. §. 10. non pauci obſeruarunt, & denuo Ianſenius ſecutus eſt lib. 8. de gratia Chriſti cap. 10. & ſubſequentibus. Secundo vero modo prædefinitiones erga omnia futura ſine læſione contingentiæ vel libertatis docuit primitus D. Petrus in diſput. cum Simone Mago apud Clementem Romanum lib. 3. recognitionum, Dionyſius inde Areopagita Sinchronus Petro & Paulo cap. 5. de Diuin. nominibus, nominans in Deo *prædefinitiones*, & vere cæteri P. P. Eccleſiæ ſecuti ſunt, quos longo Cathalogo noſtri referunt, & expundunt, præſertim Salmanticenſes diſpu. 10. de voluntate dub. 2. per totum, & Lemos tom. 1. parte 2. tract. 5. & de Auguſtino præſertim id poſtea oſtendemus. Quo ad ſecundam claſſem, explicationem quidem illam pinguem ac rudem Epicuri primitus ſecuti ſunt Epicurei Athenis exiſtētes, vt recenſet Lucas in actibus Apoſtolorum 19, inde Simon Magus apud Clementem Romanum de geſtis Petri, dicens: *quod Deus non ſit præſcius rerum futurarum*: Saducæi apud Ioſephum Hebræum lib. 2. citato cap. 7, qui per omnia Epicuræi erant, Valentinus apud Tertullianum lib. 5. contra Marcionem,

ponens

ponens *Stupentem diuinitatem qualem iuſsit Epicurus*, Porphirius apud Euſebium lib. 6. præparar. cap. 4. Auerroes 12. Metaph. textu 62, & pauci alij, potius Athei quam Hæretici, approbauerunt. Secundum vero explicationis modum traditum à Cicerone, & Carneade de præſcientia ſine cauſalitate ac decreto, remiſſo penitus conſenſu ſoli libertati noſtræ, ſecuti ſunt primitus Baſilides apud Clementem Alexandrinum lib. 2. Stromatum, & Origenes ſuper Geneſim apud Euſebium libr. 6. præparationis cap. vlt. dicens, [quod futurum eſt cauſam eſſe cur id euenturum præuiderit Deus, neque id fieri, quia præſcitur, ſed potius contra præſciri, quia futurum eſt &c. vt ſi ab alio quis audiat aut in libro legat factum eſſe aut facturum aliquid, ille nec fuit nec erit cauſa &c. ſed veluti ſi quis Prophetæ librum euoluat, in quo de prædictione Iudæ ſcribatur:] inde Origenes dictus eſt *Pelagiani erroris Princeps* à Hieronymo epiſtola ad Cteſiſontem, & vere Pelagius per omnia cum ſuis Pelagianis Origenis errorem imitatus eſt, ex quo ipſi eodem loco Hieronymus obijciebat dicens, *doctrina tua Origenis ramuſculus eſt*, Oroſius in Apologetico, *Origenes, Priſcillianus, & Iouinianus olim apud ſe mortui in his, ſcilicet Pelagianis, viuunt*. S. Thomas 3. contra Gentes cap. 88. & 89. *quidam non intelligentes hoc &c, ſicut Origenes in 3. Periarchon liberum arbitrium defendens contra auctoritatem Scripturarum &c.* Baronius ad annum 394. *primogenita Origeniſtarum germina Pelagiani*, & ad annum 402. *ex erroribus Origenis Pelagianæ hereſis, vt ab aſpide ſuborta*, adeo vt immerito Annatus libr. 7. ſui Auguſtini cap. 12. §. 2. reprehendat in Baianis dictum illud, *Origenes Pelagianorum omnium origo eſt*, immerito Theophylus Raynaudus in Apologia pro Valeriano cap. 9. vocat, *Origenis Catholiciſsimam de gratia ſententiam*, immerito Moraines diſp. 8. AnteIanſenij num. 47. ait, *impudenter carpi erroris Pelagiani Origenem &c.* immerito Faſolus q. 14. art. 8, & alij inculcant adeo eam Origenis auctoritatem, quam modeſtè maluit ibi S. Thomas exponere, quam reprobare. Immerito Arubal affert hæc verba Origenis, *& ſi fingamus Deum non præcognoſcere aliquid futurum tamen futurum ſine dubio erit*, cum ad hoc omnino refugeret etiam Cicero in libro de fato ab Auguſtino refutatus 5. de Ciuitate cap. 9, conſequenter Origenis auctoritas in propoſito obeſt potius aduerſarijs, quam proſit.

Demum ſententiam ſeu ſcientiam mediam Chryſippi ante Semipelagianos primus tenuiſſe videtur Marcion apud Tertullianum libr. 2. in Marcionem cap. 7, dum ſupponens independenter à diuina diſpoſitione pure ſpeculatiue præſcitum eſſe à Deo, quid vnaquæque voluntas operatura foret, ſi in tali vel tali circumſtantia collocaretur, inde aduerſus decreta diuinæ Prouidentiæ aſſerta à Catholicis opponebat ſic. *Si Deus bonus & praſcius futuri, cur hominem paſsus eſt labi?* Sic & Ariani eidem ſcientiæ mediæ adhæſerunt, vt legitur apud Alexandrum Epiſcopum Alexandrinum tomo 1. Conciliorum, vt fatetur Granado de ſcientia media ſect. 3. & repetit Ouiedo p. 2. tract. 9. cum punc. 4. num. 74. id colligens ex Athanaſio orat. 1. & notat non minus Lemos tomo 1. 2. part. tract. 5. cap. 6. Sic & alij quidam hæretici non ſemel apud alios P.P. eodem diſcurſu Marcionis vſi ſunt: præ omnibus autem, tempore Auguſtini Maſſilienſes hanc ſcientiam mediam exſuſcitarunt, & Fauſtus poſtea lib. 2. de gratia cap. 3. his verbis expreſſit, *niſi Præſcientia explorauerit, prædeſtinatio nihil decernit*; quibus omnibus cum primo aſpectu ſuauior longe, quam

Digitized by Google

quam Auguſtini ſententia, videretur ſuggerente iterum ſerpente hoc arboris ſcientiæ pomum, vt Euæ olim apparuit *pulchrum oculis aſpectuq; delectabile &c. & tulerunt de fructu eius*, vt eis exprobrat Proſper in Carmine de ingratis dicens

Parcite de fructis percipere noxia Poma
Arbitrij ramis.

Pomumque iſtud Paridis, altero peius, tot ea diſſidia ab eo tempore per integrum ſæculum excitauit, dum Maſſilienſes refetētibus Proſpero, & Hilario datis ad Auguſtinum epiſtolis, *Prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt, vt ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem vniuſcuiuſque præuiderit, & ſub ipſo gratiæ adiutorio, in qua futurus eſset voluntate & actione præſcierit*, propter quod Proſper Auguſtino dijudicandum aduerſus hanc ſcientiam mediam proponebat, *an vniformiter, licet diuidi præſcientia à propoſito temporali diſtinctione non poſsit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito*, quod totum appoſite poſtea etſi affirmatiuè ab Auguſtino reſolutum ſit ſubiunctis duobus libris de Prædeſtinatione Sanctorum, & dono Perſeuerantiæ, vt in eiſdem videre eſt, mirum eſt iterum poſt tandem extincta ea Troiana veluti Semipelagianorum incendia ſub imbre aſſiſtentis Spiritus in Arauſicano Concilio damnante hanc cum abuſu permixtam conditionatorum Præſcientiam, recenter poſtea ab vno circiter ſæculo (derelicto à Catholicis vtique hæretico eiuſdem abuſu) eandem ſaltem conditionatorum Præſcientiam quo ad ſubſtantiam acceptam non parua inter doctiſſimos etiam Catholicos viros ſeruiſſe diſſidia. Quando ſcilicet vix abſoluta Synodo Tridentina, in qua non fuit hæc ſcientia adhibita, (vti opportunè indebellandis hæreticis, ſi illuxiſſet, vt vera apertius adaptata fuiſſet) à Fonſeca Conimbricæ, Vliſipone à Molina, & a Leſſio Louanij eadem omnino ſcientia conditionatorum media in orbem producta eſt, abuſu vtique (vt fatear iterum) velut captiua, antiquo crine detonſa, &, quod longe adhuc mirabilius eſt, velut altera Græcorum Helena litigia etiam inter ſuos veluti amatores exciuit, vt in ſimili vocauit *ſuæ opinionis amaſios* etiam Suarrium, & Arrubalem, ipſe Alarcon. trac. 4. diſp. 2. cap. 6. & poſtulante Fonſeca, quod ſibi eam Molina arripuiſſet, Molina vero non minus conquerente de Leſſio, vt nuper Macedo recenſet Collatione 10. difficultate 4. Sed hoc non obſtante non defuere, qui eandem, vt minus puram ſiue legitimam, dereliquerunt, inter quos etiam è Societate afferuntur Henriquez, Bellarminus, & Vaſquez ab eodem Macedo Collatione 11. difficultate 1. ſect. 5. per totam, Mag. Michael Marcus à Ledeſma pag. 9. Claudius Thiſanius & Azorius à Gonet diſput. 6. att. 5. S. 7. Vaſtida à Martinez à Prado & ex parte ab Ouiedo, P. Heruuat à Caramuele, Io. Philippæus à Salmanticenſibus, vti & Suarez, Granado, & Ruitius ab Alarcone culpantur ob admiſſa ex aduerſo prædefinitiua quædam decreta, quos P. P. Societatis in Gallia, vt inquit idem Macedo pag. 391. *Prædefinientes cum obiurgatione appellare ſolent*; ſeu vt loquitur Alarcon. vbi ſupra *ſuæ opinionis obſcuro detentos ne defecatiſsimū lumen Auguſtini recipiant*, & longe plures à ſcientia media diſcedentes ab initio diſputationis exortæ, inter Societatis P. P. dat nobis vna periodo Fuligatus, eiuſdem Societatis ſcriptor, in vita Bellarmini lib. 3. cap. vltimò dicens *Molinæ ſententiam aliqui ex eo quod ex*

in nius priuati ſcripteris nata ingenio erat, minime cenſebant defendi debere à Societate; & Lincæus noſtris adhuc temporibus ex eiſdem non paucos plena manu concedit lib. 7. Metaph. tract. 9. cap. 7. num. 40. dicens, *hactenus de præfinitione efficaci ſupponentes ſcientiam mediam, proximum eſt vt breuiter de ea agamus, quæ illam minime præſupponit*, quam profecto nemo nō credit Thomiſticam eſſe & tamen ſubdit, *multi Theologi noſtri eodem modo de vtraque Philoſophantur.* Inter quos ſane (vt omittam adductos ſupra libro 5. q. 3. a. 5. ad 3. in fine) adeſt & Ioannes ille Philippæus tom. 1. in Oſeam cap. 2. relatis eiuſdem verbis apud Salmaticenſes tom. 5. pag. 57. adeſt & Mariana lib. 4. de Regimine Societatis cap. 4. vocans *heſterna Ludouici Molinæ commenta*. Quid de inconciliabilibus diſſidijs illis, quæ inter ſcientiæ mediæ ſcriptores expendit noſter Ioan. à S. Thoma de Voluntate Dei circa Decreta efficacia in principio? quid de illa ſingulari denuo explicatione apud Lincæum loco citato num. 42. dicentem? *colliges quid dicendum ſit de ſcientia illa media reflexa, quæ paucis ab hinc annis inter noſtros circumferri cœpta eſt.* quid de Antonio Perrez diſput. 6. de ſcientia cap. 4. num. 69. aſtruente in Deo *præter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis & mediam, alteram intermediam?* quid de Palauicino lib 8. de Deo cap. 45. ponente *ſcientiam quandam vagam connexam cum complexo ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ & viſionis?* quid de peregrinis cæteris, & inauditis explicationibus huiuſmodi? erunt ne & iſtæ ſucceſſu temporum ad Auguſtini mentem, vel exaratæ ab eodem?

Non ſic, non ſic profecto S. Thomæ diſcipuli, qui cum ſuo Angelico Præceptore, vt Hæreticum pręſcientiæ conditionatorum abuſum funditus profligarent, eandem etiam ſcientiam mediam quo ad ſubſtantiam pro viribus auerſati ſunt. Non ſic noſter Angelicus S. Thomas Aquinas, qui vt alter Cherubim ad Eccleſiaſtici Paradiſi cuſtodiam cum gladio verſatili conſtitutus iam pridem Semipelagianorum errorem ſub arborè ſcientiæ natum excluſit, & prænindicatus veluti à D. Proſpero illis Carminibus viſus eſt in carmine de ingratis contra eoſdem Semipelagianos aiente.

Non ſpeciem Angelici nutrit cibus iſte decoris
Sed vetitorum auidos & tetra bile tumentes
De faſtigata procul abripit arbore vitæ.

Non ſic Angelici Præceptoris ſequaces extra etiam Ordinem Dominicanorum Thomiſtæ, qui immo, vt inquit nouiſſimus noſter Scriptor Gonet tom. 4. diſput. 6. art. 1. in fine aduerſus aliter opinantes *ſub Michaelis Clypeo & labaro pugnauerunt hoc potentiſsimo verbo, quis vt Deus?* vel vt loquitur S. Thomas in 2. diſt. 23. q. 1. art. 1. ad 3. *non ita tamen ſicut prima agenti nobis conuenit dominium actus*; de quo S. Thoma adhuc in hac materia Suarez ipſe Prologomeno 6. de Gratia cap. 6. num. 28. iſta ſcribere non dubitauit, *in illuſtrandis difficillimis de gratia & libero arbitrio controuerſijs ipſi Auguſtino D. Thomam ſupparem putamus.* de hoc merito Ioannes ille Caramuel, qui & Louanij mox extinctis turbationibus adfuit, & liberæ alias ſcriptionis eſt, in ſua Theologia fundamentali fundamento primo num. 58. concludebat, *qui dicit inlectum à Thoma Auguſtinum, Thomam non legit, vix enim Articulus in toto opere, qui Auguſtini careat Auctoritate, qui lectum quidem non tamen intellectum aſſerit, Thomam Angelica mente præditum negat, & ab Eccleſiæ vniuerſa pietate deflectit. qui Thomam ait legiſſe intelle-*

Digitized by Google

tellexiſſeque Doctoris Diuini volumina, voluiſſe tamen in partes ſuas vel inuitum trahere, in Angelici Doctoris Perſonam & doctrinam impius eſt, & mox infra. *Thomam fidelisſimum Auguſtini interpretem & Thomæ Didacum Aluarez exiſtimamus, quod contra Thomam eſt Auguſtini non eſt, ſicut nec Thomæ quod contra Aluarez ſi totus & attente legatur*. Hæc ille. Merito igitur hanc Thomiſtarum ſententiam ex inſtituto doctiores etiam quamplurimi Vniuerſitatum approbauerunt, vt referente Gonet diſput. 6. art. 5. parag. 7. Ex Aceademia Complutenſi Villegas, ex Oſcenſi Gaſpar Ram, Ex Pariſienſi Coqueus & Iſambertus, ex Duacenſi Eſtius & Syluius, ex Salmantina Curiel & Baſilius Legionenſis, ex noſtra hac Patauina Macedo nouiſſimè, qui plurimos alios etiam ex Scotiſtis adnumerat, ex Louanienſi, omnes Doctores vnanimi conſenſu reijcientes ſcientiam mediam, & de ea ferentes iudicium ſatis acre in Gonet eodem legendum, & in Lemos tom. 1. 2. p. trac. 5. cap. 35. præter alios quamplurimos, quos è ſingulis religionum Ordinibus, & litterarij Orbis Vniuerſitatibus ſuperabundanti cathalogo referunt nuper Salmanticenſes tom. 6. pag. 47. Venetæ editionis, & demum vnus pro mille ſufficiet Henriquez olim Francisci Suarez Præceptor, dum in libro de vltimo fine cap. 4. §. 1. littera A. de ſcientia media tunc à Molina primitus euulgata inquiebat, *quidã quaſi rem nouam ſe inueniſſe putant: nam in hac antiqua Controuerſia non confugiunt vniuerſaliter P. P. & veteres Theologi ad conditionatam præſcientiam*, & mox §. 2. *hæc ſententia non eſt neceſſaria pro aſſerenda hominis libertate & in multis deficit*, & tandem in Commentario litteræ inquit, *hæc diſputatio à noſtris ante viginti annos excitata eſt: & contra votum noſtrum ſuſcepta eſt in Italia ſententia, de qua in textu &c.* præter alia de eodem Henriquez legenda in Lemos tom. 1. tract. 6. cap. 2. & alibi. Nunc iuxta iſtos eadem ſcientia media ſaltem vt minus probabiliter Auguſtino conformis refutanda eſt.

ARTICVLVS II.

Reſoluitur & probatur circa prædictam conditionatorum præſcientiam, quod nunc aſſerunt Thomiſtæ, id verè etiam Auguſtinum ſaltem probabilius aſſeruiſſe.

PRimò igitur ſuadetur generali probatione deprompta ex intento præcipuo Auguſtini in libro de Prædeſtinatione Sanctorum, & de Dono Perſeuerantiæ, reſpondendi nimirum propoſitæ ex Maſſilienſibus difficultati. Nam cum Auguſtinus epiſtola 49. ſcripſiſſet, *tunc voluiſſe Chriſtum hominibus apparere & apud eos Prædicare ſuam doctrinam, quando & vbi, qui in eum fuerant credituri, præſciuerat*, admittens in Deo Præſcientiam futurorum conditionatorum (vt etiam admittimus nos) inde Maſſilienſes, vt refert Proſper in epiſt. ad Auguſtinum, ſubdolè ad hominem inferebant eum cum ipſis iam conceſſiſſe ſciẽtiam mediam, id eſt non innixam *propoſito*, vt inquit Proſper, *etiam ſanctitatis tuæ teſtimonio ſe probare teſtantur vt eſt* illud, *tunc voluiſſe hominibus apparere &c.* Auguſtinus vero huic contra ſe oppoſitioni reſpondens lib. de Prædeſtinat. S.S. cap. 9. non concedit profecto prædictam præſcientiam *ſine propoſito* vel *decreto*, immo reſpondet in re ſe vtique præſcientiam futurorum conditionatorum admiſiſſe, non tamen excludendo decretum, ſed præſcindendo

pro tunc ab eodem, eo quod ad quæſtionem ibi non faceret, & inquit, *cernitis me ſine præiudicio latentis conſilij Dei, aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti voluiſſe dicere, quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæſtionem, ſufficere videretur. quid enim eſt verius quam præſciiſſe Chriſtum qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri?* en præſcientia conditionatorum conceſſa in re, audi nunc de modo ſeu medio eiuſdem, de quo tunc Maſſilienſes diſſidebant, & nunc iterum diſputatur. *Sed vtrum*, inquit, *prædicato ſibi Chriſto à ſe ipſis habituri eſſent fidem an Deo donante ſumpturi? id eſt vtrum tantummodo eos præſciuit an etiam prædeſtinauerit Deus credituros? quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putaui.* audis dicentem ſe ibi à decreto vtique, quod à diſputatione non petebatur, *præſcindendo* vt Scholæ loquuntur *abſtraxiſſe*, non vero ſe excluſiſſe ipſum ſubinde monet, *quin*, inquit, *ita dixi vt hanc diligentiorem, & operoſiorem diſputationem de gratia tunc præterirem*, quam poſtea hoc poſtremo libro de prædeſtinat. Sanctorum aduerſus eoſdem Maſſilienſes ex inſtituto pertractauit, dum propoſita ſibi à Proſpero, vt vidimus, hac eadem difficultate, *an vniformiter præſcientia ſit ſubnixa propoſito*, reſpondens in dicto libro eandem ſoluendo aggreſſus eſt & diſſoluit vtique repetitis ibi perpetuo duabus tantummodo vniuerſim regulis, nimirum *quod Deum prædeſtinaſſe eſt hoc præſciiſſe quod fuerat ipſe facturus &c*, & quod *ea quæ dantur à Deo & quæ ſe daturum eſſe præſciuit profecto prædeſtinauit*. Ad quid igitur vltro de Auguſtini mente in propoſito dubitatur? peto enim vlterus ab aduerſarijs, aut his poſtremis reſponſionum libris ad propoſitã illam ſibi quæſtionẽ Proſperi, ac Maſſilienſium ſimul obiectionem vere reſpondit Auguſtinus vel non? aut potius difficultatem ſibi propoſitam diſſimulando ſubdole pertranſiuit? hoc poſterius non credo fore aduerſarios de tanto doctore ſcripturos non ſolum, ſed neque ex animo opinaturos, admiſſo vero priori, cum præallatæ duæ mox ante regulæ certe affirmanti magis ſententiæ connexionem præſcientię cum decreto faueant, quam neganti, eam vtique potius affirmauiſſe Auguſtinum credendum eſt. Roboratur id euidentius, nam, vt aduertit noſter Angelicus doctiſſimus æque ac fideliſſimus eiuſdem interpres, 3. p. q. 1. a. 5. ad 2, eam futurorum conditionatorum præſcientiam, quam prius in epiſtola 49. imperfecte expreſſerat, poſtea aliquo modo ſaltem retractauit in hoc loco poſteriori ſcilicet capite 9. de prædeſtinatione Sanctorum, ſed non retractauit profecto quo ad hæreticum ſcientiæ conditionatorum abuſum à Maſſilienſibus hæreticis adhibitum, cum hoc modo in eodem capite 9. profiteatur, ſe neque ibi eam tenuiſſe, remanet igitur retractaſſe quo ad minus expreſſam ibi eiuſdem præſcientiæ connexionem cum *propoſito* ſeu *decreto*, ad quem finem hoc poſteriori libro profeſſus eſt, vt difficultati propoſitæ reſponderet, *hanc diligentiorem & operoſiorem diſputationem*, prætermiſſam ibi, accuratiori opera ſuſcepiſſe. Vere igitur ſi ingenue velint hæc aduerſarij perpendere, fatebuntur Auguſtinum hoc libro poſtremo conditionatorum præſcientiam *decreto* ſeu *propoſito* innixam atque connexam verbis dilucidis aſſeruiſſe. Roboratur iterum, nam vel Auguſtinus approbat ſibi propoſitam ſcientiam mediam conditionatorum *inconnexam propoſito* ſcilicet decreto, vel non. Si ſecundum habemus quod volumus, ſi primum, cum iſta ſententia, vt aduerſarij gloriantur, facilior fuiſſet ad remouendas ſibi propoſitas obiectiones *ac fatali neceſſitate inducta* in epiſt. Pro-

ſperi

Digitized by Google

ſperi & ad ſerenandas eas turbationes Maſſilienſium, cur eam clare non expreſſit, non adhibuit? id autem certe non præſtitit, non igitur approbauit: vnde & hic poſſumus adaptare Auguſtino, quod ipſe Auguſtinus in ſimili de Apoſtolo dicebat epiſt. 105. *quis iſtum acutiſsimum ſenſum defuiſſe illi non miretur, hoc quippe ille non vidit, quando ſibi veluti aduerſantis obiecta quæſtione, non id potius tam breue tam apertum, tam, ſicut iſti putant, verum abſolutumque reſpondit etc. hic erat locus vt diceret quod iſti ſentiunt &c.*

Secundò iuxta Auguſtinum, & ſi tam in ſtatu conditionato quam abſoluto conſenſus noſter etiam liber ſaluetur, vniuerſaliter tamen ſemper repetit cũ Cypriano Auguſtinus in lib. de bono Perſeuerantiæ, *nihil eſse in homine, de quo ei gloriandum ſit, vt qui gloriatur in Domino glorietur*, rurſus, *omnia noſtra nihil aliud niſi dona Dei eſse niſi munera eius*, repetito vbique illo Apoſtoli dicto, *quid enim habes quod non accepiſti?* & huiuſmodi plura vniuerſim in Auguſtino inculcata frequentiſsime obuia fiunt. Sed ſi ad minus in ſtatu conditionato etiam ſi præſuppoſito, *ſub* conditione, *adiutorio Dei*, vt præſupponebant Maſſilienſes apud Proſperum in epiſtola ad Auguſtinum dicentes, *quod & ſub ipſo gratiæ adiutorio in qua vnuſquiſque futurus eſset voluntate Deus præſcierit*, homo à ſe ipſo in illo ſtatu inciperet conſenſum, iam non ſaluarentur vniuerſaliter hæc omnia allata ex Auguſtino, ſed ſolum alicubi & ex parte vera eſſent, ſcilicet in vno ſtatu abſolutorum, non in altero conditionatorum, immo ratione iſtius vtique dici poſſet ex oppoſito contra Auguſtinum, *Habere aliquid hominem*, ſcilicet *initium conſenſus, quod non acciperet, nec eius id donum eſse*, in eoque ſaltem *hominem gloriari poſse*, & huiuſmodi. ergo ex Auguſtino adhuc in illo ſtatu conditionato etiam præſuppoſito ſub conditione *adiutorio Dei*, non poteſt homo incipere conſenſum ſuum ex ſe, immo prærequiritur diuinæ voluntatis efficacia adhuc in eo ſtatu ſub conditione facturæ, vt ageret & ſic inciperet exhibendo conſenſum huc apprimè venit ponderatio conſimilis Auguſtini eiuſdem lib. 2. de Nuptijs & concupiſcentia ad Valerium cap. 17. ad ea verba Pauli 1. Corinth. 4. *quis enim te diſcernit?* vbi Auguſtinus premit vniuerſim ſic, *Apoſtolus hominis tanquam de ſemetipſo & de proprio bono gloriantis ait, quis enim te diſcernit? & tanquam reſpondiſset: diſcernit me propoſitum meum &c. quid enim inquit habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti quid gloriaris quaſi non acceperis? hoc eſt quaſi de tuo ſit, vnde diſcerneris?*

Tertiò, quia adhuc in ſtatu conditionato non minus ac in abſoluto valet ea diſtinctio Auſtuſtini lib. de correptione & gratia cap. 12. diſtinguentis *adiutorium ſine quo non* vellemus, & *adiutorium quo fieret*, vt vellemus, aliter Maſſilienſes hanc diſtinctionem non adeo abhorruiſſent, niſi contra ipſos etiam de ſtatu conditionato intellecta fuiſſet, abhorruerunt autem vt teſtatur Hilarius in epiſt. ad Auguſt. dicens, *moleſtè ferunt ita diuidi gratiam &c.* ergo prædicta diſtinctio etiam ab Auguſtino quo ad ſtatum conditionatum tradita fuit & intellecta, ſed iuxta oppoſitam ſententiam & Auctores ſcientiæ mediæ prædicta adiutorij diſtinctio, licet in ſtatu abſoluto, non tamen in conditionato ſaluaretur, ergo prædictæ Auguſtini diſtinctioni vel doctrinæ ſcientia media non conformatur.

Quartò, quia vt expreſsè arguit Petrus Diaconus lib. de Incarnatione & gratia ad Fulgentium cap. 7. *hæc ſi ita ſunt, vt hæretici iactitant, comprehenſa ſunt*

ab

Digitized by Google

ab ipſis inſcrutabilia & incomprehenſibilia Dei iudicia. Si enim, vt ipſi dicunt, nolentes damnat ſaluat autem volentes, nihil eſt omnino, quod quæratur vlterius, & idem habet Proſper ad capita Gallorum cap. 8. & alibi. Sed pariter admiſſa ſcientia media, ſine qua *prius explorante* nemini donum aliquod diuinum denegetur, iam quodam modo comprænhenſa dici poſſent iudicia Dei, id eſt ratio aliqua ſufficiens etiam collationis donorum Dei; ergo iterum ſcientia media non ita conformis præadductæ Auguſtinianæ doctrinæ Petri Diaconi ac D. Proſperi exiſtimanda videtur. Scio vtique principaliter præallatam doctrinam maniſeſte conuincere Semipelagianum abuſum eiuſdem ſcientiæ conditionatorum, à quo nunc longe Catholici Auctores ſcientiæ mediæ recedunt, ſed tamen probabiliter ſaltem ex eodem diſcurſu & ſcientiam mediam abſolute quo ad ſubſtantiam ſic refutari poſſe quam plures aduertunt, tum quia etiam tunc temporis inter Semipelagianos Caſſianus ſaltem ex parte admittebat prædeſtinationem, vel collationem donorum Dei non ita pediſſequam ad ſcientiam mediam regulari, admittens immo collatione 13. cap. 7. & 8. aliquos etiam *reluctantes trahi*, vt aduertit & Proſper contra Collatorem cap. 14. tum quia iudicia Dei iuxta Auctores Scientiæ mediæ licet ſaluarentur inſcrutabilia circa electionem ad dona Dei, non ita tamen circa effectum eorundem & vſum, & tamen etiam hoc ſecundo modo inſcrutabilia eſſe colligitur ex Apoſtolo, vt expendit Proſper lib. 1. de Vocatione Gentium cap. 22. ideò dicens, *fruſtra profunditatem inſcrutabilis gratiæ per liberum arbitrium conantur aperire*. & infra, *Igitur profunditas illius quæſtionis, quam ſecundum admirationem Apoſtoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle & nolle non ſoluitur*. ergo ſaltem probabilius ex præallato diſcurſu ſcientia media etiam quo ad ſubſtantiam & nedum quoad abuſum refellitur.

Quintò, quia Fauſtus lib. 2. cap. 3. dicebat, *niſi præſcientia explorauerit prædeſtinatio nihil decernit*, & ideo Maſſilienſes relati ab Hilario in epiſt. ad Auguſtinum negabant Deum *Humanam ſibi ſubijcere voluntatem*, & iterum Fauſtus lib. 1. cap. 10. & 11. reprehendit illud Cypriani, & Auguſtini dictum, *totum ſolius gratiæ eſſe & tutiores nos viuere ſi totum Deo datur*, & pariter Maſſilienſes apud Proſperum in epiſt. ad Auguſt. *voluntas hominis*, inquiunt, *Diuinæ gratiæ ſibi parit opem non gratia ſibi humanam ſubijcit voluntatem*, & rurſus ibidem negāt quod Dei *conſtitutio humanas præueniat voluntates, aliter ſub hoc prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem*, & conſequenter ſinguli iſti in hoc puncto contra Auguſtinum conueniebant, quod totum noſtri conſenſus initium ab efficacia *diuini propoſiti* non deſumeretur; ergo ex oppoſito Auguſtinus contra dicēs eiſdem perſiſtebat in hoc, quod totum noſtri conſenſus initium ab efficacia *Diuini propoſiti* deſumeretur, ſed ſemel admiſſa ſcientia media etiam quo ad ſubſtantiam iam totum initium noſtri conſenſus ab efficacia *diuini propoſiti* non deſumitur, ergo ſcientia media iuxta Auguſtini principia admittenda non eſſe videtur.

Sextò, quia vbi referente Hilario in epiſt. ad Auguſtinum, *nec ad incertum voluntatis Dei deduci ſe volunt*, ſcilicet Maſſilienſes, contra iſtos directè ſic arguit Auguſt. de Dono Perſeuerantiæ cap. 11. dicens, *homines infirmitati ſuæ ſe malunt com mittere quam firmitati promiſsionis Dei. Sed incerta eſt mihi, inquis, de me ipſo voluntas Dei. Quid ergo? tua ne tibi voluntas de te ipſo certa eſt?* Sed iſte

Augu-

Auguſtini diſcurſus ſoluens præcipuam difficultatem Maſsilienſium quoad ſtatum abſolutum ſoluit etiam præcipuam difficultatem Catholicorum nunc Auctorum ſcientiæ mediæ quoad ſtatum conditionatum, vt applicanti patebit, ergo non obſtante præcipua difficultate Catholicorum Auctorum ſcientiæ mediæ ex Auguſtino adhuc ſcientia media admittenda non eſt.

Septimò, quia iuxta Auctores ſcientiæ mediæ ſaltem in ſtatu conditionato Deus *non faceret vt nos vellemus*, & faceremus, ſed iuxta Auguſtinum Deus vniuerſaliter facit vt nos velimus, vt ipſe docet, tum lib. 4. ad Bonifacium cap. 7. dicens, *fatendum eſt Spiritum Sanctum mentes bonas non ſolum adiuuiſſe quod & iſti volunt, ſed etiam bonas feciſſe quod volunt*, & lib. 1. operis imperfecti aduerſus Iulianum fol. 140. *Si non præuenit voluntatem vt operetur, ſed prius exiſtenti voluntati cooperatur, quomodo verum eſt, Deus in nobis operatur & velle.* ergo ex Auguſtino ſcientia media, vt minus probabilis, refelli poteſt, & ad idem legi poteſt in lib. de prædeſti nat. Sanctorum cap. 1. & cap. 16. vbi Maſſilienſes reprehendit non obſtante quod & ipſi in ſtatu abſoluto ſaltem concederent *a Deo præueniri voluntates*, ſolumque negarent (vt refert Hilarius ad Auguſtinum) *præſtari credendi voluntatem.*

Octauò, nam Auctoritas illa Apoſtoli, *vult omnes homines ſaluos fieri*, à Maſſilienſibus pariter de quadam voluntate indifferenter oblata omnibus accipiebatur, veluti *indifferenter vniuerſos velit ſaluos fieri ſi homines ipſi velint atque conſentiant*, vt referunt Proſper, & Hilarius in epiſt. ad Auguſtinum. ergo & iſti conueniebant in decreto indifferenti diuino exhibente indifferenter concurſum, ſed iſti in hoc ipſo ab Auguſtino reprobati ſunt, ergo ab Auguſtino probabilius ſaltem etiam decretum diuinæ voluntatis indifferens exhibens indifferentem concurſum reprobatum eſt. Sed reprobato hoc decreto indifferenti, ad quod recurrunt Auctores ſcientiæ mediæ, conſequenter & ſcientia media reprobata videtur, ergo ex Auguſtino ſaltem probabilius ſcientia media reprobata eſſe videtur.

Nonò, nam adiutoria, quæ ex natura ſua ab intrinſeco diſtincta ſunt, non ſolum in ſtatu abſoluto, verum etiam in ſtatu conditionato diſtincta eſſe debent, ſed *adiutorium ſine quo non*, & *adiutorium quo*, ex Auguſtino, vt mox oſtendo, ab intrinſeca etiam natura ſua diſtincta ſunt, ergo non ſolum in ſtatu abſoluto verum etiam in conditionato diſtincta eſſe debent, non ſic autem diſtincta eſſent in ſtatu conditionato ſi ſcientia media daretur, vt aduerſarij fatentur, ergo ſcientia media non datur. Minor principalis, quæ ſola indiget probatione probatur ex eodem Auguſt. lib. de Correptione & gratia cap. 12. manifeſte dicente, *ipſa adiutoria diſtinguenda ſunt. aliud eſt enim adiutorium ſine quo non fit aliquid, & aliquid adiutorium quo aliquid fit.* Audis? Sed perge ibi, vbi poſtquam primum explicuit exemplo *alimenti ſine quo non poſſumus viuere* explicat inde ſecundum exemplo luminis gloriæ dicens, *at vero Beatitudo, quam non habet homo cum data fuerit continuo fit beatus. adiutorium eſt enim non ſolum ſine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur.* & iterum pro primo ibi affert exemplum *lucis* ſine qua non videt oculus, quam tamen adhuc dum videmus negat fieri *adiutorium quo* fiat, vt videamus, libr. 2. de peccatorum meritis cap. 5. dicens, *hoc certe oculis corporis lux ipſa non præſtat*, ſed hoc eſt diſtingui ab intrinſeco ipſa adiutoria ex natura ſua, ita vt vnum connotatiue

ad

ad diuerſa nequeat tranſire in alterum; ergo ex Auguſt. adiutoria vere ab intrinſeco ex natura ſua diſtincta ſunt, immo non ſolum in genere cauſæ formalis, verum etiam efficientis, dum ſecundum, inquit, *eſt quo fit propter quod datur &c.*

Decimò, quia admiſſa ſcientia media pro ſtatu conditionatorum, iam adiutorium, cum quo Adam præuiſus fuit diſſenſurus, potuiſſet præuideri in altero homine futuro cum conſenſu ſub conditione ipſius, ſed hoc aperte negat Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 12. de alijs hominibus dicens, *ſi relinqueretur voluntas ſua vt in adiutorio Dei, ſine quo perſeuerare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent &c. voluntas ipſa ſuccumberet,* ergo falſum eſt pariter ex Auguſtino pro ſtatu conditionatorum ſcientiam mediam dari.

Vndecimò, peto ab oppoſitis, vt mihi aſſignent circumſtantiam, ſub qua præuideatur Petrus non conſenſurus Deo v. g. ſub circumſtantia auditionis Ancillæ, tunc de hoc caſu ſic arguo: aut Petrus conſiderans ſe futurum ſub ſub tali circumſtantia rationabiliter adhuc rogabit Deum, vt velit operari bonam voluntatem in ipſo, vel irrationabilis foret oratio illius. Sed hoc ſecundum dici nequit, cum ſit contra pium vſum Eccleſiæ ſemper pro qualibet circumſtantia recurrentis ad Deum, vt velit facere bonas in nobis voluntates, ergo primum dicendum eſt, ſed vbicumque oramus Deum vt ipſe faciat bonam in nobis voluntatem, ſignum eſt euidens Deum in nobis inchoare bonam voluntatem, ergo adhuc in eo caſu conditionato Dei erat inchoare in Petro bonam voluntatem, nec conſequenter adhuc in ſtatu conditionato poteſt præuideri conſenſus incipiens primo à voluntate creata contra ſcientiæ mediæ principia. Audi nunc Auguſtinum libr. de corrept. & gratia cap. 8. de oratione Chriſti pro fide Petri opportunè dicentem, *perituram quidem fidem Petri ſi voluntas eius deficeret, & permanſuram ſi maneret, ſed quia preparatur voluntas à Domino, ideo pro illo non poſſet eſſe inanis oratio.* Vel ſub alia forma iſte diſcurſus proponi poteſt, nempe iuxta Auctores ſcientiæ mediæ aliqua circumſtantia daretur, in qua præuideretur à Deo mea voluntas v. g. ita diſſenſura vt nec Deus pro illa circumſtantia poſſet facere vt conſentiret. Sed hoc repugnat argumento Auguſtini deſumpto ex oratione ad Deum, ergo & ſcientia media Auguſtino repugnat, oſtendo minorem, quia iuxta Auguſtinum nil petitur à Deo in oratione, quod non ſit potens Deus concedere, vt ipſe arguit lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 14. & 20. & de Dono Perſeuerantiæ cap. 2. & 6. & epiſt. 105. ad Sixtum, vnde libro de Dono Perſeuerantiæ cap. 7. concludit, *ſi ergo alia documenta non eſſent hæc Dominica oratio nobis ad cauſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret*; & epiſt. 95. *ipſa igitur oratio clariſsima eſt gratiæ teſtificatio.* Sed ego adhuc pro illa circumſtantia rationabiliter orarē Deum vt operaretur conſenſum in voluntate mea, ergo iuxta Auguſtinum pro illa adhuc circumſtantia potens eſt Deus operari conſenſum in voluntate mea. Nec valet ſi dicas in hoc caſu nos congruenter orare ſub conditione ſi Deus facere poſſit. Contra enim eſt, quia hoc modo ruunt omnes præallegati diſcurſus Auguſtini, qui ex oratione inferebat poſſe Deum omnia facere, quæ in orationibus Eccleſię petūtur, vt fiant. Vnde Auguſtinus lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 2. id præueniendo dixerat. *Noli errare, inquit Apoſtolus, Deus*

non

non irridetur. *O homo! non verborum tuorum, verum etiam cogitationum teſtis eſt Deus. Si aliquid à tanto diuite veraciter ac fideliter poſcis te accipere crede quod poſcis. Noli eum alijs honorare, & ſuper eum corde te extollere, credens à te ipſo tibi eſſe, quod ab illo te fingis orare.* Ad idem facit, quia quod in tali circumſtantia aliquis cōſenſurus eſſet, aut poſſet de hoc iſte rationabiliter gratias agere Deo, vel non? hoc ſecundum videretur contra pium vſum Eccleſiæ de quolibet bono gratias reddentis Deo, ergo primum dicendum remanet, ergo in tali adhuc circumſtantia ſeu in ſtatu conditionato conſenſus ipſi Deo primariò tribuendus eſt, vt ex gratiarum actione arguit Auguſtinus lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum fol. 453. nec dicas gratias agi, quia Dei eſt ponere in tali circūſtantia, non quia facturus eſſet aſſenſum, ſi homo in tali circumſtantia poneretur. Contra enim arguit ibidem Auguſtinus dicens. *Surde audi Apoſtolum gratias agentem Deo, quandoquidem non dixit gratias ago, quia prædicata eſt vobis doctrina eius, ſed quia obedistis, non enim omnes obediunt Euangelio, ſed quibus datū eſt, ait Dominus, illis autem non eſt datum; non ergo ex corde, hoc eſt ex voluntate obediſſent, ſi non præparetur voluntas à Domino. alioquin mendaciter et de hac re Apoſtolus gratias agit, ſi hoc ipſe non fecit.* Quid clarius? Adde, quod peior circumſtantia eſſe non poteſt, quam dum actu peccare volumus, & Deo reſiſtimus, ſed adhuc Deus præuidendo per ſcientiam cōditionatam homines ſub tali circumſtantia, poteſt eos facere de nolentibus volentes, vt probat idem Auguſtinus lib. 4. ad Bonifacium cap. 9. ex eadem oratione, *quia (inquit) oramus non ſolum pro nolentibus, verum etiam pro repugnantibus & oppugnantibus. quid ergo petimus niſi vt fiant ex nolentibus volentes ex repugnantibus conſentientes? à quo niſi ab illo, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Domino?* ergo per ſcientiam cōditionatam in nulla circumſtantia poſſunt homines præuideri ſic diſſenſuri quin nequeat Deus in eodem ſtatu eos facere conſentientes, contra ſuppoſitum ſcientiæ mediæ, & defenſorum eiuſdem.

Duodecimò, qui dicitur *omnia* in nobis operari, dicitur, quod operetur etiam noſtrum conſenſum ſub aliqua circumſtantia & conditione, cum & iſte aliquid ſit ſub ly *omnia* compræhenſum, ſed Deus, vt Auguſtinus expendit, dicitur in nobis *omnia* operari, ergo etiam conſenſum ſub conditione quacunque vel circumſtantia, ad quam ſcientia media recurrit; Minor habetur ex illo Iſaiæ, *omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine*, & Apoſtoli ad Epheſ. 1. *qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, vt ponderat Auguſtinus lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 18. *vſque adeo omnia vt in nobis operetur & velle*, & lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 6. *tutiores igitur viuimus ſi totum Deo damus non autem nos illi ex parte & nobis ex parte committimus.* hinc epiſt. 107. ad Vitalem, *fateatur*, ſcilicet Pelagius, *quando contra tentationes concupiſcentiaſque illicitas dimicamus, quamuis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa ſed adiutorio Dei noſtram prouenire victoriam &c.*

Decimotertiò, quia cauſalitas Diuinæ voluntatis efficax ſolum ab extrinſeca præuiſione ſcientiæ mediæ eſt minus efficax quam ponatur efficax à negātibus ſcientiam mediam ponentibus eam ab intrinſeco efficacem, & per conſequens primo modo efficaciſſima dici non poteſt, ſed ab Auguſtino *efficaciſſima* nuncupatur, ergo ab Auguſtino non ponitur efficax Diuinæ voluntatis cauſalitas ſolum ab extrinſeca præuiſione ſcientiæ mediæ; minor habetur ex

Digitized by Google

Auguſtino lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 5. vocante, *efficaciſſimam*, & iterum cap. 16. nominat *vires efficaciſſimas*, lib. de Correpr. & Gratia cap. 5. *occultiſſimam & potentiſſimam*, lib. de Gratia Chriſti cap. 24. *ineffabilem poteſtatem*, lib. 1. ad Bonifacium cap. 20. *occultiſſimam & efficaciſſimam poteſtatem*, lib. de Correpr. & Gratia cap. 14. *omnipotentiſſimam poteſtatem*, & tandem epiſtol. 107. ad Viralem *omnipotentiſſimam facilitatem*.

Decimo quartò inranrum daretur ſcientia media ſine decreto prędeterminante Thomiſtico, inquanrum ex ſcriprura vel ſacris litteris non videtur colligi iſta *prædeterminatio*; ſed hæc ratio vel obiectio apertè refellirur ex Auguſtino, ergo ex Auguſtino conſequenter etiam repellitur ſcientia media. Minor probarur, nam in ſimili omnino præuidens hanc obiectionem Auguſtinus lib. 1. ad Bonifacium cap. 19. dicebat, *quod verbum, ſcilicet trahere, ſi non ex Euangelio poſuiſſem, quanta de me propter hoc iſte dixiſſet*, conſtat autem maius eſſe *trahere* quam *prædeterminare*, & ſimiliter Anſelmus in lib. cur Deus Homo cap. 10. inquit. *quoniam voluntate quiſque ad id, quod indeclinabiliter vult, trahitur vel impellitur, non inconuenienter trahere vel impellere dicitur Deus cum talem voluntatem dat*, conſtat autem à pari voluntatẽ dum vult determinare ſe, igitur Deus per decretum & rectè dicitur prædeterminare voluntatem, vt tandem vidit & approbauit hanc fraſin etiam Suarez lib. 5. de graria cap. 7. & prætet vulgate reſtin onium Dionyſij nominantis in Deo *prædefinitiones prædeterminatiuas* ſimiles in Auguſtino abundant locutiones, vt lib. 1. de Dono Perſeuerantiæ cap. 6. inquit *a malo in bonum flectit voluntatem*, & iterum, *inclinat corda*, cap. 10. de Prædeſtinatione Sanctorum, *corda tenet, corda monet, hominesque, voluntatesque eorum, quas ipſe in illis operatur, trahit.* lib. de Correpr. & gratia cap. 14. *applicat ſenſum noſtrum.* ſer. in Pſal. 126. *hominis agit ſenſum vt legi atque doctrinæ accomodet aſſenſum.* epiſt. 107, quæ ſingulæ fraſes ſatis præallatam obiectionem excludunt.

Decimo quintò, quia ſi ſub conditione aliqua in ſtatu conditionato ipſa voluntas hominis primò inciperet aſſentiri, profecto aliquid magnum ageret non verò *vix ageret*. Sed ex Auguſtino libro de Geſtis Pelagij cap. 3. *plus eſt agi quam regi, qui enim regitur aliquid agit & à Deo regitur ut rectè agat, qui autem agitur, agere aliquid ipſe vix intelligitur, & tamen quotquot ſpiritu Dei aguntur hi Filij Dei ſunt*, immo hac de cauſa in Pſal. 34. concione 1. aſſimilat voluntatem noſtram inſtrumento, ſcilicet frameæ reſpectu Dei vt cauſæ principalis agẽtis, & alibi inquit, *ipſum Deum in nobis canere, in nobis loqui & huiuſmodi catera operari*, vt in epiſt. 120. cap. 17. & 18. in Pſal. 56. Ser. 8. de Verbis Apoſtoli cap. 4. ſer. 43. de Verbis Domini cap. 2, tract. 93. in Ioannem, & pulcherrimè explicat ſimilitudine organi harmonici in Pſal. 47. dicens, *cum aliquid rectum agimus, ipſe loquitur, videte itaque multipliciter loquendo multis modis per multa vaſa, per multa Organa, ipſe tamen ſonat, vbique tangendo, modificando, inſpirando &c.* ergo ex Auguſtino ſub quacunque adhuc conditione in ſtatu conditionato voluntas hominis conſideretur, nequit præuideri, vt primo incipiens conſenſum, niſi à Deo prædetermine tur, decretoque applicetur.

Decimo ſextò, quia conſenſus conditionate præuiſus, vt futurus in ſtatu conditionato veluti naturalis formaliter, & à natura procedens, non ſolum nequit eſſe meritum ſeu motiuum decreti prædeſtinatiui Diuini, verum neque

etiam

etiam conditio ſine qua non. Sed iuxta aduerſarios licet præcaueatur primū; non tamen ſecundum, vt robuſte contra Faſolum oſtendit Xantes Mariales relectione 10. de ſcientia ſect. 4. per totam, ergo ab Aduerſarijs non videtur euitari id, quod iuxta Auguſtini doctrinam euitandum eſt. Maior probatur, quia vt nouiſſimè etiam refert Hēricus Noris in vindicijs Auguſtinianis pag. 93. & ex teſtimonijs eiuſdem Societatis oſtendit, iam ſub Claudio Aquauiua Præfecto Generali Societatis in Societate doceri debere *definitum eſt prædeſtinationis, nec rationem nec conditionem eſſe ex parte noſtra*; minor vero, quod quidem conſenſus conditionatę præuiſus ponatur à Molina eiuſque ſectatoribus, *vt conditio ſine qua non*, conſtat ex eo, quod repetunt non poſſe prædeſtinari abſolute collationem doni efficacis diuini, niſi præuideatur prius conſenſura voluntas ſub ea conditione adiutorij; hunc vero conſenſum, pro vt in eo ſtatu conditionato præuidetur in vno præ alio, fatetur Faſolus prout ſic in naturam refundi dub. 17. de ſcientia conditionata num. 412. refundens *ſolum in libertatem arbitrij ſe determinantis*, &, vt mox antedixerat, *in nullam aliam cauſam*, quod tamen Proſper in epiſt. ad Auguſt. reprobabat dicens, *ſic Diuinæ voluntati impiè humana voluntas præfertur, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit, non ideo velit quia adiuuetur &c.*& tandem, *ſi aliunde Deo placetur niſi ex eo quod ipſe donauerit*: nec ſolus Proſper Auguſtino id ſcripſit, ſed Auguſtinus ipſe reſpondens in libr. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 2. id approbauit his verbis, *ſic quaſi componit cum Deo vt partem ſibi vendicet, atque illi partem relinquat, & quod clarius eſt, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi, & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum*, vt dixerat etiam in Enchyridion cap. 32.

Decimo ſeptimò probatur ex Auguſt. ep. 107. ad Vitalem dicente, *recognoſcis me, vt puto, in ijs, quæ nos ſcire dixi, non omnia, quæ ad fidem Catholicam pertinent, commemorare voluiſſe, ſed ea tantum, quæ ad iſtam, quæ inter nos agitur, quæſtionem, vtrum præcedat hæc gratia an ſubſequatur hominis voluntatem, hoc eſt, vt planius id loquar, vtrum ideo nobis detur quia volumus, an per ipſam etiam hoc Deus efficiat vt velimus*. Subſummo minorem, ſed licet in penultimis verbis Auguſtinus proponat ſub quæſtione ſolum abuſum ſcientiæ mediæ, ſcilicet dum inquit, *vtrum ideo nobis datur &c.* tamen in poſtremis verbis proponit etiam diſputationem de Scientia media ſecundum ſubſtantiam, dum inquit, *an etiam hoc Deus efficiat vt velimus*, ergo aduerſarij falſo ſupponunt Auguſtinum ſolum diſputauiſſe de abuſu ſcientiæ mediæ, non vero de ſcientia media ſecundum ſubſtantiam, vt de facto Thomiſtæ intendunt.

Decimo octauò, quandocunque vnum non eſt eſſentialiter connexum cum altero poteſt ſaltem de potentia abſoluta vnum poni ſine altero, permutata miraculosè prouidentia generali, cum aliàs abſoluta potentia hoc ſolo priuetur, quod nequeat rerum eſſentias immutare, ſed iuxta aduerſarios in iſto conditionato futuro, *ſi Petrus vocetur conſentiet*, iam conſenſus profectò eſſentialiter non eſt connexus cum vocatione, aliter non eſſet liber ſed neceſſarius, vtpote naturalis immo eſſentialiter immutabilis. ergo ſaltem mutata generali prouidentia poſſet adhuc Deus de potentia abſoluta ponere talem vocationem ſine conſenſu, ergo iuxta aduerſarios prædicta adhuc conditionalis, præſcindendo à decreto, dici nequit infallibiliter vera nec conſequenter certo vt futura præſciri à Deo, quod erat Auguſtini, Damaſceni, & D. Pro-

Digitized by Google

ſperi argumentum repetentium in Maſſilienſes, ſcilicet iuxta ipſos *præſciri à Deo vt futura, quæ futura non eſſent*, & robotari poteſt, quia magis connectitur combuſtio cum igne approximato quam conſenſus liber cuiuſcunque cum vocatione, ſed combuſtio non poterat præuideri vt futura infallibiliter etiam ſub conditione approximationis, vt conſtitit in fornace Babilonis, vbi impedita fuit, ergo à fortiori nec conſenſus de ſe ante decretum præuideri potuit vt infallibiliter futurus etiam ſub conditione vocationis vt iſti ſupponunt.

Decimo nonò in tantum daretur præſcientia iſtius conſenſus futuri ſub conditione ante decretum prædefinitivum ſeu prædeſtinativum eiuſdem, in quantum decretum iſtud prædeſtinativum &c. videretur lædere contingentiam in actu, ſed hæc difficultas iam diu intorta eſt ab Auguſtino in arguentes à pari ſcilicet de præſcientia in libr. de Dono Perſeuerantiæ cap. 15. & cap. 21. ab illis verbis, *ſic redargui videtur & præſcientia Dei &c.* & cap. 22. dicendo, *illo autem modo, quo ad id dicendum putant de Prædeſtinatione, eadem ſententia eiſdem pene verbis etiam de præſcientia Dei pronunciari poteſt &c.* ergo non obſtante difficultate prædicta, ex Auguſtino, neganda eſt præſcientia rerum ſub conditione ante decretum &c.

Vigeſimò, quia in ſententia Auctorum ſcientiæ mediæ niſi homo prius ſaltem in ſtatu conditionato eliciat ex ſe conſenſum, quem ipſum elicere non faciat Deus, nec prædefinierit elicere, nunquam Deus in ſtatu abſoluto faciet ipſum conſentire, vt illi concedunt. Sed hoc ab Auguſtino refutatur, ergo & ſcientia media ab Auguſtino refutata eſt; minor probatur. Sic enim Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. refert, & reprehendit ſibi aduerſantium ſententiam his verbis, *nihilominus vt impleatur quod promiſit Deus in hominum eſt poteſtate: niſi enim homo faciat, quod Deo non donante ad hominem pertinet, non faciet ipſe Deus quod donet &c. ac per hoc vt promiſſa ſua Deus poſſit implere, non eſt in Dei, ſed in hominis poteſtate, quod ſi veritas & pietas nos credere vetat, credamus cum Abraham, quoniam quæ promiſit potens eſt & facere.*

Vigeſimo primò, quia Deus non ſolum eſt cauſa quod purificetur conditio v. g. quod Concionator audiatur, verum etiam quod detur conſenſus, ſi dicta conditio ponatur. Sed iuxta ſcientiam mediam Deus non cauſaret immo præſupponeret præuiſum conſenſum ſub conditione & ſolum cauſaret, quod conditio purificaretur, ergo ſi maior eſt vera iuxta Auguſtinum, non poteſt iuxta Auguſtinum vera eſſe ſcientia media. Probatur autem maiorem veram eſſe iuxta Auguſtinum ex oppoſita ſententia Maſſilienſium relata ab Hilario in epiſt. illis verbis, *teſtimonia etiam ſcripturæ, quæ de Saule aut de Dauide poſuiſti etc. alij ad id referunt vt ex his eam gratiam accipiant commendari, quæ vnuſquiſque poſt voluntatem iuuatur, vel ad ipſam vocationem, quæ præſtatur indignis &c*, vbi ex oppoſito Auguſtinus in libr. de Dono Perſeuerantiæ paſſim præter purificationem conditionis demonſtrat in Deum debere refundi etiam cõſenſum ipſum, vt percurrenti patebit, & præſertim cap. 14. ex diametro inquit, *quoniam ut crederent non erat datum, etiam unde crederent eſt negatum &c.*

Vigeſimo ſecundò, quando dicitur, quod Deus cognoſcit infallibiliter Petrum conſenſurum ſi audiat concionantem, inquiro, vel in ly *ſi audiat concionantem*, includitur implicite etiam concurſus Dei infallibiliter futurus, & ſit hic ſenſus, *ſi audiet concionantem, & ſi concurret Deus* infallibiliter conſentiet

vel

vel non includitur concurſus Dei ſub conditione. Si dicatur primum ſequitur concurſum Petri ſe habere infallibiliter ex conditione concurſus Diuini à priori ſicut nos dicimus de decreto, & ſic in re reincidunt in difficultatem, quam nobis objiciunt, ſi vero dicatur ſecundum, ſequitur quod etiamſi Deus non ſupponeretur concurrere, adhuc eſſet Petrus cõſenſurus,& ſic conſenſus eſſet independens à Deo inimpedibilis & inannihilabilis,quod eſt abſurdum; ergo & c. ſi reſpondeas acceptando primũ & negando ſequelam & paritatem, quia ab Aduerſarijs ponitur ſub conditione concurſus Dei ſed indifferens ad hoc vt determinetur ad oppoſita per voluntarem Petri, à nobis vero ponitur decretum e contra determinans voluntatem Petri. Contra, vel iſte concurſus, quem Deus offert indifferentem in tua ſententia, offertur ſemper infallibiliter cum iſta indifferentia vel aliquando poteſt Deus ex ſuo beneplacito ſuſpendere hanc indifferentiam, & non exſpectare nos? Si dicatur primum ſequitur Deum non poſſe etiam de potentia abſoluta ſuſpendere concurſum ſuum à creatura vel deſtruere actum noſtrum, quod abſurdum eſt; ſi dicatur ſecundum,ſequitur ſolum fallibiliter non infallibiliter poſſe cognoſci conſenſum Petri ſub conditione,quod tamen contra Auguſtinum eſt,ergo iterum ex Auguſtino ſcientia media refutatur.

Vigeſimo tertiò, nam ex ſtatu conditionato dignoſcitur abſolutus, v. gr. Theologi, vt declarent Spiritum Sanctum de facto in ſtatu abſoluto diſtingui à filio per Proceſſionem ab ipſo, ideo etiam de ſtatu conditionato inquirunt, *an ſi non procederet diſtingueretur*. Sed iam iuxta Aduerſarios in ſtatu conditionato, etſi Deus non incipiat, incœptura eſſet creata voluntas, ergo pariter iuxta Aduerſarios in ſtatu abſoluto deberet prius incipere creata voluntas quam Deus, quod tamen non ſolum ab Auguſtino refutatur, verum etiam ab Aduerſarijs hæreticum eſſe conceditur, ergo &c.

Vigeſimo quartò, quia virtus omnipotens Spiritus Sancti, qui olim in Columbæ ſpecie apparuit, in ſententia aduerſariorum apprehendi videretur, vt ita dicam, adinſtar Columbæ incluſæ intra diuerſarum circumſtantiarum, & cõditionum repagula,explorans ſingula veluti humanæ voluntatis ferrea impedimenta, vt inde extra ſepta deinde in ſtatu abſoluto efficacis ſuæ virtutis volatum extenderet, iuxta illud quod Fauſtus etiam dicebat, *niſi Praeſcientia explorauerit Praedeſtinatio nihil decernit*. Sed hoc non decet omnipotentem eiuſdem virtutem, vt præmonuiſſe videntur, tum Gregorius dicens, *neſcit tarda molimina Spiritus Sancti Gratia*, tum Diuus Proſper in Carmine de ingratis ſic habens.

Non moribus illi
Fit mora, non cauſis anceps ſuſpenditur vllis
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt.

Ergo nec aduerſariorum ſententia ita videtur omnipotentem Spiritus Sancti condecere virtutem.

Vigeſimo quintò, magis eſt prius id, quod eſt prius in cauſando, quam id quod eſt prius ſolum in eſſendo. Sed in ſtatu conditionato vel abſoluto per aduerſarios Deus, & concurſus eiuſdem eſſet prior voluntate ſolum in eſſendo, è contra voluntas eſſet prior in cauſando, ergo magis eſſet prior volun-

tas

tas quam Deus vel concurſus eiuſdem, vt arguit Cabrera diſput. 11. §. 3. nu. 30. pag. 305. Maior patet, quia prioritas in propoſito proprie eſt prioritas cauſalitatis, & alia veluti per accidens ſe habet. Minor vero probatur exemplo, nam v.g. ad credendum concurrunt intellectus & voluntas, & ille vtique in eſſendo eſt prior, hæc vero eſt prior in cauſando, in quantum ſine illo homo non credit, ſed tunc ſolum actu credit, quando & quia vult. Sed ſic pariter primo modo ſe haberet concurſus Dei, ſecundo modo voluntas noſtra, ergo ſicuti ibi intellectus nunquam eſt id, quo, ſed ſine quo non, ita hic concurſus Dei ſemper eſſet id, ſine quo non, non vero quo fieret vt vellemus, & ille prior in eſſendo, noſtra voluntas prior in cauſando eſſet.

Vigeſimo ſextò vel Aduerſarij ſequuntur modum Suarez, & diſcipulorum eiuſdem, de decreto ſaltem in ordine intentiuo prædefiniente finem gloriæ & in fine ſaltem mediare media & conſequenter actus noſtros, vel ſequuntur magis alienam ſententiam aliorum apud Alarcon & huiuſmodi; ſcilicet adhuc in ordine intentiuo Deum ſolum habuiſſe decreta indifferentia concurrendi ad id, ad quod voluntas præuiſa ſub conditione ſui concurſus ſe determinatura præuideatur; ſi primum, vt fatetur Alarcon, eſt aliqualiter nobiſcum admittere prædefinitionem antecedentem ſtare poſſe cum euentu libero ac contingenti; Si ſecundum acriter vrget eum Verdù & alijs Xantes Mariales relectione ſexta decima de ſcientia ſect. 7. in fine, non apparere dillucide, quomodo iuxta prædictum decretum concurrendi vbi voluntas voluerit, ita & poſtea Deus in decretis circa abſoluta non obſecundaret conditionatorum præſcientiam, quod euitare ſe profitentur aduerſi, vt ſcientiæ mediæ abuſum ſimul approbare nec videantur, nec approbent.

Vigeſimo ſeptimò, infallibilitatem, quam in conditionali etiam probabiliter connexa facit decretum conditionatum Thomiſtarum, vt in iſta, *ſi Petrus rocabitur conuertetur*, Pariter eandem facit iuxta Alarcon diſp. 4. de ſcientia cap. 10. reuelatio vel promiſſio diuina in conditionali diſparata, vt in iſta 4. Reg. 2. *ſi videris me cum tollar à te erit tibi quod petiſti*, nempe, inquit Alarcon, in iſta *non requiritur ipſum obiectum* in ſe ipſo verum eſſe ante talem prolationem ſeu promiſſionem, ſed ſufficit ſi per ipſamet promiſſionem aut ex vi talis verbi re ipſa ponatur obiectum à parte rei eo modo, quo in eo verbo ſignificatur, vt ante prolationem verborum conſecrationis non eſt verū eſſe corpus Chriſti ibi, vti verum eſt ſtatim ac finiuntur verba illa operatoria; ita ſimiliter dum vere dixit Deus, *ac vaſtabo Syriam ſi percuties terram & c.* & plura alia legenda ibidem num. 11. Sed non obſtante hac cauſa, vt operatoria antecedenter ad ipſam futuritionem, relinquit illæſam contingentiam ac libertatem, ergo non obſtante primo pariter cauſa antecedens ibi relinquet illæſam & indemnem contingentiam vel libertatem, ut pure intendunt Thomiſtæ.

Vigeſimo octauò producitur argumentum, quo olim ipſe utebar Mediolani, dum in Aulibus Collegij Brera, ut dicitur, Theſim publicam à P. Confalonerio dictatam & ſub aſſiſtentia P. Duratij defenſam publicè impugnarem de ſcientia media aſſerentem, conditionata futura cognoſci in præcontinentia efficientiæ diuinæ ueluti effectiue ipſa prædeterminâte, licet è contra & iſta ueluti formaliter ſeu obiectiue illam præcontinentiam intentionalem complerent, ut per omnia explicat etiam Esparza qu. 18. de ſcientia art. 13, &

antea fuit omnino explicatio Ocham in primo diſt. 38. qu. 1. §. *Ideo*, vtebar, inquam, non infeliciter hoc argumento. Magis obeſſe videtur indifferentiæ libertatis creatæ cauſa antecedens, quæ omnino neceſſaria ſit, quam cauſa antecedens ſaltem formaliter libera. Sed præexplicata continentia intentionalis eſſentiæ diuinæ, quodammodo à priori effectiuè determinans veritatem conditionalem, eſſet cauſa antecedens & neceſſaria, decretum vero conditionatum Thomiſticum ad ſummum, licet cauſa antecedens, ſaltem formaliter quid liberum eſt. Ergo multo magis obeſſe videretur illa, quam iſtud; nec iuuabat excurrere ad hoc, quod eſſentia non prædeterminaret niſi vt præcontinens ſimul intentionaliter ipſam conditionatam futuritionem; nam reponebam, multo magis decretum præcontinet in ſe vt cauſa ſimul libera liberam futuritionem & modum eiuſdem, ergo multo minus iſtud obeſſe poterit, vti ab Auctoribus ſcientiæ mediæ ſupponebatur.

Vigeſimo nonò, eatenus in ſtatu conditionato incipere deberet determinatio à nobis iuxta Aduerſarios, quatenus *nos habemus in noſtra poteſtate voluntates noſtras*, vt paſſim repetunt oppoſiti. Sed ex Auguſtino de Correptio. & Gratia capit. 14. *Deus magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum quam ipſi ſuas*, vt repetit verbaliter S. Thomas q. 22. de Veritate art. 8. ergo eo magis à Deo debet incipere adhuc in illo ſtatu conditionato determinatio ad actum &c. nec inde abolетur, ſed fouetur & perficitur noſtra voluntas ex ſubiectione ad diuinam, nam vt Auguſt. ait epiſt. 89. *liberum eſt quod ſubijcitur Deo*, & Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem cap. 3. *quod autem*, inquit, *ſurſum deorſum iactant liberum à nobis arbitrium deſtrui, audiant econtrario eos arbitrij deſtruere libertatem &c. Quis deſtruit arbitrium? Ille qui ſemper & quodcunque in ſuo riuulo fluit, ad fontem refert, an qui dicit Deo, recede à me &c.*

Trigeſimò, maior eſt neceſſitas naturæ indigentis ſubſiſtentia ad agendum quam voluntatis creatæ indigentis Dei concurſu intrinſeco ad operandum, cum illa pertineat ad lineam actus primi, Dei vero concurſus ſolum in linea actus ſecundi ſe habeat ſupponens completum primum; ſed non obſtante prima indigentia ſubſiſtentia neceſſaria ad agendum poteſt totaliter prouenire ab extrinſeco & tamen ſeruare ſimul quod illa natura ab intrinſeco agat, immo contingenter & libere, vt patet in Chriſto, ergo pariter non obſtante ſecunda indigentia poterit adhuc in ſtatu conditionato diuini concurſus prædeterminatio prouenire totaliter ab extrinſeco, & tamen ſeruare, quod etiam in eo ſtatu creata voluntas ab intrinſeco ſimul & contingenter operetur &c. vti vere adhibet hanc paritatem etiam Auguſt. in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 15. & recognoſcit & S. Thomas 3. p. q. 3. art. 4. ad 3.

Trigeſimo primò, quia magis voluntas hominis pendet à voluntate Dei, vel Chriſti, quam voluntas etiam notionalis Filij in Diuinis proueniat à volūtate etiam notionali Patris, quæ immo nullo modo pendet, & ſi totaliter oriatur. Sed adhuc voluntas propria Filij ſi conſideretur etiam in ſtatu conditionato, nequit à ſe primo intelligi determinate aliquid velle niſi orta determinatione in priori originis omnino à determinata voluntate propria ſeu notionali Patris, aliter non *omnia, quæ habet filius, haberet à Patre*, contra Florentinū Concilium, immo & contra Scripturam &c. ergo à fortiori voluntas hominis ſi conſideretur adhuc in ſtatu cōditionato nequit à ſe ipſa primo intelligi de-

termi-

terminate aliquid velle, niſi orta prædeterminatione à priori à determinatio-
ne voluntatis Dei vel Chriſti, vt videtur nobis proponere hanc paritatem
ipſemet Dominus in Euang. Ioannis cap. 6. dicens: *ſicut miſit me viuens pater
& ego viuo propter Patrem & qui manducat me & ipſe viuet propter me*, & hanc ſi-
militer paritatem innuebat Auguſtinus inter Dona noſtra pendentia à Chri-
ſto, & voluntatem Chriſti à Patre, in lib. de Prædeſtin. Sanctorum cap. 15. vt
mox infra verba ſubiungo; vnde ſicut inde poſtea non fit filium diuinum non
habere ſuum velle, etiamſi dicat, *omnia mea Patris mei ſunt*, & iterum, *doctrina
mea non eſt mea ſed eius, qui miſit me*, ita nec inde infertur me non habere velle
meum, etſi hoc ipſum etiam Dei & Chriſti ſit, vt dicebat appoſitè Hierony-
mus in epiſt. ad Cteſiphontem, *velle & currere meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei
ſemper auxilio non erit meum*; & proſequitur inde hanc paritatem Auguſtinus in
Pſalm. 3. dicens, *gloriam ſuam Deum ille etiam dicit, quem ſuſcipit Dei verbum, ut
ſimul cum eo, dum Deus fieret, diſcant ſuperbi, qui non libenter audiunt, cum eis dicitur,
quid gloriaris quaſi non acceperis.*

Trigeſimo ſecundò, ſicuti conſiderata voluntate libera in ſtatu conditio-
nato ipſi proponitur ſub præmotione determinante Dei, vt agat & tamen li-
bere agat, ita proportione ſeruata menti Virginis ſalutatæ ab Angelo ſtatim
occurrit hic partus cōditionatus, quomodo ſcilicet ſub virtute fœcundante
Dei concipere poſſet & tamen Virgo permaneret, & ſicut ibi tota difficultas
eſt in concipienda libertate illibata veluti virginali voluntatis noſtræ conſo-
cianda cum fœcundiſſima præmotione Dei, ita proportione ſeruata tota hic
erat in mente Virginis difficultas in componenda Virginitate ſua cum virtu-
te fœcunda &c. vnde dicebat, *quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?*
Sed non obſtante hac ſecunda difficultate non melius profecto potuit ab An-
gelo ſolui hæc difficultas, quam recurrendo ad ſupremam virtutem Dei per
illa verba, *Spiritus Sanctus ſuperueniet*, & in te nō ſolum veniet ſed ſuperueniet,
nec ſolum extrinſece excitans ſed *in te* Phyſicè intimè operans, *ideoque*, en An-
gelica illatio ab vniuerſalitate efficaciſſima Dei, *Ideoque quod naſcetur ex te*, te
ſcilicet ſimul vitaliter operante, *vocabitur filius Dei*, ſimul totum à Deo erit:
ergo proportione ſeruata non melius pariter prior illa difficultas diſſolui po-
terat ab Angelico in p. p. q. 19. ar. 8. quam recurrendo ad ſupremam & vni-
uerſaliſſimam virtutem Dei tribuentem ſimul agere & modum, vt ſcilicet ſi-
mul agamus & libere operemur, ſeruata illibata libertate ſub fœcundiſſima
motione Dei, ex qua omnia merita noſtra eius dona ſunt, vt ſæpe Auguſtinus
loquitur, & adaptat hanc paritatem D. Fulgentius lib. de Gratia Chriſti cap.
20. omnino videndus, inde Bernardus ſuper Miſſus eſt, Anſelmus & Beda ibi-
dem, & Methodius Conſtantinopolitanus vtens etiam Thomiſtica phraſi,
dum de voluntate Agathæ, inquit, *præmota eſt ſicut B. Virgo vt eſſet Mater Dei*.
Sed omiſſis aliorum verbis affero tantum pro tribus ſimul mox ante adductis
paritatibus verba Auguſtini lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 15. dicentis, *eſt
præclariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe Saluator, ipſe mediator Dei &
hominum homo Chriſtus Ieſus &c. reſpondeas quæſo: ille homo vt a verbo Patri coæ-
terno in vnitatem Perſonæ aſſumptus filius Dei vnigenitus eſſet, vnde hoc meruit?
quid eius bonum qualecunque præceſſit? quid egit ante &c. nonne & filium Dei vni-
cum fœmina illa gratia plena concepit: nonne & de Spiritu Sancto & Virgine Maria.*

Dei filius vnicus natus eſt, non carnis cupidine ſed ſingulari Dei munere? nunquid metuendum fuit, ne accedente ætate homo ille libero peccaret arbitrio. An id eo in illo libera voluntas non fuit, ac non tanto magis erat, quanto magis peccato ſeruire non poterat? apparet itaque nobis in noſtro capite ipſe fons gratiæ, vnde ſecundum vniuſcuiuſque menſuram ſuper cuncta eius membra diffunditur. Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus, de ipſo ſpiritu & hic renatus, de quo natus eſt ille, & ſe Deus eße facturum profecto præſciuit. & plura alia pro ſequitur ad inſtitutum ibidem, poſt quæ repetenti adhuc illud *quomodo fiet iſtud?* reponi poterit quod idem Auguſtin. lib. 6. contra Iulianum cap. 9. dicebat, *quid à me quæris, quo ſit factum modo, cum videas factum eſſe quocunque modo, ſi ſcripturæ credis aliquo modo, quæ mentiri potuit nullo modo?*

Trigeſimo tertiò potiſſima obiectio inde contra decreta ab intrinſeco prędeterminatiua voluntatis noſtræ etiam in ſtatu conditio nato deſumi ſolet ex eo Canone Tridentini, quod ſcilicet liberum arbitrium à Deo excitatum & motum poteſt diſſentire ſi velit, quin immo & abijcere eam &c. Sed hæc obiectio & iſte Canon tantum abeſt vt noſtram ſententiam improbet, quod potius inde maxime commendatur, ergo non obſtante hac obiectione potiſſima Aduerſariorum adhuc concedenda ſunt etiam in ſtatu conditionato decreta ab intrinſeco prædeterminatiua, & conſequenter ſcientia media neganda. pro minori refero tantum acutiſſimum noſtri Ioannis à S. Thoma diſcurſum, nimirum quando aliquis reſpõdens adæquate alicui ſibi obiecto enthimemati non negat antecedens ſed ſolum negat conſequentiam illatam, tunc cenſetur potius commendaſſe quam reprobaſſe antecedens. Sed Tridentinum in eo Canone reſpondebat huic enthimemati obiecto à Luthero & Caluino, nimirum *liberum arbitrium ne dum moraliter excitatur ſed Phyſica infallibilitate intrinſeca præmouetur, ergo illud non poteſt diſſentiri ſi velit.* & tamen Tridentinum ibi non negauit antecedens, aliter nunc iſta materia de ſcientia media eſſet definita de fide, quod neque aduerſarij pronunciant, ſed ſolum negauit conſequentiam illatam, vt expendenti patebit, ergo illud antecedens oppoſitum ſcientiæ mediæ, licet Tridentinum nec definierit, potius tamen cenſendum eſt quodammodo ſaltem commendaſse, quam reprobaſse, vt Ioan. à S. Thoma diſcurrit, & ego pro eiuſdem diſcurſu ſubiungo ſimile omnino ratiocinium Auguſtini lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 8, vbi cum Pelagianis diſputans, an illa verba Apoſtoli ad Rom. 9. *cui vult miſeretur, & quem vult indurat*, eſsent ſcripta ab Apoſtolo in propria ſententia aſſertiue, vt Auguſtinus acceperat, vel ſolum in perſona opponentium recitatiue, vt volebat in eundem locum Pelagius relatus ab eodem Auguſtino lib. de geſtis Pelagij cap. 16. inde Auguſtinus ſaltem infert ea verba ab Apoſtolo auctoritatem habere, quia ab Apoſtolo ſaltem negata non ſunt, ita concludens, *nunquid reſponſum eſt ab Apoſtolo, ò homo falſum eſt quod dixiſti? non: ſed reſponſum eſt, ò homo tu quis es, qui reſpondeas Deo?* Confirmatur rurſus diſcurſus iſte. Quia, vt inquiunt Annatus, Molina & alij, modus ſeruandi illæſam libertatem arbitrij ſub diuina motione, iuxta Catholicos, ſolum duplex eſſe poteſt, vel deſumptus ex præſcientia conditionatorum ante decretum, vel ex efficacia voluntatis diuinæ & motionis ab intrinſeco. Sed Patres Tridentini Concilij intenderunt contra Lutherum & Caluinum eam ſine dubio ſeruare, vt decreuerunt expreſſe. Ergo vel

Digitized by Google

juxta primum, vel iuxta ſecundum modum. Sed non iuxta primum, cum poſt
jllos Molina glorietur, primum à ſe inuentum ac traditum. Ergo remanet ſal-
tem probabilius intendiſſe ſeruare iuxta ſecundum, qui noſter eſt, Auguſt ini-
que fuit, & cum primo certum ſit eos vſos non eſſe, vt ſibi ignoto iuxta ad-
uerſarios, ſaltem certum erit, primum non eſſe ad eundem finem neceſſarium,
vt aduerſarij nunc iactant.

Trigeſimo quartò, eatenus iterum in ſtatu conditionato non fuiſſet præui-
ſus quilibet conſenſus noſter vt prædefinitus à decreto vel prædeterminatus
à Deo, quatenus inde fieret, etiam peccaminoſum conſenſum ſaltem vt actus
eſt ne dum *permiſsiue* ſed etiam effectiue *proprie & per ſe* à Deo vt cauſa proue-
nire, non minus ac conſenſus bonus, quod, inquit Suarez lib. 2. de concurſu
cap. 2. videtur reprobari in eodem Tridentino ſeſſ. 6. Canone 6 damnante *di-
centes mala opera ita vt bona Deum operari non permiſsiue ſolum ſed etiam proprie &
per ſe*, ſed immo ſi vera eſſet iſta ponderatio Suarez in Tridentinum, quod ea-
tenus Deus negetur cauſa actus in peccato, quia non prædefiniatur vel præ-
determinetur à Deo etiam in ſtatu conditionato, vti eſt cauſa actus boni, eui-
denter infertur ſaltem *actus bonos* ex oppoſito, quorum definit Concilium
Deum per ſe & proprie cauſam eſſe ad differentiam malorum, etiam in ſtatu con-
ditionato prædefinitos & prædeterminatos eſse à Deo contra Suarez. ergo
ex prææallata adhuc ponderatione Suarez vel Sequacium eiuſdem non euerte-
tur ſed roboraretur immo poſitio noſtra, dimiſso, vt iam prænotauit Nauarre-
tes, potius in ſententia iſtorum ex æquo Deum videri poſse cauſam actus pro-
bi vel improbi, quatenus æque Deus in iſtorum ſententia decretum habet
indifferens & offert etiam in ſtatu abſoluto concurſum de ſe indifferentem &
determinabilem æque ad bonum & malum, quod non videtur ſatis differen-
tiam à Tridentino intentam inter cauſalitatem in bona ac mala opera expli-
care. Confirmatur, nam in tantum poſt præuiſionem voluntatis Petri conſen-
ſuri gratiæ ſufficienti in tali circumſtantia galli cantantis auditi à Petro, in-
tantum, inquam, poſt hanc præuiſionem in ſtatu conditionato, Deus per ſuam
gratiam ſufficientem ſeu excitantem dicitur in ſtatu poſtea abſoluto eſse cau-
ſa etiam hic & nunc conſenſus, & boni operis Petri prę Iuda, in quantum po-
nit Deus Petrum cum gratia ſufficiente in ea ipſa circumſtantia, in qua eum
præ alio conſenſurum in ſtatu conditionato præuidebat, iuxta oppoſitorum
ſententiam. Sed non minus, iuxta aduerſarios eoſdem, poſtquam præuidit
Deus in ſtatu conditionato voluntatem Iudæ præ eodem Petro diſseſsuram
gratiæ ſufficienti & excitanti ad pęnitentiam in tali circumſtantia Iudæorum
reſpondentium ſibi *Quid, ad nos, tu videris?* immo inde lapſuram in foueam deſ-
perandi de Dei miſericordia, poſt hanc, inquam, præuiſionem in ſtatu con-
ditionato, poſuit Deus Iudam in hac eadem circumſtantia, in qua iam ſe vo-
cari ad pęnitentiam per excitantem gratiam quodammodo ſentiebat dicens.
Peccaui tradens Sanguinem iuſti, & tamen audiens prædicta verba Iudæorum ſibi
reſpondentium, *Quid ad nos &c.* re ipſa in perditionis barathrum lapſus eſt.
Ergo iuxta aduerſariorum explicationem eodem modo videretur Deus eſſe
cauſa perditionis Iudæ præ ipſo Petro, ac vocationis Petri, vel Pauli præ ipſo
Iuda, contra id appoſitè, quod Tridentinum decernit, *anathema*, dicens, *Si
quis dixerit mala opera ita vt bona Deum operari, non permittendo ſolum, ſed etiam*

pro-

Digitized by Google

proprie & per ſe adeo vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ quam vocatio Pauli. Vbi nos ſane cum Auguſtino & Angelico vtrumque ex prædictis præcognoſci dicimus etiam in ſtatu conditionato, ſed poſt decretum vtrumque, primum quidem de Petro vel Paulo poſt decretum obiectiuè conditionatum, prædeterminativum tam quo ad actum conſenſus quam quo ad bonitatem, ſecundum vero de Iuda poſt decretum permiſſivum prius in ordine ad deformitatem, & ſubſequenter ſolum influxivum in entitatem materialis peccati, in quantum præciſe actus eſt, ſicque nos plane ſeruamus *mala opera non ita vt bona Deum operari*, vt Tridentina Synodus decernebat.

Trigeſimo quintò, vt id adhuc amplius explicetur & percipiatur, quomodo in ſtatu conditionato præuideatur diſſenſus voluntatis à gratia futurus, vt incipiens in aliquo priori à voluntate creata, antequam etiam intelligatur à diuina voluntate permitti (ſc: in inſtanti priori à quo, licet non *in quo*, vt Salmaticenſes diſtinguunt & approbant diſp. 8. de prædeſt. dub. 2. poſt. num. 55. & num. 73.) vbi profectò conſenſus è contra nullo modo præuideri poteſt vt futurus adhuc in ſtatu conditionato, vt incipiens vllo modo prius à voluntate creata, quam à diuina, & conſequenter longè diuerſo modo ex hac etiam radice dicitur propriè & per ſe eſſe Dei opus vocatio Petri & Pauli, quam permiſſiue adhuc dicatur opus Dei proditio Iudæ, vt id, inquam, radicitus explicetur, hanc nobis liceat ex aduerſariorum ſententia deducere paritatem, ſeu in aduerſariorum etiam hypotheſi roborare explicationem. In tantum enim Theophylus Raynaudus tuebatur Deum in ſtatu conditionato præſcire, etiam ante decretum, ad quid creata voluntas in tali vel tali circumſtantia pro ſua libertate ſit determinatura ſe ipſam, in quantum ibidem voluntas creata præciſe conſideratur, vt libera, non vt creata, immo vt non differens in libertate à cauſa prima, non minus ac ſi cauſa prima & ipſa eſſet in libere à ſe determinando ſe ipſam. Sed vbi chymerica hæc Theophyli hypotheſis eſt, ſcilicet voluntatem in re creatam, in re ſe determinare vt cauſam primam, vel ac ſi Deus eſſet, non ſic tamen chymera ſed certa veritas eſt voluntatem creatam, *in deficiendo* vtique à rectitudine & bonitate morali, primam de ſe cauſam eſſe, & ita ſe habere vt primam cauſam in diſſentiendo à gratia, cum eidem aſſentire deberet. Ergo vbi vtique falſum eſt Deum in ſtatu conditionato ante decretum præuidere, vel præſcire aliquam voluntatem creatam in tali vel tali circumſtantiam determinate conſenſuram eſſe vocationi excitanti, ſufficientique gratiæ, bene tamen verum eſt Deum in eodem ſtatu conditionato in aliquo priori ſaltem in ſigno *a quo* licet non *in quo* (iuxta Salmaticenſium aliorumque Thomiſtarum phraſim) præuidere voluntatem creatam diſſenſuram gratiæ excitanti ſeu ſufficienti ſub conditione, ſi Deus ipſe permittat ſeu non impediat per ſuam prædeterminationem efficacem, vt poteſt, hincque etiam verum eſt, in poſteriori ſigno ad diuinam libertatem, decernere Deum, vel ſe iuſtè permiſſurum deformitatem diſſenſus à gratia & peccati defectum, ac inde influxurum ex iſta ſuppoſitione in materiale peccati, vel potius miſericorditer præuenturum eundem diſſenſum, prædeterminando voluntatem efficaciter ad aſſenſum in gratiam excitantem ſeu ſufficientem. Totus certè diſcurſus iſte ex ſe clarus eſſe videtur: Maior quidem in aduerſaria ſententia ſupponitur, immo data ea falſa hypotheſi (de volun-

tate creata ſe habente vt cauſa prima & increata) ſub ea conditione à Theologo quolibet admitteretur. Minor vero quo ad primam partem de fide eſt, & oppoſitum de voluntate creata opinari appellatur *erroneum* à S. Thoma in 2. ſententiarum diſ. 37. qu. 2. ar. 2. vbi opportune legi poteſt aduerſus chymericam eandem Theophyli ſuppoſitionem; quo ad ſecundam vero partem, quæ ad hoc noſtrum præſertim inſtitutum attinet, eadem minor ſic ſtabilitur. Sic enim Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 17. fermè per totum probat admittendum abſurdiſſime eſſe proceſſum in infinitum, ſi aſſignata *voluntate vt cauſa peccati, iſtius cauſæ, cauſa inquiratur, cum vltra radicem*, inquit, *quærere nihil oporteat*, indeque concludit, *aut igitur ipſa voluntas eſt prima cauſa*, en quod ipſi volumus & dicimus, *eſt prima cauſa peccandi, aut nullum etiam peccatum eſt prima cauſa peccandi*, cum ſcilicet & primum peccatum alicuius voluntatis peccantis ſit, ut præmiſerat. Sic iterum lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 6. in fine repetit, *Inuenies voluntatem malam non ex eo eſſe incipere, quia natura eſt, ſed ex eo quod de nihilo natura facta eſt. Nemo ergo*, inde ſic incipit cap. 7. *nemo ergo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis. Non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nec illa effectio eſt, ſed defectio; deficere namque ab eo, quod ſummè eſt, ad id, quod minus eſt, hoc eſt* (expendas id, rogo) *hoc eſt incipere habere voluntatem malam*. Sic Fulgentius Auguſtini diſcipulus lib. de fide ad Petrum cap. 3. de naturis creatis peccabilibus inquit, *ideo deficere habent, quia ex nihilo factæ ſunt: ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum vero prouehit operatio creatoris*. Sic fideliſſimus Auguſtini interpres S. Thomas in 2. diſ. 37. qu. 2. art. 1. ad 2. *Quamuis*, ait, *Deus ſit cauſa voluntatis faciens eam ex nihilo, hoc tamen, quod eſt ex nihilo eſſe, non habet ab alio, ſed a ſe, vnde ſecundum hoc non habet cauſam aliam: & ideo defectus, qui ſequitur ex ipſa, ſecundum quod eſt ex nihilo, non oportet quod in vlteriorem cauſam reducatur*, & ſimilia repetit q. 24. de Veritate art. 7. referens ad hoc ſimul Dionyſium Areopagitam & Gregorium, & latius poſtea & ſubtiliter idipſum tutati ſunt Patres Carmelitæ Salmaticenſes diſp. 12. de peccatis dubio 2. per integrum, legendi præſertim ante num. 43. ob ſubdenda mox. In ſtatu igitur conditionato bene præuidet Deus volūtatem creatam in tali vel tali circumſtantia diſſenſuram, quantum eſt de ſe (ſi Deus ſcilicet non impediat ſed permittat) ipſi gratiæ excitanti, ſeu ſufficienti, & quo ad hoc præuidet eam Deus, vt de ſe primo incipientem in illo priori antequam Deus intelligatur decernere ſe permiſſurum, ſe habente ſcilicet Deo in permittendo dumtaxat vt removente prohibens non vt influente vllo modo quo ad deficere, vt acute diſtinxit & Lemos tom 4. p. 2. tract. 3. cap. 6. §. *dicendum ſecundo* ante num. 87. An vero hæc inchoata futuritio reſiſtentiæ, & defectionis, ſic explicata & præuiſa à Deo in ſtatu conditionato, in illo priori ante decretum etiam permiſſiuum poſterius ſaltem in inſtanti à quo (ex Salmaticenſibus) ſit cauſa ſaltem in genere cauſæ materialis, vt prima cauſa in deficiendo, licet non in genere efficientis proprie, vtpotè non proprie efficiens, ſit, inquam, cauſa, propter quam, denegationis gratiæ efficacis vel carentiæ prædeterminationis ad bonum, & conſequenter ſit cauſa permiſſionis peccati, licet non ipſius peccati formaliter? In hoc etiam de cauſa diſtinguendum eſt (vt diſtinguunt Theologi noſtri cum Bannez de originali peccato, vt cauſa reprobationis) ſcilicet de cauſa vel ſufficiente reſpectu omnium, vel de cauſa in actu ſecundo

appli-

applicata non in ordine ad omnes. Et hoc quidem ſecundo modo præuiſa futuritio inchoata diſſenſus non eſt ita cauſa in actu ſecundo applicata, propter quam præciſe conſequenter, & velut pediſequè Deus ſtatim decetnat non dare prædeterminationem ad bonum, malumque peccati permittere, cum immo ea non obſtante præuiſa futuritione diſſenſus, poſſit per prædeterminationem ad bonum impedire eundem diſſenſum, vtpotè cum ſit futuritio conditionata diſſenſus ſolum, ſi Deus non impediat, quinimo permittat, vt bene præuidit (ante Lemos, & Aluarez lib. 3. Reſponſionum cap. 7. præſertim à num. 12.) & inter cæteras probationes habetur, tum ex Auguſtini principijs lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 13. & 14, & de bono Perſeuerantiæ cap. 10, tum ex illo iterum Auguſtini lib. de Prædeſt. Sanctotum cap. 8. (*ideo hæc gratia tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur*) & epiſt. 107. ad Vitalem, vbi oppoſitam eam cauſalem refellit, & probat Auguſtinus e conuerſo (*quod tam multis ſalui non fiunt, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult*) & ſimilia habet lib. 2. de peccatorum meritis cap. 5. & lib. 11. ſuper Geneſim ad litteram. cap. 10. *poſſet etiam malorum voluntatem in bonum conuertere, quoniam eſt omnipotens: Poſset plane. Sed cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit? penes ipſum eſt.* Et conſentit Auguſtino S. Thomas in cap. 2. epiſtolæ ad Hebræos Lec. 5, & 3. p. q. 1. ar. 5. ad 2, & 3. contra Gentes cap. 149. ratione prima, & in hoc ſenſu etiam Salmaticenſes dub. 2. citato de peccatis ante num. 43. optimè explicant, non poſſe in ſtatu abſoluto eſſe futurum diſſenſum, malitiamque peccati permiſſam à Deo, niſi præintelligatur prius Deus influxurus in materiale peccati, vt ens vel actio eſt. Primo autem modo futuritio inchoata prædicta diſſenſus ſeu defectionis à gratia ſufficiente præuiſa in ſtatu conditionato poteſt vtique eſſe & eſt cauſa ſufficiens propter quam, ſi Deus velit, rectiſſime poteſt decernere ſe illi non daturum in ſtatu abſoluto prædetetminationem ad bonum, indeq; permiſſurum etiam peccati malitiam, concurrẽdo dumtaxat ad materiale peccati, vt ens eſt &c. adeò vt nec inde quis poſſit conquæri in hoc de iuſto iudicio Dei, ex prædicta ſcilicet præuiſa cauſa ſufficiente de ſe, vt explicatum eſt. Sic enim Auguſtinus de peccatorum meritis lib. 2. cap. 17. de gratia nos adiuuante, vt velimus, quæ aliquibus ex iſta etiam iuſta ratione non datur, inquit, (*voluntates vt non adiuuentur in ipſis itidem cauſa eſt*) & plane ſequitur ex ipſis locis, in quibus Auguſtinus, vt retulimus, oſtendebat voluntatem in deficiendo primam cauſam eſſe peccati. Sic libr. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 3. vt oſtendat nunquam Deum hanc non dare gratiam niſi ex prædicta ſaltem ſufficiente ratione, inquit (*ſemper paratus eſt dare ſuam lucem nobis, non viſibilem, ſed intelligibilem & ſpiritualem, ſed non ſemper parati ſumus accipere, cum inclinamur in alia, & rerum corporalium cupiditate tenebramur.*) Sic S. Thomas adhibet idem exemplum 3. contra Gentes cap. 159. & ex ſcripturis recitatis ibidem oſtendit, *quod licet aliquis per motum liberi arbitrij diuina in gratiam, nec promereri neque acquirere poſsit, poteſt tamen ſe ipſum impedire, ne eam recipiat &c. Deus enim quantum eſt in ſe paratus eſt omnibus gratiam dare, ſed illi ſoli* (nota) *illi ſoli gratia priuantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtant, ſicut ſole illuminante &c.* & proſequitur Auguſtini ſimilitudinem. Sic eandem doctrinam tradit q. 3. de malo, & p. 2. q. 112. ar. 3. ad 3. & 1. p. q. 94. ar. 4. ad 5. ait. *In tantum non fuit primo parenti ſubuentum, ne*

deci-

deciperetur, licet tunc maxime indigeret, quia iam præceſſerat peccatum in animo, & ad diuinam auxilium recurſum non habuit. Sic inde Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 13. de eodem auxilio loquens ſupponit nunquam hoc à Deo negari, niſi præceſſerit prædicta præuiſio diſſenſus ad gratiam prius ſufficientem, vt ex Auguſtino, & S. Thoma probatum eſt, ideoque inquit de iuſtificatis in ordine ad perſeuerantiæ auxilium (*Deus niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonũ, ita perficiet, operans velle & perficere*) vt pro nobis explicat & probat Lemos to. 4. de gratia ſufficiente cap. 6. per totum, omnino legendus. Remanet itaq; luce clarior differentia inter modum, quo Deus eſt cauſa per ſe, quod conſentiamus gratiæ excitanti, operemurque bonum, & quo Deus permittit nos diſſentire gratiæ non impertiendo prædeterminationem ad bonum, vti poſſet adhuc ſi vellet. Ibi enim cum creata voluntas nequeat vllo modo eſſe cauſa prima, nec conſequenter præuideri poſſit vt incipiens, idem initium totum à Deo eſt, hic vero cum creata voluntas in deficiendo prima cauſa ſit, & conſequenter præuideri poſſit vt incipiens ſaltem in ſtatu conditionato diſſenſum, ideo initium vtique permiſſionis peccati ex nobis eſt, vt ex eiſdem principijs iam præallatis ijdem Sancti Doctores Auguſtinus & S. Thomas vnanimi conſequutione deduxerunt, eorundemque diſcipuli proſequuti ſunt, ex illo Oseæ 13. *perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Hinc enim Auguſtinus lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 6. *Multi audiunt verbum veritatis, ſed alij credunt, alij contradicunt &c. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cum alijs præparetur, alijs non præparetur voluntas à Domino, diſcernendum eſt vtique quid veniat de miſericordia eius, quid de iudicio*, & idem ſæpiſſime alibi repetit lib. 4. contra Iulianum cap. 8. lib. de peccatorum meritis cap. 21, 22, & lib. 2. cap. 5. & D. Proſper ad excerpta Genuenſium dub. 4. eiſdem verbis id habet. Sic idem Auguſtinus lib. de correptione & gratia cap. 5. & 6, vt refert & approbat S. Thomas 2.2.q.2.art.5. ad primum, *Auxilium gratiæ*, inquit, *quibuſcumque diuinitus datur, miſericorditer datur, quibus autem non datur, ex iuſtitia non datur*. Sic idem Angelicus in cap. 2. Epiſtolæ ad Hebræos Lec. 3. *dicendum*, inquit, *quod hoc ipſum, quod aliquis non ponit obſtaculum, ex gratia procedit. Vnde ſi aliquis ponat obſtaculum & tamen moueatur cor eius ad remouendum illud, hoc eſt ex dono gratiæ vocantis per miſericordiam ſuam: hoc autem donum gratiæ non eſt gratum faciens. Quod ergo à quibuſdam remoueatur illud obſtaculum, hoc eſt ex Miſericordia Dei, quod autem non remoueatur, hoc eſt ex iuſtitia*. Non poterat abſolutior pro nobis explicatio dari: ſic gratis admiſſo (quod noſtri negant) tum Auguſtinum 12. de Ciuitate Dei cap. 15, tum Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 11. loqui etiam de gratia actuali mouente (& nedum de gratia habituali ſanctificante) cum Auguſtinus aiebat, *Anima non deſerta eſt vt deſereret, ſed ipſa vt deſereretur deſeruit*, aut cum Tridentinum repetebat, *Deus ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur*, quid vetat (adhuc hoc ſenſu gratis admiſſo) id facillime interpretari iuxta prædicta ex præuiſione vtique diſſenſus in ſtatu conditionato tanquam cauſa ſaltem ſufficiente de ſe, vt iuſte Deus eundem in ſtatu abſoluto permitteret, indeque non conſeruaret amplius ſeu continuaret prædeterminationem ad bonum? prout ſcilicet in occulto ſuo, iuſtiſſimo tamen iudicio ipſe Dominus eſt, & potens, & liber hanc ſufficientiſſimam cauſam in ordine ad aliquos non applicare ob ſuam miſericordiam, in

ordi-

ordine ad quoſdam alios applicare, ex iuſtitia. Sic enim eodem loco Auguſtinus reddens rationem & cauſam ſuorum prædictorum verborum iuxta noſtram omnino explicationem immediatè ſubiungit, *ad malum quippe eius prior eſt voluntas eius, ad bonum vero eius prior voluntas creatoris eius*. Sic lib. de corrept. & gratia cap. 11. *Dei adiutorium ſi homo ille Adam non deſeruiſſet per liberum arbitrium, ſemper fuiſſet bonus, ſed deſeruit, & deſertus eſt*, ſed quid amplius exquiro in Auguſtino auctoritates, ſi de præſcientia ipſa in ſtatu conditionato hanc differentiam, in ordine ad malum vel bonum, nobis tradidit ipſe idem Auguſtinus expreſsè lib. de Prædeſt. Sanctorum. cap. 9. & 10, capite enim 9. recenſet Auguſtinus, quod olim alibi epiſt. 49. contra Porphyrium, *ſine præiudicio latentium cauſarum*, ſcripſerat, *illis temporibus & locis Euangelium Chriſti non eſſe prædicatum apud eos, quos omnes in eius prædicatione futuros eſſe præſciebat, quales, non quidem omnes, ſed tamen multi eius corporali præſentia fuerunt, qui in eum nec ſuſcitatis ab eo mortuis credere voluerunt, & tunc voluiſſe hominibus Chriſtum apparere, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat & vbi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri*. En totus ſermo eſt de cauſa, tum permiſſi diſſenſus in ſtatu poſtea abſoluto, ex præuiſione eiuſdem in ſtatu conditionato, tum prædeſtinati conſenſus, vt mox apparebit. Audiamus ergo, quomodo ſecundam propoſitionem, in ordine ad aſſenſum & bonum futurum, ſtatim Auguſtinus, iuxta illam particulam (*ſine præiudicio latentium cauſarum*,) ſic exponit omnino, vti nos dicimus nunc de præſcientia conditionata, ſed vt poſteriori ad decretum ſimiliter conditionatum, dicens: *Quid verius eſt, quam præſciſſe Chriſtum, qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed vtrum prædicato ſibi Chriſto à ſe ipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, id eſt vtrum tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinauerit* (Audi) *quærere ac diſſerere tunc neceſſarium non putaui. Proinde quod ibi tunc dixi &c. poſſet etiam ſic dici, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtũ, & apud eos prædicari doctrinã ſuam, quando ſciebat & vbi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo ante Mundi conſtitutionẽ &c.* En præſcientiam futurorũ cõditionatorũ in ordine ad conſenſum vel bonum ab Auguſtino manifeſte explicatam vt poſteriorem ad decretum ſimiliter conditionatum. Non ſic autem vllo modo limitauit primam illam aliam propoſitionem de præſcientia conditionata in ordine ad diſſenſum vel malum, immo immediate de illa ſic proſequitur, & incipit cap. 10. dicens. *Item quod dixi ſalutem religionis huius nulli vnquam defeciſſe, qui dignus fuit, & dignum non fuiſſe cui defecit* (quo ad eſſe indignum vtique concedens initium ſumi ex defectu voluntatis creatæ, ſolum negat quoad eſſe dignum e contra ab eadem ſumi initium dicens) *ſi diſcutiatur, & quæratur, vndequiſque ſit dignus, non deſunt quidem, qui dicant, voluntate humana, nos autem dicimus, gratia vel prædeſtinatione diuina.* Indeque poſt pauca totum diſcrimen intentum concludit inter præſcientiam conditionatam ad diſſenſum ſeu malum, & ad conſenſum ſeu bonum, his verbis. *Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia. Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus*, en conditionatam præſcientiam cum decreto ad conſenſum. *Vnde dictum eſt: Fecit quæ futura ſunt. Præſcire autem potens eſt etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcumque peccata.* En ſolam vel præciſam conditionatorum præſcientiam in ordine ad diſſenſum ac malum, ſine qua præſcientia ad diſſenſum Deũ

non

non negare alicui gratiam promouentem conſenſum iam dixerat, & ſuſtinet iterum lib. de bono perſeuerantiæ cap. 10. Et hæc tota eſt explicatio noſtra, quæ, præter adiunctas à nobis auctoritates, non ſolum manifeſtè eſt Patrum Salmaticenſium nuper tom. 6. pag. 113. ante num. 264, verum etiam noſtri Magiſtri Lemos fuit, tract. illo 3. de gratia ſufficiente cap. 6. per totum, quamque miratur ipſe, & dolet, ab aduerſarijs vel non intellectam, vel diſſimulatam fuiſſe, vt velut aſperiorem ſententiam diſcipulorum D. Auguſtini & Thomæ traducerent, paucique videntes non viderent, & audientes non intelligerent.

Trigeſimo ſextò, ea tandem ratione iterum præcipua ſolent aduerſi negare decretum prædefinitiuum reſpectu futurorum conditionatorum, quia ex illo veluti inimpedibili ſequeretur inimpedibilis neceſſitas ad actum, & conſequenter contingentia à rebus etiam aufferreretur. Sed immo iſta ratio & illatio refutata videtur inter Articulos Petri de Riuo damnatos, tum ab Vniuerſitate Louanienſi, tum à Sixto IV. Anno 1476. inter quos hanc adfuiſſe propoſitionem, *quod ex inimpedibili perneceſſariam ſequitur conſequentiam, hoc inimpedibile eſt & neceßarium*, teſtantur tum Aluarez in opuſc. de Origine Hæreſis Pelagianæ cap. 32. num. 7. tum Lemos in opere nuper edito tom. 1. trac. 5. cap. 19. per totum, tum Ioan. de S. Thoma diſput. 20. art. 6. exſcribens & verba Lemos coram Paulo V. dicentis, *iſtam propoſitionem à Sixto IV. condemnatam, ſcilicet præſuppoſita aliqua ſuppoſitione antecedente, ex qua infallibile eſt hominem operari, tollitur liberum hominis arbitrium*. Ergo licet aduerſariorum opinio intacta ſit ab Eccleſia, præcipua ſaltem eiuſdem opinionis probatio, vel contra noſtram obiectio minus longe probabilis remanebit. Scio Paulum Leonardum, ſeu Sherlogum p. 3. ſect. 8. & ante ipſum Ioannem de Lugo diſp. 26. de Incarnatione ſect. 6. negare minorem, quia, inquiunt, *licet verum ſit Riuum in probatione ſecundi articuli inter arguendum dixiſſe pro minori illam propoſitionem, tamen tantum abeſt quod fuerit damnata, vt potius Riui impugnatores eam ut veram fuerint amplexati*, ſcilicet diſtinguentes ſolam maiorem, aientem, *ex quo ad præteritum non eſt potentia illud eſset inimpedibile*, diſtinguentes ſic, *ſi non ſit cum connotatione futuri*, conceſſerunt, *ſi cum illa*, negauerunt, & nihil dicebant ad minorem, vt exſcribit Lugo *ex libro quodam manuſcripto inuento Louanij, in quo habentur primo octo propoſitiones Petri de Riuo, quæ ibi latiſsime oppugnantur ab aliquo vel aliquibus ex eadem Vniuerſitate &c.* Et ſolum inuenitur ibi damnata hæc alia propoſitio inter cæteras, ſcilicet, *quod ex præcedenti ordine ſucceſsiuæ durationis ſequitur per neceſsariam conſequentiam, neceſsarium & inimpedibile eſt*, quæ eſt longe diuerſa à præallata ab Aluarez, cum iſta, inquit Lugo, loqueretur *de inimpedibili in eſsendo ſcilicet de reuelatione diuinà, non de inimpedibili in cauſando, quo modo prædeſtinatio eſt inimpedibilis quo ad ſuam actiuitatem in ſuos proprios effectus, quos cauſat, & ſi fuerit impedibilis in eſsendo à peccatis noſtris*. Verum cum tres noſtri tam graues Doctores (præter Gonet nouiſſime tomo 4. diſput. 6. & alios) teſtentur eam damnatam eſſe, duo iſti alij pro ſua ſententia id negent; quid aliud manet niſi, vt extraneorum extra cauſam poſitorum iudicio id relinquamus, ſtemuſque teſtimonio. Sic autem pro nobis teſtati ſunt in primis ipſimet Doctores Louanienſes non ſemel, ſed bis, ſcilicet primitùs, vt refert Aluarez dicens, *vt ex fideli teſtimonio Doctorum facultatis Theologicæ*

Vni-

Vniuerſitatis Louanienſis accepi, & retulerat antea Lemos coram Pontifice dicens, *quam definitionem referunt Doctores Louanienſes*; & iterum poſtea iidem Louanienſes in iuſtificatione & defenſione cenſuræ impreſſa Pariſijs anno 1641 cap. 4. num. 8, vt refert etiam Gonet diſp. 6. ar. 6. §. 3, quibus, cum ipſarum Vniuerſitas primitus cenſuram tulerit, ſi non credatur, cuinam alteri magis de propoſitionibus Riuij, quænam fuerint, credendum erit? accedit Syluiū, qui extraneus pariter eſt, & rem non poterat eodem tempore ignorare, in opuſculo de primo Motore, & prima parte q. 19. ar. 8. eodem modo retuliſſe damnatam eandem Riuij propoſitionem. Accedit ſiſtendo adhuc in libro ſuppoſito apud Lugum, inter propoſitiones Louanienſis Vniuerſitatis contradictorias propoſitionibus Riuij hanc eſſe tertiam in ordine, *Dei præſcientia de futuro rerum euentu contingentium futurarum, infert per neceſſariam conſequentiam res illas fore &c, cuius tamen conſequentiæ neceſſitas non tollit contingentiam conſequentis*, vt repetitur etiam in propoſitione 5. *non ſecluſa*, inquiunt, *conſequentis contingentia*, & clarius in ſexta, *non cogitur inde dicere peccatum AntiChriſti eſſe ineuitabile, nec propter conceſſionem huiuſmodi veritatis accedit ad hæreſim Ioannis Wichleph dicentis omnia de neceſſitate abſoluta euenire*. In quibus omnibus non video quomodo in re præallata à noſtris propoſitio Riuij damnata non ſit, attento præſertim eo modo, quo à Ioanne de S. Thoma ex Lemos afferrebatur. Nec verum eſt in allata à Lugo reſponſione Louanienſi, ſi tamen ſcriptū illud Vniuerſitatis erat, & non potius priuati hominis, vti & in verbis allatis ipſemet Lugo de hoc dubitabat, immo & de ſcripto ipſo dicens, *conſcriptum vt apparet circa illud tempus*, neque, inquam, verum eſt Louanienſes in ea adhuc reſponſione conceſſiſſe minorem, immo diſtincto in maiori illo medio termino, ſcilicet *præteritum eſt inimpedibile &c.* ſi præteritum terminatiue non connotet vel includat ipſum vſum futurum liberum, concedo, ſi hunc connotat vel includat, nego, quia in hoc ſecundo caſu erit pariter impedibile ſaltem terminatiue, licet non ſubiectiue, inde apud eruditos in Schola reliquerunt minorem manifeſte eadem diſtinctione diſtinguendam, ſcilicet ex inimpedibili ſequitur inimpedibile, ſi illud ſit inimpedibile etiam terminatiue, concedo, ſolum ſubiectiue, nego, & conſequenter non conceſſerunt in ſenſu Riuij, vt ſupponit Lugo, eam Riuij minorem, immo adhuc vere in ſenſu ab illo intento refutarunt, vti antea in articulis iam refutauerant, vt expoſitum eſt. Nec demum Riuium locutum eſſe ſolum de inimpedibili in eſſendo, ſcilic. *reuelatione*, vt ſupponit Lugo, verum etiam de inimpedibili in cauſando, vt eſt decretum Dei, aperte conſtat ex prima eiuſdem Riuij propoſitione, & contradictoria Louanienſium aduerſus illam in eodem libro à Lugo exhibito ſic habente, *in Deo eſt velle intrinſecum, quo determinate voluit ab æterno priuſquam mundus fieret res producere, quas erat ad extra producturus, & per quod effectiue eas producit, dum actu producit*: iuxta quem ſenſum etiam apud eundem Lugo Vicarius Papæ in Vrbe in ſententia prolata in eundem Riuium inter errores Riuij recenſet, *quod Deus non eſt præſcius futurorum, & quod Deus non vult res prius quam producantur*, quæ profecto de decreto in cauſando loquuntur, & in quadam ſubſcriptione apud eundem Lugo idem Riuius fatetur tunc Romæ reuocaſſe quinque propoſitiones ſcriptas in ſuis tractatibus ſibi à dicto Vicario oblatas, licet Lugo non afferat nec determinet quænam iſtę forent, vti quo adhoc aliqui voluiſſent in-

tegram hanc reuocationem Riuij, & à Riuio ſubſcriptam, & à Louanienſibus miſſam ad noſtrum Aluarez, vt fatetur Lugo *apud ſe harum litterarum exemplar autenticum fuiſſe*, voluiſſent, inquam, ex ſcribi ex integro, vt forſan melius iterum prçallatæ pro nobis eorundem Louanienſium atteſtationes dignoſci poſſent; verum quid his ſtantibus officit adhuc veraci Aluarez, Lemos, Ioannis de S. Thoma & aliorum noſtrorum atteſtationi productæ? quid prohibet nobis repetere ad inſtitutum, quod dicebat Arnobius lib. 1. aduerſus gentes, *vultis vera eſſe, quæ in veſtris comprahenſa ſunt ſcriptis, & quæ in noſtris conſignata ſunt litteris, confiteamini neceſſe eſt vera eſſe.*

Omitto ſexdecim alias probationes diſtinctas ab iſtis, quibus in Opoſculo de concurſu præuio oſtenſurus ſum Deum etiam in ordine naturali prædeterminare quamcunque cauſam ad operationem. omitto præter ſcripta Salmaticenſium ac cæterorum, ferme 24 alias impugnationes ſcientiæ mediæ legendas in Gonet tomo 2. diſput. 6. art. 5. & 6. ſcilicet ex cognitione rerum in Deo tanquam in cauſa, ex perfectione ſcientiæ Diuinæ, ex defectu motiui ac medij ipſiuſmet ſcientiæ mediæ, ex ipſa definitione eiuſdem, ex illius inutilitate ad prouidentiam tam naturalem quam ſupernaturalem, ex dependentia cuiuſcunque futuritionis à libera Dei voluntate, ab inconuenienti ſternendi viam, vt ipſe diſcurrit, ad errores Semipelagianorum quoad initia fidei in nobis velut Prædeſtinationis motiuum, ab abſurdo enneruandi libertatem in Deo, auferendi ſupremum Dominium ab eodem, derogandi omnipotentiæ eiuſdem, ab alio inconuenienti tribuendi Deo modum concurrendi cæcum ac ignorantem, fauendi ſolum apparenter libertati noſtræ eamque in ſuo principio perimendi, faciendi Deum ob indifferentiam concurſus Auctorem peccati, & huiuſmodi, quæ abunde in eodem digeſta ſunt, & ſimilia leguntur, ne dicam robuſtiora, in Lemos tom. 1. 2. p. tractatu 5. per totum. Omitto tandem, poſt iſta hæſitanti adhuc, an in iſta contentione, Thomiſtis vera intelligentia Auguſtini, vel parti oppoſitæ concedenda ſit, ſubijci poſſe Salomonis iudicium, in contentione duarum mulierum pro vnico filio decernentis cedendum ei, quæ recuſaret permittere filium in duas partes exſcindi; dũ interim profecto Thomiſtæ paſſi non ſunt videre diſſectam Auguſtini auctoritatem, vt illi fecere, quos ab initio libri quinti eandem retulimus enneruare pro viribus conatos eſſe; contra quos, non vero contra modeſtiores alios aduerſæ partis Doctores, ea Auguſtini verba repetere licet in lib. 3. operis imperfecti contra Iulianum cap. 14. *non laboras vt me intelligas, quod facillime potes, ſed laboras vt me refellas, quod non potes.* Vti aduerſus Maſſilienſes olim peiori abuſu, vt retulimus, oppugnantes iſtam hucuſque probatam Auguſtini ſententiam, vtique repetere poſſumus ea etiam alia Proſperi verba in libro contra Collatorem cap. 1. dicentis, *cur igitur de his armis, quibus communis fides eſt aſſenſata, cauſantur? cur bellum confectum retractant, & munitiones ſecura dudum pacis infirmant?* & infra cap. 33. *cur profeſſione mutata quod deſtruxiſti adificas? quod tuebaris impugnas? cur munitiſſima veritatis arce deſerta*, ſcilicet Auguſtini, *gradatim ad præcipitia decurris?*

AR.

ARTICVLVS III.

Afferuntur obiectiones & oſtenditur plerumque ab Auguſtino præoccupatas ac ſolutas eſſe.

O*Biectiones aduerſus Auguſtinum*, aiebat loquens de hac ipſa præſcientia innixa propoſito grauis ſcriptor è Societate Pererius in cap. 9. epiſt. ad Rom. diſp. 8. num. 78. *Obiectiones, inquam, aduerſus Auguſtinum non ſunt nouæ nec recens inuentæ, & iam tunc S. Auguſtino a Maſsilienſibus a ijſque Galliarum Epiſcopis aduerſus ipſum obiectæ, vt conſtat ex Epiſt. Hilarij & Proſperi*. Hæc ille, quibus vtique congruunt, quæ ſcribit Proſper in epiſt. ad Auguſtinum de eiſdem obiectionibus dicens, *vt breuius & planius, quid opinentur, exponam: quidquid in libro de correptione & gratia ex contradicentium ſenſu ſanctitas Tua ſibi oppoſuit, quidquid etiam in libris contra Iulianum ab ipſo ſub hac quæſtione obiectum potentiſsime debellaſti, hoc totum ab iſtis contentioſiſsime conclamatur*, & in Carmine iterum de ingratis, poſt recitatas conſimiles in Auguſtini Doctrinam oppoſitiones, concludit

Nunquid non eadem ſapiunt eademque perorant
Veſtri illi, quorum ructatis verba, Magiſtri?
Sed quia conſimili cognata ſuperbia geſtu
Proſilit, & vobis nunc reſpondetur & illis.

Perrerij igitur ſenſum ſimul & Proſperi teſtimonia ſequentes, dum obiectionibus contra præmiſſa reſponſuri ſumus, oſtendere ſimul aggredimur plerumque obiectiones multiplicari ſolitas aduerſus præſtabilitam Thomiſticã ſimul ac Auguſtinianam præſcientiam conditionatorum innixam diuino propoſito, ſiue decreto, euertentem ſcientiam mediam, plerunq; olim Auguſtino obiectas fuiſſe, ab eodemque ſolutas, non vt oppoſitum opinantibus inuidiã aliquam procreemus (qui acute ſatis, ne dum Catholicè, ſuam tuentur ſententiam.) Sed vt obiectionum ſolutio ſincerior, vel probabilior ſimul, & authentica magis pateſiat.

Obijci ſolet igitur primò, quod ex iſta præſcientia ſic innixa propoſito *orietur fatum ineuitabile ſeu fatalis neceſſitas*, vt arguunt Molina q. 23. art. 4. & 5. diſput. 1. membro 2. & Leſſius lib. de Gratia efficaci cap. 3. & 16. Sed hoc abſurdum, ergo & id, ex quo ſequitur, ſcilicet Præſcientia innixa propoſito ſeu Prædeſtinationis decreto. Confirmatur primò, quia ex eadem efficacia Diuini decreti, cui ſubniteretur præſcientia, auferreretur libertas, & indifferentia ad oppoſita, vt arguunt ijdem ibidem, ſed hoc contra Conciliorum decreta ac veritatem, oppoſitam Caluini ac cæterorum erroribus, ergo abſurdũ iterum antecedens illud, ex quo conſequens ſequebatur. Confirmatur ſecundo, quia Deum ita decernere vnum voliturum bonum, non alterum, eſt inferre hominibus hoc decreto priuatis *deſperationem*, vt arguit Leſſius lib. de Prædeſtinat. in Præfatione & ſect. 3. num. 31. & Molina diſput. 1. membro 6. Sed hoc abſurdum; ergo. Confir. 3. quia hoc eſt induci *ſocordiam, torporem, & ignauiam*, vt arguit Leſſius de Prædeſtinat. ſect. 6. num. 79. & ſect. 2. num. 14. ergo. Confir. 4. quia, vt inquit Leſſius ibidem ſect. 2. *omne ſtudium bonorum ope-*

rum eluderetur, & in Præfatione, *ſic nulla iniuria excides, nulla diligentia intrabis.* Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 5. quia, vt arguit idem Leſſius lib. de gratia efficaci cap. 7. num. 3. cum Suarez lib. 3. de Auxilijs cap. 6. carentes prædicta efficacia decreti *plurimi eſſent, quibus præcepta Dei impoſſibilia eſſent*, ſed hoc abſurdum, ergo. Confirm. 6. quia, vt arguit ibidem Leſſius cap. 9. num. 12. *aliter fruſtra erunt præcepta, fruſtra conſilia, fruſtra exhortationes & correptiones &c.* Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 7. quia vt arguit idem Leſſius de Prædeſtin. ſec. 6. num. 71. *vires naturæ à Creatore acceptæ eſſent otioſæ, & quaſi paſsiuæ ſe haberent.* Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 8. quia vt arguit idem in lib. de gratia efficaci cap. 9. *abſurda eſſent præcepta Diuina, quomodo enim diceret Deus, ſi quis mihi aperuerit, dum ipſemet debet aperire &c.* ergo. Confir. 9. quia, vt arguit Molina diſpu. 53. memb. 2. *ſequeretur cum Manichæis neminem corripiendum eſſe, qui non operaretur bonum, ſed orandum eſſe Deum vt illi largiretur &c.* Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 10. quia vt arguit Leſſius de Prædeſtinat. sect. 2. nu. 15. *tolleretur zelus animarum, nã etiamſi ego quieſcam, æque omnes illi & ſoli, de quibus decreuit Deus, ſaluabuntur* Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 11. quia vt arguit ibidem cum Valentia 1. p. q. 23. diſput. 1. puncto 4. *doctiſsimi & optimi viri metuerent ſibi effrænem vitæ licentiam, ſi hanc ſententiam in animum demiſiſſent*, ergo. Confir. 12. quia vt arguit Leſſius lib. de gratia efficaci cap. 17. num. 18. cum Molina diſput. 53. membro 2. & diſpu. 1. membro 6. ad quæſtionem 23, *nec homines in operando laudem mererentur*, ſed hoc abſurdum, ergo. Confir. 13. quia vt inquit Leſſius lib. de Gratia efficaci cap. 9. num. 13. alioquin liberum arbitrium *non tam eſſet ex peccato debilitatum quam pænitus extinctum.* Sed hoc abſurdum, ergo.

Reſpondetur eandem difficultatem attuliſſe etiam contra Auguſtinum inter Semipelagianos Fauſtum lib. 1. cap. 4. his verbis, *ſub pietatis fronte gentilitatis malum & inter gratiæ vocabulum abſconditum eſt fatale decretum*, & idem habet lib. 2. cap 6. & de Maſſilienſibus idem refert Proſper epiſt. ad Ruffinum vbi & hæc obiectio à Proſpero refutatur negando maiorem, vti refutauerat etiam Auguſt. lib. 4. contra Iulianum cap. 8. & lib. 2. ad Bonifacium cap. 5. & inter Scholaſticos nuper huic obiectioni reſpondet Gonet tom. 3. diſp. 5. ar. 5. §. 1. late diſtinguens à fato decretum. Ad primam Confir. eandem pariter difficultatem Auguſtino opponebant Semipelagiani, quem ideo Auguſtinum appellabant *præcipuum arbitrij liberi interemptorem*, vt refert & refellit idem Auguſt. lib. 1. operis imperfecti fol. 170. & paſſim in eodem libro, & pariter à Fauſto lib. 1. cap. 4. vocatur Auguſtinus, *liberi interemptor arbitrij*, & Proſper in epiſt. ad Ruffinum refert, *ſcripta Auguſtini, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamant dicentes eum liberum arbitrium pænitus ſubuertere*, quam tamen calumniam depellebat ſæpiſſime Auguſtinus præcipuè tamen epiſt. 89. & lib. de correpti. & gratia cap. 8. dicens, *hæc voluntas libera tanto erit liberior, quanto ſanior, tanto autem ſanior quanto diuinæ miſericordiæ ſubiectior.* Et iterum epiſt. 89. ad Hilarium, *neque enim voluntatis arbitrium ideo tollitur quia iuuatur, ſed ideo iuuatur quia non tollitur.* Inde Proſper ſententia 6. poſt reſponſiones ad capita Gallorum, *non abolet ſed adolet arbitrium hominis*, & lib. 1. de vocatione gentium cap. 6. *quod non eſt interfectum per vulnerantem, non tollitur per medentem, vulnus ſanatur, non natura remouetur*, & in Carmine de ingratis

Liber-

Libertate agimus ſed libertate redempta,

Et Fulgentius lib. de Incarnatione & Gratia, *non auffertur arbitrium ſed ſanatur, non adimitur ſed corrigitur, non remouetur ſed illuminatur, non euacuatur ſed adiuuatur atque ſeruatur*, & ita de alijs Patribus; inter Scholaſticos autem nouiſſime legi poſſunt ex noſtris Xantes Mariales relectione 9. de ſcientia per totam, & Gonet tomo 4. diſput. 6. art. vltim. per totum. diffuſiſsime & lucidiſsime explicantes quomodo ex indigentia concurſus Dei vel decreti pertinẽtis dumtaxat ad ordinem actus ſecundi, nõ primi, ad agere ſcilicet non ad potentiam ad agendum, expedita ſeruetur in ſenſu diuiſo potentia ad oppoſitum licet nõ in ſenſu compoſito nimirum non componendo vtrumque actum oppoſitum ſimul, adeout appareant inde præoccupatæ ac ſolutæ ſingulæ repetitæ obiectiones Theophyli Raynaudi in tomo 18. opuſc. inſcripto, *vulpes paruulæ capta de ſenſu compoſito & diuiſo contra Rainaldum*, ſed fuſior nunc legitur tractatus integer *de ſenſu compoſito & diuiſo* apud Lemos, qui vnus pro omnibus ſatis erit. Ad ſecundam Confir. eodem modo Maſſilienſes in epiſt. Hilarij ad Auguſtinum, *his ſanctitatis tuæ verbis ita mouentur vt dicant quandam deſperationem hominibus exhiberi*, vt de facto ſic obijciebat Fauſtus lib. 1. de libero arbitrio cap. 4, quam tamen obiectionem diſſoluit Auguſt. lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 17. & cap. 22. & libro de Prædeſtin. Sanctorum cap. 11. ex profeſſo negando ſequelam maioris, quia, inquit, *tutiores viuimus ſi ſpem in Domino reponamus*, & plura ſimilia ibidem conſuli poſſunt. Ad 3. Confir. ſimiliter Maſſilienſes relati in epiſt. Proſperi ad Auguſtinum obijciebant his verbis, *hoc propoſitum vocationis, & lapſis curam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre (remoueri itaque induſtriam tollique virtutes ſi Dei conſtitutio humanas præueniat voluntates) eo quod vtraque parte ſuperfluus labor ſit; quoquo enim modo ſe egerint, non poſſe aliud erga eos, quam Deus definiuit, accidere*. vti de facto ſic obijcit Fauſtus lib. 1. de libero arbitrio cap 9. ſed depellit hanc obiectionem Auguſtinus lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 15. & cap. 22. retorquens etiam argumentum de Præſcientia, & iterum contra ſe refert, & ex profeſſo refutat libr. de peccatorum meritis cap. 35, & in fragmento 1. poſt ſermones de diuerſis in tom. 02. dicens, *quidquid nobis iubetur, orandum eſt, vt impleatur. Sed non ſic vt dimittamus nos quomodo ægri, iaceamus ſupini & dicamus pluat Deus eſcas ſuper facies noſtras, vt prorſus nos nihil agere velimus, & cum eſca compluta fuerit ſuper os noſtrum, dicamus, etiam Deus glutiat de nobis*. Ad 4. pariter obijciebant Maſſilienſes in epiſt. Proſperi ad Auguſtinum, *quod caſſa ſit annitentis intentio &c. ſuperflua erit induſtriæ & laboris indictio, cuius ſtudium ceſſante electione Dei fruſtrã datum eſt*; quam refert etiam & refellit Auguſtinus lib. 2. de Peccatorum meritis & remiſſione cap. 5. & epiſt. 2. ad Valentinum ac Monachos Adrumentinos concludens, *non ſic defendatis gratiam, vt quaſi de illa ſecuri mala opera diligatis*. Ad 5. etiam Monaci Adrumentini, vt refert Auguſt. de correpţ. & gratia cap. 4. id obijciebant his verbis, *hanc non accepimus, quid itaque corripimur quaſi nos a nobis dare poſsimus, & noſtro arbitrio dare nolimus?* & cap. 6. *quid facimus qui non accipimus?* & Fauſtus lib. 1. cap. 11. *quomodo prædicat gratiam, qui miſericordiam negat? quomodo videtur aſſerere Dei donum, cuius tollit auxilium? quomodo mihi dicitur declina a malo & fac bonum, ſi & in malum declinare non poſſum?* Sed reiicit hanc obiectionem Auguſtinus præſertim lib. de natura & gratia cap. 15.

15. & 43, ex quo capite verba tranſumpſit Tridentinum ſeſs. 6. canone 11. ſcilicet *Deus impoſsibilia non iubet &c.* Vt repetit etiam idem Auguſtinus in eodem lib. cap. 79. & lib. de perfectione iuſtitiæ cap. 3. & libr. de gratia & libero arbitrio cap. 16. præter præcitatum librum ad Monachos Adrumentinos, ex quibus omnibus facillime nunc Theologi negant ſequelam maioris, quia, vt prænotatum eſt, ex carentia Diuini decreti ad bene agendum nil deeſt pertinens ad poſſe in actu primo, nec conſequenter vlla impotentia propriè ſubſequitur. Ad 6. non minus Maſſilienſes in epiſt. Hilarij ad Auguſtinum ſic opponebant, *quo pertinet tanta extrinſecus correptionis inſtantia (excludi putant omnem prædicationis vigorem) aſſerunt inutilem exhortandi conſuetudinem, ſi nihil in homine remanſiſſe dicatur, quod correptio valeat excitare.* Sed ad hanc obiectionem reſpondet ex profeſſo Auguſt. vere toto lib. de correptione & gratia ad hunc finem ſcripto, præcipuè vero cap. 15. & poſtea iterum lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 12. & 15. & ex eadem ſemper radice conſtat ſequelam negandam eſſe, quia inde nil potentiæ in actu primo derogatur. Ad 7. confirm. eandem proponebat difficultatem Fauſtus libr. 1. cap. 8. dicens, *ſicut mare magnum quod huc atque illuc ventis agitantibus voluatur, ita ſolo diuinæ poteſtatis impulſu mens humana verſaretur*, & cap. 10. *Audi Apoſtolum non ſua otia prædicantem*, & cap. 11. *aliter*, infert, *homines per quietem & deſidiam coronari*, vti & Pelagius relatus à Hieronymo epiſt. ad Cteſiphontem, *igitur*, inquit, *per ſingula opera eius eſt omne quod geſſero, ergo non ego, qui laboro, ſed Dei in me coronabitur auxilium*, & lib. 1. Dialogi aduerſus Pelagium ſi iterum refertur dicens, *ergo in vtroque ſuum vel recipiet vel damnabit auxilium*, & demum apud Auguſtinum in fragmento 1. poſt ſermones de diuerſis tomo 2. *quid ergo*, inquiebat Pelagius, *nos facimus ſi nihil habemus in poteſtate niſi Deus det omnia, ergo non nos coronabit Deus, ſed ſe coronabit*: ad quam tamen obiectionem reſpondent Hieronymus & Auguſtinus ibidem ex profeſſo, non excludi quod & nos agamus dum agimur vt agamus, ſicut fuſius hanc reſponſionem proſequitur Auguſtin. lib. de gratia Chriſti cap. 25. lib. 1. ad Bonifacium cap. 18. & 19. ſerm. 13. de verbis Apoſtoli cap. 11. & ſerm. 15. cap. 11. epiſt. 106, lib. de perfectione Iuſtitiæ cap. 19, & vno verbo lib. integro de gratia & libero arbitrio, quem ad hunc finem ſe ſcripſiſſe in cap. 1. profitetur, vti & Anſelmus lib. de gratia & libero Arbitrio præſertim cap. 3. Ad 8. Confir. non diſſimiliter arguebant Monaci Adrumentini, & alij relati ab Auguſtino libr. de gratia & libero arbitrio cap. 15. dicentes, *quare iubet ſi ipſe daturus eſt? quare dat ſi homo facturus eſt?* & pariter Maſſilienſes in epiſt. Proſperi ad Auguſtinum aientes, *vt quid nobis prædicatur atque præcipitur, ſi hoc non agimus, ſed id velle & operari Deus operatur in nobis?* ad quam tamen obiectionem reſpondet ex inſtituto Auguſtinus cap. mox antecitato, & conſtat, quia hoc non obſtante & agere ſimul noſtrum eſt & conſequenter à nobis iure expoſtulatur. Ad 9. confir. etiam Adrumentini referuntur ab Auguſtino lib. de correptione & gratia cap. 4. ſic obijcientes, *ſi non fecero non ego corripiendus ſum, ſed ille orandus vt det, quod non dedit, cum ergo & ipſa voluntas a Domino præparetur, cur me corripis, non potius ipſum rogas, vt in me operetur & velle?* reſpondet autem Auguſt. ex propoſito negando ſeq. mai. tum eodem cap. 4. tum lib. de gratia & libero arbitrio cap. 10. ob cauſam mox ante allatam. Ad 10. ſimilia oppoſuiſſe Adrumentinos recenſet Auguſtinus lib.

eodem

eodem de corrept. & gratia cap. vltimo, & reſpondet ibidem concludens, *abſit vt iſta garrientes ſecuros in hac negligentia eſſe debere credamus*. Ad 11. pari modo Maſſilienſes obieciſſe refert, eoſque refellit Auguſt. lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 15. & libr. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 35. dicens, *hoc eſſe in ſiniſtram declinare per neſcio quam peruerſam atque prauam ſecuritatem, ſe tanquam impune dare peccatis*, & clarius reſpondet iterum lib. de corrept. & gratia cap. 15. & vlt. & lib. de Prædeſtinat. Sanctor. cap. 9. Ad 12. non longe diuerſo modo arguebat Fauſtus lib. 2. cap. vlt. dicens, *non poterimus laudi conferre palmam ſi neceſsitate volu mus ſeruare naturam*, & expreſſe Caſſianus de Centurionis fide ait, *nullius laudis eſſet ac meriti, ſi id in eo Dominus, quod ipſe donauerat, prætuliſſet*; ad quam tamen obiectionem reſpondet etiam Cæleſtinus Pontifex in epiſt. ad Epiſcopos Galliæ cap. 7. *nemo aliunde Deo placet niſi ex eo quod ipſe donauerit*, & Auguſt. *voluit eſſe dona ſua, quæ ſunt merita noſtra*, lib. 13. de Trinit. cap. 10. & lib. 6. contra Iulianum cap. 12. Ad 13. pariter Maſſilienſes in epiſt. Hilarij ad Auguſtinum argumentabantur, *quia nullam voluntatem ita deprauatam vel extinctam putant, vt non debeat vel poſsit ſe velle ſanari*, & Caſsianus Collatione 13. *idcirco manet in homine liberum ſemper arbitrium, quod Donum Dei poſsit vel negligere vel amare*, quod tamen, ne in ſenſu Semipelagiano intelligeretur, in recto ſenſu Catholico exponit Proſper contra Collatorem, & occurrit obiectionibus Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum operis imperfecti *fol.* 113. & alibi ſæpe vbi ſupra. Vnica autem generalis vere ad hæc omnia intorſio in arguentes adhiberi poteſt iam ſupra tacta, nimirum quod ſicuti in noſtra ſententia in ſtatu conditionato vt voluntas præuideatur operatura indiget decreto prædeterminante, ſic pariter in ſententia aduerſariorum ſaltem in ſtatu abſoluto vna voluntas ad differentiam alterius à ſola gratuita libertate Dei transfertur & determinatur de ſtatu cõditionato ad abſolutum præ altera voluntate, quæ non transfertur &c. Sed hoc non obſtante nulla ex prædictis inconuenientibus conſequuntur in ſententia aduerſariorum, ergo nec ſequentur in noſtra, vt præter noſtros Thomiſtas nouiſſime intorquet in aduerſarios etiam Macedo Collatione 10. pag. 438. diffuſiſſime.

2 Obijcitur ſecundò quia vt arguit Leſſius de Prædeſt. ſect. 2. ratione 2. & 4. cum Valentia & alijs, *ſequeretur Deum nos implanare, noſtræ ſaluti inſidiari, eam nobis reddere impoſsibilem*, & tandem vno verbo in Deum aberrantium peccata refundi, ſed hoc abſurdum, ergo. Confir. 1. quia vt idem arguit, *maxima pars hominum eſſet diuina poteſtate prædeſtinata ad malum & creata vt pereat*, Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 2. quia vt arguit Valentia ad q. 23. diſput. 1. puncto 4. probatione 7. *Deus eſſet aliquo modo acceptor Perſonarum*, Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 2. quia vt arguit Leſſius de Prædeſtinat. ſect. 2. ratione 2. cum Molina diſput. 53. membro 2. *non eſſet in Deo ſincera voluntas ſaluandi omnes homines*, Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 4. quia vt arguit Valentia vbi ſupra cum Molina ad qu. 23. diſput. 1. memb. 8. *Chriſtus non pro ſalute omnium omnino hominum mortuus eſſet*, Sed hoc abſurdum, ergo. Confir. 5. quia vt inquit Molina ad q. 23. ar. 4. & 5. diſput. 1. memb. 6. *hac noſtra ſententia & Auguſtini multum ſane fideles turbauit, eo quod non addidit Auguſtinus Prædeſtinationem fieri non ſine Præſcientia vſus liberi arbitrij &c*, quam infra ideo vocat *ſententiam nimis duram & indignam Diuina bonitate*, ergo ſignum eſt non eſſe veram.

Con-

Confir. 6. quia *nos incipere per noſtrum velle & poſtea Deum perficere*, omnes vere P. P. Græci tradiderunt, vt eorum verba adducit Leſſius de Prædeſtinat. paſſim, & præſertim Chryſoſtomi, & Damaſceni verba vrget Faſolus ad 1. p. q. 14. art. 13. à num. 331. immo alios 24. PP. ad hoc addenſat Theophylus Raynaudus in Apologia pro Valeriano cap. 9. per totum, quorum aliqui etiã negant Deum aut voluntatem eiuſdem *prauenire voluntates noſtras &c.* ſed nulla ex his ſaluari poſſent, ſi etiam in ſtatu conditionato decreta prædeterminatiua darentur, & ſcientia media negaretur, ergo illa danda non ſunt, iſta vero concedenda videtur.

Reſpondetur etiam Pelagium, vt refert Auguſtinus libr. de geſtis Pelagij cap. 14. contra ſententiam Auguſtini ſic intuliſſe, *donum Dei eſt, quando vincimus peccata, ergo ipſe eſt in culpa quando à peccato vincimur, quia omnino cuſtodire nos aut non potuit aut noluit*, & pariter apud Hieronymum lib. 3. dialogi ante mediũ refertur dicens, *ſi autem noluit adiuuare, non eſt culpa eius, qui voluit facere, ſed illius qui adiuuare potuit & noluit*. Reſpondent autem ibidem Auguſtinus & Hieronymus negando ſeq. mai. eo quia ſufficit in nobis adeſſe ipſum poſſe vt imputetur non agere, quod poſſumus, cum aliàs non teneatur Deus ad tribuẽdum hoc agere, ad quod nos tenemur, eo quod iam vere poſſumus, vt latius infra cum noſtris in vindicatione iſtius ſententię Auguſtinianæ ac Thomiſticæ à Caluiniſmo repetetur, & iamdiu hanc eandem obiectionem retulit & refutauit D. Proſper in lib. ad obiectiones Vincentianas obiectione 5. & 6. expreſsè. Ad primam Confir. eandem etiam obiectionem ex Maſsilienſibus referunt & depellunt idem Auguſtinus lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 15, & D. Proſper ad obiectiones Gallorum cap. 12. & ad obiectiones Vincentianas cap. 7. 8, & 9. dum ſcilicet ibi hæc opponentium verba erant, *quod Deus velit vt magna pars Catholicorum à fide apoſtatet, & ad hoc eam creet, & vt ſalua eſſe nec velit nec poſsit*, & huiuſmodi plura ibi; & in ſumma reſponſio eſt negando ſeq. quia omnibus tribuit poſſe, licet Deo liberum ſit non omnibus dare actu agere, cum gratuitum ſit, non debitum in ordine ad bonum præſertim ordinis ſuperioris &c. Ad 2. Confir. etiam Maſsilienſes obijciebant in epiſt. Hilarij & Proſperi ad Auguſt. reprehendentes, *quod vni daretur, vt velit, reiectis ab hoc dono alijs pariter reis*, & inter veteres Fauſtus lib. 1. cap. 3. de Auguſt. ſequacibus inquiebat, *cum gratiam alijs dari alijs negari aſſerunt, gratiæ munus cum Pelagio perdiderunt*. Summa autem reſponſionis eſt negando ſeq. mai. quia gratuitum & liberum eſt Deo ſua dona donare ſine vlla ſuppoſitione meritorum, ex qua ſola acceptor perſonarum diceretur, vti ad hanc difficultatem palam reſpondet Apoſtolus dicens, *quid habes quod non accepiſti? quis te diſcernit? quis prior tribuit illi & retribuetur ei?* vt ad propoſitum adaptat Auguſtinus frequentiſsimè, præſertim autem lib. de Correptione & Gratia cap. 13. Ad 3. Confir. eadem difficultate Semipelagiani turbati ſunt, vt notat Proſp. ad obiectiones Gallorum obiectione 8, & in epiſt. ad Ruffinum dicens, *vbi eſt illud, quod nobis quaſi contrarium à non intelligentibus ſemper opponitur, quod Deus omnes homines velit ſaluos fieri*, & in obiectione ſecunda inter Vincentianas ſic pariter opponebatur *ſequi quod Deus nolit omnes ſaluare, etiamſi omnes ſaluari velint*. Reſpondet autem ad hanc obiectionem, tum Proſper ibidem, tum Auguſt. epiſt. 107. tũ Fulgentius lib. de incarnatione & Gratia cap. 29. tum S. Thomas p. p. q. 19.

ar. 3.

art. 3. & omnes noſtri Thomiſtæ ibidem negando ſeq. mai. quia ſufficit Deum per voluntatem antecedentem, licet non conſequentem, velle ſalutem omniũ ſincereque omnibus impertiri hoc, quod eſt poſſe ſaluari &c, vt ibidem latius explicatur, & nos in Opuſc. de Gratia ſufficienti aliàs edendo trademus. Ad 4. Confir. non diſsimiliter ijdem obijciebant apud Proſperum inter obiectiones Gallorum cap. 9. nimirum *ſequi quod non pro totius mundi redemptione ſaluator ſit crucifixus*, & de facto inter cæteros id expreſse obijciebat Fauſtus lib. 1. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. in ſententia autem Auguſtini & diſcipulorum eiuſdem negari debet ſeq. mai. vt contra Ianſenium definitum eſt in damnatione quintæ propoſitionis eiuſdem, & iamdiu Proſper ſententia nona *pro omnibus mortuum eſſe* dixerat *quo ad ſufficientiam*, vt ſcilicet omnibus etiam reprobis ex meritis Chriſti auxilia ſufficientia communia ſint, vt latius præter Malderum in Antiſinodica cap. 7. tractat nouiſsime noſter Gonet tract. de Prædeſtinat. & nos fuſius in dicto opuſculo. Ad 5. Confir. Maſsilienſes in epiſt. Hilarij ad Auguſt. referuntur ſic obijcientes, *ad ſummum fatigatis omnibus nobis ad id profectio eorum vel potius querela conuertitur, vt dicant, quid opus fuit huiuſmodi diſputationis incerto tot minus intelligentium corda turbari?* & Proſper ibidem refert, *ædificationi audientium contrarium eſse definiunt ac ſic etiam ſi vera ſit non promouendam, quia & pernicioſe non recipienda traduntur & nullo periculo, quæ intelligi nequeunt, reticentur.* Ad quod tamen reſpondet Auguſt. lib. de Bono Perſeuerant. cap. 15. & 22. vt ſupra fuſe q. 1. retulimus, & ſufficit intorſio Auguſtini ibidem de Præſcientia. Ad 6. Confir. eandem oppoſitionem aſſerebant etiam Maſsilienſes apud Proſperum in epiſt. ad Auguſt. ſcilicet, inquit, *retractatis priorum opinionibus pene omnium par inuenitur & vna ſententia qua propoſitum & Prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt*. Indeque ſubdit, *obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt*, & Hilarius in epiſtol. pariter ad Auguſtinum inquit, *contrarium Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui putant &c.* Reſpondet autem Auguſtinus primò in lib. de Prædeſt. Sanctor. cap. 14. priores Patres *hoc argumentum breuiter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis & tranſeunter attigiſſe, nec ideo opus eſse vt eorum ſcrutemur opuſcula, qui prius quam iſta hæreſis oriretur non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſoluendum quæſtione verſari, quod procul dubio facerent ſi reſpondere talibus cogerentur.* Et ideo, vt dixerat lib. 1. in Iulianum cap. 6. *Pelagianis non litigantibus ſecurius locuti ſunt*. Secundo reſpondet in lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 6. & ſequẽtibus, negando alios Patres contraria dicta ſcripſiſſe immo ex propoſito ipſe expendit pro hac ſua ſentẽtia verba Cypriani, Ambroſij, Nazianzeni, & aliorum Patrum vt legenti patebit. Tertiò reſpondet in lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 19. alios Patres, dum nominauerunt præſcientiam, non excluſiſſe immo ſubintellexiſſe etiam decretum Prædefinitivum, ſeu Prædeſtinativum, vnde, inquit, *quid prohibet quando apud aliquos Verbi Dei tractatores legimus Dei Præſcientiam, et agitur de vocatione electorum, eandem Prædeſtinationem intelligere?* Quartò quo ad illud aliud dictum, *noſtrum eſt incipere aut velle*, Reſpondet lib. 4. ad Bonifacium cap. 6. per hoc non excludi immo ſubintelligi concurſum Dei præoperãtis & decernentis &c. vnde inquit, *quod aduerſus Manichæum laudent liberum arbitrium adhibentes prophe ticum teſtimonium, ſi volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ comedetis & c. quid eis hoc predeſt? quandoquidem non tam contra Manichæos iſti de-*

ſendunt quam contra Catholicos extollunt liberum arbitrium? ſic enim iſti, ſcilicet opponentes, *volunt intelligi quod dictum eſt, ſi volueritis & audieritis me, tanquam in ipſa præcedente voluntate ſit conſequentis gratiæ meritum &c. ſi autem ſic intelligerent, quod dictum eſt, ſi volueritis, vt ipſam etiam voluntatem illum præparare confiterentur, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas à Domino, tanquam Catholici vterentur hoc teſtimonio, & non ſolum Hæreſim veterem Manichæorum vincerent, ſed nouam Pelagianorum contererent.* Eandem explicationem adhibet libr. 2. retractationum cap. 37. & iterum in lib. de correptio. & Gratia cap. 13. eandem ſcripturæ auctoritatem explicans ſibi obiectam ſcilicet, *ſi volueritis &c.* & concludit, *cum ſciret ipſe Deus in quibus operaretur & velle, conſimilia multa dicuntur propter vtilitatem huius ſecreti, ne forte quis extollatur, ſed omnes etiam, qui bene currunt, timeant.* Quintò reſpondet S. Thomas in p. p. q. 23. ar. 1. ad primũ, ſimilem gloſſans Damaſceni auctoritatem, ſcilicet aliquando Patres excludere præuentionem vel prędeterminationẽ diuinam loquendo de ea, quæ auffert potentiam expeditam in oppoſitum, vt in brutis, non vero de conſeruante eandem cum indifferentia, in quo ſenſu facillimè à noſtro Mariales Relectionibus de ſcientia gloſſantur Chryſoſtomus & Anſelmus adducti in oppoſitũ à Faſolo, oſtendendo immo in oppoſitum ex eorundem verbis hanc ſecundam præ definitionem eoſdem edocuiſſe, vt fuſius antea docuit & probauit Lemos in nuper editis tomis. Sexta demum reſponſio eſt ex S. Thoma p. p. qu. 23. ar. 4. & Thomiſtis ibidem diſtinguentibus duplicem ordinem executiuum, alterum intra Deum immanentem, alterum executiuum ad extra, qui ſolus in tempore eſt, & conſequenter loquendo de iſto comparatiue ad primum vtique dici poteſt Deum alicui tribuere dona ſua ex præſcientia vſus præuiſi ab æterno, quem tamen ab æterno ante præuiſionem prædecreuit, vt late explicat Mariales relectione 6. de ſcientia ſect. 4. & ex his planiſſime ſingulæ auctoritates, quę in oppoſitum adduci poſſunt, facilem ſubeunt cum Auguſtino ſolutionem, vt ſingillatim inter cæteros eaſdem percurrit noſter Nugno 3. p. q. 62. art. 5. quæſt. 2. à pag. 89. vſque ad 98. & etiam aduerſarij ad eaſdem plerumque reſpondere tenentur, ne ſolum ſcientiam mediam, ſed eiuſdem abuſum comprobare viderentur, vti ad hunc finem à Maſſilienſibus opponebantur.

Obijcitur vltimo ex auctoritatibus ipſius Auguſtini, quia vt refert Suarez lib. de concurſu cap. 9. num. 6. Auguſtinus lib. de Spiritu & littera cap. 33. aperte inquit, *liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis eſt, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt. Et ideo, nec iſtam voluntatem qua credit Deo, dici poteſt habere quam non acceperit, quandoquidem vocante Deo ſurgit de libero arbitrio quod naturaliter cum crearetur accepit.* Sed hoc videtur integrum fundamentum ſcientiæ mediæ, quod nimirum ſub conditione vocationis Dei præuideatur ſurgere volũtas de libero arbitrio, quod naturaliter cũ crearetur accepit, ergo ex Auguſtino ſcientia media comprobatur. Confirm. 1. quia vt ponderat idem Suarez lib. 4. de Prædeſtinat. cap. 3. cum Molina ad q. 23. diſput. 1. memb. 6. & Leſſius de Prædeſtinat. ſect. 6. num. 76. Auguſtinus ibidem inquit, *vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri & in agnitionem veritatis venire, non ſic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male vtentes iuſtiſſime iudicentur*, ergo ex Auguſtino non vult ſalu-

tem

tem omnium hominum abſolute ſed ſolum conditionate, & conſequenter niſi conditionatorum præſcientia explorauerit, prædeſtinatio nihil decernit, vt Auctores ſcientiæ mediæ intendunt. Confir. 2. quia vt ponderat idem Suarez lib. 3. de concurſu cap. 9. num. 6. & Leſſius lib. de gratia cap. 8. num. 6 idem Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſtione 2. inquit, *aliter Deus præſtat vt velimus, aliter præſtat quod voluerimus. Vt velimus enim & ſuum eſſe voluit & noſtrum, ſuum vocando, noſtrum ſequendo. Quod autem voluerimus ſolus præſtat id eſt poſſe bene agere & ſemper beate viuere*, ſed ſi etiam in ſtatu conditionato noſtra voluntas, vt volitura præuideretur, indigeret decreto prædeterminante, non videretur ſaluari hoc diſcrimen & dictum Auguſtini, ergo non indiget vt nos ſupponimus. Confir. 3. quia vt ponderat idem Suarez vbi ſupra & lib. 1. de Concurſu cap. 16. num. 14. cum Leſſio & Molina relatis locis, idem Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum quæſtione pariter 2. ſic habet, *igitur non volentis neque currentis ſed miſerentis eſt Dei, qui eo modo vocauit, quo aptum erat eis, qui ſecuti ſunt vocationem*, & infra, *ſi vellet etiam aliorum miſereri poſſet ita vocare quomodo illis aptum eſset vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur*, & iterum poſtea, *illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti quamuis vocati*, & infra, *an & quamuis multi vno modo vocati, tamen quia non omnes vno modo affecti ſunt, illi ſoli ſequuntur vocationem, qui ei ſuſcipiendæ inueniuntur idonei, & illud tamen verum ſit non volentis ſed miſerentis Dei, qui hoc modo vocauit quomodo aptum erat eis qui ſecuti ſunt vocationem*, iuxta quod etiam in lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. 14. inquit, *ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant*. Quid amplius? ipſe S. Thomas commen. in epiſt. ad Hebræ. 4. immo & Apoſt. ibidem habet hæc verba, *vt gratiam inueniamus in auxilio opportuno*, id eſt vt exponit ibi S. Thomas, *congruo tempore*, ſed ſemel admiſſa congruitate Diuini concurſus adtemperandi penes diuerſam aptitudinem ſubiecti volentis, vt inde ſequatur voluntatis conſenſus, ſimul ſtatim admittitur etiam ſcientia media prænoſcens quid noſtra voluntas volitura ſit ſub conditione talis concurſus &c. ergo ex Auguſtino vere hæc ſcientia media admittenda eſt. Confir. 4. quia vt expendit idem Suarez lib. 3. de concurſu cap. 20. cum Vaſquez p. p. diſp. 98. cap. 7. & alijs, *idem Auguſtinus* lib. 12. de Ciuitate cap. 6. inquit, *ponamus duos æqualiter affectos animo & corpore videre unius corporis pulchritudinem, qua uiſa unus eorum ad illicite perfruenda moueatur, alter in uoluntate pudica ſtabilis perſeueret &c. & ut hoc quoque impedimentum ab iſta quæſtione tollatur, ſi eadem tentatione ambo tententur & unus ei cedat atque conſentiat, alter idem qui fuerat perſeueret &c. quid aliud apparet niſi unum uoluiſſe, alterum noluiſſe a Caſtitate deficere? unde, niſi propria uoluntate ubi eadem fuerat in utroque corporis & animæ affectio? amborum oculis pariter uiſa eſt eadem pulchritudo, amborum pariter inſtitit occulta tentatio*. Ergo ex Auguſtino iam vna alterius voluntas incipit præ altera & ſe diſcernit ab altera, ſed hoc profecto in ſtatu abſoluto verificari nequit, vt hæretici Semipelagiani volebant, ergo ad minus hoc in ſtatu conditionato admittendum eſt, vt Catholici auctores ſcientiæ mediæ explicuerunt. Confir. 5. quia, vt affert eodem libro Suarez cap. 13. num. 19. & Leſſius lib. relato cap. 5. num. 9, Auguſtinus ipſe in lib. de ſpiritu & littera

cap. 34. & libr. de gratia & libero Arbitrio cap. 3. repetit, *conſentire Deo uel diſſentire propria uoluntatis eſt*, vt ſimiliter etiam loquitur lib. 1. de Peccatorum meritis & remiſſione cap. 22. & lib. de Prędeſtinar. Sanctorum cap. 5. ſed hoc melius explicari non poteſt niſi de ſtatu adminus conditionato, ex cuius prę-uiſione deinde etiam in ſtatu abſoluto expedita indifferentia voluntatis ſer-uetur, vt volunt Auctores ſcientię mediæ, ergo quod ipſi volunt ex Auguſti-no comprobatur. Confir. 6. quia vt diſcurrit Suarez in tomo 2. libr. 5. cap. 6. iuxta ſententiam noſtram recurrentem ad ſolum decretum prædeterminans vnus eſſet modus, quo Deus faceret vt nos faceremus. Sed immo *plures & miri ſunt modi*, quibus id præſtat Deus, ex Auguſtino q. 2. ad Simplicianum & lib. de ſpiritu & littera cap. 34, de natura & gratia cap. 3, lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 19, de correptione & gratia cap. 5, & alibi, ergo ex Auguſtino noſtra ſententia comprobari nequit. Confir. 7. vti diſcurrit idem Suarez lib. 5. eodem cap. 25. num. 5. Auguſt. q. 2. ad Simplicianum, *ita*, inquit, *cum eadem res uno modo dicta alium moueat, quis audeat dicere defuiſſe Deo modum uocandi, quo etiam Eſau mentem applicaret, uoluntatemque coniungeret &c.* vbi ponderat ly *Eſau* poni in nominatiuo, non in genitiuo, ex contextu nimirum dum inquit Auguſtinus, *alio modo uocati, accommodarent uoluntatem etc.* pariter Anſelmus (vt opponit idem Suarez cap. 30. num. 10.) ad illa verba, *ſi in Tyro & Sidone &c*, inquit, *quamuis præuidebat Deus illos ſcilicet Tyrios & Sidonios habiles eſſe ad conuerſionem, tamen non fuit iniuſtitia, ſed eos qui peccatores erāt & ideo indigni, noluit uocare, quia cum uult miſeretur, & quem uult indurat.* & infra. *ſed quare Deus negat gratiam libenter ſuſcepturis & gratiæ conſenſuris, non eſt noſtrū ſcire*, ſed hæc omnia ſupponunt ad minus in ſtatu conditionato præuideri in vno præ altero futurum ſub conditione conſenſum penes ſcientiam mediam, ergo iterum ex Auguſtino ſimul cum Anſelmo ſcientia media admittenda videtur. Confir. vlt. vt opponit Faſolus p. p. q. 14. ar. 13. dub. 17. num. 425. & 313. & 342. Quia Auguſtinus in expoſitione epiſt. ad Rom. in Propoſitione 55. aperte inquit, *Deus non prædeſtinauit aliquem niſi quem præſciuit crediturum & ſecuturum uocationem*. Sed in his verbis aperte comprobatur ſcientia media antecedens decretum prædeſtinationis, & adeo manifeſte vt, ſicut inquit Faſolus, Aluarez lib. 1. Reſponſionum cap. 1. num. 26. coactus ſit effugere dicens, *iſta uerba non eſſe Auguſtini ſed Arborei*, cum tamen, inquit Faſolus, vere adhuc in dicto libro Auguſtini legantur, ergo ineluctabile, vt inde triū-phans Faſolus exultat, iam ex Auguſtino approbatio ſcientiæ mediæ conuincitur.

Reſpondetur nec minus Semipelagianos pridem ſolitos fuiſſe obijcere dicta Auguſtini contra eundem Auguſtinum in hac eadem materia, vt manifeſte refert Hilarius in epiſt. ad Auguſt. dicens, *& hoc non ſolum aliorum Catholicorum teſtim cnÿs, ſed etiam ſanctitatis tuæ diſputatione antiquiore ſe probare teſtantur: ubi tamen eandem gratiam non minore ueritatis perſpicuitate docueris: ut eſt illud quod dixit tua ſanctitas in quæſtione contra Porphyrium de tempore Chriſtianæ religionis, tunc uoluiſſe hominibus apparere Chriſtum & apud eos prædicari doctrinam ſuam quādo ſciebat & ubi ſciebat eſſe qui in eum fuerant credituri, Vel illud de lib. in epiſtol. ad Rom. &c.* Ad quam tamen obiectionem reſpondet Auguſtinus in lib. de dono perſeuerantiæ cap. 9. & ad ſimiles ſententias iterum in libr. de Prædeſtinat.

San-

Sanctorum cap. 4. dicens, ſe ante Epiſcopatum in hoc errore Maſſilienſium fuiſſe, *quem*, inquit, *nonnulla me a opuſcula ſatis indicant ante Epiſcopatum meum ſcripta*. Et inde, licet aberrantem circa initium fidei, commendaſſe tamen in reliquis gratiam Dei concludit dicens, *videte certe quid tunc de fide atque operibus ſentiebam, quamuis de commendanda gratia Dei laborabam, in qua ſententia iſtos Fratres noſtros eſſe nunc uideo, quia non ſicut legere libros meos, ita etiam in eis proficere mecum curauerunt.* quinimmo prædicti Semipelagiani non ſolum Auguſtini dicta propria contra eundem obijciebant, verum etiam quandoque ea, quæ Auguſtinus in perſona aduerſariorum ſibi opponebat, tanquam eiuſdem aſſerta contra eundem vſurpauerunt, vt improperat D. Proſper ad excerpta Genuẽſium dubitat. 10. ſcribens. *Stupeo obiectionem calumniantium à perſona defenſoris gratiæ non potuiſſe diſcernere, & uerba obtrectantium ei ipſi, qui obtrectationibus ſuis reſpondet, aptauiſſe.* An igitur id obijcientibus modo contigerit nunc videamus. Et ad primam obiectionem principalem reſpondemus appoſite ea verba relata ibi, non ex propria ſententia aſſerendo dici ab Auguſtino, ſed ex ſententia aliorum diſputando referri, vnde ſic proponit quæſtionem ibi, *prius illud dicamus & uideamus, utrum huic ſatis faciat quæſtioni quod liberum Arbitrium naturaliter attributum a Creatore &c.* & proſequitur verba ab arguente relata, & poſtea cap. 34. reaſſumit hanc reſponſionem, & examinat ſic incipiens, *hæc diſputatio, ſi quæſtioni illi ſoluendæ ſufficit, ſufficiat*, ſed ſtatim vt minus probabilem refellit dicens, [cauendum eſſe ne quiſquam Deo tribuendum putet peccatum, quod admittitur per liberum arbitrium, ſi in eo quod dicitur, quid habes quod non accepiſti, propterea etiam voluntas, qua credimus, dono Dei attribuatur, quia de libero exiſtit arbitrio, quod cum crearemur accepimus.] Et demum ſuam concludit veram reſponſionem dicens, [attendat, & videat, non ideo tantum iſtam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt, verum etiam quod viſorum ſuaſionibus agit Deus, vt velimus,] quam eandem omnino quæſtionem diſcutiebat eodem proceſſu pariter epiſt. 107. ad Vitalem, & illam primam reſponſionem ex Pelagianis omnino refert lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 18. & eadem reſolutione refellit. Ad 1. Confir. ex eodem loco depromptam eodem modo reſpondetur, ſcilicet diſputatiue referri, immo illam intelligentiam ſub conditione, quam ex Vitali tunc Semipelagiano verbaliter retulerat etiam in epiſt. 107, iterum refert expreſſe ex Pelagianis lib. 4. contra Iulianum cap. 6. dicens, *vt videlicet intelligamus, dicentibus vobis, ideo non omnes ſaluos fieri, quia ipſi nolunt petere, cum Deus velit dare*, quam tamen intelligentiam conditionatam non ſolum ibi reprobat verum etiam denuo in lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 8. & in Enchiridion cap. 97. quia, inquit, *hoc de paruulis dici non poteſt, quorum non dum eſt velle vel nolle*, vt eodem exemplo contra eandem intelligentiam fuſius vtitur lib. 6. contra Iulianum cap. 14. & lib. de Dono Perſeuerantiæ cap. pariter 14. Ad 2. Confir. iam ego in Prælectionibus Mediolani dictatis reſponderam & nunc gaudeo videre ſimiliter reſpondentem Patrem Macedo Collatione 11. ſect. 11. ſcilicet ibi ſimiliter Auguſtinum diſputatiue referre ſuam opinionem, quam prius, dum erat in errore Semipelagianorum, tenuerat, & expreſſerat præcipuè in libr. expoſitionum quarundam propoſitionum epiſtolæ ad Romanos propoſitione 71. dicens, *noſtrum enim eſt*

credere

credere & velle, illius autem dare volentibus & credentibus facultatem bene operandi, quam vere verbaliter propoſitionem diſputatiue repetit ſeu refert in dicto lib. ad Simplicianum q. 2. dicens, *miſerentis eſt Dei vt quod volumus*, ſcilicet facultatem volitam bene operãdi, *adipiſcamur & quò volumus perueniamus. Noluit ergo Eſau, & non cucurrit, ſed ſi etiam voluiſſet & cucurriſſet, Dei adiutorio perueniſſet &c.* & poſtea ſequuntur verba relata ab arguente ſcilicet, *aliter enim Deus præſtat vt velimus, aliter præſtat quod voluerimus*, ideſt rem volitam, quæ eſt facultas bene operandi, vt ipſe explicat concludens, ideſt *poſſe bene agere & ſemper Beate viuere*. en omnia diſputatiue relata conſonanter ad illam primam ſuam intelligentiam, quam tamen expreſſe reuocat lib. 2. retractationũ cap. 23. dicens, *hoc profectò non dicerem, ſi iam ſcirem fidem inter Dei munera reperiri, quæ dantur in eodem ſpiritu*. Immo in eodem lib. ad Simplicianum q. 2. ibidem ſtatim poſt relatam dictam intelligentiam reaſſumit examinare quæſtionem, vt notat Macedo ab illis verbis, *ſed quid hoc quærimus &c.?* & ibidem præallatam intelligentiam repellit vt minus probabilem dicens, [illa etiam verba, ſi diligenter attendas, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, non hoc Apoſtolus propterea tantum dixiſſe videbitur, quod adiutorio Dei ad id quod volumus perueniamus, ſed etiam ex illa intentione, qua & alio loco dicit, Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. Vbi ſatis oſtendit etiam ipſam bonam voluntatem in nobis operante Deo fieri, nam ſi propterea ſolum dictum eſt, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia voluntas hominis ſola non ſufficit vt iuſte, recteque viuamus, niſi adiuvetur miſericordia Dei, poteſt & hoc modo dici, igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur.] Iam igitur priorem intelligentiam diſputatiue relatam pro liberi arbitrij prioritate ibidem tandem pro gratia reprobauit, vt idem ipſe recognouit & teſtatus eſt lib. 2. retractationum cap. 1. vbi recognoſcens iſtam ſecundam quæſtionem libri ad Simplicianum, inquit, *in cuius quæſtionis ſolutione laboratum eſt quidem pro libero arbitrio*, ſcilicet in prima parte quæſtionis, inde de ſecunda parte quæſtionis continuo ſubiungit, *ſed vicit Dei gratia*, propter quod poſtea ad hunc locum retractationum remittit Maſſilienſes, qui ſibi ſua dicta ſimilia opponebant, ſcilicet in libro de Prædeſtinat. Sanct. cap. 3. & demum iterum in libr. de Dono Perſeuerantiæ cap. 21. recognoſcens iterum eandem ſecundam quæſtionem ad Simplicianum, diſtinguit priorem partem diſputantem pro libero arbitrio à poſteriori parte decernentem pro gratia dicens, *videant vtrum in primi libri poſterioribus partibus eorum duorum, quos ad Simplicianum ſcripſi, remanſerit aliquid quo vocetur in dubium gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, & vtrum ibi non ſatis egerim &c.* Ad 3. Confir. quam diſcutit Aluarez diſput. 83. ad primum & lib. 6. reſponſionum cap. 2. & Cabrera 3. p. q. 62. art. 1. diſput. 11. §. 10. num. 339. & præter alios Xantes Mariales relectione 6. de ſcientia ſect. 4. & 7. duplex reſponſio ſe offert ex eiſdem, altera ſcilicet illam *congruitatem* ſi intelligatur de congruitate determinabili non determinante, tunc debere accipi ſolum de motione Dei morali non Phyſica, vt de morali plerumque exempla Auguſtini ibi procedunt, ſi vero de Phyſica tunc *congruitatem* non eſſe veluti paſſiuam ſcilicet determinabilem & adaptabilem, ſed potius actiuam ſcilicet

licet ſibi adaptantem & applicantem ipſum ſubiectum; de qua ſecunda intelligitur illud Apoſtoli ad Hebræos 13. *Deus pacis aptet vos in omni bono*, vbi S. Thomas Lec. 3. *Deus*, inquit, *qui tranſmittit homini bonam voluntatem, eum aptat, ideſt facit ipſum aptum, & ideo dicit aptat, ideſt facit nos velle*, & in Collecta Eccleſiæ, *noſtras apta voluntates*. Indeque & Bernardus de gratia & lib. arbit. *Deus voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati*. pro prima autem ſatis procedunt ea verba Auguſtini ibidem, *uidemus alios aliter iiſdem rebus demõſtratis uel ſignificatis ad credendum moueri, ſicut Simeon Chriſtum adhuc paruulum credidit ſpiritu ei reuelante, cognouit Nathanael miraculo facto in Cana Galilææ, multos loquendo Chriſtus incitauit ad fidem, multi nec ſuſcitatis mortuis crediderunt. Latro recentibus cicatricibus credidit. Multi ex crucifixoribus, qui viderunt eum miracula facientem, contempſerunt, diſcipulis eum prædicantibus crediderunt*. En omnes iſtæ motiones ſunt morales immo extrinſecæ. Et hoc pacto epiſt. 99. expreſſius inquit, *quos conuertit ad fidem viſis congruis alloquens quos volebat ſicut volebat*, & lib. 4. de Trinit. cap. 1. *miſſa ſunt nobis diuinitus viſa congrua*, & epiſtol. 243. *Dominus præſtabit, vt ita explicem quemadmodum nouit tibi congruere ac ſaluti fidei tuæ*, & hinc demum etiam in epiſt. ad Rom. propoſitione 63. ita de eadem cõgruitate dicebat. *Deus ſuſtinuit impietatem Pharaonis donec ad illud tempus perduceretur, quo opportunè in eam vindictam procederet*. Ad 4. Confir. Reſpondetur ex Auguſtino aliud eſſe quærere de duobus vocatis, quorum vnus perſeueret alter non, vnus credit alter non credit, quærere, inquam, iſtius diſcriminis cauſam proximam, & aliud quærere primam & radicalem, vt planè diſtinguit etiam S. Thomas ſuper Matthæum cap. 25. ad illa verba, *vnicuique ſecundum propriam virtutem*, dicens, *ſi quæris quare vnus habet magis de gratia quam alter. Dico quod huius rei eſt cauſa proxima, & cauſa prima, proxima eſt maior conatus iſtius quam illius, cauſa prima eſt electio diuina*, & de priori illa quidem interrogatus Auguſtinus ad propoſitum dixit lib. 2. de Peccatorum meritis cap. 17. *poſſum facillimè ac veraciſsimè reſpondere, quia homines volunt*: de ſecunda autem ſubiungit, *ſi ex me quæritur quare nolint imus in longum*, & pariter in lib. de Prædeſtinat. Sanct. cap. 3. de illa inquit, *credere vel non credere eſſe in arbitrio voluntatis humanæ*, de iſta autem ſubiungit, *ſed in electis præparatur voluntas à Domino*, & cap. 6. in eodem lib. de illa adducit quendam ſibi obijcientem, *multi audiunt uerbum ueritatis, ſed alij credunt alij contradicunt, uolunt ergo iſti credere, nolunt autem illi*, de iſta autem ipſe reſpondet, *quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed cum alijs præparetur, alijs non præparetur uoluntas à Domino, diſcernendum eſt utique quid ueniat de miſericordia eius*, & mox de illa concedit, *quod tamen illi quia uoluerunt crediderunt, illi qui noluerunt non crediderunt*, de iſta concludit, *miſericordia igitur & iudicium in ipſis uoluntatibus facta ſunt, electio quippe iſta gratia eſt*. Sic pariter ergo ad locum ab arguente adductum ex lib. de Ciuitate Dei reſpondetur ibi Auguſtinum loqui de cauſa proxima dumtaxat, dum à pari inquit, *quid aliud apparet niſi unum uoluiſſe alterum noluiſſe à caſtitate deficere*, cùm quo ſtat quod loquendo de cauſa alia radicali & priori, tunc cauſa bonæ voluntatis in vno fuerit propoſitum electivum & diſcretivum cum conſequentibus connotatis, licet enim in actu primo illi duo ſupponantur ab Auguſtino omnino æquales, ſine dubio tamen quoad pertinentia ad actum ſecundum etiam ab arguentibus concedendum eſt inæquales eſſe, & ab iiſdem in hoc ſenſu prædicta au-

ctoritas

ctoritas gloſſanda eſt. Ad 5. Confir. reſpondetur ex doctrina mox tradita ibi loqui Auguſtinum de cauſa proxima, cum quo ſtat priorem cauſam radicalem in Deum ſemper refundendam eſſe, vt explicat ipſe in lib. de Prædeſtin. Sanctor. cap. 5. dicens, *non quia credere uel non credere non eſt in arbitrio uoluntatis humanæ, ſed quia in electis præparatur uoluntas à Domino*, immo & in eodem lib. de Gratia & libero Arbitrio cap. 16, *certum eſt*, inquit, *nos uelle cum uolumus, ſed ille facit ut uelimus*, & in pſal. 133. *quæcunque ſunt opera bona mea à te mihi ſunt & ideo tua magis quam mea ſunt*, & epiſt. 143. *hæc Dei dona ſunt & ueſtra quidem ſunt ſed non ex uobis*, & lib. 1. retractationum cap. 23. *utrumque ergo*, inquit, ſcilicet credere & velle *noſtrum eſt propter arbitrium uoluntatis, & utrumque tamen datum eſt per ſpiritum fidei & Charitatis. Verum eſt quidem noſtrum eſſe, ſed eadem regula utrumque ipſius eſt, quia ipſe præparat uoluntatem*, & lib. de ſpiritu & littera cap. 34. cum dixiſſet, *conſentire noſtrum eſſe*, ſubiungit, *quæ res non ſolum non infirmat, quod dictum eſt, quid habes quod non accepiſti, uerum etiam confirmat, accipere enim & habere utique accipientis & habentis eſt*. Vide ſimiliter explicantem & S. Thom. p. 2. q. 109. art. 6. ad 2. & 4. & perpetuo alibi. Ad 6. Confirm. diſtinguitur minor, loquendo de motionibus Dei moralibus, concedo, veluti Phyſicis nego, nam ſicuti vnica eſt omnipotentia Diuina & vnica eius vniuerſaliſſima virtus, ita eſt vnica cauſa radicalis & prima decernendi vnum ab altero, & ſi tũ cauſæ proximæ, tum media, valde res diuerſæ ſint, vnde Dionyſius cap. 7. de diuinis nominibus aiebat. *Si ſecundum unam cauſam Deus omnibus exiſtentibus eſſe tradidit, ſecundum eandem cauſã ſciet omnia*, & inde Auguſtinus lib. 1. de Peccatorum meritis cap. 22. aduerſus Semipelagianos diuerſum ac multiplicem modum explicandi Diuinam præſcientiam tentantes introducere, pręter vnicum ſuum ex veteribus deriuatum, aiebat, *cum humanis coniecturis iuſtitiam Dei defendere uellent & ignorarent altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuere*; merito igitur concludebat D. Bernardus epiſt. 77. ad Hugonem, *miror ad modum ſi nouus iſte nouarum inuentor aſſertionum, & aſſertor inuentionum, inuenire potuerit in hæc rationem, quæ Sanctos Patres latuerit, Ambroſium & Auguſtinum*. Ad 7. Confir. imprimis iam vidimus in ca q. 2. ad Simplicianum hic denuo nobis obiecta à Suarez Auguſtinum ſolum diſputatiue proceſſiſſe, vt ſatis expenſum eſt, vnde nil obſtat; ſecundo non euidenter probatur ly, *Eſau mentem applicaret uoluntatemque coniungeret*, accipi in nominatiuo, tum quia non eſt ita propria iſta locutio, quod aliquis ſuam *uoluntatem coniungat*, tum quia ibi Auguſtinus loquebatur *de modo uocandi*, quo Deus poſſet vocare, & conſequenter de actiuitate ex parte Dei, non ipſius *Eſau*, tum quia demum alia lõge diuerſa eſt phraſis in contextu ponderata à Suarez, ſcilicet, *uocati accomodarent uoluntatem*, cum accomodare quid minus ſit quam *applicare & coniungere*. Tertiò quidquid ſit de hoc, adhuc in eo ſenſu Eſau diceretur *applicare uoluntatem*, non excludendo tamen Deum facientem, *ut applicaret*, ſicut in tot locis mox ante adductis Auguſtinus dicebat *noſtrum eſſe uelle, non excludenda tamen quod Dei præparantis ſit*, & eodem modo intelligendus eſt Anſelmus ſequax per omnia doctrinæ Auguſt. & gloſſandus eadem omnino gloſſa, qua ipſe Auguſtinus in lib. de Prædeſtinat. Sanct. cap. 9. gloſſat ſimile ſuum dictum ſibi oppoſitum à Maſſilienſibus ex libro contra Porphyrium, *quod ſcilicet Chriſtus tunc uoluit apparere & prædicari ſuam doctrinam, quando & ubi ſciebat qui in eum fuerant credituri*, nempe, inquit,

ſe ſine præiudicio latentis conſilij Dei aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti dicere noluiſſe, ideſt ſine excluſione decreti prærequiſiti ad præſcientiam. Ad poſtremam Confir. Reſpondetur eadem omnino auctoritate Auguſtini contra Auguſtinum olim gloriatos eſſe Maſſilienſes, vt conceptis verbis refert Hilarius dicens inter alia teſtimonia Auguſtini oppoſuiſſe *illud de lib. in epiſt. ad Rom. &c. ut quem crediturum eſſe præſciuerit ipſum elegerit, quod enim credimus noſtrum eſt, quod antẽ operamur, illius, & cætera in eodem opere, quæ ſe acceptare & probare conantur.* Attamen Auguſtinus iam diu hanc ipſam verbalem propoſitionem ſuam ante exortam hæreſim Pelagianam retractauerat lib. 1. retractationum cap. 23. vt ipſe notat reſpondens dictæ obiectioni in libro de Prædeſtin. Sanct. cap. 3. iterum atque iterum ſe retractare ibidem profitens his verbis, *conſentire noſtrum eſſe proprium & nobis ex nobis eſſe arbitrabar, quem errorem meum nonnulla opuſcula mea ſatis indicant ante Epiſcopatum meum ſcripta. in quibus eſt illud, quod commemoraſtis in litteris ueſtris, ubi eſt expoſitio quarundam expoſitionum ex Epiſtola ad Romanos*, & inde recitata ex libro primo retractationum emendatione eiuſdem propoſitionis concludit de iſtis, *non ſicut legere libros meos ita etiã in eis curauerunt proficere mecum, nam ſi curaſſent inueniſſent iſtam quæſtionem ſecundum veritatem diuinarum veritatum ſolutam*. Quid igitur miratur Faſolus ſi noſter Aluarez, videns Arboreum approbantem hanc propoſitionem ab Auguſtino reprobatam, eam *dixit Arborei eſſe non Auguſtini*? ad quid ea valet argumentatio Faſoli, nimirum Aluarez agnouiſſe dictam propoſitionem noſtræ contrariari ſententiæ, & conſequenter cum Auguſtini ſit, Auguſtinum pariter nobis contradicere? nonne immo ex oppoſito nos valemus ita retorquere cõtra Faſolum? dicta propoſitio fauet ſcientiæ mediæ, & qui negat ſcientiam mediam dictæ propoſitioni Auguſtini creditæ contradicit, & è contra. Sed Auguſtinus, vt vidimus, eam negat propoſitionem, ergo Auguſtinus, vt nos intendimus, ſcientiam mediam inficiatur; viſo igitur ſatis hucuſque probabilius ſaltem circa iſtam conditionatorum præſcientiam idipſum, quod nunc aſſerunt Thomiſtæ, olim etiam Auguſtinum aſſeruiſſe, nunc iſta Auguſtiniana ſimul ac Thomiſtica explicatio, & ſententia, à notis, quibus apud aliquos denigrata eſt, in ſubſequentibus remanet emaculanda.

QVÆSTIO TERTIA.

An prædicta explicatio Auguſtiniana atque Thomiſtica, vt olim inique Manichæiſmi accuſata in Auguſtino, ſic modo iniuſtè accuſetur, in Auguſtini, & Thomæ diſcipulis, vt ſuſpecta affinitatis cum Caluiniſmo.

COmperta res eſt (vt obſeruauit & Lemos tomo 1. pag. 55.) Manichęiſmum ac Caluiniſmum in neganda libertatis indifferentia conuenire, quidquid de cauſis vtriuſque hæreſis aſſeratur. Porro iam diu Sanctiſſimo Doctori Auguſtino ex pręiactis hucuſque iuxta ipſum principijs inique fuiſſe imputatum cum Manichęiſmo conſenſum, conſtat cuicumque excurrenti eundem, tum ſæpè alibi, tum lib. 1. ad Bonifacium cap. 1, tum lib. 1. in Iulianum prioris operis cap. 4, tnm præſertim lib. 3. & ſequentibus operis poſterioris in Iulianum eundem, quod opus ad diſcrimen prioris imperfectum ſolet à plu-

ribus nuncupari. Non mirum itaq; ſi iuxta ſuſceptam in Thomiſtarum Schola ſententiam, atque in ſuperiotibus preſtabilitam iuxta Auguſtini veſtigia, nunc pariter eadem in Thomiſtis iniuſte ab aduerſarijs aliquibus de affinitate cum Caluiniſmo traducta legatur. *Non enim* (vt dicitur Matt. 11.) *non eſt diſcipulus ſuper Magiſtrum, & ſufficit diſcipulo, vt ſit ſicut Magiſter eius*: adeout modò Thomiſta veruſque Auguſtini diſcipulus criminanti ſe ipſum & in ſe ipſum & in ſe ipſo Auguſtini & aliorum Patrum cum S.Thoma doctrinam, reſpondere ſine dubio valeret, cum eodem Auguſtino lib. 1. in Iulianum cap. 4. dicente: *cernis cum quibus tua maledicta ſuſtineam, cernis cum quibus mihi ſit cauſa communis*. Decreueram propterea & ipſe, fateor, tam putidæ & de ſe manifeſtæ calumniæ nec vlteriora reſponſa præbere, cum viderem præſertim abſolutiorem hanc operam antea præoccupatam à Lemos, Ioanne à S. Thoma & cum alijs, à noſtro Magiſtro Goneto tomo 2. poſterioris editionis diſp. 6, ſimul & à Patribus Excalceatis Salmaticenſibus tomo 6. diſpu. 6. dub. 5. S. 11. per totum. Verum me tandem à præconcepto decreto ſubmouit, tum huius operis ſeries, tum magis quod viderim poſt evulgatas ampliſſimas licet à Goneto reſponſiones, denuo effuſe repetitam eandem à Bail Pariſienſi criminationem, tum quia tandem, vt Auguſtinus aiebat lib. 1. de Trinitate cap. 3. & contra mendacium cap. 6. [non omnia, quæ ab omnibus ſcribuntur, in manus omnium veniunt, ideo optandum eſt, vt vbi aduerſarij vigent, quicumque aliqua ſcribendi facultate prediti ſunt, ij ſcribant omnes, & ſi non modo de rebus iiſdem ſcripturi ſint, ſed eadem etiam alijs verbis fortaſſe ſcripturi, quod breuius & facilius libri ipſi ad manus omnium deferuntur, & cum alij in alios incidant, omnes tamen armis iiſdem in communi periculo inſtruuntur.]

ARTICVLVS PRIMVS.

Proponuntur dubitandi rationes.

Videtur autem in re propoſita contra nos aſſerendum, tum aliquibus, quos nominatim referebat, ac refellebat robuſte ſimul, & eleganter Gonet, tum iterum poſt evulgata ab eodem opera, cuidam nupero Propenitentiario Pariſienſi Bail in duobus ingentibus tomis *Summæ Conciliorum*, editionis Pariſienſis 1672, qui id non ſemel ſed paſſim vel extra rem intrudit ac repetit, & tomo quidem 2. pag. 816. auctores omnes phyſicæ præmotionis cum Caluiniſtatum turba confundit, & tomo 1. diffuſius pag. 727. cum Luthero ſimul atque Caluino connenire ſupponit (vt ipſe loquitur) *authores phyſicæ præmotionis, eo quod ponant motionem non indeterminatam, & indifferentem in vtramque partem contradictionis & contrarietatis*, & pag. 774. loquens, poſt Bajani erroris cenſuram, de altero Caluiniſtico libro, ſubdit: *an ex fœdere cum Michaele Baio, an cum veteribus Prædeſtinianis, & cum aſſertoribus prædeterminationis Phyſicæ recentiorum Thomiſtarum, liber editus fuerit, incertum eſt*; & pag. 785. *Baianorum*, inquit, *& Ianſeniſtarum cum Caluino radix fuit reprobatio ſine intellectu meritorum, & præmotio Phyſica, & quædam alia huiuſmodi principia*, hincque pag. 786. deplorat querulus aut audaculus, quod Tridentina Synodus, *propter indiſcia*

tia Dei occulta (oportet enim hæreſes eſſe) abſtinuerit à cenſura quarundam propoſitionum, vt circa prædeterminationem actuum liberorum hominis, necnon circa præmotionẽ Phyſicam &c. eo quod ex talibus principijs præuenti exinde veteres Prædeſtiniani, & Godeſcalcani, & ambo Ioannes Hus & Wiclef, & alij ex Caluiniſtis, quibus talis doctrina tentatio fuit, & velut ouum, ex quo ſerpentes hæreſum ſuarum excluſerunt. Hæc ille animoſe nimis hucuſque, quantum attinet ad Thomiſtarum ſententiam, contra quam etiam intentum ſuum ſuadere conatur his argumentis.

Primò quia illæ propoſitiones, vt ſuſpectæ de Caluiniſmo, cauendæ ſunt, ex quibus velut principijs concluſiones Caluiniſticæ ab hæreticis deductæ ſunt, deducique denuo poſſunt. Sed tales ſunt in præſenti propoſitiones Thomiſtarum vel præſumentium ſe Auguſtini diſcipulos eſſe. Ergo huiuſmodi propoſitiones Thomiſtarum etiam in hac materia velut de Caluiniſmo ſuſpectæ cauendæ ſunt. Maiorem probat in eodem primo tomo pag. 789. tum quia præſtito ſemel aſſenſu præmiſſis non eſt liberum diſſentiri concluſionibus, quæ inferuntur, & *si enim*, inquit, *liberum ſit opinari quo ad exercitium actus, eliciendo vel ſuſpendendo actum intellectus circa ea, quæ non videntur clare, non eſt tamen liberũ quo ad ſpecificationem actus, ut intellectus putet aliquid verum vel falſum pro arbitrio voluntatis, ex Ariſtot. 2. de anima tex. 153. &c.* tum quia, ſubdit, [hac de cauſa etiam in Concilio Lateranenſi 5, cum, ex Cyrillo lib. 1. in Iulianum, philoſophia ſit catechiſmus ad fidem, cautum eſt ne Profeſſores docerent illas opiniones philoſophorum, quæ minus fidei veritatibus congruerent ;] tum quia ex his & ſimilibus (pro maiori concludit) [intelligi in propoſito poteſt, quanti momenti ſit nõ adhærere quibuſdam propoſitionibus, ex quibus alijs per ſatis euidentem conſequentiam inferuntur, & offeruntur intellectui, ſi enim propoſitiones illæ antecedentes, & velut fundamenta aliarum, veræ habentur, ſimiliter & illæ veræ exiſtimabuntur, quæ ex ipſis tanquam filiæ ex matribus prognatæ ſunt.] Sed talis eſt (nunc pergit ad minorem) *talis eſt doctrina etiam de prædeterminatione ac præmotione phyſica omnium actuum, ad quam pertinet gratia per ſe efficax etc.* vt præexpenſum ſupponit ex dictis antea pagina 786. ſcilicet, *ex talibus principijs præuentos exinde veteres Prædeſtinianos, Hus & Wiclef & alios ex Caluiniſtis velut ex ouo ſuarum hæreſum ſerpentes excluſiſſe.* Ergo talis doctrina cauenda videtur (infert eadem pag. 789. concluſionem ſuam) ſeu *ne dum tales propoſitiones Caluiniſtarum merito damnatæ &c. verum etiam cauendæ ſunt, quæ ijs affines ſunt, ita vt ijs datis & conceſſis alia erronea inferantur, quod omnes ſimul inter ſe iunctæ ſint, vt idem ijs accidat, quod catenarum anſulis ſibi innexis & perplexis, quarum ſi quis vnam arripit, etiam cæteras attrahat neceſſe eſt.* Hactenus ibi, quibus concinunt ſcripta ab eodem ſuperius pag. 786, vbi relato quodam ex noſtris admittente quędam principia communia, ac inde negante illatas perperam ab hæreticis conſequentias, Bail ipſe ſic replicat. *Veruntamen ubi res ad ſolam ratiocinationem redacta eſt, quaſi ad triarios euentus prælij, conceſſis principijs & antecedentibus, qui volet ingenio cedere rarus erit,* atque iterum ex parte tangit & tomo 2. pag. 822.

Secundò iterum arguit idem eodem tomo 1. pag. 790, vbi præmittit prius in Congregatione Patrum Tridentini Concilij reprobatam fuiſſe quandam ſecundam in ordine propoſitionem hæreticam auferentem indifferentiam & libertatem ad bonum pertinens ad ſalutem : inde ſuam ſubſumit minorem his

verbis. [At quid aliud docent prædeterminatores, & præmotores Phyſici; ſi bene expendantur? verum eſt, quod apertis verbis non negant libertatem, ſed cum hac conditione, quod ſubſiſtat cum neceſſitate agendi ex vi præuentionis aut gratiæ per ſe efficacis; ſed nec negaret Lutherus nec Caluinus. Nō erant equidem adhuc illi ſatis aſtuti, vt nomina ſine re ſignificata retinerent ad fucum faciendum, ſicut qui poſt ipſos venerunt, quocunque nomine cenſeantur, aut quotumque pallio obumbrentur, Prędeterminatiſtę. Neque enim illi, ſcilicet Caluiniſtæ, negabant voluntatem agere & elicere operationem ſuam, ſed tantum id fieri ſine illa indifferentia verſatili ad vtrumque latus, vt quæ neceſſario ſequatur præmotionem aut impulſum diuinæ gratiæ efficacis cum impotentia ad aliud, aut ad aliter ſe habendum. Vnde apparet non niſi per logomachiam contentiones iſtas prorogari in hodiernum diem, quibus forſan ſæculum proximum maiori lumine colluſtrandum finem imponet.] Sic egregius iſte interpres & aruſpex ſimul.

Tertio idem proſequitur pag. 791, vbi permittit vtique in Congregationē Patrum Tridentini Concilij *eos, qui ſententiam D. Auguſtini, quæ Theologorum communis erat, ſequebantur, diſtinxiſſe Zuinglij propoſitionem ſecundam, ſcilicet dicentes in ſenſu compoſito eam veram eſſe, in ſenſu autem diuiſo damnabilem*. Sed contra nos pergit ſic dicens: *hac vero diſtinctione plures Theologi abutuntur ad obſcurandas magis res per ſe difficiles, quam ad eas elucidandas. Si ſe intelligant non intelliguntur tamen, aut concedunt, quod ipſis pro abſurdo opponitur, concedentes verum eſſe in ſenſu compoſito præmotionem aut gratiam per ſe efficacem, qualem ipſi intelligunt, officere libertati*. Sic ille in prauo ſenſu intelligens diſtinctionem iſtam, in quo & Caluinus accepit, ideoque aberrauit Caluinus negando poſtea libertatem, vt infra patebit, & quod mirum eſt, eodem modo præpoſtero eandem diſtinctionem acceperunt & alij quidam recentes, ac ipſe Bail, (vt impugnarent eandem) quos numero quinque nominatim recenſet Gonet. diſp. 5. de voluntate Dei art. 5. §. 1. ſimulque refellit diſp. 6. de prædeſtinatione art. 4. legendus.

Quartò idem Bail tomo I. eodem pag. 792. de Auguſtini etiam ſententia verorumque diſcipulorum eiuſdem in materia prædeſtinationis ante præuiſa merita inquit: *Contraria ea prædicatio, quæ ad voluntatem Dei ſummo iure dominantem refert, quod hi electi ſint, hi reprobi, diſſoluit manus hominum & animos deicit, cum vident rem illam concluſam eſſe ab æterno, nullo habito reſpectu ad ſua præuiſa opera; aliunde vero rem totam reducere ad libertatem hominis excluſo gratiæ interioris adiutorio Pelagianum eſt. Relinquitur itaque via media tutior præſcientiæ mediæ operum in gratiæ adiutorio, in quorum futurorum præuiſione in electis Deus ex ſumma gratia eos creare propoſuit* (nota hic gratiam creationis diſcretiuam vnius ab alio, quam nec Pelagiani negabant) [licet alij multi eſſent in præſcientia futuri, quos creare noluit ex altitudine ſapientiæ ſuæ, ex qua etiam ſtatuit creare eos, quos præuidebat minime ſuæ gratiæ cooperaturos, ac damnandos, ſed propria ſua culpa, vt miſericordia eſſet, quod crearentur, iuſtitia, quod damnarentur. Hæc minime principia habent communia cum Caluini prædeſtinatione, quæ ob ſuam atrocitatem à pluribus etiam ex ſuis tolerari non potuit, de qua Theſes iam pridem Bernenſes edicto vetuerunt, & Tigurini excuſſerunt: & Ordines Hollandię, ne vel ex ſcripto, vel ex cathedra populo proponerentur, anno 1614. prohibuerunt, vt apud Romæum in effigie Galui-

ni

ni videre eſt: quanto magis idem Religioſorum Ordinum Generales prohibere par eſſet? At quid de prædifinitione æterna & præmotione Phyſica in tempore? licet enim ſententiam proferre, dummodo hæreſis notam contrariæ ſententiæ non inferas, iuxta Pauli V. decretum.]

Quintò tandem (nos enim hic Bailij tantum argumenta proferimus, ea vero, quæ ex alijs adducta Gonet ante nos repulit, in præſenti dimittimus) idem Bail eodem tomo 1. pag. 790. inde concludit: [non poſſumus non laudare Thomam Campanellam eiuſdem Ordinis Dominicanorum Doctorem Hyſpanum, qui à ſuis notatus (de cauſa non inquiro) ſub protectione regis Chriſtianiſſimi in Gallia vixit in magna doctrinæ reputatione, Centonem ſuum Thomiſticum à ſuis etiam approbatum ſic inſcripſit. Ad præceptorem Scholaſticum &c. de prædeterminatione, electione, & reprobatione, & auxilijs diuinæ gratiæ. Cento Thomiſticus. Non alia certe de cauſa, niſi quod perſuaſuaſum habebat in animo, hanc præcipuè debere eſſe curam præceptoribus Scholaſticorum ac profeſſoribus ſiue Theologiæ ſiue Philoſophiæ, ne doctrinas illas de reprobatione, & prędeſtinatione, ac prĕmotione inſtillarent Nouitijs Scholaſticis, atque hoc ſcribebat antequam turbæ nouiſſimæ ortæ fuiſſent: quanto magis ſi poſtquam ſuſcitatæ fuerunt ab Ipreuſe, idipſum potentius vrgeret?] Sic ille de Campanella, de quo & mox ante pag. 786. præmittebat, *aliqui hoc deprehenderunt etiam ex caſtris aduerſariorum ſeu Dominicanorum*, refertque eundem Campanellam *cap. 4. de prædeſtinatione & reprobatione artic. 2. & cap. 7. adſtruentem per plures articulos omnem gratiam efficacem quantum eſt ex parte Dei, ſic tamen ex defectu hominum inueniri inefficacem &c.* & vt addit tomo 2. pag. 825, *ac ſi Campanella præſenſiſſet Ianſeniſtarum dogma, quo tot commotiones ortæ ſunt, tam doctè & ſolide præcipua eius aſſerta euertit ex doctrina Doctoris Angelici, vt nihil aptius opponi potuiſſet* (vti & nos ex S. Thomæ doctrina euerti eadem, ne dum ingenue dicimus, ſed gloriamur) itaque etiam ex Campanella (quem alioquin ſcimus peripateticam quoque philoſophiam reprobauiſſe, nec tamen eandem ab aduerſarijs repudiatam eſſe) oſtendere iſte conatus eſt Auguſtinianam vlterius ac vere Thomiſticam in præſenti materia ſententiam velut de Caluiniſmo ſuſpectam cauendam eſſe, diſſimulatis, quæ poterat ſine dubio videre, tam amplis, tam euidentibus, ne dum apud Lemos, Aluareſiũ, & alios, verum & apud nuperum Gonet noſtrum in Gallia ſcribentem, ſuperabunde reſponſis, deque illata tam impudenti calumnia vindicijs.

ARTICVLVS II.

Dilucide ac luculenter Auguſtini ac Thomiſtarum ſententia vindicatur.

NOuo igitur criminatori, poſt exhibita ad alios à Gonet noſtro reſponſa, noua hæc noſtra lucubratio non inutilis erit. Et primo aduerſus accuſatoris intentum euidenter oppoſitum probari ſic poteſt. Nemo enim prudenter poterit arbitrari doctrinam illam eſſe de Caluiniſmo ſuſpectam, quam immo Caluinus ſibi aduerſam eſſe confeſſus eſt. At Auguſtini doctrinam ac D. Thomæ, ſeu Thomiſtarum, in re propoſita Caluinus ipſe fatetur ſuo Caluiniſtico ſenſui aduerſariam eſſe, vt mox adducam: nemo igitur prudens arbitrari

bitrari poteſt Auguſtini doctrinam ac D. Thomæ ſeu Thomiſtarum in re propoſita eſſe de Caluiniſmo ſuſpectam. Audi modo fundamenta minoris. Caluinus lib. 2. inſtitutionum cap. 3. contra negatum à ſe liberum voluntatis conſenſum ad gratiam præuenientem, refert Auguſtinum è contra agnoſcentem ac nominantem hominis voluntatem in hoc ipſo *pediſſequam gratiæ*, & ſtatim ex differentia ſtatus naturæ corruptæ à ſtatu naturæ innocentis refellit eundem Auguſtinum ſic dicens: *Sed quia reformata opus Domini eſt, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ præuenienti pediſsequa voluntate ſequatur*: Sic Caluinus aduerſus Auguſtinum, vt bene præuidit atque perpendit Eminentiſſimus è Societate Belarminus lib. 1. de gratia & libero arbitrio cap. 12. aduertens, *Caluinum non admittere voluntatem noſtram pediſsequam eſse voluntatis Dei, ſed de hoc reprehendiſse Auguſtinum, quod voluntatem noſtram pediſsequam voluntatis Dei poſuerit*. Cum hocne igitur hæreſiarchæ Sanctiſſimi Patriarchæ Auguſtini illibata doctrina eiuſdemque verorum diſcipulorum conueniens erit? Nec minus inde à S. Thoma ſe diſsentire Caluinus profeſſus eſt, dum libr. 3. inſtitutionum cap. 22. probe videns ab eodem S. Thoma perpetuo ſuſtineri cum efficacia decretorum & gratiæ coniunctam ſimul in homine libertatem, ne dum à coactione, ſed etiam à neceſſitate, penes Scholaſticam apteque adhibitam diſtinctionem ſenſus compoſiti & diuiſi, vel neceſſitatis abſolutæ, & conditionatæ, ſeu conſequentis & conſequentiæ, & huiuſmodi, *atne iſtam quidem*, inquit Caluinus, *Thomæ argutiam moramur*, vt tandem ſui immemor refert & agnoſcit ipſe Bail tom. 2. pag. 825. ſecernens inde à Caluiniſtis nuncupatis ibidem *D. Thomæ doctrinam*, ac inferens; *quod Thomas non erat cum eis, vti nec ignorauit Caluinus*: ſunt verba Bailij. Sicne igitur idem Bail niſi hæc ſua verba ignoraſſet, potuiſſet deinde eorundem Eccleſiæ Doctorum, ac diſcipulorum Catholicorum obſequentium eiſdem, ſententiam de Caluiniſmi ſuſpicione præcipiti adeo per ſui obliuionem, ac per calumniam, iniurio calculo ſubnotare?

Secundò certum eſt, ne dum Lutherum ſed Caluinum vbique ſe profiteri in ſentiendo diuerſum ab ijs, qui ſuo tempore pro oppugnanda vera arbitrij libertate adhuc in ſtatu naturæ lapſæ, ex parte Eccleſiæ Romanæ contra Lutherum eundem præcurſorem Caluini eiuſdemque ætatis hæreticos ſua ſcripta vulgarant, quos ideo Caluinus vniuerſim appellat, modo *Papiſtas* (vt in cap. 6. Ioannis) modo *Sophiſtas*, vt lib. 2. inſtitutionum cap. 3; & in honorificis huiuſmodi titulis alibi: ſed ſimul conſtat eos, qui eo tempore ex parte Romanæ Eccleſiæ ſua ſcripta vulgarant, D. Thomæ præſertim doctrina conſtantiſſime vſos eſſe, ac vere Thomiſtas vel ab hæreticis agnitos eſſe, vt mox oſtendo; ergo & exinde Caluinus, ſe à D. Thoma & Thomiſtis in ſentiendo diuerſum confeſſus eſt. Probo nunc ipſe minorem ex illis ipſis, quorum eo tempore per tunc evulgata catholicorum ſcripta exorientes hæreſes reprobabantur. Sic enim Lutherus videns ſe ab Henrico VIII. Catholico tunc Angliæ Rege emiſſo libro impugnatum, in libello in eundem Regem inſcripto, idem Lutherus aiebat: *hunc librum Regis ſcriptum arbitror, ne ſtuporem & inſcitiam Sophiſtarum præſertim Thomiſtarum falſo à me traduci crederet mundus*: & infra: *miror*, inquit, *Sapientiſſimum hunc Thomiſtam*, & rurſus: *Id faciam*, ait, *in gloriam Henricianæ Eccleſiæ, & ipſius Henrici egregij defenſoris Thomiſtæ*, & demum vniuerſim

ſim Catholicorum ſcriptorum contra hæreticos opera, vocat *Arma Thomiſtarum &c.* Sic denuo, vti mox ante eatholieos omnes ſub *Sophiſtarum Thomiſtarumque* nomine traducebat, non minus in libro de ſeruo arbitrio refellens diſtinctionem Thomiſticam de neceſſitate conſequentiæ, non conſequentis, eoſdem vniuerſos catholicos ſe repudiare ſupponit aiendo: *ſenſerunt Sophiſtæ vim inuictam & inſuſtentabilem huius argumenti, ideo finxerunt diſtinctionem neceſſitatis conſequentiæ & conſequentis, ſed quam nihil hoc figmentum efficiat ſupra docuimus*; & poſt pauca: *neceſſitas vero conſequentiæ, qua illi ſe ſolantur, merum figmentum eſt*. Sic id perpendens, ſcilicet ſub Thomiſtarum nomine tunc ſolitos ab hæreticis vniuerſim ſcriptores Catholicos improbari, id, inquam, ſerio perpendens D. Martyr Ioannes Roffenſis in libr. contra captiuitatem Babilonis inſcripto cap. 2. hæc habet. *Primum hic perpende Lector, quanta Lutherus iaculetur in Thomiſtas oprobria, quibus & illius Diui gloriam denigrare ſtudet, cuius nomen doctiſsimis & eruditiſsimis viris in magna ſemper veneratione habitum fuit, quippe qui cum Theologiæ florem paſsim appellauerunt*, & infra cap. 3. *quem D. Thomam ideo libentius commemoramus, quoniam eius viri ſanctitatem Lutheri impietas ferre non poteſt, & quem omnes Chriſtiani venerantur, ille pollutis labijs vbique blaſphemat*. Sic & eodem tunc naſcentium hereſum tempore egregius alter in eoſdem hæreticos ſcriptor Lancellotus Politus hoc eodem tunc hæreticorum more perpenſo pro nobis omnino ſubdebat. *Immortales ago gratias ignorantiæ tuæ, qua probatur nobis, quod ſub Eccleſia thomiſtica tam Sancti & veteres Doctores, lumina & columnæ Eccleſiæ comprehenduntur. Vt ſic intelligamus non aliam Thomæ Eccleſiam (id eſt quam Thomas Diuino lumine illuſtrauit) quam cæterorum Patrum &c.* Hæc ille. quomodo igitur eadem illa Thomiſtarum doctrina, per quam ſubnaſcentes è Luthero hæreſes, vt modo vidimus, obtruncatæ fuerunt, nunc manus eiſdem è conuerſo dediſſe ſic manifeſta calumnia culpatur?

Tertiò non melius eiuſdem accuſationis falſitas delaruari poteſt, quam modo perſtringendo Caluiniani erroris hypotheſim, vt etiam à Lutherano cæteriſque ſecernitur. Quatuor enim (vt altius adhuc initia ſumamus) abſurdi errores circa negatam hominis libertatem adfuere. Primus Ethnicorũ negantium in homine libertatem ob naturam indiuidualem ſic adtemperatam ſeu alligatam influxibus ſyderum, vt ineluctabili pondere nexuque fatali (vt vocabant) neceſſario in tali vel tali modo neceſſario operandum ſub talibus circumſtantijs ferretetur. Secundus Manichæorum negantium eandem ex eo quod ponentes duo rerum principia, bonorum atque malorum, ſcilicet Deum bonum, ac malum ſeu Dęmonem, ab hoc ſecundo dicebant concupiſcentiam in homine eſſe quandam aliam naturam malam creatam à Dœmone, qua ineuitabili ſimiliter pondere & inſuperabili neceſſitate homo ferreretur in malũ, vt fusè oſtendit Auguſtinus in hoc ipſo ſe à Manichæo diſcernens lib. 3. in Iulianum operis imperfecti cap. 174. & ſequentibus. Tertius fuit Lutheri ad idem ponentis concupiſcentiam in homine vt naturam malam, non quidem de ſe ſic ab initio creatam, ſed ita factam ex originali peccato, ſiue poſtea hæc dicatur natura ſubſtantialis (ex quo aliqui Lutherani ſubſtantiarij dicuntur) ſiue accidentalis (ex quo alij Lutherani dicuntur accidentarij) cum vtrinque conueniant in hoc, quod homo vtique ab initio ferri poterat indifferenter de ſe tum in ordine ad diuerſa mala, tum in ordine ad diuerſa

bona,

bona, poſt originale vero peccatum relicta ſola actiua indifferentia in ordine ad hoc vel illud malum, ſublata eſt penitus & extincta omnis indifferentia actiua in ordine ad bonum, adeout ſuperueniente gratia deflectente ad bonu, nunc hominis voluntas nonniſi paſſiue ſe habeat, non vero actiue. Quartus demum fuit error Caluini, cum Luthero conueniens in natura mala concupiſcentiæ contracta vel facta ex originali peccato, diſſidens vero in ſubillato à Luthero de voluntate ſub gratia tantummodo ſe habente paſſiue, ideoque ſubiungens, vtique extincta ſemel per originale peccatum indifferentia, quam prius habebat actiuam ad bonum ſalutis, ſolaq; actiua de ſe indifferentia manente in ordine ad mala, ſubinde voluntatem ab efficaci motione gratiæ deflexam è contra in bonum ipſum ſalutis, actiue vtique ad hoc ipſum cōcurrere, ſed ſpontanee ſolum ad modum brutorum, non indifferenter ac vere liberè, vt explicat idem ipſe Caluinus libr. 2. inſtitutionum cap. 3. dicens: *homo hoc modo dicitur liberi arbitrij, non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, ſed quia mala voluntate agit*, ſcilicet loquendo in ordine ad bonum ſalutis, cum alioquin (vt notat etiam Bail tom. 1. pag. 790.) Theologi quoque Tridentini adiudicarint, circa ſecundam quandam hæreticorum propoſitionem, *relictam fuiſſe ab hæreticis in homine libertatem ad actiones tam politicas quam œconomicas, & omnino ad iuſtitiam ciuilem &c, ſed rurſus, adimendo libertatem in ijs actionibus, quæ ſpectant ſolam diuinam iuſtitiam*, tum quia ſupponebat Caluinus extinctam iam per originale peccatum omnem actiuam indifferentiam ad ſimpliciter bona, tum quia per gratiam efficaciter deflectentem ad eadem bona ſupponebat exinde tolli etiam pro tunc indifferentiam actiuam ad malum, demptaque gratia efficaci per Deum, præueniente hominis voluntatem (quā ſolam Caluinus agnouit, nullam vero aliam ſufficiētem, vti & Ianſenius) & ſine qua inde ſupponit hominem nullum ſimpliciter bonum operari poſſe, hinc etiam blaſphemando inferebat Deum cauſam eſſe peccati: immo (vt Lemos oſtendit tomo 1. tractatu 4. cap. 17.) Caluinus præter diuinam motionem in voluntatem, nullam agnouit gratiam excitantem cum indifferentia in intellectu, quam ideo ſimul ponendam eſſe contra Caluinum Synodus Tridentina decreuit, vt eam, quam homo adhuc poſitus ſub ipſa abijcere poteſt. Sic ille deſipuit; ſic aberrauit. Quis modo ex Thomiſtis non affirmat expreſſe, non confirmat, non protegit, ſimul cum indifferentia iudicij, ſub diuina etiam efficaci motione ſeruatam proximam expeditamque indifferentiam actiuam in vtramque partem contradictionis, & conſequenter tuetur, ne dum ſpontaneum (per immunitatem à coactione) verum & liberum conſenſum actus per immunitatem à neceſſitate abſoluta ſeu conſequentis? ſic vtique Caluinum poſuiſſe dumtaxat actum ſpontaneum immunem à ſola coactione, non vero in re liberum per immunitatem ab abſoluta neceſſitate (quæ eadem eſt ac cōſequentis neceſſitas) teſtis eſt ipſe Caluinus, tum in Antidoto ad Canonem V. ſeſſionis 6, tum in cap. 6. Ioannis ſcribens: *pronunciat Chriſtus efficacem eſſe Spiritus Sancti gratiam, qua trahuntur vt neceſſario credant: his prorſus euertitur tota liberi arbitrij poteſtas, quam ſibi ſomniant Papiſtæ*, tum lib. 2. contra Pighium editionis Geneuenſis pag. 153. *Si coactioni opponatur libertas liberum eſſe arbitriū fateor & conſtanter aſſeuero, ac pro hæretico habeo, ſi quis ſecus ſentiat, ſi hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quod non cogatur aut violenter trahatur, ſed ſponte trahatur ſua,*

nihil

nihil moror; non vero admittere ſubdit libertatem à neceſſitate abſoluta, dum in reſponſione ad primum articulum de occulta Dei prouidentia ſic habet: *quod vero de abſoluta poteſtate nugantur Scholaſtici, non ſolum repudio ſed etiam deteſtor*; tum lib. 2. inſtitutionum cap. 3. §. 5. *Porro*, inquit, *quod libertate abdicata voluntatem dico neceſſitate trahi vel duci, mirum eſt ſi cui videatur aſpera locutio, quæ nec abſonum habet quidquam, nec à Sanctorum vſu aliena eſt. Offendit autem eos, qui inter neceſſitatem & coactionem diſtinguere neſciunt*, ſcilicet inter coactionem, quã nec ipſe admittebat, & neceſſitatem etiam abſolutam ſeu conſequentis, quam ipſe hic aperte ſupponit ac male protegit. Vnde, vt intelligeres ſe ponere actum, quem ſpontaneum vocat, ſpontaneitateque ſola liberum, ſimul neceſſarium neceſſitate abſoluta, & ne dum conditionata, (vt cum S. Thoma Thomiſtæ loquuntur) id explicat quoque ab exemplo amoris diuini ſpontanei, & tamen neceſſarij neceſſitate abſoluta, ſic pergens: *Sic enim annexa eſt Dei bonitas cum diuinitate vt non magis neceſſarium ſit ipſum eſſe Deum, quam eſſe bonum. Quod ſi quis ſacrilegus obganiat Deo parum laudis ex ſua bonitate deberi, ad quam ſeruandam cogatur: cui non erit prompta reſponſio? immenſa eius bonitate fieri, ne male agere poſſit, non violenta impulſione.* Sed quid pergo id contra noſtrum hic aduerſarium oſtendere? cum tandem Bail ipſe immemor ſui tomo 1. Conciliorum pag. 790. ex hiſtoria Tridentini Concilij recenſeat, & fateatur in Congregatione Concilij pro materia tractanda de prædeſtinatione, hanc ſecundam in ordine propoſitionem Caluiniſtarum hęreticorum fuiſſe productam *ex eorundem hæreticorum libris excerptam*, vt ipſe loquitur? *Nemini ſcilicet relictam eſſe facultatem cogitandi bonum ac malum, ſed omnia ex abſoluta neceſſitate prouenire* (id quæſo perpendas) *ex abſoluta neceſſitate prouenire, neque in nobis eſſe liberum arbitrium*. Hæc itaque, vel aduerſario fatente, Caluiniana explicatio eſt, quã & Caluini ſectarij vno agmine proſequuti ſunt, vt ſingulorum eorundem hæreticorum nomina ac loca deſcribunt ſapientiſſimi Patres Carmelitæ Salmaticenſes Excalceati tract. 14. de gratia diſp. 1. cap. 3. § 5. num. 93. & 94 non immerito pariter concludentes ac conquerentes, *iuniores quoſdam aliter interpretari &c. ita vt cum Caluino inuoluant Theologos nobiliores, Sanctorum Auguſtini & Thomæ diſcipulos*, vti & acriter olim, licet non Dominicanus nec ita Thomiſtis addictus, conqueſtus eſt Petrus de Lorca diſp. 21. de gratia concluſione 2. legendus. Non ita ſane, vt Caluinus (quem & Ianſenius ſecutus eſt) non ſic Thomiſtæ ſincere ſequentes Auguſtinum. Non ſic ipſemet Auguſtinus (vt alia loca dimittam) lib. 5. in Iulianum operis imperfecti, ne dum cap. 53. ob excludendam neceſſitatem abſolutam ſeu conſequentis, licet non conditionatam ſeu conſequẽtiæ dicens: *ex parte ſaltem verum eſt quod dicitur, voluntas neceſſitati admoueri non poteſt*, verum & manifeſtius cap. 48. obtruncans Caluini ſimul & Ianſenij neceſſitatem abſolutam confictam pro hoc ſtatu lapſo, ad differentiam ſtatus innocentiæ, ideoque & de hoc ſtatu de facto diſcurrens, *tam bonum*, inquit, *certe quam malum homo ex propria voluntate, ſicut dicis, facit, & vtriuſque in illo poſſibilitas æqua lance libratur, ſed ad benefaciendum Deus adiutorium ſubminiſtrat*: En expeditam adhuc in hoc ſtatu lapſo potẽtiam proximam in actu primo ſub adiutorio gratię, *æqua lance libratam* ad bonum adhuc & malum, quemadmodum Auguſtinus probe noſcebat de hoc ipſo ſtatu naturæ lapſæ præſertim obiectiones Iuliani procedere, tum ibi, tum iterum lib.

6. cap. 21; dum Iulianus aiebat: *aude difinire quodcumque peccatum, non dico illud primum, ſed interim vel de his, quæ nunc fiunt &c.* & de eodem per conſequens ſtatu naturæ lapſæ Auguſtinus quoque reſpondebat. Inde lib. 3. eiuſdem operis cap. 107. Auguſtinus Iuliano ſibimet opponenti in ſuiſmet verbis contradictionem, quod diceret, *Pelagianum eſſe, qui dicat ad colendum recte Deum ſine ipſius adiutorio eſſe in hominibus liberum arbitrium*, & poſtmodum idem ipſe Auguſtinus adiungeret *liberum arbitrium in hominibus eſſe*; Auguſtinus reſpondet his verbis: *liberum quemquam eſſe ad agendum bonum ſine adiutorio Dei, ſi adiunxiſſes, hæretici dicunt, quamuis ego verba iſta non dixerim, à mea tamen ſententia non receſsiſſes, verum eſt enim hæreticos dicere, ideſt vos ipſos, liberum eſſe quemquam ad agendum bonum ſine adiutorio Dei. Sed cur ibi non legerim, ſine adiutorio Dei, quæ in hac ſententia verba mea etiam ipſe paulo ante poſuiſti, quamdiu poſſum, mendoſo potius codici tribuo quam tibi.* Sic repetit etiam cap. 123: *hæc intuens neminem eſſe liberum ad agendum bonum ſine adiutorio Dei dixi. Hæc tu metuens, neminem eſſe liberum ad agendum bonum me dixiſſe dixiſti, & ſine adiutorio Dei (quod addidi) ſuſtuliſti*; & cap. 112. *verum eſt*, inquit, *quod dixi, neminem eſſe liberum ad agendum bonum ſine adiutorio Dei. Sed propterea tu ſubtraxiſti ly ſine adiutorio Dei.* Hæc ipſe Auguſtinus generali quadam admonitione ac diſtinctione præueniens quaſdam apparenter contrarias ſui ipſius authoritates, à Caluino ſubinde & Ianſenio congeſtas, de abnegata potentia proxima expedita ad ſimpliciter bonũ in hoc ſtatu naturæ lapſæ, ſemper vtique cum hac limitante clauſula aut explicante capiendas, ſcilicet *ſine adiutorio Dei*, quod adiutorium porro ſufficiens in actu primo nemini ſaltem petenti & oranti deeſt, vt contra Ianſenium Romæ decretum eſt; vt omittam alicubi Auguſtinum loqui de neceſſitate dumtaxat peccandi venialiter ineuitabili in hac vita (niſi ſpecialiſſima gratia donetur) quatenus nec iuſtus poteſt ordinarie euitare omnia collectiue peccata venialia, vt idem Auguſtinus verbatim ſe explicat lib. 1. in Iulianum eiuſdem operis cap. 101. hinc eodem opere lib. 1. cap. 97. ſibi iterum opponenti Iuliano, quod diceret, *eſſe liberam voluntatem, ſed vt malum tantumodo faciat ex ſe, non autem in hoc eſſe liberam, vt malum deſiſtat operari, niſi ei fuerit impoſita neceſſitas volendi bonum*: reſpondet admittens vtique adiutorij neceſſitatem ad bonum, non tamen vnquam neceſſitatem abſolutam volitionis eiuſdem boni, & inquit; *denique cum tibi diſplicet hominem non poſſe bonum velle, niſi adiuuetur ab eo, qui malum non poteſt velle, non ne reſpicis et te contradicere, qui dixit (ſine me nihil poteſtis facere) & ſcripturæ, vbi legitur (paratur à Domino voluntas) & vbi legitur Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle & perficere*: & mox ante cap. 95. cum dixiſſet Iulianus, *excluſa vel boni vel mali neceſsitate incumbente homini noſtro arbitrio libero omne adiutorium cooperari*, Auguſtinus reſpondet & ait: *ſi non præuenit vt operetur eam voluntatem, ſed prius exiſtenti gratiæ cooperatur, quomodo verum eſt, Deus in nobis operatur & velle? quomodo præparatur voluntas à Domino? ſic non ſapiunt niſi noui hæretici, & gratiæ Dei nimis inimici.* Idem habet lib. 5. eiuſdem operis cap. 57, & ne Iulianus effugeret, vt effugiſſe refertur lib. 3. cap. 108, ſe quoque fateri *hominem innumeris diuinæ gratiæ ſpeciebus iuuari &c. ideſt præcipiendo, benedicendo, ſanctificando, coercendo, prouocando, illuminando &c*, ideo Auguſtinus eodem cap. 108. reponit, & inquit, *tam multa dicis, quibus nos adiuuat Deus præcipiendo ſanctificando &c. & non dicis charitatem dando*, ideſt impertiendo

do

do per gratiam præuenientem & ipſum conſenſum in gratiam ex eitantem, vt Auguſtinus volebat, liberum tamen cum ſola neceſſitate conditionata non abſoluta, vti mox ante præmiſerat, & ideo cap. 117. eiuſdem lib. 3. ſubdit; *hæc charitas ex Deo eſt, hanc vos inter adiutoria gratiæ, quæ commemoratis, nominare non vultis, ne hoc ipſum, quod obedimus Deo ſeu conſentimus vocanti, eius eſſe gratiæ concedatis;* & cap. 118, vbi Iulianus Auguſtino dicebat, *tu ergo quomodo liberum arbitrium confiteris, cui vnum tantummodo dicis eſſe poſsibile, id eſt facere malum, non autem eſſe poſsibile deflectere à malo & facere bonum?* Reſpondet Auguſtinus; *dico ego poſsibile eſſe voluntati hominis deflectere à malo & facere bonum, ſed ei voluntati, quam Deus adiuuat gratia, non quam Iulianus inflat ingratus;* & cap. 122. cum Iulianus opponeret diffinitionem libertatis dicens; [Cæleſtianum ſeu Pelagianum tu dicis, qui putat liberum eſſe quemquam ad agendum bonum &c. Inueni ſi poteſt alteram diffinitionem &c. fac te ſimiliter ambigere potuiſſe, quid eſſet, quod viſus diceretur oculorum, idque tu diffinires hoc modo, viſus eſt vel effoſſos habere oculos, vel impedimentis quibuſdam tempore videndi nihil poſſe conſpicere, atque hanc diffinitionem putares viſui conuenire. Ferres ne eam, vt contrarij eius, id eſt cæcitatis, quæ explicatio eſſet, aſſereres?] Reſpondet Auguſtinus. *Nolo vt definias ſed finias cæcitatem, vt videas rectè dici à Chriſto non potuiſſe (ſine me nihil poteſtis facere) ſi ad bene agendum ſine gratia Chriſti liberi eſſe potuiſſent.* Hinc cap. 125. ex aduerſo in Pelagianos aiebat, *inter diuinæ gratiæ ſpecies ſi poneretis dilectionem* (id eſt etiam voluntatis conſenſum ad gratiam excitantem) *quam non ex nobis, ſed ex Deo eſſe eamque Deum dare filijs ſuis apertiſsime legitis, ſine qua nullius eſt bona voluntas, & cum qua nullius eſt niſi bona voluntas, verè liberum defenderetis, non inflaretis, arbitrium*, & cap. 168, *cum ergo non conſideres ſine ulla forinſecus inſonante iuſsione Deum occulto inſtinctu, ad quod voluerit efficaciter implendum, præparare hominum voluntates, tum liberum non defendis intelligendum ſed præcipitandum extollis arbitrium*. Tædet tot alia exſcribere, ne longior ſim, quæ paſſim de hac ipſa re eo toto opere Auguſtini leguntur, præſertim libr. 5. cap. 8. & ſequentibus, vbi Iulianus eandem ex libertatis diffinitione repetebat difficultatem, & Auguſtinus non iuxta Caluini, vel Ianſenij principia diſſoluit admittentium abſolutam neceſſitatem ad volendum ſub gratia, nec iuxta extrema nimis aliorum negantium & gratiæ neceſſitatem, ſed iuxta applicata à Thomiſtis, connectendo nimirum cum gratiæ neceſſitate dumtaxat in volitione ſimul cauſata per gratiam infallibilitatem ſeu neceſſitatem conditionatam, non abſolutam, ſeu conſequentiæ non conſequentis, & ſic expeditam omnino cum indifferentia libertatem.

Quartò, etiam ſi ex peſſimis ex aduerſo ſine dubio principijs manifeſtè à Caluino productis, longeque diſſitis à Thomiſticæ Scholæ dogmatibus, innoteſcere clariſsime queat conſequens aliud vlterius diſcrimen inter blaſphemam hæreſim inde Caluini ſequentem, ſcilicet Deum quoque eſſe authorem peccati, & puram ſanctamque Thomæ ac Thomiſtarum doctrinam abhorrentem idipſum, præſtat tamen dilucidius hoc ipſum diſcrimen exponere ac ſtabilire. Iuxta enim Caluini blaſphemiam, ſicut creata voluntas eſt cauſa tum materialis peccati, tum deformitatis ſeu malitiæ ſine ordine ad bonum ſimpliciter finem, ita & Deus licet voluntate ſigni ſeu præcepti nolit malitiam, tamen ſimul alia voluntate beneplaciti vult etiam deformitatem peccati ad

allum ſcilicet finem ſimpliciter bonum, exempli gratia ad oſtēſionem & exercitium ſuæ iuſtitię punitiuæ, ideoque Deus peccare non dicitur vt homines peccant, & vno verbo, iuxta Caluinum, Deus & homo conueniunt in volendo & cauſando malitiam, & differunt ſolum in modo ordinandi eandem ad finem, vt probe obſeruabat & Lemos tom. 1. trac. 2. cap. 2. hæreſim explodens eandem; & ne quis de hac blaſphema Caluini mente amplius valeat dubitare, præſtat id ex eiuſdem Caluini verbis oſtendere. Ita enim Caluinus lib. 1. inſtitutionum cap. 18. hanc ſibi difficultatem proponebat, *quomodo Deus omnes reprobos ſuo arbitrio flectens & trahens & per illos agens, nullam ex eorum vitio labem contrahat, immo in opere communi ab omni culpa ſit immunis, miniſtros autem ſuos iuſte damnet?* & de hac quæſtione inquit, *quam vix capit ſenſus carnis*, carpens ſcholaſticos velut non plane difficultatem capientes, vnde ſubdit: *hinc reperta eſt diſtinctio inter agere & permittere: quia hic nodus multis inexplicabilis viſus eſt ſub Dei manu & imperio Sathanam & omnes impios ita eſſe, vt eorum malitiam in quemcunque viſum eſt finem dirigat, & ſceleribus vtatur ad exequenda iudicia ſua.* Ea igitur ratione recenſet ex ſcholaſticis hanc diſtinctionem inter *agere & permittere*, vt inde colligat per calumniam Scholaſticos quoque vidiſſe & conceſſiſſe etiam malitiam à Deo ad aliquem bonum finem dirigi & ordinari; pro quanto autem ſcholaſtici id ſuſtinere volentes aiebant Deum permittere non cauſare malitiam, ſtatim eos deridendo ſubiungit: *Tergiuerſando itaque effugiunt, Dei tantum permiſſu, non etiam voluntate, hoc fieri; ipſe vero Deus palam ſe facere pronuncians effugium illud repudiat*, & rurſus inquit: *Si Dei iudicium eſt excæcatio & amentia Achab, nudæ permiſſionis commentum euaneſcit, quia ridiculum eſſet iudicem tantum permittere, non etiam decernere quid fieri velit, & mandare executionem miniſtris*, & tandem concludit: *Iam ſatis aperte oſtendi Deum vocari eorum omnium authorem, quæ iſti Cenſores* (ſcilicet Catholici Patres & Theologi) *volunt otioſo tantum eius permiſſu contingere.* Obijcit autem primo contra ſe, eo quod & ipſe concedat Deum nolle malitiam peccati, quam prohibet, & tamen poſtea nunc dicat Deum eandem ſimul velle & cauſare, *ſi nihil enim eueniat niſi volente Deo, duæ in eo contrariæ voluntates ſunt, quia occulto conſilio decernit quæ lege ſua palam vetuit.* Reſpondet admittendo vtramque contrariam voluntatem, alteram ſigni, alteram beneplaciti, ſolum penes nos diſtinctas, dicens; *neque tamen, & ideo vel ſecum pugnat, vel mutatur Dei voluntas, vel quod vult ſe nolle ſimulat: ſed cum vna & ſimplex in ipſo ſit, nobis multiplex apparet: quia pro mentis noſtræ imbecillitate, quomodo idem diuerſo modo nolit fieri, & velit, non capimus.* En *idem* ſcilicet malitiam peccati, iuxta Caluinum, Deus & non vult, & vult diuerſo modo, ſcilicet voluntate prohibente non vult, voluntate autem exequente vult, & in hoc ſenſu ſic pergit: *immo vbi non capimus, quomodo fieri velit Deus, quod facere vetat, veniat nobis in memoriam noſtra imbecillitas, & ſimul reputemus lucem, quam inhabitat, non fruſtra vocari inacceſſam, quia caligine obducta eſt.* Obijcit ſibi ſecundo, cur non peccet inde Deus ſicut homines peccant, his verbis: *ſi non modo impiorum hominum opera vtitur Deus, ſed etiam conſilia & affectus gubernat, ſcelerum omnium eſt author, ac proinde immerito damnantur homines, quia eius voluntati obtemperant.* Reſpondet ſiſtendo in ſua mox data explicatione de Deo volente vtique & agente malitiam, ſed ad bonum aliũ in ſe finem, non ſic agente homine, vnde inquit; *hoc etiam modo ſoluitur immo*

ſponte

ſponte liqueſcit altera obiectio &c. negando ſcilicet ſequi *immerito damnari homines ſi exequantur quod decreuit Deus; perperam enim miſcetur cum præcepto uoluntas, quam longiſsime ab illo differre innumeris exemplis conſtat &c. hoc quidem tenendum eſt, dum per malos peragit Deus, quod occulto ſuo iudicio decreuit, non eſſe excuſabiles, quaſi obediant eius præcepto, quod data opera pro ſua libidine violant*, per contrarietatem ſcilicet ad alteram ſigni voluntatem in Deo. Quo ad Deum vero, cur ipſe peccare non dicatur, exponit ex eo, quod licet & ipſe malitiam, quam præcepto nolebat, exequendo velit, tamen vult ad bonum ſecundum ſe finem, id explicãs ab exemplo de defectione decem tribuum à filio Salomonis Rege ad Hieroboam contra legem Dei, ideoque ſubdit: *videmus ergo vt Deus perfidiam nolendo, defectionem tamen alio fine iuſte velit*, vbi per defectionem non intelligit Caluinus ſolam entitatem materialem peccati vt à deformitate perfidiæ diſtinctam, ſicut aliqui nobis aduerſi, vt nos accuſent, eum excuſare conantur, dum immo inferius defectionẽ pro perfidia accipiens inquit: *diligenter vtramque expendant lectores, quia placuerat Deo ſub manu vnius regis gubernari populum; ubi in duas partes ſcinditur, fieri cõtra illius uoluntatem, & tamen ab eiuſdem uoluntate initium fuiſſe diuortij &c. Ecce ut uolente Deo laceratur ſacra unitas, & tamen ut eodem uolente alienantur à filio Salomonis decem tribus.* Hinc admittit vtique Caluinus in libro de æterna Dei prædeſtinatione (vt nobis aduerſi recenſent) *ſcelera quatenus mala ſunt, quæ malo animo perpetrant homines, Deo minimè placere*, ſed hoc ſemper Caluinus intelligit de ſola voluntate ſigni vel præcepti in Deo, de voluntate autem exequente ſemper in ſua blaſphemia Caluinus perſiſtit, vt quod homines *malo animo* volunt non ad bonum in ſe finem, velit ad bonum in ſe finem voluntate exequente Deus, ideoque libro ſecundo inſtitutionum cap. 4. manifeſte concludit: *idem ergo facinus Deo, Sathanæ, homini aßignari uidemus non eſse abſurdum: ſed uarietas in fine & modo facit, ut illic inculpata Dei iuſtitia reluceat, Sathanæ vero hominiſque nequitia cum ſuo opprobrio ſe prodat.* Vt bene vidit dixitque iamdiu in diſputatione Romana ſapientiſſimus Lemos Caluinum exinde non diſtinxiſſe *inter entitatem, & malitiam peccati*, vt refert Ioannes de S. Thoma, repetitque diffuſius idem Lemos tomo 1. tractatu ſecundo cap. 2. tam accurate, vt euaneſcat Annati cenſura de eodem, ſcilicet, *Hyſpanum hominem peregrinum in Caluini doctrina fuiſse*; Immò ita ſenſiſſe Caluinum, vt Lemos referebat, etiam è Societate videtunt, & magis ingenue confeſſi ſunt, Valentia p. p. q. 19. diſp. 1. puncto 3. aſſertione 4. Becanus tomo 1. ſummæ Theologicæ, cap. 16. Martinonus in AntiIanſenio diſp. 6. ſect. 2. num. 16, cæterique paſſim, vt notat etiam Andreas Duualius Doctor Sorbonicus tom. 1. in 2. 2. pag. 53, & ſi addat: [Caluini inſtitutiones nunquam fuiſſe recuſas, quin pleraque, & quidem maximi momenti, vel ab ipſo cum viueret, vel à miniſtris poſt eius mortem, mutata ſint, vt in articulo de cauſa peccati: in prioribus quippe editionibus clare & diſtincte, Deum peccatorum, non tantum ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum malitiam & deformitatem, authorem ſtatuit: in poſterioribus vero, & ſi rem ipſam retineat, mollioribus tamen verbis & aliquo pacto ambiguis ad euadẽdum vtitur.] Verum quo alio indigemus teſte aduerſus Annatum, dum author controuerſiæ evulgatæ anni 1669 (vt creditur vel P. Platet, vel Annatus ipſe) num. 205, poſt tria alia diſcrimina inter Catholicam explicationem Thomiſtarum, & hæreſim Caluini

uini in hoc ipſo, hanc quartam differentiam ſubdebat, *quod Caluinus non diſtinguat, vt faciunt Thomiſtæ, inter materiale & formale peccati, & conſequenter totum etiam tribuat Deo, cum peccati authorem eſse Deum abſolutè pronunciat, lib. 1. inſtitutionum cap. 18. num. 2. dicens: a Deo ipſo emanat efficacia erroris, vt mendacijs credant, qui renuunt parere veritati: lib. 2. cap. 4. num 5. a Paulo traditur diuinitus efficaciam erroris ac ſeductionis immitti, vt credant mendacio, qui veritati non paruerunt.* Hæc, vel iſto fatente, Caluinus. Quis audebit igitur, niſi amotæ mentis ſit, vel inueteratæ perfidiæ, aſſerere Thomiſtas, non dicam verbis, ſed re ipſa in aſſerto conuenire Caluino? Quis adeo inſulſe id ex defenſo à Thomiſtis præuio concurſu deducet, ac ſi ex aſſerto non minus ab aduerſarijs concurſu ſaltem ſimultaneo Dei in materiale peccati, ſi quid conſimilis conſequentia valeret, non minus abſurdum foret peccatum Deo etiam vt cooperanti imputari, communeve eſſe? Quis neſcit etiam in originali peccato, ſine quo anima genii ab homine non creatur à Deo genitoque infunditur, eandem pariter difficultatem adeſſe, ſiue in poſitiuo ſiue in negatiuo originalis culpa conſiſtat, vti & de actuali peccato dubitatur? Et tamen hanc ſibi obiectam à Iuliano difficultatem Auguſtinus noſtra eadem diſtinctione ſoluebat lib. 1. in Iulianum operis imperfecti cap. 114. his verbis reſpondens: *Deus in quantum homines vel animæ ſunt, non in quantum malæ ſunt, eos facit*, vti & S. Thomas omnino in 2. ſententiarum diſt. 37. qu. 2. art. 2. de ratione entis vel malitiæ in actu peccati diſtinguit, ſuoſque proinde diſcipulos longe à blaſphemia prædicta Caluini, conueniendo cum Auguſtino, ſeiungit, ac ſeparat.

Quintò diſtinguenda nunc veniunt & explicanda longe lateque coextenſa diſcrimina inter modum, quo Caluinus inſulſe ac perperam vſurpauit aut intellexit celebertimam in propoſito apud Scholaſticos diſtinctionem de ſenſu compoſito & diuiſo, & veteriorem longe ſolidumque modum, quo ſolet diſtinctio eadem à Thomiſtis ad rem propoſitam iuxta ſincera Auguſtini principia adhiberi. Caluinum enim eo modo accepiſſe ſenſum diuiſum, vt diuidatur & ſeparetur diuina motio à voluntate creata, eaque remota dumtaxat voluntas habeat facultatem proximam in oppoſitum, ſenſum verum compoſitum ita vt maneat cum voluntate motio, eaque manente voluntas non habeat expeditam in actu primo proxime facultatem in actum oppoſitum, ſed retineat fundamentalem dumtaxat ſiue remotam; ita, inquam, accepiſſe Caluinum res compertiſſima eſt, ex Caluino eodem libr. 2. de libero arbitrio pag. 236. §. 3. in 3. argumento, & lib. 1. inſtitutionum cap. 16. §. 9. & lib. de prædeſtinatione æterna pag. 940. §. *quod Deus &c*, & in antidoto ad Canonem 4. ſeſſionis 6; & adeo res certa eſt, ſic vſurpaſſe Caluinum hanc diſtinctionem, vt nec ipſi quidem, qui nobis in hoc aduerſantur, id inficiari ſint auſi, aut de eodem dubitaſſe legantur. Sed ex aduerſo diſcipuli S. Thomæ non ſic pro ſenſu diuiſo ſeiungunt à voluntate motionem; quinimmo ea remanente adhuc diſtinguunt de voluntate per motionem præmota, dupliciter, primo modo vt habente infallibiliter cum motione connexum ipſum actu velle, quo ſtante nō poteſt cum eodem velle componere oppoſitum nolle, alio modo vt mota præciſe, & non vt habente infallibiliter ipſum velle à motione prædicta velut fieri ipſiuſmet velle, quo remoto per initium defectus ab ipſa voluntate creata, vt ſupra explicuimus, poteſt vtique ſic in ſenſu diuiſo potentia etiam conſe-

quente

quente prorumpere in nolle. Sic noſtri, vt mox oſtendo, Thomiſtæ ſe explicant, ſic falſam Caluini intelligentiam impugnant. Sic ex aduerſo non pauci ex nobis aduerſis in re præſenti falſam cum Caluino intelligentiam accipiũt, vt mox eoſdem recitando parebit. Ergo non ſolum longe Thomiſtæ à Caluini ſenſu recedunt, verum & longe magis, quam alij, qui in eadem præpoſtera interpretatione Caluini, quo ad iſtam tam celebrem apud Scholaſticos diſtinctionem, incautè ſaltem conſenſiſſe videntur. Nunc pro minori, de qua ſola fortaſſe lis eſſe poteſt, lege tu Lector in primis, non dicam S. Thomam q. 23. de veritate art. 5. ad 3, opuſc. 39. cap. 5. & alibi ſæpe, vbi hanc abſurdam intelligentiam excludit, ſed ſaltem ex illis, qui exordiente huiuſmodi controuerſia primi ſcripſere, noſtrum Magiſtrum Lemos tomo 1. p. 2. trac. 4. inſcriptum per totum, *de ſenſu compoſito & diuiſo*, & inuenies in cap. 10. in fine tranſcripta Becani verba in ſuo libro de libero arbitrio q. 2. accipientia eo priori modo hanc diſtinctionem, propter quæ Becani verba, inquit Lemos ibidem, *conſequitur quam falſo Becanus imponat Catholicis Doctoribus hanc prædictam falſam intelligentiam de ſenſu compoſito & diuiſo; immo cum ipſe aliam non intelligat, eandem ſolam, quam Caluinus expoſuit, exponit & intelligit ipſe &c. Maneat ergo ille cum ſuo arbitrio ad hanc falſam intelligentiam ligatus, & concatenatus, ſicut & Caluinus, qui prius illam ſic falſo explicauit, vt deſtrueret.* Lege Magiſtrũ Bannes p. p. q. 14. ar. 13. dub. vltimo, & reperies de eadem interpretatione ſcribentem: *hic ſenſus eſt falſiſſimus & contra fidem*. Lege Magiſtrum Aluarez, qui non minus ac Lemos Romæ diſputator fuit, & audies ipſum, tum diſputatione 15. de auxilijs num. 19. de ſic interpretantibus cum Caluino dicentem, *ſed iſti authores non attingunt verum ſenſum compoſitum*, tum lib. 1. reſponſionum cap. 1. num. 34. aſſerentem *hunc eſſe ſenſum Caluini*. Lege Nazarium p. p. qu. 14. ar. 13. controuerſia 6. vocantem eum priorem ſenſum, *ne dum falſum ſed etiam hæreticum*. Lege Gonzales p. p. q. 19. ar. 8. diſp. 57. num. 48. id appellantem *paralogiſmum & magnam fallaciam in explicanda illa vulgata diſtinctione.* Lege Ledeſmam ar. 10. de auxilijs pag. 229, Ioannem à S. Thoma diſp. 5. ar. 6. nu. 13. & alios id frequentiſſime repetentes. Hos lege, obſecro, & huiuſmodi noſtros, & poſtea confer, ſi placet, cum Suarez libr. 1. de concurſu Dei cap. 10. num. 5, & lib. 3. cap. 9. num. 4, cum Leſſio in opuſculo de gratia efficaci cap. 3. num. 19, cum Molina p. p. q. 14. ar. 13. diſp. 18. num. 2. cum Vaſquez p. p. q. 14. ar. 13. diſp. 68. cap. 3. cum Ægidio Coninch lib. 1. de actibus ſupernaturalibus diſp. 2. dub. 3. cum Meratio trac. de gratia diſp. 6. ſectio. 1, & cum eiuſmodi alijs eiuſdem Scholæ ſeriptoribus; & è conuerſo videbis hos vtique ſuppoſuiſſe ſolum in eo ſenſu priori ſenſum compoſitum & diuiſum vſurpari ſolere, qui plane olim proprius Caluini fuit, vt mox adduximus, præimpugnatus à noſtris. Sed quæſo, quid vltro pro re noſtra nunc quærimus, dum vna ſufficeret Eminentiſſimi Pallauicini è Societate atteſtatio, qui & plane legerat penitiores actus Tridentini Concilij, atque in re propoſita ſic pariter cum Caluino perperam accipienti ac deturpanti eandem diſtinctionem Pſeudo Petro Polano reſpondet lib. 8. hiſtoriæ Tridentini cap. 13. omnino pro nobis. *Errabat enim Polanus* (vt Pallauicinus nunc loquitur) [quo ad doctrinam in exponendo quomodo defenſores gratiæ, quæ efficax ſit ante præuiſum à Deo vſum liberi arbitrij, explicarent libertatem, & damnarent

rent

rent articulum hæreticum aſſerentem, totum à nobis fieri per neceſſitatem abſolutam, & quomodo in hoc adhibuerint celebrem diſtinctionem, ſcilicet iſtam neceſſitatem in nobis eſſe in ſenſu compoſito, non vero in ſenſu diuiſo. Narrat ipſe, ſcilicet Polanus, eos attuliſſe exemplum hominis ſe mouentis, qui nequit non moueri in ſenſu compoſito, ideſt quando ſe mouet, ſed bene in ſenſu diuiſo, ideſt alio tempore; quam diſtinctionem vult viſam fuiſſe confuſam &c. quandoquidem motus eſt accidens ſeparabile à ſubiecto, vnde qui nunc ſe mouet, poteſt alia hora quieſcere, at actus diuinæ voluntatis immutabiles ſunt, vnde qui hodie prædeſtinatus eſt, cras nequit non eſſe talis.] Sic abſurdiſſime ille à Caluino deceptus & ipſe accipiebat in hoc alieno ſenſu adhibitam hanc diſtinctionem, ne dum à Thomiſtis, verum etiam à Patribus Tridentini Concilij, quam tamen ineptam vtique interpretationem hæreticorum, non noſtram, immo impoſturam eorundem, ita & merito ſtatim Pallauicinus à nobis repellit & arcet nu. 3. ſubiungens: *mala nutrix doctrinæ aliena hic homo eſt, qui Scholaſticos eorumque ſpeculationes auerſatus, cum hæ in eius manus occurrunt, detorquet claudicanteſq; facit eaſdem: non dicunt Scholaſtici, neq; vnius neque alterius ſcholæ* (ſcilicet vel Societatis, vel Dominicani, quidquid ſit de paucis Baij ſequacibus) *neutri*, inquam, *dicunt eum, qui ſe mouet, in hoc libertate gaudere, quod poſſit non moueri alio tempore, cum hoc commune foret & lapidibus, quos nihilominus vnuſquiſque fatetur neceſſario moueri, & ex alia parte Deus liber eſt, tam & ſi nequeat nolle eodem tempore, quod olim voluit.* Hæc ipſe Pallauicinus, ſubiungens ſimul id, in quo vtriuſque Scholæ Scholaſtici tanquam in communi aſſcito contra Caluinum in veræ libertatis explicatione cum facultate proxima indifferente & expedita ad vtrumque contradictionis extremum, ſtante efficaci adhuc diuina motione, conueniunt. Quo ad ea vero, quæ eodem capite num. 9. idem Pallauicinus adiungit, conſulenda dimittimus alia ac conferenda, quæ habet Lemos exſcripta ex actis eiuſdem Tridentini Concilij in arce S. Angeli Romæ ſeruatis, & à ſe viſis ibidem, tum in tomo 1. p. p. tract. 6. cap. 1. pag. 126. columna 2. ad medium, tum in tomo 4. p. p. tract. 7. cap. 20. numero præſertim 333. de Lainez &c. dum nobis quo ad intentum iſtius principalis diſcriminis hucuſque adducta ſufficiunt.

Sextò ex hac præcipua & originaria veluti differentia non operoſum erit alias exinde conſequentes eruere & explicare. Quid enim mirum Caluinum ſic accipientem ex dictis ſenſum compoſitum, vt ſtante ſimul cum hominis voluntate ipſa diuina motione, non ſtet ſimul expedita facultas actiua indifferens ad oppoſitum actum, quid mirum, inquam, ex hoc alieno à nobis diſcrimine intuliſſe, volitionem boni in nobis eſſe actum ſpontaneum quidem, ſed ſimul neceſſarium neceſſitate etiam conſequentis, non liberum, nec ſolum neceſſarium neceſſitate conſequentiæ, ſeu illatiue infallibilem? quod quam noſtri cum S. Thoma Thomiſtæ execrentur & damnent, non eſt neceſſe fuſiori calamo demonſtrare. Sane (ne iam adducta verbatim ex eodem Caluino in tertia noſtra probatione, & contraria rurſus Auguſtini teſtimonia recitata ibidem, nunc repetam) Driedo penitius callens in hoc Caluiniſtarum effugia, e quibus ſtrenuè excutiebat eoſdem, in libro de concordia liberi arbitrij fol. 37. contra eundem Caluinum ſcribens, aiebat: *hæreticus, ne hac diſtinctione conſequentis & conſequentiæ vinceretur, & concluderetur, victus libidine contradicendi*

tendi ſingulis Vniuerſis Eccleſiæ Doctoribus, viſus eſt deſtruere omnem Dialecticæ artis vigorem, refellens maxime eam doctrinam, quæ de diuerſitate inter neceſſitatem conſequentis & conſequentiæ tractat, quam tamen ex ſcripturis ſacris ab initio ſemper intellexerunt Eccleſiæ Patres, Tertullianus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus. Sic Franciſcus Vulcanius Epiſcopus Merenſis opuſculo contra eiuſdem Caluini dogmata edito, loquens de hac eadem neceſsitate conſequentis inquit. *Inde manauit error Caluini, quo falſum axioma ſibi conſtituit, vt omnia fieri neceſſario, nihil contingenter euenire confirmet.* Sic Archiepiſcopus Armachanus vir excellenter doctus, in Congregatione 37. habita Romæ (vt exſcribit Ioannes à S. Thoma de voluntate Dei diſp. 3. ar. 5. num. 14.) affirmauit *erraniſſe Caluinum conſtituendo efficaciam gratiæ neceſſitantem voluntatem.* Sic re ipſa præcipuus Caluiniſtarum Theodorus Beza in ſumma Chriſtianiſmi pag. 188, *omnia*, inquit, *neceſſario euenire*, & pag. 600. editionis Geneuenſis, *Apertius dico non neceſſitate ſed coactione tolli libertatem.* Sic Molinæus in Anatome Arminianiſmi conſentit. Sic Chamierus tomo 3. lib. 2. cap. 1. Sic Parcus lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 4. Sic Ioannes Scarphius notiſſimus inter Caluiniſtas in tractatu inſcripto *de miſero hominis ſtatu ſub peccato*, lib. 2. cap. 1. *Nos*, inquit, *differimus à Pontificijs, illi ad liberum arbitrium conſtituendum aiunt requiri, non tantum libertatem à coactione, ſed etiam à neceſſitate. Nos vero dicimus neceſſitatem in agendo liberum arbitrium non tollere*, & cap. 3. hoc diſcrimen procedere ſub lit *quo ad eas res, quæ pertinent ad ſalutem* (quod valde ex dictis ſuperius notandum eſt) ſcilicet *an homo ſub gratia ita valeat operari vt poſſit non operari, & affirmatiuam*, inquit, *partem tuentur Belarminus & Concilium Tridentinum. Nos vero dicimus, in homine post lapſum ita Deum efficaciter agere & flectere voluntatem, vt hominis voluntas Deum volentem & operantem conuerſionem hominis, non ſequi non poſſit, licet non coacte, ſed ſponte ſequatur.* Quod ſane, vt percipis, neceſsitas etiam conſequentis, & ne dum conſequentiæ eſt. Aliud eſt enim actum volitionis in nobis ex efficacia gratiæ cauſatum habere ſolam neceſſitatem conſequētiæ, qua etiam neceſſe eſt aliquem velle, dum vult (vti Thomiſtæ explicant) ſine neceſſitate conſequentis, qua neceſſariæ ſunt etiam appetitiones Brutorum, aliud eſt ſic in eodem actu volitionis noſtræ diſtinguere neceſſitatem conſequentiæ à neceſſitate conſequentis, vt tamen vna in eodem actu non ſeparetur ab altera, quinimmo vtraque in eodem conſiſtat vel retineatur. Primo modo Thomiſtæ cum Colonienſi etiam Concilio, cum Patribus, vniuerſiſque antiquis Scholaſticis hanc adhibent diſtinctionem, & rectè; ſecundo vero modo Caluinus (quod nobis aduerſi ſe videre diſſimulant, bene vero obſeruarũt ſapientiſsimi Patres Carmelitæ Excalceati tomo 5. pag. 27.) vt ſpecietenus ſaltem cum diſtinctione communi conuenire videretur, aut ne temere nimis ab eadem recedere culparetur eam diſtinctionem, quandoque permittere viſus eſt, præſertim lib. 1. inſtitutionum cap. 16. §. 9. & libro de Prædeſtinatione contra Pighium pag. 940, ex hoc motiuo ſic habens: *nec vero quod a receptis loquendi formis neceſſitate ſecundum quid & abſoluta, item conſequentis & conſequentiæ abhorream*, idque exponens lib. 2. de libero arbitrio contra eundem Pighiũ pag. 236. in eo neceſsitatem conſequentiæ ſe reponere profitetur, quod ex efficacia diuina vt cauſa conſequatur neceſſitas in actu noſtro creato vt effectu, qui alioquin ea remota efficacia de ſui natura neceſſarius non eſſet, vnde

inquit: *perinde quæ fortuita maxime videntur, ea dicimus fieri neceſſario, non ſuapte natura, ſed quoniam ſtabile & æternum Dei Conſilium in illis gubernandis regnat*, & priori mox ante loco citato, *ſic euenire neceſſe eſt, quod ſtatuit Deus, vt tamen nec præciſe nec ſuapte natura neceſſarium*. Hæc Caluiniana neceſsitas conſequentiæ eſt, quam ille diſtinguit quidem exinde, ſed non ſeparat à neceſsitate conſequentis in eodem actu voluntatis manentis ſub efficaci motione Dei, vti & diſtinguitur hęc duplex neceſsitas in actu neceſſario diuino, ſed vna ibidem nō ſeparatur ab alia, ſcilicet neceſsitas conſequētiæ, qua ex ſumma bonitate Dei conſequitur Deum amare ſe ipſum, & neceſsitas conſequentis, qua abſolute ita hic amor in Deo neceſſarius eſt, vt non poſſit non eſſe. Nec minus diſtinguitur, & tamen non ſeparatur, hæc duplex neceſsitas in mala Dœmonum volitione, neceſsitas quidem conſequentiæ, qua ex præſuppoſito primo peccato Dęmonis libero & voluntario, conſequitur modo eiuſdem Dęmonis adhæſio ad malum, & neceſsitas conſequentis, qua hæc Dęmonis adhæſio ad malum ita neceſſario nunc eſt, vt non poſsit à malo Dęmone ſeparari. Audi porro, ſi mihi non fidis, hanc ipſam in hiſce eiſdem exemplis Caluini mentem atque verbatim exſcriptam ex eodem Caluino explicationem lib. 1. inſtitutionum cap. 3. §. 3, poſtquam dixerat, *voluntatem libertate abdicata neceſsitate trahi, vel duci, mirum eſt*, inquit, *ſi cui videatur aſpera locutio &c. an non Deus neceſſario bonus eſt, an non neceſſario Diabolus malus?* & poſt pauca ſic inferendo cōcludit: *Ergo ſi liberam Dei voluntatem in bene agendo non impedit, quod neceſſe eſt ipſum bene agere, ſi Diabolus, qui non niſi male agere poteſt, voluntate tamen peccat, quis hominem Deo minus voluntarie peccare dicet, quod ſit peccandi neceſsitati obnoxius?* vis ne magis patulam pro arcana mente Caluini explicationem? dum in hoc ſenſu lib. 1. inſtitutionum cap. 16. §. 9. admittebat, *non temere in Scholis inuentas fuiſſe diſtinctiones de neceſsitate ſecundum quid & abſoluta, item conſequentis & conſequentiæ*, & tamen ſic ipſe eandem diſtinctionem perperam peruertebat, vt diſtingueret quidem, vt diximus, ſed non ſepararet ipſe (quemadmodum ſeparauere Scholaſtici) vnam etiam neceſsitatem ab altera in actu libero noſtro ſub gratia, cui neceſsitas conſequentiæ conceditur, ſed à Catholicis conſequentis neceſsitas ablegatur.

Septimò, inde ſuboritur diſcretio altera inter Caluinum hæreticum, ac defenſores catholicos gratiæ efficacis. Iſti enim, vt conſtat, præter motionem gratiæ in voluntate mouentem, vt libere velit, vt agat, agnoſcunt etiam in intellectu gratiam excitantem moraliter, vt cum indifferentia iudicij proponatur obiectum eligibile libere, indeque & libere eligatur. At vero Caluinus, ex dictis, intendens negare in voluntate liberam electionem, ad eundem finem negat & gratiam in intellectu excitantem moraliter vere cum indifferentia iudicij, vt videre eſt libr. 2. inſtitutionum cap. 3. num. 11. & 13, & ex ipſis exemplis, quæ adhibet ad explicandam neceſsitatem abſolutam volitionis, id conſtat, ſcilicet Dei neceſſario amantis ſeipſum & Dęmonis neceſſario adhærentis malo. In his enim quis neſcit ad harum voluntatum opera nullum præcedere in intellectu iudicium indifferens, quod & ſuperfluum & incompoſsibile cum volitione neceſſaria ſequente ſine dubio foret? Ad ſummum igitur in ordine ad bonum & gratiam in hoc ſtatu lapſo Caluinus agnouit dumtaxat actus aliquos indeliberatos in intellectu illuſtrato à Deo ſubito

volun-

voluntatem mouentes, atque ſpontanee rapientes voluntatem in bonum, nullos vero proprie actus deliberatos in intellectu cum indifferentia iudicij proponentes obiectum eligibile libere à voluntate. Dixi autem *in ordine ad bonum aut gratiam,* quoniam probe ſcio Caluinum alicubi non ſemel admiſiſſe etiam pro hoc ſtatu lapſo aliquam indifferentiam rationis ex parte intellectus, ſed eo modo dumtaxat, quo concedebat non extinctam adhuc omnino ex originali peccato in hoc ſtatu lapſo libertatem arbitrij, ſcilicet in ordine ad diuerſa mala eligenda tantummodo, vel ad ſummum etiam in ordine ad naturalia quædam, ſiue ciuilia, non vero bona ſimpliciter, quemadmodum notanter etiam idcirco recitatus mox ante Scarphius Caluiniſta eam addebat particulam, *quo ad eas res, quæ pertinent ad ſalutem,* & de alijs quoque eiuſdem Sectę hæreticis id obſeruabat ex Stapletonio Suarez proleg. 5. cap. 7. nu. 8, nec tandem diffitetur Bail tomo 1. pag. 790. id referens etiam ex Tridentini Concilijs Theologis. Nullam ergo in ordine ad ſalutem & bonum Caluinus admiſit gratiam in intellectu proprie excitantem moraliter cum indifferentia iudicij prçter motionem efficacem neceſſariò rapientem ſpontanee voluntatem in bonum, vt rite adnotauit, tum Belarminus lib. de gratia & libero arbitrio c. 11, tum noſter Magiſter Lemos, quem alij noſtri ſecuti ſunt, tomo 1. parte 2. tract. 4. cap. 17. ferme per totum, ſubinferens inde *Caluinum erraſſe non tantum in illatione & conſequentia, ſcilicet in hoc quod ex efficaci Dei motione intulit ablationē ſeu læſionem noſtræ libertatis (quod à multis prolatum audio) ſed etiam erraſſe in antecedente, modo nunc explicato, quia veram efficaciam gratiæ prauenientis, & verum gratiæ adiutorium non admiſit;* tum poſtea Ioannes à S. Thoma cum alijs p. p. de voluntate Dei diſp. 3. art. 5. num. 14. id probans ex Romana olim diſputatione, atque ſic dicens: *in congregatione 28. apertumeſt coram ſummo Pontifice & explicatum fundamentum erroris Caluini, quia ſcilicet negauit excitantem gratiam & ſolam poſuit gratiam mouentem ſine excitatione; cum tamen tota Eccleſia Catholica poſt Tridentinum Concilium ſeſſione 6. Canone 4. dicat (liberum arbitrium à Deo eſſe motum & excitatum) conſequenter nec ſolam motionem ponit, ſicut Caluinus, nec ſolam excitationem, ſicut Pelagius:* & iterum infra diſp. 5. ar. 6. num. 17. idem Ioannes à S. Thoma hinc, inquit, *Concilium validiſsime alliſit totam Caluiniſtarum hæreſim, quia Caluinus poſuit efficacem gratiam ita neceſsitare voluntatem, vt moueat, non excitet, & negauit excitantem gratiam cum excitatione indifferenti &c. Concilium itaque ad extirpandam hanc hæreſim à ſua radice, definiuit dari in nobis excitantem gratiam prauenientem, ſine qua efficax non datur nec adiuuans, & hanc excitantem gratiam ſeu illuminationem ita tangere cor hominis cum indifferentia, quod homo aliquid agat eam recipiens & poſsit eam abijcere, qua definitione poſita corruit tota hæreſis Caluiniana.* Hæc ille cum alijs noſtris de iſto diſcrimine inter Caluinum & Catholicos, non vt conſtituente adæquate, ſed vt radicante, tum pro Caluino negatam libertatem in voluntate, tum pro Catholicis defenſatam eandē formaliter libertatem in voluntate, & ſeruatā exinde adhuc ſub motione gratię facultatem expeditam etiā in actu primo indifferentem ad oppoſita, quam non ſeruari ex aduerſa radice deducebat Caluinus, vt probatum eſt, & tandem fatetur ipſe Caluinus lib. 2. inſtitutionum cap. 3, poſt ſolam agnitam efficacem gratiam mouentem, ſic addens: *medium, quem Sophiſtæ immaginantur*

motum, cui obſequi vel quem repellere liberum ſit (en motionem moralem gratiæ excitantis mediam inter Deum, ſeu intellectum, & voluntatem motam) *aperte excludi videmus, vbi tractio aſſeritur ſeu gratia efficax ad perſeuerandum.*

Octauò præter hanc magnam ſuboritur alia, nec quidem exigua, differentia. Caluinus etenim conſiderauit motionem phyſicam Dei materialiter ſolum vt ens eſt, non vero formaliter vt motio ad noſtrum agere eſt, ſeu non quatenus ſic eſt motio, qua Deus agit in nos, vt ſimul ſit fieri actiuum actuale exercitum, quo fit actiue in nobis & à nobis agere noſtrum: quæ duo valde adinuicem diferunt. Nam hoc ſecundo modo ſic dicitur prædeterminatio vt correlatiua ſit noſtræ ipſius determinationis, qua determinamus nos ipſos: vnde ſicut relatiua ſunt ſimul natura & cognitione, ita & hoc diuinum agere præſcindi nequit ab agere noſtro velut illud actiuum actuale fieri iſtius, eo proportionali modo, quo determinatio actiua noſtra, qua nos ipſi determinamus nos ipſos ad volendum, præſcindi nequit à volitione ipſa, nec in re omninò ponit in numerum cum volitione eadem, tanquam res & fieri rei, ſcilicet fieri actiuum actuale eiuſdem: nec inde motio diuina in voluntate noſtra ſe habet reſpectu conſenſus à nobis eliciti velut cauſa, *vt quod*, reſpectu eiuſdem, ſed ſe habet *vt quo* ſcilicet quo Deus agit vt agamus, (vt intelligit Sanc. Thomas 3. contra Gentes cap. 149.) ſicut etiam determinatio noſtra, qua nos determinamus nos ipſos ad volendum, non ſe habet vt prius cauſans vt quod, ſed vt quo, vnde ſicut determinatio noſtra poteſt vtique penes explicitum præſcindi à velle noſtro, nec tamen præſcindi poteſt penes excluſum ab eodem, ita & motio Dei in voluntate noſtra recepta poteſt præſcindi à noſtra determinatione, qua determinamus nos ipſos, penes explicitum, non tamen penes excluſum, cum immo ſemper in Dei motione præincludatur ſaltẽ virtualiter eminenter & ipſa noſtra determinatio, vt proprius & primarius effectus Dei vt quod, mediante motione eadem ſe habente vt quo, vt ita dicam adinſtar formæ (licet forma non ſit veluti de actu primo, ſed motio virtuoſa de linea actus ſecundi, ex S. Thoma q. 3. de potentia ar. 7. ad 7.) adinſtar, inquam, formæ ſolum ſe habentis vt quo, ideſt quo Deus ipſe infallibiliter agit in nobis, vt agamus. Conſtat autem quod forma vel quaſi forma nõ ratione ſui, ſeu ratione ſuæ eſſentiæ præciſe, ſed ſolum ratione effectus, quem infert, prout in ſubiecto eſt, repugnans eſt effectui oppoſito alterius formæ. Vnde licet anima rationalis & anima irrationalis in eadem materia incompoſſibiles ſint ratione oppoſiti contrarij effectus, quem inferunt, ſeu tribuũt quatenus in ſubiecto ſunt (& ita de alijs) ſecundum se tamen ratione ſuæ eſſentiæ præcise non repugnaret ſimul vtramque ſeparatam à ſubiecto & à materia ſimul iunctim à Deo copulatas retineri. Sic motio efficax Dei habens, prout in voluntate noſtra recipitur, pro effectu proprio & primario conſenſum noſtrum ſimul elicitum à voluntate, ſi præciſe ſumatur ratione ſui, non ita incompoſſibilis eſt cum diſſensu oppoſito, vti ſi per impoſſibile motio eadem Dei ſeparata à ſubiecto manu teneretur à Deo, non ſimul poſſet à Deo manu teneri coniuncta cum diſſenſu oppoſito in eo caſu ſeruabili pariter ſeparatim à ſubiecto, eo modo, quo viſio in aliquorum ſentẽtia ſeparari ab oculo poteſt vt entitas & qualitas eſt, atque etiam in lapide collocari. At vero hæc eadem motio prout in voluntate ſuſcepta, & prout habens vt ſic in ipſa inſe-

inſeparabiliter effectum illatum, ſcilicet voluntatis conſenſum, pro vt ſic vtique incompoſſibilis dicitur cum diſſenſu contrario,non præciſe dumtaxat ratione ſui, ſed ratione ſimul effectus illati, cum quo adæquatè ſic ſumitur. Et ſicut inde quærenti, an anima rationalis, quæ dum eſt in ſubiecto ratione effectus illati eſt incompoſſibilis cum irrationali, adhuc etiam in illo priori, antequam tribuat ſuum primarium effectum materiæ, ſit incompoſſibilis cum anima irrationali, rectiſſime responderetur, variari ſuppoſitionem, quod nempe ab anima rationali in ſubiecto pertranſiretur ad eandem vt à ſubiecto præciſam aut ſeparatam; ſic inquirenti in propoſito, an motio Dei, quæ dum eſt in ſubiecto ratione conſenſus illati eſt incompoſſibilis cum diſſenſu contrario, adhuc etiam in illo priori ratione ſui præciſe ſit incompoſſibilis cum diſſenſu (vt inquirit à noſtro Reginaldo Theophylus, & nuper alter Vindicator Haunoldi controu. 12. & 43.) non immerito responderi poteſt ſuppoſitionem variari, pertranſeundo à motione Dei prout in ſubiecto infert effectum ſe habens vt quo & vt eſt actiuum fieri actuale eiuſdem, ad motionem eandem inadęquatè acceptam præciſè, & vt ſeparatam veluti à ſubiecto, nō minus ac à ſuo effectu primario. Sic ergo, vt dicta recoligam, Caluinus rudi-ter accipiens motionem Dei vt mouentem præciſe, nec conſiderans agere noſtrum vt incluſum in illa, ſenſum exinde compoſitum (vt ſupra retulimus) accipiebat componendo motionem cum voluntate,ſenſumque diuiſum diuidendo ab eadem eandem: Thomiſtæ vero, penitius accipientes motionem formaliter, compoſitum ſenſum accipiunt, & vere vt debet, componendo cū voluntate velle vt incluſum in motione, ſenſum vero diuiſum diuidendo velle ab eadem. Rurſus ſubinde Caluinus attendens motionem in ſe materialiter ſumptam in noſtra vtique actiua poteſtate non eſſe, ſed Dei, intulit perperam nec velle noſtrum reponi vel remanere in noſtra actiua facultate expedita indifferenter ad velle vel nolle: Thomiſtæ vero attendentes in motione formaliter ſumpta impræſcindibiliter includi agere noſtrum & velle, ideo profunde dixerunt motionem quidem de ſe entitatiue non eſſe in facultate actiua noſtra, ſed terminatiue ſic eſſe, ſeu ponere tamen ac retinere in noſtra facultate expedita ipſum velle & agere noſtrum, quinimmo facere vt noſtrum ſit, quēadmodum (inquit acutiſſime Lemos tomo 1. tract. 3. cap. 23.) nec in poteſtate cęci illuminati per Chriſtum erat ipſa facultas videndi reſtituta per miraculum cœco,& tamen per hoc ipſum in eiuſdem poteſtate repoſitum eſt videre deinde cum vellet, & quod vere ſuum non erat, tunc ſuum vere factum eſt. Sic Hieronymus opportune omnino dicebat epiſtola ad Cteſiphontem: *Liberum arbitrium dat & liberam voluntatem, & non ſtatim ex libero arbitrio homo facit, ſed Domini auxilio, qui nullius ope indiget. Velle & currere meum, meum eſt, ſed ipſum meum ſine Dei ſemper auxilio non eſſet meum.* Sic Auguſtinus cum hoc, quod libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 18. ratione diuinæ motionis prærequiſitæ iuxta Ambroſium aiebat: *non eſſe in poteſtate noſtra cor noſtrum, immo nec cogitationes*, & conſequenter, vt inferebat ipſe, *nec facta nec dicta*, ſimul tamen ex eadem motione reponi hæc omnia in noſtra poteſtate docebat, tum in ſermone 13. de verbis Apoſtoli hanc præueniens obiectionem ac dicens: *dicet mihi aliquis: ergo agimur non agimus: Reſpondeo, immo agis & ageris, & tunc bene agis, ſi ab illo ageris vt agas. Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor eſt;*

tum

tum libro de gratia & libero arbitrio cap. 11. *vtrumque verum eſt, quia & ſua voluntate venerunt, & eorum ſpiritū Dominus ſuſcitauit: agit enim omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipſe voluerit.* Et cap. 16. eiuſdem libri. *Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit vt velimus, de quo dictum eſt: Præparatur voluntas à Domino*; tum libro de Correptione & gratia cap. 2. *potius intelligant, ſi filij Dei ſunt, ſpiritu Dei ſe agi vt quod agendum eſt agant &c. Aguntur enim vt agant, non vt ipſi nihil agant*; tum libro de Prædeſtinatione Sanct. cap. 10, libro 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 19. ſimilia repetens, & libro de dono perſeuer. cap. 16. ſubiungens, *nos ergo operamur, ſed Deus uelle in nobis operatur & operari pro bona uoluntate*, tum epiſt. 89. ſubinferens: *neque ergo voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur, ſed ideo iuvatur quia non tollitur*; tum epiſt. 107. ex hoc eodem robuſtiſſimo principio concludens: *quomodo igitur dicuntur negare liberum voluntatis arbitrium, qui confitentur omnem hominem, quiſquis ſuo corde credit in Deum, non niſi ſua libera credere voluntate, cum potius illi oppugnent arbitrium liberum, qui oppugnāt Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda & agenda fit liberum.* Sic Auguſtini diſcipulus S. Thomas p. p. qu. 83. art. 1. ad 3, *liberum*, inquit, *arbitrium ita mouet ſe quod etiam moueri poteſt ab extrinſeco, à quo habet eſſe & cauſatur, licet enim voluntas ſit cauſa ſui motus, non tamen eſt cauſa prima, & ideo priorem cauſam ſe mouentem ſupponere poteſt, quæ non lædit* (nota) *ſed cauſat motus voluntarios, ſicut & naturales.* Vnde, vt ſubdit p. 2. q. 109. ar. 5. ad 1. *homo ſua voluntate facit opera meritoria vitæ æternæ, ſed ſicut Auguſtinus dicit, adhoc exigitur quod voluntas hominis præparetur*; & præter alia, quæ ſimilia habet eadem q. 109. ar. 6. ad 1. & ar. 2. ad 1, & præter addita 2. 2. q. 25. art. 2. & p. 2. q. 16. art. 4. ad 3, quomodo voluntas noſtra applicata ad directe volendum ſimul reflexe velit ſe velle, hinc q. 6. de veritate art. 2. ad 2, iuxta mox ante allatam explicationem noſtram refugiebat & ipſe ad incluſionem noſtri conſenſus in decreto vel motione Dei mouentis, ſic dicens: *voluntas conſequens Dei reſpicit aliquo modo id, quod eſt ex parte noſtra, non quidem ſicut inclinans voluntatem Dei ad dandam gratiam, ſed quia datam gratiam ad hoc ordinat Deus &c.* velut ſcilicet fieri actiuum actuale reſpectu agere noſtri (ſi gratia efficax ſit) vt explicatum eſt, quod probe noluit Caluinus aduertere aut intelligere, immo nec plane volunt attendere quidam id impugnantes.

Nonò, ruditer iterum vel peruerſe Caluinus motionem Dei conſiderauit, vt prouenientē à cauſa extrinſeca præciſe agente in nos, velut eo modo ageret, ac creatura ſi poſſet in noſtras agere voluntates, non vero formaliter, vt debebat, attendit eandem vt prouenientem à cauſa omnipotente formaliter, ideoque deduxit ſic modo diuerſo Deum nunc agendo in hominum voluntates in hoc ſtatu lapſo neceſſitare eaſdem ad neceſſario volendum, vt non ita actiuus eſſet vel neceſſitate impulſurus in ſtatu innocentiæ primi hominis voluntatem, vt conſtat ex eodem Caluino lib. 2. inſtitutionum cap. 3. dicente: *voluntatem mouet Deus, non qualiter multis ſæculis traditum eſt & creditum, vt noſtra poſtea electionis ſit motioni eius aut obtemperare aut refragari, talem fuiſſe hominis adhuc ſtantis conditionem concedimus.* Et fere repetit Ioannes Scarphius Caluiniſta lib. 2. de libero arbitrio cap. 3. dicens, vt fuſius verba ſupra retulimus, *ſe id dicere de homine poſt lapſum*, conceſſereque hoc in Caluino diſcrimen plerique

iique è Societate, qui primum ſcripſere aduerſus Baianos, eorumque ſectatorem Ianſenium, præſertim Stephanus Deeamps lib. 1. de hæreſi Ianſeniana cap. 9, & longe ante iſtos ſapientiſſimus noſter Ioannes à S. Thoma tomo 1. diſp. 2. art. 7. obſeruauit id à noſtro Lemos in congregatione Romæ fuiſſe de Caluino monſtratum, quod ſane Caluinus perabſurdum diſcrimen non ſomniauiſſet, ſi motionem Dei vt deſcendentem omnino à cauſa omnipotente formaliter accepiſſet, quali modo reſpectu non minus ſtatus innocentis quã lapſi æqualiter Deus omnipotens cum ſit, per motionem vtrobique à ſe ipſo vt omnipotente venientem acturus eſſet & agit; vt bene vidit Auguſtinus in Enchiridio cap. 96. vniuerſim aiens: *Deus non ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult poteſt, nec voluntate cuiuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus*, ac inde cap. 102. deducit: *quantalibet ſint voluntates angelorum vel hominum, vel bonorum vel malorum, vel quod Deus vel aliud volentes quam Deus, omnipotentis voluntas Dei ſemper inuicta eſt*, & lib. 11. ſuper Geneſim ad litteram cap. 10. de primo homine cadente & Angelis decidentibus ait: *ſed poſset, inquiunt, etiam ipſorum voluntates in bonum conuertere, quia omnipotens eſt: poſſet plane, cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt*, vt alia teſtimonia dimittam à nobis adducta fuſius in opuſculo integro de ſtatibus humanæ naturæ contra Ianſenium in hoc abſurdo diſcrimine ſimul cum Caluino ſentientem. Accipiens ergo Caluinus efficaciam motionis Dei præciſe, vt deſcendentem à cauſa extrinſeca agente vt ſic, & mouente efficaciter quidem ſed non omnipotenter, adinſtar efficaciæ etiam cauſæ particularis creatæ, non mirum ſi abſurdiſſime intulit inde neceſſitari voluntatem ad velle, libertatiſque indifferentiam catenari vel impediri, eo modo proportionali, quo in hoc ſenſu dicebat Cyrillus lib. 4. in Iulianum: *Si Deus ineffabili quadam & diuina virtute & efficacia vſus mutaßet ſingulorum mentem ad bene agendũ & induiſſet poſtea bonum, a quo ægerrime diſcedere poſsent, & non ſponte, vltra non eſset fructus mentis &c*; & ſimiliter Damaſcenus libr. 2. de fide cap. 3. *omnia Deus prænoſcit, ſed non omnia prædeterminat*, ideſt prædeterminatione motionis vel efficaciæ particularis agentis, quæ vtique neceſſitaret, nec eſſet à Deo vt omnipotente, ſimul volente & cauſante & ſeruante illorum modum libertatis, vt exponit appoſitè S. Thomas p. p. q. 23. ar. 1. ad 1. & 3. contra gentes cap. 90. & cap 88. huius etiam diſcriminis rationem aſſignans, *quia illud moueret voluntatem per modum agentis, & non per modum finis, & ſic moueret violenter & tanquam principium extrinſecum*, vbi nunc agens Deus vt cauſa omnipotens vniuerſalis, prius excitat mouendo per modum finis in intellectu indifferentiam iudicij (quod nec Caluinus admiſit, vt ſupra vidimus) ac inde ſic mouet ſub omnipotentis munere voluntatem, vt ſimul ex ſua omnipotentia faciat & ipſam actiue libere & cum actiua indifferentia mouere ſe ipſam. Vnde Auguſtinus ex iſto diuerſo veroque agendi principio in libro de Correptione, & Gratia cap. 14. aiebat: *hoc non facit niſi per ipſorum hominum voluntatem habens ſine dubio humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſsimam poteſtatem*, & cap. 21: *agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motus voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipſe vult*, & in Enchiridio cap. 95: *videtur quam certe immutabilis & efficaciſsima ſit volũtas Dei quam multa poſsit & non velit, nihil autem velit, quod non poſsit, quamque ſit verum quod in pſalmo canitur*

Deus

Deus autem noſter in cælo & in terra omnia quæcumque voluit fecit. Quod vtique non eſt verum, ſi aliqua voluit, & non fecit; & quod indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod voluntas omnipotens voluit, voluntas hominis impediuit. Id plane (vt alia plura ex Auguſtino dimittam) ſi ipſe Caluinus aut attendere voluiſſet, aut ſincere percipere non omiſiſſet, non deduxiſſet ex omnipotentis motione efficaci voluntatem motam non agere modo libero; ſed potius omnino deduxiſſet oppoſitum, ſcilicet eandem prout ſic motam nō poſſe niſi libero modo agere, vt eam ad ſic agendum omnipotens Dei voluntas agit ac mouet, quemadmodum plane ex hoc ipſo deduxit Auguſtini diſcipulus S. Thomas p. p. q. 19. ar. 8. ad 2. ſic habens: *Ex hoc ipſo quod nihil voluntati diuinæ reſiſtit, ſequitur quod non ſolum fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed quod fiant contingenter vel neceſſario, quia ſic fieri vult*; in hocque idem principium reducit perpetuo idem S. Thomas infallibilitatem noſtri exercitij liberi ſequentis ad motionem Dei vt omnipotentis, tum 2. 2. q. 24. ar. 11, tum p. 2. q. 112. ar. 3. dicens: *præparatio hominis ad gratiam poteſt dupliciter conſiderari: vno quidem modo, ſecundum quod eſt à libero arbitrio, & ſecundum hoc nullã neceſſitatem habet ad gratiæ conſecutionem &c. alio modo poteſt conſiderari ſecundum quod eſt à Deo mouente, & tunc habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis* (ſiue proprie vt coactio dicit violentiam, ſiue late vt dicit neceſſitatem abſolutam actus conſequentis excludentem actiuam indifferentiam, vt ſe explicauit idem S. Thomas q. 6. de malo ar. 1.) *non coactionis*, inquam, *ſed neceſſitatem infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt, vt dicit Auguſtinus*; & ideo, vt inquit etiam p. 2. q. 10. ar. 4, *ſi eſt ex Deo quod voluntas alicuius moueatur ad bonum neceſſe eſt quod ita ſit, ſed non eſt neceſſarium ſimpliciter.*

Decimò ex eo quod ſemel Caluinus conſiderabat motionem Dei præciſe vt cauſæ extrinſecæ vt ſic, non vero vt primæ cauſæ omnipotentis formaliter, ſicut probatum eſt, & hæc alia ſubſequitur differentia. Nempe exinde Caluinus non conſiderauit in eadem motione Dei modum vniuerſalem cauſandi, quo Deus in nobis ne dum cauſat agere, verum etiam modum agendi, ſcilicet libere, ſed ſolum conſiderauit rationem efficaciæ vt ſic cauſantis infallibiliter ipſum agere. At vero Thomiſtæ cum S. Thoma nil magis cordi habuerunt quam iſtam attendere efficaciam diuinæ motionis ſimul cum modo eiuſdem vt vniuerſaliſſimam ſcilicet in cauſando, & cauſantem ſubinde non tantum agere, ſed modum agendi, ſcilicet libere, atque cum ſe ipſa ſeruantem etiam indifferentiam iudicij in intellectu & actiuam indifferentiam in voluntate expedita ad oppoſita. Ergo nil magis cum S. Thoma Thomiſtæ ſtuduerunt atque aſſecuti ſunt, quam ſemper vtique à Caluino longe lateque recedere. Pro minori ſufficit S. Thomam audire (quem ſequuntur ſine dubio Thomiſtæ, ſolentque hanc ipſam ex eodem inculcare doctrinam) in p. p. q. 19. ar. 8. profundiſſime de diuina efficacia cauſante, non vero lędente hominis libertatem, ſic diſſerentem. *Melius autem dicendum quod hoc contingit propter efficaciam diuinæ voluntatis; cum enim aliqua cauſa efficax fuerit ad agendum, effectus conſequitur cauſam non tantum ſecundum id, quod fit, ſed etiam ſecundum modum fiendi vel eſſendi. Cum igitur voluntas diuina efficaciſſima ſit, non ſolum ſequitur quod fiant ea, quæ Deus vult fieri, ſed etiam quod eo modo fiant, quo Deus vult ea fieri; vult autem quædam fieri neceſſario, quædam contingenter ut ſit ordo in rebus &c.* Hæc S. Thomas recurrens,

vt

vt liquet ad efficaciam cauſæ, non quamcumque, ſed ſupremam, maximam, & vniuerſaliſſimam, vti ad eandem recurrebat non minus olim Auguſtinus pro re propoſita, tum libro de gratia & libero arbitrio cap. 5. & 16. idcirco vocans *efficaciſsimam*, tum libro de correptione & gratia cap. 5. *occultiſsimam & potentiſsimam*, tum lib. 1. ad Bonifacium cap. 20. *occultiſsimam & efficaciſsimam*, tum de gratia Chriſti cap. 24. *innefabilem poteſtatem*, tum epiſtola 117. & libro iterum de correptione & gratia cap. 14. *omnipotentiſsimam poteſtatem*, tum lib. 1. retractationum cap 9. vniuerſim ex vniuerſaliſſima cauſalitate Dei ita deducens: *quia omnia bona, & magna, & media, & minima ex Deo ſunt, ſequitur ut ex Deo ſit etiam bonus uſus liberæ uoluntatis*. Quid clarius? Inde S. Thom. idem in primo Perihermenias lectione 14. ſibi propoſita difficultate, *quod ſi prouidentia diuina ſit per ſe cauſa omnium, quæ in hoc mundo accidunt, ſaltem bonorum, uidetur quod omnia ex neceſsitate fiant*, præſertim ex parte voluntatis Diuinæ, *quia Dei uoluntas inefficax eſse non poteſt, uidetur ergo quod omnia quæ uult ex neceſsitate eueniant*. Reſpondet *has obiectiones procedere ex eo quod operatio Diuinæ voluntatis penſatur ad modum eorum, quæ in nobis ſunt, cum tamen multo diſsimiliter ſe habeat*: (en Caluini hallucinationem conſiderantis Dei motionem ad inſtar motionis cauſæ particularis mouentis, ideoque neceſſitantis eum, quem mouet, ad agere) *Differentia ergo ex parte voluntatis diuinæ attendenda eſt. Nam voluntas diuina eſt intelligenda vt extra ordinem entium exiſtens, velut cauſa quædam profundens totum ens, & omnes eius differentias. Sunt autem differentiæ entis etiam poſsibile & neceſſarium, & ideo ex ipſa uoluntate diuina originatur etiam neceſsitas & contingentia in rebus*, pro vt ſcilicet vult, ne dum res fieri, ſed tali modo fieri, & conſequenter tali modo etiam libere fiunt, quo Deus vult libere fieri ex ſumma efficacia & vniuerſalitate cauſalitatis eiuſdem, vt ibidem latius explicare proſequitur & repetit quæſ. 6. de veritate a. 3. ad 3. & in 1. ad Hanibaldum diſ. 47. quæſ. vnica a. 4. vbi apertiſſimis verbis inquit Deum *prædeterminare etiam modum*, ſcil. actus liberi vti & quodlibeto 12. a. 4. ſic dicit, *à prouidentia Dei omnia eſſe prædeterminata*. Similiter in 6. Metaphiſicorum lectione 3. *ad differentiam aliarum omnium cauſarum*, inquit, [cauſa incorruptibilis & immutabilis Diuina eſt ſimpliciter vniuerſalis, eius enim effectus proprius eſt eſſe, vnde quidquid eſt, & quocumque modo eſt ſub cauſalitate, & ordinatione iſtius cauſæ proprie continetur &c. & ſic ſi iſta etiam contingentia reducantur in cauſam altiſſimam Diuinam nihil inueniri poterit, quod ab ordine eius exeat, cum eius cauſalitas ſe extendat ad omnia entia. Non poteſt igitur ſua cauſalitas impediri &c. Sed ſciendum quod ex eadem cauſa dependent effectus & omnia, quæ ſunt per ſe accidentia illius effectus &c. Vnde ſicut Diuinę prouidentię ſubditur ipſum ens, ita etiam omnia accidentia entis in quantũ ens, inter quæ ſunt etiam neceſſarium & contingens. Ad diuinam igitur prouidentiam pertinet non ſolum quod faciat hoc ens, ſed etiam quod det ei neceſſitatem vel contingentiam. Sic ergo patet, quod cum de Diuina prouidentia loquimur ſeu vniuerſaliſſima cauſa, non eſt dicendum ſolum, hoc eſt prouiſum a Deo vt ſit, ſed hoc eſt prouiſum à Deo vt contingenter ſit, vel vt neceſſario.] & ſic claudendo rationem iſtam ex S. Thoma, ſimiliter non eſt cum Caluino accipienda diuinæ motionis efficacia tantummodo vt cauſæ particularis facientis vt actio noſtra fiat aut ſit, verum etiam vt cauſæ vniuerſaliſſi-

mæ cauſantis ſimul, vt actio noſtra tali modo, ſcilicet libero fiat & ſit, quemadmodum iuxta hæc S. Thomæ & Auguſtini principia Thomiſtæ hactenus ſemper à Caluino abſcedentes interpretati ſunt.

Vndecimò alia hinc etiam obſeruanda differentia ſubſequitur. Nam Caluinus ſicut pro ſtatu innocentiæ non agnouit neceſſitatem gratiæ ab intrinſeco efficacis (quam neque pro hoc ſtatu lapſo nobis aduerſi cognoſcunt) ita in hoc ſtatu naturæ lapſæ efficaciam intrinſecam gratiæ non requiſiuit nec poſuit ob dependentiam voluntatis noſtræ vt ſecundi liberi à voluntate diuina, vt primo libero (alioquin eadem ratione in ſtatu etiam innocentiæ eandem etiam neceſſitatem poſuiſſet) ſed ſolum eam recognouit ob deteriorem conditionem voluntatis in hoc ſtatu vulneratæ ex originali peccato, vt ſic ſanetur, & ſubleuetur per gratiam, accipiatque denuo facultatem eligendi agendique bona, quam penitus ipſe deperditam ex culpa originali abſurdiſſime ſupponebat, vt hæc omnia ex ſupra relatis Caluini principijs, præſertim in numero 3, conſtare poſſunt. At ex aduerſo non ſolum Thomiſtæ, ſed Auguſtinus, & S. Thomas gratiæ efficacis ab intrinſeco neceſſitatem, ſeu in voluntate hominis indigentiam, ne dum ratione ſecundi motiui in ratione veluti medicinæ (vt perperam iterum ponit cum Caluino Ianſenius) verum etiam ratione primi motiui ob indiſpenſabilem dependentiã ſecundi liberi à primo libero recognoſcunt & probant, potius vero recentiores quidam Thomiſtis aduerſi nec plane ſeruantes in ſtatu ſaltem conditionato (nequid dicam de abſoluto) dependentiam eandem in initio conſenſus voluntatis ad gratiam excitantem, quam ibi pro conditione ponunt, videntur & ipſi attendere potius ſecundum motivum quam primum. Ergo longe magis cum Auguſtino & S. Thoma Thomiſtæ à Caluino adhuc in re propoſita receſſiſſe videntur. Minor, de qua ſola lis eſſe poteſt, non operoſe probatur. Sic enim Auguſtinus manifeſte diſcurrens de Angelis etiam & primo homine in ſtatu innocentiæ, & conſequenter à ratione medicinali gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ præſcindens, puramq; attendens liberi secũdi creati dependentiam à primo dicebat lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 9. *Si non potuerunt ſe ipſos facere meliores, quam eos fecerat, profecto & bonam voluntatem, qua meliores eſſent, niſi operante adiutorio creatoris habere non poſſent*, & lib. de gratia & libero arbitrio cap. 20. (*ſcriptura diuina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit, non ſolum hominum uoluntates, quos ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos & in æternam dirigit vitam, verum etiam illas, quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quo uoluerit, quando uoluerit, faciat inclinare*; & hinc lib. 3. in Iulianum operis imperfecti ca. 105, Iuliano ſibi obiurganti quod definitionem liberi arbitrij deſtruere videretur, ponendo liberum arbitrium creatum ſic agi ab increato, vt nonniſi eo mouente agat, ideoque velut ad abſurdum deducendo dicenti; *explica diffinitiones liberi arbitrij, & fines eius diſtinctionibus abſolutis quaſi quibuſdam cinge limitibus*, quæ appoſite nobis inclamata ab aduerſarijs obiectio eſt: Reſpondet Auguſtinus omnino pro nobis his verbis: *inimici & defenſores, liberum arbitrium defendendo perimitis, quod ad ſuos limites reuocari omnipotentis & veri defenſoris bonitate non vultis*. Sic D. Thomas iuxta hæc inconcuſſa Auguſtini principia recurrit ſemper ad dependentiam ſecundi liberi à primo, non obſtante definitione ſecundi liberi, quod poſſit etiam à ſe agere & non agere, & non

obſtante rurſus quod ſanum non vulneratum ſit, tum p. 2. q. 109. ar. 2. a 1 r. dicens. *Mens hominis etiam ſani non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moueri à Deo, & multo magis liberum arbitrium hominis infirmi poſt peccatum*; tum p. p. q. 105. ar. 4. ad 2. ſubdens: *moueri voluntarie eſt moueri ex ſe, ideſt à principio intrinſeco: ſed iſtud principium intrinſecum poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco, & ſic moueri ex ſe non repugnat ei quod moueatur ab alio*; tum primo contra gentes cap. 68. in fine: *Dominium, quod habet voluntas creata ſupra ſuos actus, per quod in eius poteſtate eſt velle vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum & nedum violentiam cauſæ exterius agentis* (vt perperam ſolum excludere hoc ſecundum ſupponit cum Caluino Ianſenius) *non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe & operari*, vt non minus falſo ſupponebat Pelagiani, & alij quidam ſupponunt, quod planè eſſet liberum ſecundum creatum in determinando ex ſe præciſe ſe ipſum euadere *primum liberum & primum agens*, vti verbatim tanquam *erroneum* deducendo ad abſurdum deducebat noſter Angelicus in ſecundo diſt. 37. q. 2. ar. 2. legendus, & ne dum Lemos tomo 1. p. 2. trac. 3. cap. 22. hanc vocat libertatem *Chymericam Ciceronianam & Pelagianam, quam tolli per gratiam ne dum abſurdum ſed neceſſarium eſt manente vera libertate chriſtiana, quæ ſubditur Deo*, verum etiam tom. 2. trac. 3. cap. 48. non immerito admiratur quoſdam nobis aduerſos deuorando hoc abſurdum *aliquando confeſſos eſſe liberum arbitrium eſſe primum ſuæ actionis principium*; immo Theophylus Raynaudus re ipſa longe poſt Lemos ætatem in ſua noua explicatione libertatis creatæ par. 2. cap. 4. num. 33. non eſt veritus denuo de voluntate creata fateri in ſua ſententia ſic obijci diuino intellectui egreſſuram volitionem creatam, *tanquam operationem exorituram ab ea ſi ipſa voluntas ſe ſola ageret*: En ſecundum liberum iam chymerice factum primum liberum, donatamque eidem per conſequens diuinam primitatem, & omnipotētiam, vt alij nuper his ipſis temporibus abſurdiſſime commenti ſunt, Romæ damnati die 23. Nouembris 1679. in ea proſcripta propoſitione eorundem: *Deus donat omnipotentiam ſuam vt ea vtamur, ſicut aliquis donat alicui villam vel librum, & ſic Deus ſubijcit nobis ſuam omnipotentiam.* O temeritatis inſaniam! replicaret in præſenti Hieronymus epiſt. ad Cteſiphontem; *quæ enim poteſt eſſe alia maior temeritas quam Dei ſibi non dicam ſimilitudinem ſed æqualitatem vendicare, & breui ſententia omnino hæreticorum venena complecti?* An non ſic (repeteret ſimul Auguſtinus lib. 1. in aduerſarium legis & Prophetarum cap. 14.) *an non ſic datum eſt liberum arbitrium, vt eum tamen neceſſe ſit viuere ſub poteſtate melioris?* An (vt indignabundus intorquet in libro de ſpiritu & littera cap. 30.) *An ita ergo ſunt liberi, vt nec Deum habere Dominum velint?* An (vt habet epiſt. 89.) *his voluntas libera tanto liberior non eſt, quanto ſanior, tanto autem ſanior quanto diuinæ miſericordiæ & gratiæ ſubiectior?* vti & Proſper exinde contra Collatorem cap. 38. inferebat, *opitulationes diuinæ gratiæ eſſe ſtabilimenta voluntatis humanæ*, & tamen, vt ſubdit in carmine de ingratis cap. 26.

arbitrium, quod ſanat gratia, tolli
Dicitis, & perimi vita aſpirante putatis.

non ſane igitur, inquit Accademia Duacena in cenſura exſcripta apud Lemos tomo 1. & alibi, *non ſane videmus, quomodo aliter liberum voluntatis dominium aſſtrui poſſit, quam non agnoſcendo prædeterminationem, quam facile intelliget, qui il-*

line primitatem, hinc ſubordinationem & dependentiam velit ſerio ruminari, vt Sān. Thomas cum Auguſtino, & Proſpero ex ſupra perpenſis hactenus ob oculos ſemper habebat. *Quod itaque* (opportune aiebat & ante nos & ante iſtos D. Hieronymus epiſtola ad Cteſiphontem) *quod iactant liberum a nobis arbitrium deſtrui, audiant econtra eos arbitrij deſtruere libertatem, qui male ea abutuntur aduerſus beneficium largitoris*, ſomniando ipſam chimerice à primo libero independentem in ſuæ ſaltem determinationis initio, qua ſe determinet ad volendũ. *Quis enim*, pergit Hieronymus, *quis enim deſtruit liberum arbitrium, ille qui ſemper Deo gratias agit & quodcumque in ſuo riuulo fluit ad fontem refert, an qui dicit non habeo te neceſſarium?* Sed quid dico de Hieronymo? Audiatur Apoſtolus ipſe ad Roman. 9. vbi contra ſe affert eandem penitus ex irreſiſtibilitate diuina deprompiã tunc Saducęorum, ſeu ſubſequentium Pelagianorum ac Caluiniſtarum oppoſitam pro noſtræ libertatis dominio obiectionem, veluti inferẽtem (vti & contra nos inferunt recentiores modo.) *Igitur non eſt volentis nec currentis ſed Dei miſerentis: dicis itaque mihi. Quid adhuc quaritur? Nam voluntati eius quis reſiſtet?* ſcilicet quid quęritur quod ipſi nolimus nec conſentiamus bono? hæc ſane & recens obiectio eſt. Audiamus nunc obſecro, an ad aliud Apoſtolus pro ſolutione recurrerit, quam ad hanc ipſam intraneam, & indiſpenſabilem ſecundi liberi dependentiam à primo, vti Sancti Patres relati hactenus recurrerunt, dum plane Apoſtolus reſpondet ac ſubdit. *O homo, tu quis es, qui ſic reſpondeas Deo?* quemadmodum in hoc ſenſu perpendit & applicat ad inſtitutum hoc ipſum neruoſiſſime & manifeſte Auguſtinus epiſtola 105. dicens: *Poſtremo quonam ſe iſti excuſabant modo? nempe illo, quem breuiter tanquam ex eorum voce ſibi obijcit Apoſtolus, ut dicant. Quid adhuc inquiritur? nam uoluntati eius quis reſiſtet? hoc eſt enim dicere, quid de nobis fit querela, quod Deum offendamus male uiuendo? cum illius uoluntati nemo poſsit reſiſtere, quæ nos obdurauit pænitentiam non præſtando. Si ergo illos non pudet, hac excuſatione, non nobis, ſed Apoſtolo contradicere, cur nos pigeat eis, quod dixit Apoſtolus, hoc idem atque identidem dicere? O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo*, qui non recordaris nimirum vel non attendis te liberum vtique habere arbitrium, ſed ſecundum ſemper à primo dependens. *Non intelligunt igitur* (ſubinfert apposite eadem epiſtola Auguſtinus) *non intelligunt non ſe firmare liberum arbitrium, ſed impellere, ut per inania feratur, nec in Domino ſicuti in petra ſtabili collocetur*; vti & eodem modo ſoluit hanc ipſam difficultatem S. Thomas in ſecundo diſt. 25. q. 1. art. 2. ad 3. & alibi ſæpe. *Vos ergo* (inquit idem Auguſtinus lib. 4. prioris operis in Iulianum cap. 8.) *Vos potius ſecundum ueſtram ſententiam fato iſta fieri dicitis; ueſtra quippe ſententia, non noſtra, eſt fato fieri quod merito non fit. Liberum arbitrium* (ſubdit lib. 1. ad Bonifacium cap. 2.) *defendendo præcipitatis*, & cap. 4, *non defenſores ſed præcipitatores liberi eſtis arbitrij*, & lib. 3. operis imperfecti cap. 105, *vos inimici & defenſores, liberum arbitrium defendendo perimitis, quod ad ſuos reuocari limites, omnipotentis & veri defenſoris bonitate non vultis*, & cap. 112. *Nemo eſt liber ad agendum bonum ſine adiutorio Dei, quod vt præcipitetis humanam extollitis voluntatem*; & cap. 120: cum Iulianus arrogantiſſime id Auguſtino exprobraret, *Quare quibus Poetis in talem incurreris hippocentaurum ut bimembrem beſtiam fingeres, ut ſcilicet de mala neceſſitate ſtatueres formares & ſolam faciem nomine libertatis obduceres?* Reſpondendo Auguſtinus ſubiungit: *cur tu adminicula gratiæ ſupponis bonæ voluntati,*

cum

Digitized by Google

tum voluntas mala nullo innitatur adminiculo vt mala ſit vel mala eſſe perſiſtat? (cum ſcilicet creata voluntas in deficiendo primum liberum vtique deficiens ſit) *An hic libra tua, quam conaris ex vtraque parte per æqualia momenta ſuſpendere, vt voluntas quantum eſt ad malum tantum etiam ſit ad bonum libera, vergendo te in vnam partem te indicat delirantem?* & cap. 215, *Me non eſſe liberi arbitrij negatorē, quod tu extollendo præcipitas, ſed potius defenſorem Dei gratiam confitendo, quod arbitrium tu deijcis in tua virtute fidendo, innumerabilia ſacra teſtimonia proclamant*; & vt alia loca ibidem obuia dimittam, in fine eiuſdem operis lib. 6. cap. vltimo, omnia ſimul epilogando concludit. *Quidquid lex Dei iubet, nonniſi eo, qui iubet, adiuuante, inſpirante, donante* (nota iſtarum vocum incrementum & emphaſim) *donante completur, qui rogatur vt permaneant, vt proficiant, & perficiantur fideles, qui rogatur etiam vt credere incipiant infideles, quas Eccleſiæ ſanctæ preces toto terrarum orbe creſcentes & feruentes opprimere ac extinguere cupiunt, qui contra iſtam Dei gratiam humanæ voluntatis arbitrium, vt grauius de alto præcipitent, extollunt potius quam defendunt*. Hæc Auguſtinus pro ſe ipſo ſimul & nobis.

Duodecimò hæc ſane, ſi vel oſcitanter Caluinus excurriſſet, in quibus totis tam iteratis ad calumnias Iuliani reſponſionibus Auguſtinus profitebatur ſe plane liberum arbitrium profiteri adhuc in hoc ſtatu naturæ lapſæ, puduiſſet profectò Caluinum quandoque etiam ſub mentito Auguſtini pallio negare in hoc ſtatu ſub gratiæ efficacia libertatem arbitrij, vt inter cætera plura lib. 2. inſtitutionum cap. 2. impudentiſſime de eodem libero arbitrio ea verba proferebat: *inane eſt nomen, quod ſine ingenti periculo non poſſe retineri cenſeo, magno contra Eccleſiæ bono futurum, ſi aboleretur neque ipſe vſurpare velim, & alios, ſi me conſulant, abſtinere optarim*. Sed de Caluino adeo delirè ab Auguſtino abſcedente, vt cæcutienti vel pateat, quid intereſt vlterius dicere? De his modo potiore iure dicamus, qui vſque ad nauſeam ſemper in nos à ſe confictas aut perperam adhibitas quaſdam liberi arbitrij definitiones (vt probat Lemos tomo 3. trac. 2.) noſtras deinde inculpant ex S. Thoma ſolutiones, velut non ſuſtinentes voluntatem libere determinare ſe ipſam, noſque non minus irrident velut neſcientes volitionem liberam in ſuo egreſſu & initio nullo alio indigere principio, quam intrinſeco principio libero voluntatis. Pergamus itaque audire Iuliani in mox citato opere obiectiones aduerſus ſimilem penitus cum noſtra Thomiſtica ibidem traditam ab Auguſtino doctrinam, & ſi inuenerimus, tum argumenta recentium à Iuliano ipſo ibidem adhibita, tum noſtras ibidem traditas ab Auguſtino reſponſiones, cur, quæſo, amplius doctrinam noſtram velut Caluino affinem calumniando traducent, cum certe doctrinam Auguſtini diſtinctam longe eſſe ab inſania Caluini communis ſit Eccleſiæ conſenſus? Omitto inde, quod breuius opponebat Iulianus libro 3. cap. 111. Auguſtino ſic dicens: *Nec dogmati tuo libertas conſtat arbitrij: interrogo enim quid ſit, quæue diffinitio liberi arbitrij?* cui breuiter pariter Auguſtinus eodem cap. reſpondebat dicens: *homines elati & inflati nolite in veſtra confidere virtute, Deo vos ſubdite*: quæ licet breuis grauiſſima tamen ac fundamentalis reſponſio eſt. Omitto etiam, quod Iulianus habet eodem opere lib. 5. cap. 47. & ſequentibus de diſtinctione poſſibilis & neceſſarij concludens, *libertatem à neceſſario haberi, voluntatem à poſſibili*, ideſt illam in actu primo, iſtam in actu ſecundo, vt inde ſine recurſu ad primum liberum actus ſecundus voluntatis incipiat à

prin-

principio voluntatis ſemel habito ab authore naturæ, quam Iuliani philoſophiam deſtruxit poſtea S. Thomas tum 1. Perihermenias lectione 14. tum 6. Metaphyſicorum lect. 3. legendus. Venio ſolum ad id, quod magis attinet ad rem præſentem. Apud Auguſtinum igitur in opere imperfecto in Iulianum lib. 5. cap. 41. Iulianus Pelagianus ſic contra Auguſtini doctrinam diſcurrebat. [Quæritis vos neceſſitatem rei, quæ eſſe non poteſt, ſi patitur neceſſitatem: huic motui animi libero ſine coactu originis inquieto ſi cauſa ipſo motu dicitur antiquior, non gignitur omnino, ſed tollitur; nomen enim ipſum voluntatis nullam vim habet alteram, quam non debere materiæ, quod mouetur. Cum ergo quæris vnde orta ſit voluntas ipſa, voluntate quęris antiquius, nec exordium eius, ſed exitium requiris; omnino enim non intelligitur eſſe; ſi deputetur priori. Nec poteſt dici iam voluntas, quæ ſubſiſtere non poteſt, niſi in motu nullo animi cogente. Si ergo cogat aliquis, eſt quidem motus, ſed non eſt voluntas, cuius vim illa deffinitionis pars ſecunda compleuit, id eſt nullo cogente: ſi ergo voluntas nihil eſt aliud quam motus animi cogente nullo, male prorſus quęritur origo rei, cuius conditio ſi præuenitur interijt. Voluntas eſt motus animi cogente nullo, naturalia cuncta cogunt eſſe quod ſequitur, voluntas autem ſi præcedentibus cauſis cogatur ſeu cauſetur, volũtas eſſe mox deſijt, & perdit conditionem ſi accepit originem.] Et cap. 42. his non contentus, ſic pergendo repetit: [Cum ergo bene definita ſit voluntas motus animi cogente nullo, quid quęris ſuperius cauſas, quas deffinitio voluntatis excluſit? expendite igitur quid ſit voluntas, & definetis inquirere, vnde ſit voluntas. Voluntas enim eſt motus animi cogente nullo, vos ſi tentatis ire dimidio vngue ſuperius, ſtatim conſtituta conuellitis &c. crimen etiam voluntatis euanuit, cum deffinitio voluntatis exſecta eſt, & peccati igitur & voluntatis claruit eiuſmodi eſſe conditionem, vt ſi cauſis pręcedentibus deputetur & vim perdat & crimen.] Et cap. 45. vt ſe exponat de qua neceſſitate intelligeret, cum etiam à voluntario aut à voluntate excludebat, ſubdit idem Iulianus. [Neceſſarium hic dico, non quod ſolemus vtile nuncupare, ſed quod maioribus fuerit cauſis coactum. Neceſſarium ergo vocamus, non quod in iure ſit voluntatis, ſed quod patiatur exiſtendi vim. Poſſibile autem dicimus, quod nec exiſtendi nec non exiſtendi in alteram partem experiatur neceſſitatem, ſed certis modis & poſſit eſſe & poſſit non eſſe.] Et cap. 60, poſt multa de neceſſario & poſsibile contra Auguſtinum concludit. *Igitur ſtolidiſſime interrogas, vnde ſit ipſa voluntas. Hoc enim quod dicis, vnde, non euerſionem ſeu originem eius, id eſt naturam requiris. At id, ſicut ſupra tractatum eſt, ſi naturam accipit, diffinitionem ſui perdit, quia dictum eſt, cogente nullo: Si vero diffinitionem tenet, præiudicium natiuitatis.* Poteratne Iulianus expreſſe magis adhibere erroneam Ciceronis philoſophiam, quam ſupra pag. 164. ex verbis eiuſdem in libro de fato referebamus? Poteratne exagerare propinquius aut fuſius recentiorum quorundam aduerſantium in ſcholam S. Thomæ obiectiones, aut inculcare contrariam nobis philoſophiam depromptam ex quadam ſua liberi arbitrij deffinitione, neque in recto ſenſu intellecta, vt probat Lemos tomo 3. trac. 2. cap. 3. & ſequentibus? poteritne dilucidius agnoſci & euinci, an ſolutiones, quas adhibent nunc cum S. Thoma Thomiſtæ, conueniant omnino cum Auguſtini doctrina, ſi Auguſtinus his omnino ſimilibus pulſatus à Iu-

liano

liano argumentis, non quidem (vt recentiores) ad præuiſum antea in ſtatu conditionato conſenſum præincipientem ex voluntate ſub gratia exeitante, ſed verius ad ipſam diuinam efficientiam ſupremamque recurrerit, qua ſimul vult & facit vt nos ipſi velimus & operemur? Audiamus ergo ſe motis nunc ſtudijs partium, quid ibidem Iuliano cenſuerit reſpondendum, & cap. quidem 41. ita reſpondet. [Si voluntas ideo non habet originem, quia non cogitur, nec ipſe homo habet originem vt ſit homo, quia non coactus eſt eſſe. Quomodo enim cogi poterat, qui non erat? Et certe homo natura eſt; tuque dixiſti: naturalia cogunt eſſe quod ſequitur. Rogo te attende, attende quid dicas; noli oculis linguam mouere, quomodo qui in ſomnis loquitur: nulla res quæ non eſt, cogi poteſt. Vide etiam quam ſit inſanum negare, habere originem res, quæ ortæ ſunt, cum ipſa origo ab oriundo ſit dicta. Nam quod eſt, & originem non habet, ſemper fuit. Si autem non fuit & eſt, ortum eſt, ſi ortum eſt, habet originem. Voluntas ergo] (nominat hic voluntatem volitionem ipſam, vt ſolet tum paſsim alibi, tum infra, & iam vulgo notiſsima eſt) [voluntas ergo, quæ non fuit & eſt, vtique orta eſt, ſi enim eſt & orta non eſt, ſemper fuit; ſi non fuit ſemper, ergo orta eſt. Iam tu clama contra apertiſsimam veritatem, hoc enim decet tuam vanam loquacitatem, & dic, orta eſt quidem, ſed originem non habet, aut quod eſt inſanius, & non fuit & eſt, & tamen orta non eſt: Porro ſi hoc non dicis, ne inſulſiſsimus & omnino fatuus iudiceris, quære ergo vnde orta ſit &c.] vti omnino arguit poſtea iuxta hæc eadem Auguſtini principia, & S. Thomas p. p. q. 2. art. 3. q. 19. art. 3. ad 5. primo contra gentes cap. 13. tertio contra gentes cap. 2. Opuſculo 3. cap. 3. & p. 2. q. 79. art. 2. quia nihil, quod tranſit de potentia in actum, reducitur in actum niſi per id quod actu eſt, *omnis igitur actio cauſatur ab aliquo exiſtente in actu, omne autem ens actu reducitur in primum actum, ſcilicet Deum, ſicut in cauſam, quæ eſt per ſuam eſſentiam actus; relinquitur igitur quod Deus ſit cauſa omnis actionis in quantum eſt actio*: Hæc S. Thomas. Audiamus quid pergat dicere & reſpondere Iuliano eidem Auguſtinus in cap. ſubſequenti 42. *Quid autem*, inquit, [vanius diffinitionibus tuis, qui propterea putas non quærendum eſſe, vnde ſit voluntas, quia eſt motus animi cogente nullo? Si enim dicatur, vt putas, vnde ſit, non erit verum quod dictum eſt cogente nullo; quia illud, vnde eſt, eam cogit eſſe, & ideo non eſt aliunde, ne cogatur eſſe. O ſtultitiam ſingularem! non eſt ergo aliunde ipſe homo, qui non eſt coactus eſſe, quia non erat, qui cogeretur antequam eſſet. Prorſus aliunde eſt voluntas, & eſſe non cogitur, & ſi eius origo quærenda non eſt, non ideo quærenda non eſt, quod voluntas aliunde non ſit, ſed quia manifeſtum eſt vnde ſit &c. Si operatur Deus in homine voluntatem bonam, id vtique agit vt oriatur ab illo bona voluntas, cuius eſt voluntas, ſicut agit vt homo oriatur ab homine: non enim quia Deus creat hominem, ideo homo non ex homine naſcitur: malæ autem voluntatis ſuæ vnuſquiſque author eſt, qua malum vult.] Non poterat Auguſtinus vel opportuniorem pro nobis ſimilitudinem adhibere, vel diſtinctius ea principia tradere, quibus poſtea vſus eſt S. Thomas in 2. diſt. 37. q. 2. ar. 2. legendus. Sed proſequamur ad alia, quæ habet paulo poſt Auguſtinus cap. 56. [dixiſti vbi oriatur voluntas, dic & vnde? Bona opera Dei ſunt natura & liberum arbitrium. In his, inquis, voluntas exoritur, ſed non de his. Vnde

de ergo? dic, audiamus, & diſcamus. Aut oſtende aliquid alicubi ortum eſſe, cum vnde oriretur non eſſet. Mundus quidem de nihilo ortus eſt, ſed Deo faciente. Si ergo & voluntas in homine vel in eius libero arbitrio de nihilo exorta eſt, quis eam fecit? aut ſi non facta vel orta eſt, quis eam genuit? An ſola in rebus, quæ eſſe cœperunt, facta de nullo, nata de nullo?] Sic robuſtiſſime fatcor, Auguſtinus, non minus ac cap. 57. ita proſequitur. [Quid dices quod nec bonum nec malum Deus fecerit hominem, ſed vtrumlibet horum ipſe ſe facit, cum bene vel male vtitur libero arbitrio? Quid eſt ergo quod nunc dicis, bonus Deus bonum fecit hominem, ſi nec bonus nec malus eſt habendo liberum arbitrium, quod in eo Deus fecit, ſed bene eodem vtendo, id eſt cum iam ipſe bene vult? & quomodo verum erit, fecit Deus hominem rectum? an rectus erat non habens voluntatem bonam ſed eius poſſibilitatem? ergo à ſe ipſo illi eſt voluntas bona, falſumque ſcriptum eſt præparatur volũtas à Domino, & Deus in nobis operatur & velle &c. Ita ſit, vt per tuam mirabilem ſapientiam, nec Deus fecerit rectum hominem, ſed qui rectus eſſe poſſet, ſi vellet, nec ipſe ſe faciat;](ſcilicet ſic non faciente Deo tanquam prima cauſa vniuerſaliſſima omnium). *Sed neſcio quo caſu rectus fiat, quia nec de illo, ſed neſcio vnde, aut neſcio quomodo, in illo voluntas oritur, qua rectus fiat. Non eſt iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, & diabolica.* Hæc Auguſtinus aduerſus Iulianum, non vero nos in recentes, bene in Caluinum & Ianſenium ſimul, qui hæc non legerunt procedentia ex æquo etiam de homine recto in ſtatu innocentiæ, vt hæc iterum repetenti patebit.

Tertio decimò poſtquam hic ſatis vidimus modum, quo penes Auguſtini principia, & veritatem procul à Caluini delirijs, vere Deus eſt cauſa quod à noſtra voluntate volitio libera ſuboriatur, videndum vlterius eſt de modo, quo ex eadem diuina cauſalitate ac motione, ſalua ſemper actiua indifferentia voluntatis eadem volitio libera ſubſequatur, & præter neceſſitatem conſequentis, quam non ſeparaſſe Caluinum à neceſſitate conſequentiæ iam vidimus ſupra, oſtendendum vlterius, quam longe diuerſo modo adhuc idem ipſe Caluinus neceſsitatem conſequentiæ vſurparit, & falſo procul ab Auguſtini ſenſu & S. Thomæ, & diſcipulorum eiuſdem. Caluinus enim ſic voluit inde infallibiliter ſubſequi noſtram volitionem, vt neceſſaria hæc conſequentia ſit: Vult Deus nos agere, ergo infallibiliter agimus; ſicque crude nimis abſolutè & præciſè Caluinus infert actionem noſtram vt ſic, vt bene in hoc ſenſu Caluinum retulit Franciſcus Penna male intellectus ab Haunoldo pag. 47. Sed Auguſtini diſcipuli non ita præciſe aut abſolute ſubinferunt iſtam adhuc conſequentiæ neceſſitatem, ſcilicet *ergo infallibiliter agimus*, ſed potius in quãtũ addendum eſſe in hunc modum; *ergo infallibiliter agimus eo modo, quo Deus vult, id eſt libere vt nos agere vult.* Adhuc igitur in conſequentiæ neceſsitate ſiſtendo (præter ſuperius dicta de conſequentis neceſsitate, quam Caluinus, & ſi diſtinguat, non ſeparat) longe profectò diſcedunt Auguſtini diſcipuli ab inſana ſententia Caluini. Audiatur pro minori antiquior ſane, quam S. Thomas, alter diſcipulus Auguſtini & interpres Anſelmus in libro de concordia ſic habens. *Non debes dicere, præſcit Deus me peccaturum vel non peccaturum: ſed præſcit me Deus peccaturum vel non peccaturum ſine neceſsitate &c. Quoniam enim, quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cum vult hominem nulla cogi vel prohiberi neceſsitate*

ad

ad volendum vel ad non volendum, & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe, quod vult. Audiatur S. Thomas ipſe 3. Contra gentes cap. 94. verſus finem, ex eadem doctrina ſic ſcribens. *Prouidentia diuina per ſe eſt cauſa, quod hic effectus contingenter proueniat, & hoc caſſari non poteſt. Ex quo patet, quod hæc conditionalis non eſt vera* (nota quæſo & inſculpatur memoriæ.) *Si Deus prouidit hoc futurum, hoc erit: ſed ſic erit, ſicut Deus prouidit illud eſſe futurum: prouidit autem illud eſſe futurum contingenter, ſequitur ergo infallibiliter quod erit contingenter, non neceſſario.* Audiatur iterum in 6. Metaphyſicorum lectione 3. ſic repetens. *Patet ergo, quod cum de diuina prouidentia loquimur, non eſt dicendum ſolum, hoc eſt prouiſum à Deo vt ſit, ſed hoc eſt prouiſum à Deo vt contingenter ſit vel vt neceſſario ſit.* Audiatur tandem, aut conſulatur non minus p. p. q. 22. ar. 4. ad 1. & 2, opuſculo 2. cap. 140, in 1. ad Anibaldum diſt. 47. qu. 1. ar. 4. ad 4, q. 23. de veritate ar. 3. & alibi ſæpe, vbi repetita eadem doctrina legetur, vt Caluini ſectarij tandem id audiant, & diſcant, aut obmuteſcant, ſileantque à fortiori illi, qui Angelicam D. Thomæ Scholam cum Tartareijs plane lupanaribus Caluini confundunt.

Quarto decimò, iſti (quos decipi potius nunc credere velim, quam velle decipere cæteros) eatenus putant aut putare ſe ſimulant nos cum Caluino in ea ſaltem diſtinctione conuenire de ſenſu compoſito & diuiſo, quatenus ipſi ſupponunt (licet falſo, vt vidimus) nos ſenſum diuiſum explicare diuidendo à voluntate noſtra motionem efficacem. Sed immo ipſi in defenſione ſuæ vocationis congruę ad hanc explicationem recurrunt, aut recurrant neceſſe eſt. Ergo ipſi potius (iuxta eorum diſcurſum) cum Caluino conuenire viderentur, quod ipſi non dicimus. Minor facilem habet probationem, nam poſita vocatione congrua (ſub qua in ſtatu conditionato voluntas noſtra conditionate conſenſura præuiſa eſt, iuxta ipſos, non tamen adhuc præuiſa vt consensura abſolute in ſtatu abſoluto) adhuc ipſi se ſuſtinere dicunt ſeruatam in noſtra voluntate potentiam ad diſſentiendum, ne dum conditionate, ſed abſolute; inquiro ergo, hæc potentia ſub ea vocatione congrua permanens ad diſſentiendum abſolute in ſtatu abſoluto, vel aliquando in ſenſu compoſito cum ea congrua vocatione eſt reducibilis ad actum diſſenſus, vel non; ſi primum, ergo nihil iuuante præſcientia media non eſt adhuc ea vocatio congrua certa de conſenſu futuro intento à Deo, quod ſane ipſi non dicent: Si ſecundum, ergo recurrant neceſſe eſt ad ſenſum diuiſum (quem accipiebat Caluinus) ſcilicet diuidendo & ſeparando eam congruam vocationem à voluntate, aliamque ponendo incongruam, & ſic explicando potentiam diſſentiendi in voluntate reducibilem ad actum diſſenſus, vt in minori noſtra dicebatur. Quomodo ergo è conuerſo nunc noſtris imponunt hanc ſiniſtram intelligentiam de ſenſu diuiſo, in quam potius ipſi deſcendant ſeu relabantur (iuxta diſcurſum hunc, atque eorum principia) neceſſe eſt? ex quo etiam diſſlata manet ea toties repetita obiectio eorundem in nos, *fruſtra eſt illa potentia, quæ nunquam reducatur ad actum,* quam obiectionem audio quendam facete irriſiſſe dicendo, & in homine vigilante ſuæque mentis compote adeſſe potentiam ſe dandi è turre præcipitem, quam tamen ab homine ſic vigilante ac ſanæ mentis nemo vnquam dicet eſſe reducendam ad actum. Sed aliud tu conſule, Lector, exemplum in S. Thoma q. 5. de potentia ar. 5. ad 7. in eandem rem. Vnde vno ver-

bo noſtri reſpondent potentiam proximam permanentem ad diſſenſum eſſe reducibilem vtique ad actum diſſenſus abſolute ſumptum, non tamen vt conjunctum vel coniungibilem cum actu conſenſus præincluſo formaliter eminẽter in motione Dei; nec ſane ratio eſt, cur ipſi dicant diſſenſum eſſe incompoſſibilem cum conſenſu vt præuiſo in præſcientia Dei, & nos pariter dicere non poſſimus eſſe incompoſſibilem cum eodem conſenſu, non abſolute, ſed vt prę-uolito in voluntate Dei, ideoque & præcontento in motione Dei, præſertim quia dum dicunt eſſe incompoſsibilem diſſenſum cum conſenſu vt præuiſo in præſcientia media, iam ſupponunt ſolum præſupponi conſenſum vt futurum conditionale in ſtatu conditionato, non vero vt futurum abſolute in ſtatu abſoluto, de quo tamen ſtatu abſoluto præſens in ipſos difficultas procedit &c. Aut ergo, velint nolint, iam relabuntur in ſenſum diuiſum, quem nobis falſo imponebant, aut ſua ipſorum obiectio non minus militat in eoſdem.

Quinto decimò, & ſi mentis noſtræ nullibi ſit aduerſatiam recentiorum ſentẽtiam cenſura aliqua ſubnotare (vti nec ipſis licet in noſtram, iuxta Pauli V. decreta) ſolum tamen vt pateat quam iniuſte opinentur nos ad aliqua hæreticorum principia affinitatem habere, (vt iterato Bail nobis imponit) licere nobis opinor hoc loco adhibere diſcurſum, quem adhibent, tum Lemos tomo 1. tractatu 2. cap. 2. tum Ioannes à S. Thoma diſputatione citata de voluntate Dei, tum Patres Carmelitæ Salmanticenſes, tum alij Thomiſtæ. Commune namque Pelagianis & Caluiniſtis principium hoc fuit, ab vtriſque pro maiori ſuppoſitum: *Si eſt neceſſaria gratia efficax Dei ad bonum*, ſcilicet ex efficacia diuini propoſiti, & non ex præuiſione conſenſus noſtri, *tollitur indifferentia libertatis noſtræ ad bonum*. Inde Pelagiani ſubſumebant minorem ſic, *ſed non tollitur indifferentia libertatis noſtræ ad bonum*, vt ipſi ſupponebant contra Manichæos. *Ergo* (inferebant Pelagiani) *non eſt neceßaria gratia efficax Dei ad bonum*, ſcilicet ex efficacia diuina propoſiti, non præſuppoſita præſcientia conſenſus, ſicut hic Pelagianorum diſcurſus ne dum conſtat ex hucuſque relatis Iuliani diſcurſibus, verum etiam ex Hilario & Proſpero in epiſtola vtriuſque ad Auguſtinum. Caluiniſtæ uero ſub eadem maiori ſubſumebant: *ſed neceſſaria eſt gratia efficax Dei ad bonum*, ſcilicet ex efficacia diuini decreti, non ex præuiſione conſenſus contra Pelagianos. *Ergo tollitur indifferentia libertatis.* Nunc certum eſt, ut expendit Lemos, iuxta Dialecticæ Canones, in unoquoque ſyllogiſmo in recta forma diſpoſito, vt iſte vterque supponitur, quod ſi falſa concluſio ſit, neceſſario inferratur alterutram præmiſſarum falsam eſſe. Eſt autem falsa in utroque præallato ſyllogismo concluſio utraque, quam uel Pelagiani vel Caluiniſtæ inferebant; Ergo & alterutra præmiſſarum falsa erit. Sed nõ minor, cum minor in ſyllogismo Pelagianorum opponatur directe cõcluſioni falsę Manichęorum & Caluiniſtarum, & minor in ſyllogiſmo Caluiniſtarum opponatur directè concluſioni falsæ Pelagianorum. Ergo neceſſe erit maiorem vtrique ſyllogismo communem falsam eſſe, ex quo velut ex fonte hi in diuersa extrema latera oppoſitorum errorum riui deriuati ſunt, & in qua velut in cauda hæ duæ extreme oppoſitæ hæreticorum claſſes, uelut Sampſonis vulpes, colligatæ erant, iuxta illud Innocentij III. in Concilio Lateranenſi cap. *Excommunicamus* de hæreticis, *hæretici quidem facies diuerſas habent, ſed caudas adinuicem colligatas*. Nunc, obſecro, videamus, non dicam quidem, ut

iterum

Digitized by Google

iterum dicam, quinam ex alterutra ſchola catholicorum magis cum hæreticis hiſce conueniant, ſed quinam ſaltem ab vtriſque diſtanti magis interuallo recedant. Recentes quidem aduerſantes nobis, quoad primum ſyllogiſmum Pelagianorum, conceſſa maiori & ſimul minori (quam minorem & ipſi concedimus contra Caluinum & Manichæos) laborant deinde, (& per me licet non fruſtra) in ſe diſcernendo quo ad concluſionem illatam à Pelagianorum aſſerto. Quo ad ſecundum vero Caluiniſtarum ſyllogiſmum conceſſa iterum maiori, nec quidem negant in omni ſenſu minorem, ut ſe denuo à Pelagianis diſcriminent, ſed in aliquo ſenſu concedunt, in alio negant, uti & nos in ſenſu Caluini negamus, in ſenſu catholico, tum Auguſtini, tum aliorum Patrum, tum S. Thomæ concedimus; inde negant conſequentiam, vti penitus negamus & nos. Quo ad hanc ergo Caluini minorem, quam recentes diſtinguunt, non omnimodè negant, non minus diſtinguimus nos, nec abſolute cōcedimus, atque in neganda ſimiliter conſequentia Caluini iam pares ſumus. Sed quæſo attende, quam longe magis nos vltro ne dum à Pelagianis ſed Calviniſtis in re propoſita recedamus. Nam nos vlterius adhuc maiorem illam, communem utriſque, & quæ utriſque tentatio fuit, abſolute negamus, vti & plane negatam fuiſſe in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. Canone 4. Theologicè diſcurrendo ſupponunt ac probant, ne dum Lemos, Ioannes à S. Thoma, ac cæteri plerique noſtri, verum etiam denuo Patres Carmelitæ Excalceati Salmanticenſes tomo 6. diſp. 7. dub. 4. num. 221. id latiſſime confirmantes, ſicque vno ictu nos exſiccato obturatoque fonte vtriuſque riui, exſiccamus & rivum vtrumque, & proſtrata vtriuſque tartareæ legionis arce (quam ſtare nobis aduerſi volebant ac volunt) triumphamus, & profligamus legionem vtramque. Quis ergo (vt iudicetur ingenue) magis, ne dum à Pelagio, ſed à Caluino recedere dicendus eſt? vix audeo hoc non obſtante ad hunc ſenſum in præſenti referre, quæ impreſſa licet iam vulgo leguntur (etiam in Lemos tomo 1. tractat. 6. cap. 1. & alibi iterato non ſemel) ſcilicet verba Duacenæ Cenſuræ aduerſus Leſſium de tunc recentium aduerſa appoſite explicatione dicentis. *Sententia hæc &c. Lutheri & Caluini & reliquorum noſtræ tempeſtatis hæreticorum ſententiam, dum ab ea videri vult quam longiſſime recedere, potentiusq; debellare, imprudens magis ſtabilit atque confirmat*, ob propugnatam nimirum maiorem vt arcem vtrique eorum ſententiæ communem. Recitabo duntaxat ipſe in rem eandem, quod de Manichæiſmo ex vna parte (cui in re propoſita de libertate negata conſentit & Caluiniſmus) & de Pelagianiſmo ex alia parte dicebat opportuniſſime Auguſtinus lib. 3. operis imperfecti cap. 178, dum Iulianus ſibi eodem modo Manichæiſmum imponeret, vti & modo nobis iſti Caluiniſmum imputant. *Ita nos*, inquit, *& Manichæos & Pelagianos ſuperamus atque vitamus, quorum ſic errores vtrorumque diuerſi ſunt, vt qui videtur minor*, ſcilicet Pelagianus, *ipſe illius, qui videtur maior, demonſtretur adiutor. Hinc*, vt prædixerat lib. 2. de nuptijs & concupiſcentia ad Valerium cap. 23, *ſicut Ariani, dum Sabellianos fugiunt, in peius aliquid inciderunt, quia Trinitatis auſi ſunt non ſolum perſonas diſcernere ſed naturas; ita Pelagiani dum peſtem Manichæorum in peruerſum vitare conantur, ipſis Manichæis conuincuntur pernicioſiora ſentire*, ſcilicet & ſuas hæreticas licet Manichæis contrarias, inferendo aſſertiones, & in eiſdē cum Manichæis conueniendo principijs, quę dum propugnant principia, ut

deſinunt Manichæis præſtare ſuffragia. Sic recognoſcendo hæc eadem ſua verba Auguſtinus lib. 5. in Iulianum operis imperfecti cap. 25. id exponendo in eundem Iulianum Pelagianum addebat. *Vos dum in perverſum fugitis Manichæos, in has impietatis tenebras incidiſtis, ut adiuuandis ipſis, quos fugiebatis, Manichæis neſcio quomodo per circuitum veſtri occurratis erroris.* Sic libro 3. eiuſdem operis imperfecti cap. 104. *Manichæi*, inquit, *quod videre non vultis, à vobis potius adiuuantur*, & cap. 172, *Manichæorum propriam vtroſamque ſententiam error vester adiuuat &c. Sed pergite & nobis calumnias de Manichæorum peſte molemini, vt eos faciatis inuictos, niſi & vos cum illis ea, quæ vero inuicta eſt, catholica veritate vinceremini.* Cap. 174. *Potius propter illa, quæ ſuperius dixi, quomodo Manichæorum non ſis adiutor, oſtende.* Cap. 175. *Tu dic ſi potes, quomodo non adiuves Manichæi verba ſacrilega.* Cap. 177. *Et contra Manichæos, & contra vos Pelagianos tanquam inuictiſſimum telum catholica fides fortiter iacit & vtroſque proſternit.* Cap. 178. *Eſt dogma Manichæorum catholicæ fidei vobis adiutoribus inimicum.* Cap. 179. *Et vos enim & Manichæos ſine dubio vincit Ambroſius.* Cap. 181. *Hoc eſt, quod Manichæos euertit & vos, qui non mecum, ſed cum Ambroſio certatis, quem Manichæis in hoc certamine oppoſui, in quo ſimul & ipſos vincit & vos.* Cap. 187. *Videtis igitur, & ſi videre non vultis, inſanos & perditos Manichæos, ne vobis adjuuantibus vincant, vobiſcum eſſe vincendos, immo adiuvante Domino vobiſcum eſſe iam victos.* Cap. 208. *Vos neſcientes ſuffragamini Manichæis.* Cap. 213. *Vos adiuuatis Manichæos.* Et cap. 217. quod eſt libri 3. poſtremum. *Etiam tardiſſimis liquet me demonſtraſſe, non ſolum quod ego ſim Manichæorum inimicus errori, eorumque nefaria dogmata Deo veritatis opitulante ſubuerterim, ſed etiam quod vos Manichæorum tantum adiuuatis inſaniam, vt ſe omnino gloriarentur inuictos, niſi catholica fide, quam Deo miſerante defendimus, non per vos, vel à vobis, ſed vobiſcum potius vincerentur & ipſi.* Similia penitus habet lib. 4. ſequenti cap. 1, 2, 23, 28, 50, 64, & 72. elegantiſſime inquiens. *Ego non opus habeo auxilio Manichæi, ſed potius contra eum pugnans, auxilium, quod tu ei præſtas, expugno auxilio Dei.* Et cap. 74, 93, & 105, vbi appoſite de libertate negata à Manichæis ſermo erat, & cap. 108. ita reſpondet. *Quid? quod oſtendo debellantem Manichæos pro catholica fide Ambroſium, & te in hoc certamine contra Ambroſium præbere Manichæis vel victis ſolatium, vel etiam reſiſtentibus, quod peius eſt, auxilium.* Eandem repetit intorſionem Manichæiſmi in Iulianum lib. 5. pergentis eiuſdem operis cap. 1, 5, 20, 25, 30, & cap. 41. manifeſte, dum Iulianus opponeret liberi arbitrij deffinitionem, ne motus ſecundi liberi in primum liberum reduceretur, reſpondet Auguſtinus. *Tantum adiuuas Manichæos &c. vt te patronum ſui gratulentur erroris, niſi cum eis & ipſe vincaris.* Et cap. 43. de eadem omnino re. *Manichæi eſt iſta concluſio veniens illi, Iuliane, de adiutorio tuo*; & tandem, ne vltro prolixior ſim, cap. 54. repellens eandem de Manichæiſmo calumniam circa primam actus voluntatis originem, inquit, *tanquam in arce Manichæum hæreſis veſtra conſtituis, ex qua & illum ſimul & vos veritas deijcit, ſeu detecit*, vti & iam oppoſite communem fuiſſe Caluiniſtis, qui in hoc puncto Manichæi fuerunt, & Pelagianis vnam eandemque illius maioris arcem Magiſter Lemos cum alijs antea præmonebat.

Sexto decimò hinc non immerito (dempto Bail pauciſque reliquis) plerique ſaniores etiam ex aduerſa nobis ſchola recentes, re vel maturius vel ſincere

cere

cere perpenſa, viderunt non poſſe diſcipulorum etiam D. Thomæ ſententiam cum aſſertione vel explicatione Manichæa Caluini confundi, quin catholicos iſtos infamando abſoluatur incautè ab errore aut damnatione Caluinus. Certum eſt enim apud omnes omnino diſcipulorum D. Thomæ ſententiam, in hac etiam parte de libertate & gratia, non fuiſſe in Tridentino proſcriptam, vti dimiſſis ijs, quæ expenderunt nouiſſime Salmanticenſes tomo 6. diſpu. 7. dub. 3. num. 106, & præter ea, quæ ipſi iam ſupra dedimus de approbatione doctrinæ S. Thomæ apud Patres Tridentini Concilij lib. 3. q. 6. art. 2. per totum, & præter decreta Pontificum prohibentia in noſtram ſententiam in hac ipſa materia cenſuram, & præter Molinam, Annatum, & alios fatentes ſolum poſt Tridentinum propriam ſuam per ſcientiam mediam aduerſam nobis explicationem excogitatam fuiſſe, & adhibitam, præter, inquam, hæc omnia, iam veritate coactus & ipſe Bail in præſenti fatetur noſtram non fuiſſe tactam doctrinam ibidem, vt patet ex eiuſdem verbis in allata ſua obiectione fecunda tranſcriptis. Sed rurſus conſtat ex aduerſo in hac materia Caluini ſententiam ab eodem Tridentino Concilio fuiſſe damnatam. Ergo concedere neceſſe eſt longe diuerſam, non eandem eſſe, nec confundendam in hac ipſa materia diſcipulorum D. Thomæ ſententiam cum illa Caluini; aut ſi quis id ſentire proterue præſumat, & profiteatur hic neceſſe eſt non fuiſſe damnatam Caluini ſententiam, quod vt dicebam, iam eſſet ne dum catholicos calumniari Theologos, verum & ſimul hæreticos liberare à cenſura, quod quantum ſit cuilibet catholicorum abhorrendum, nemo niſi inſanus non percipit, nemo niſi voluntarie cœcus non videt. Hinc, vti mox antea præmittebam, ſaniores celebrioreſque ſcriptores, qui licet è Schola D. Thomæ non fuerint, ſua poſt Tridentinam Synodum opera promulgarunt, hoc manifeſtum inter Caluini errores & veram Thomiſt. de gratia & libertate doctrinā viderūt diſcrimen, ſuiſq; vulgatis ſcriptis ingenue confeſſi ſunt. Sic omnes illi è ſapiētiſſima Societate, qui ne dum noſtram vt ſuauiorem laudarunt, verum etiam nobis aduerſam à Molina introductam repudiauerunt, vt loca eorundem aut teſtimonia recitauimus antea in ſuperiori quæſtione art. 1, nempe Henrici Heriquez, Claudij Typhanij, Michaelis Manci, Vaſtidæ, Patris Heruati, Azorij, Ioannis Philippçi, Marianæ & aliorum. Sic duo ex eadem Societate Cardinales aſſumpti, Bellarminus, & Pallauicinus, iſte quidem lib. 8. hiſtoriæ Tridentini cap. 13. num. 3. ſecernens longe ab explicatione Caluini noſtram explicationem, perperam à Pſeudo Petro Polano confuſam, ille vero, quem vltro Bail tomo 2. pag. 306. appellabat *Doctum æque ac Sanctum*, Bellarminus, inquam, ne dum lib. 4. cap. 16. noſtram cum S. Thoma ſententiam *probabiliorem* nominat, ac tuetur, verum etiam lib. 1. de gratia cap. 12. oppoſitam vocat, *alienam à ſententia Auguſtini & abutentem voce gratiæ efficacis*. Sic duo alij Cardinales alieni à noſtro inſtituto, Contarenus atque Baronius, iſte nulli in eruditione ſecundus, annaliumque parens, quæ poſt Tridentinam Synodum adornauit, tum in epiſtola exſcripta apud Petrum Matthæum tomo 2. lib. 7. & fuſius apud Gonetum in Manuali tomo 1. tract. 4. §. 10, tum in tomo 6. Annalium ad annum 490. num. 32, de nobis a duerſis, *videant*, inquit, *quanto periculo quidam ex recentioribus, dum in Nouatores inſurgunt, vt eos confutent, à S. Auguſtini ſententia recedant*: Contarenus ſimiliter ſuo calamo poſt Tridentinam Syno-

Synodum celeberrimus in libro de Prædeſtinatione folio 610, *orti ſunt*, ait, *quidam, qui ſe Lutheranorum hoſtes atque aduerſarios, catholicæque veritatis patronos profitentur, qui ſtatim atque de naturæ humanæ imbecillitate de arbitrij ægritudine verba ad populum fieri audiunt, Lutheranorum doctrinam eſſe clamant, hominem paulatim extollunt, diuinam gratiam deprimunt, ipſi ex Catholicis Pelagianos ſe faciunt*. Quid de Ripalda, & Annato è Societate hac noſtra ætate ſcribentibus, qui licet vbi aduerſus noſtros pro ſuo Molina præliantur, vel defenſionis periculo acti, vel feriendi prurigine excitati, aut dumtaxat ſpe diuerſionum impulſi, vel tandem æſtu diſputationis abrepti, ſimulent ſe non videre noſtram inter catholicam ac Caluini hæreticam explicationem diſcrimen, ille quidem diſputatione 4. de præſcientia media cap. vltimo, iſte tomo 2. diſput. 118. ſection. 9, vbi tamen ab ineundo nobiſcum prælio diſcedunt, exemptique ab ira aut vindicta, affectionibuſque quieſcunt, pacato animo ſinceraque mente rem intuentes, & ipſi veritatem confeſſi ſunt, nec negarunt, *nullos huic, ſcilicet Caluiniſticæ, doctrinæ infenſiores reperiri, quam qui poſt natã Caluini hæreſim ex S. Dominici Ordine, alijſque eiuſdem Sacramenti ideſt Thomiſtarum Theologis, maiori eruditionis & ingenij laude floruerunt*, vt loquitur Stephanus Decamps ex eadem Societate lib. 2. de hæreſi Ianſeniana diſp. 6. cap. 9, & nominatim Ripalda in opere contra Baianos diſp. 14. lectio. 5. præmittit, *Thomiſtas à doctrina Caluiniana longe diſcedere fas non eſt negare*, idemque aſſerit infra & exponit num. 38. nec minus nominatim idem Annatus ore rotundo non ſemel idipſum confeſſus eſt, tum in libro de libertate incoacta pag. 226, tum libro 4. contra Baianos cap. 8. §. 7. n. 4, tum in repetitione ad epiſtolam 117. Montaltij, tum in Cauillis Ianſeniſtarum pa. 29. vt in Manuali thomiſtico exſcribit ſingula verba vbi ſupra Gonetus, adeo vt non immerito quo adhoc poſtea Dionyſius Raymundus (qui ex noſtris non erat) par. 1. cap. 4. ar. 9. concluſerit, *neceſſe eſt frequentem libri Ianſenij lectionem quibuſdam huiuſmodi oculos aperuiſſe, cum ex eo tempore, quo prodijt, recte perceperint, quantum Thomiſtarum doctrina ab errore Caluini differret, ea parte, qua ad prædeterminationem phyſicã ſpectat, nec deſtrueret libertatem*. Quid tandem de Bailio Pariſienſi, cum quo rem agimus in præſenti, dicemus? qui vel vbique immemor ſui, vel ſuas voces ignorans, agnoſcit & ipſe ac laudat tum in ſuo tomo 2. pag. 324 nominatim Patrem Martinonum ut authorem libri inſcripti, *Anti Ianſenius*, tum pag. 823. nominatim Stephanum Decamps ut authorem operis de libero arbitrio contra Baianos, & eadem pag. Patrem Annatum vt authorem libri *de Cauillis Ianſeniſtarum*, & pag. 825. eundem Annatum in libro ſcripto, *Ianſenius a Thomiſtis condemnatus*, quos certe ſi laudat neceſſe eſt etiam vt laudet idipſum, quod illi ſcripſerunt ibidem, doctrinam ſcilicet Thomiſtarum longe ſimul à Ianſenio & Caluino recedere; tum iterum idem Bail pag. 824. non minus commendat opus a quodam noſtro vulgatam hoc titulo. *Diſcrimina inter doctrinam Thomiſticam & Ianſenianam* (quam Ianſenianam Bail idem eandem cum Caluiniana ſupponit ibidem & alibi ſæpe) *authore Patre Bernardo Guyard Doctore & Profeſſore in Conuentu S. Iacobi, editum Pariſijs anno 1655*, inter alia concludẽs: *quæ ergo conuentio Thomæ ad Ianſenium? quænam a fortiori ad Caluinum?* tum eadem pagina 822. de Ianſeniſtis & à fortiori de Caluiniſtis hęc habet idem Bail: *quod autem prætendant Ianſeniſtæ ſe nihil docere aliud, quam quod docent recentiores Thomiſtæ, falſum eſt &c.*

Tho-

Thomiſta enim admiſſo antecedente ſaltem quo ad aliquid, negant ſequelas omnes, quia admittunt gratiam ſufficientem omnibus communem, & gratiam efficacem, quam omnibus non concedunt, volunt non excludere libertatis indifferentiam: tum demum pagina iterum 825. de Campanellæ libro ſermonem habens inſcripto, *Nuncius ad Caluinum quod Thomas non erat cum eo*, ſubdit ipſe Bail, *quamuis minime neceſſe fuerit nuncium mittere ad Caluinum, quod D. Thomas non erat cum eo, cum id non ignorauerit ipſe Caluinus lib. 3. inſtitutionum cap. 22.* Hæc ipſe Bail. Si ergo nec id ignorauit ipſe Caluinus, vt modo fatetur, quomodo poſtea ne dum ignorat ipſe hoc idem, ſed ferme neſciens quid inde loquatur alibi idem Bail Orthodoxam D. Thomæ ac Thomiſtarum doctrinam eum heterodoxa Caluini confundit? An forſan aliter deinde ipſe penitius aut verius, quam tot laudati Doctores ac S. Thomæ diſcipuli verique Thomiſtæ, ſe intellexiſſe doctrinam S. Thomæ præſumit, qui exercitatus adeo in aſſidua D. Thomæ lectione conuincitur, vt neque ſciuerit commentaria Angelici Præceptoris in Magiſtri ſententias non *in tractatus* ſed in diſtinctiones cum adiunctis quęſtionibus diſtributa eſſe, dum contra ipſe in tomo 2. eadem pag. 825, vt ſuam falſam intelligentiam ex S. Thoma probaret, recenſet *S. Thomam in 1. Sentenc. trac. 25.* O ingenuum, ò feruentiſſimum S. Thomę diſcipulum! An ne potius ea ſua verba ſibimet recanere potuiſſet, quæ in alios ſapientiores quoſdam, & ſi non noſtros, Theologos intorquebat tomo 2. pag. 807. ſic ſcribens. *Multi cenſorum munus ſibi arrogant, qui rem, de qua agitur, ſatis perſpectam non habent, nec ipſam intime ac penitiſſime vt dicitur peruadunt, prius enim quam iudicium de cauſa feras, temperandum eſt ab affectibus, & eius diſcutioni ac introſpectioni diligenter inſiſtendum, ut de ſcriptoris mente, non ex plagulis aliquot detruncatis, ſed ex textura totius ſcriptionis pronuncies, ne in peruerſitatem calumniandi aliena ſcripta incurras.* Hæc Bail. Sed hæc (repeteret, vt ſæpe repetit Auguſtinus Iuliano) *hæc tibi dic, hæc vobis dicite.* Dum nempe ex prauo vtique affectu in S. Thomæ, & Auguſtini diſcipulos, vti Iulianus olim Auguſtino eidem Manichęiſmum improperabat, ſic tu modo iſtis Caluiniſmum imponis, qui Caluiniſmus idem omnino cum Manichæiſmo in re propoſita eſt, vt ſcite aduertit, & probat Magiſter Lemos tomo 1. trac. 2. cap. 2, ſicque dum dicis ſimul & lucem tenebras, & tenebras lucem, ſimul hæreticos confundendo Catholicis, & iſtos iniuſte damnare contendis, qui damnandi ſine dubio non ſunt, & illos abſoluis iniuſte, qui iuſtiſſime olim fuere damnati. *Tu itaque* (inquit apposite pro ſe & ſimul pro nobis de eadem omnino re Auguſtinus lib. 6. in Iulianum operis imperfecti cap. 28.) *nobis iungendo Manichaos* (vel quod eſt idem, nunc Caluiniſtas) *anathematizandos atque damnandos, etiam eorum ſubleuas cauſam*, vt ab initio huius probationis oſtendebatur, & demum ſic incaute, vt claudam, quod Auguſtinus ad idem aiebat lib. 4. eiuſdem operis cap. 56. *Calumniator catholicorum & adiutor Manichaorum*, ſeu Caluiniſtarum, vel eſſe cogeris vel videris.

Decimo ſeptimò tandem non grauabor adhuc, hoc non obſtante, referre quorundam in re propoſita excuſationem, ad hoc vnicè refugientium, vt dicant, nec inficientur (in hoc ad minus ingenui) ſe ipſos aut ſuos quoſdam ad hanc in nos accuſationem vel veram vel falſam fuiſſe pro amolienda à ſe ipſis Pelagianiſmi ſuſpicione compulſos, neceſſitate ſuæ defenſionis, ſi non vindictæ in alienos. *Bannes enim Dominicanus* (inquit aliorum nomine non ignoti

nomi-

& idoneis ad gloriam conſequendam mediante gratia & libertate ſua deſtinauerit & propoſuerit è nihilo educere & creare, quot volebat eſſe, qui gloria ſua fruerentur. Verum cum ex illa multitudine hominum creandorum in eadem æternitate præuideret multos deffectu cooperationis liberi arbitrij, iuſtitia ſua id exigente, à gloria excludendos, alios rurſus è poſsibilibus hominibus creare propoſuit, pares numero illis, qui primo excludendi præuiſi ſunt. At quia ex ijſdem iterum præuidit plures iterum excludendos iuſtitia ſua id exigente, propter præuiſum eorum defectum liberæ cooperationis, alios ſimiliter è poſsibilibus educere in lucem propoſuit; ac ita deinde donec tandem tot homines crearet, quot ex eiſdem, qui creandi erant, haberet numerum illum præfixum prædeſtinatorum. Hinc inquit ibidem aſſertione tertia. *Prædefinitiones Dei circa actus liberos hominis diſiunctiuæ ſunt: itaut ad vnum ex duobus ferantur, ſcilicet quod homo vel actus bonos eliciat, vel pænam & damnum incurrat, atque cum ex duobus his alterum infallibiliter euenerit, ſemper Dei voluntas impleatur, retineatque hoc modo dominium ſuum in homines,* ſcilicet voluntas ex parte Dei ſuſpenſa in ordine ad hunc vel illum hominem prædeſtinandum ſolumque antecedenter determinata ad numerum formalem tot hominum beatificandorum vt ſic: hinc addit aſſertione 6. *præſcit Deus ab æterno actus liberos & morales hominis, non in ſua diuina voluntate ſimpliciter ſpectata, quia indeterminata eſt, ſed in ſua voluntate determinante creationem hominum in tali ſtatu & occaſionibus ac circumſtantijs rerum externarum eum eius temperamento ac diſpoſitione interiori;* Inde demum concludit. *In futurorum præuiſione in electos Deus ex ſumma gratia eos creare propoſuit, licet alij multi eſſent in pari ſtatu futuri,* ſcilicet ex poſſibilibus, *quos creare noluit ex altitudine ſapientiæ ſuæ, ex qua etiam ſtatuit creare eos, quos præuidebat minime ſuæ gratiæ cooperaturos, ac ſic damnandos, ſed propria culpa, vt miſericordia eſſet quod crearentur iuſtitia quod damnarentur &c. neque vllam ſic neceſsitatem imponit Deus libertati humanæ, ſed veluti eam cum quadam reuerentia habet, ac velut florem aut gemmam, vt ſic loquar, delicato quodam contactu eam tractat.* Hucuſque egregie Bail, quod quæſo dijudicent alij, ad quos attinet, an non ſit hoc rationem gratuiti in prædeſtinatione particulari vnius præ alio in puram putamque creationis gratiã reuocare, quemadmodum ne dum concedebat Pelagius, vt refert ac damnat Auguſtinus epiſt. 105, & alibi ſæpe, verum etiam Maſſilienſes per omnia philoſophari viſi ſunt apud Hilarium & Proſperum in epiſtola ad Auguſtinum? an hic ſaluetur, quod toties Auguſtinus ex aduerſo inculcat ex Apoſtolo Paulo, non in ordine ſolum ad gratiam creationis, ſed in ordine ad veram gratiã, qua *Chriſtiani ſumus,* & quam prædicarunt ſcripturæ, Concilia, & Patres, *quis te diſcernit &c.* An non hic valeant, quæ tam robuſte perpendit Lemos iuxta Auguſtini principia & Conciliorum, tum alibi ſæpè, tum præſertim tomo 2. in act. vltimo per totum? an non idem, quod modo Bail intendit, intenderit etiam Abailardus relatus ac reprobatus ab impugnatore eiuſdem Abailardi lib. 3. (vt refert idem Bail tomo 2. pag. 560.) *gratiam illam, qua ſaluantur electi, communem omnibus eſſe?* an tandem id non ſit probabili alioquin hypotheſi præſcientiæ conditionatorum ante decretum abuti, vti & Maſſilienſes, fatentibus è Societate ſcriptoribus, eadem pariter abutebantur? Sed pergamus ad alia in eodem Bail cæterorum iudicio linquenda, & quidem quo ad minus exeultam D. Auguſtini authoritatem in hac ipſa materia legi poteſt in in tomo 2. pag. 162. vbi de Fauſto Regienſi primipilo inter impudentiſſimos

Auguſtini criminatores, poſt excurſos duos eiuſdem Fauſti de libero arbitrio libros, concludit, *ex paucis iſtis excerptis agnoſci poteſt ipſorum puritas, cum omnia ad hos ſenſus, reducenda ſint ab æquo Lectore*, & quo ad Gelaſium, Prudentium, & alios, ſupponit ab his reprobatos alios anteriores Fauſti libros, non hos poſtremos, ideoque fortaſſe etiam tomo 2. pag. 167. in decreto Gelaſij legebat nomen *Fauſtini Regenſis* pro Fauſto Regenſi, vt legi debet, & pag. 293. eoſdem Fauſti marcidi Semipelagiani libros catholicos eſſe tutatus eſt. Legatur eodem tomo 2. pag. 160, vbi de Concilio Arelatenſi tempore eiuſdem Fauſti contra Lucidum anno 475 celebrato, ſupponit ipſe Maſſilienſes ad annum 430. poſt ſcriptos ab Auguſtino libros de Prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeuerantiæ, adhuc affinxiſſe eidem errorem Prædeſtinianorum &c. *quod*, inquit, *alij dicti Prædeſtiniani non ferentes, cum bene affecti eſſent ad D. Auguſtinum, dogmata illa, quæ illi Maſſilienſes improperabant, cæperunt ſine debito ac ſufficienti examine, an vere eſſent Auguſtini, defendere, vt illius cauſam ſuſciperent*; & idcirco infra arbitratur, *hanc hæreſim Prædeſtinianorum vere extitiſſe ſub Præſulatu Cæleſtini Papæ*, vti & mox ante præmiſerat, *incæpiſſe ſub finem vitæ Cæleſtini Papæ & Auguſtini circa annum* 430; quo ſane tempore cum ſcripſerint pro Auguſtino vindicando à Maſſilienſium calumnijs Proſper, Poſſidius, & alij S. Auguſtini diſcipuli, tum in Collatorem, tum ad Capitula Gallorum, tum ad obiectiones Vincentianas, hos plane velut Prædeſtinianos denotare videtur, & vix inde laudans aut laudari ferens eodem tomo 2. pag. 129. eundem D. Auguſtinum à Poſſidio eodem tempore, vt refert, commendatum velut debellantem *Donatiſtas & Pelagianos*, ſubiungit ipſe Bail: *Hæc ibi Poſsidius, quæ tamen non obſtiterunt, quo minus ex eiuſdem Auguſtini doctrina Pelagianis aduerſa, cum non bene a quibuſdam capitur, occaſio orta ſit aliarum hæreſum, de quibus infra dicendum erit*, ſcilicet vt mox retulimus. Hæc ille ſtrenuus D. Auguſtini & Sanctorum diſcipulorum eiuſdem defenſor aut encomiaſtes. Nec his contentus, vt aliqua iterum de proximioribus temporibus ſubnotaret, quibus ſub Alexandro VII. quinque Ianſenij dogmata proſcripta ſunt, hunc *Pontificem*, ait pag. 925, *abſtinere voluiſſe ab illa clauſula*, quod Ianſenius à mente D. Auguſtini aberraſſet, *ad tollendam quorundam remoram ad ſubſcribendum; tum quia*, inquit, *non erat neceſſaria, nec tantum vult tribus ſuis ſcriptis D. Auguſtinus, maxime vero, quia id non fuit Romæ examinatum, nihil autem inſeritur ſine prævio examine in conſtitutionibus Pontificijs*. O ſumme peritum interpretem diplomatum editorum ab eodem Pontifice Alexandro, de quibus nos ſatis egimus ſupra lib. 3. q. vltima art. 2. & aliqua in quæſtione ſequenti pro *inconcuſſa* eiuſdem Auguſtini & Aquinatis doctrina ſubdemus! O prudentem maturitatis Apoſtolicæ laudatorem, qui neſcit prius, vel neſcire ſe ſimulat, toties per *viginti Pontifices*, vt Cardinalis Baronius loquebatur, bene agnitam in hac materia præſertim & approbatam ſemper manſiſſe eiuſdem Auguſtini doctrinam. Verum qui tantum pro decretorum maturitate zelum ſe habere nunc ſimulat, quæſo, quid contra alibi ſcripſerit poſtea minus honorificum Apoſtolicæ Sedi, nunc videamus. Tomo 1. pag. 459. de materia beneficiorum, poſt plura exaggerata vt abſurda in Eccleſia, concludit, *hæc & alia videntur in Dei Eccleſia reformanda*; eodem tomo 1. pag. 249. etſi probe ſciret Synodum quintam generalem Collatione 5. appellaſſe *Blaſphemias Theodoreti*, & paulo poſt damnauiſſe, *quæ*

Theodoretus impie conſcripſerit &c, audet ipſe de eiſdem Theodoreti ſcriptis contra 12. *Anathematiſmos* Cyrilli hoc modo concludere, *quæ fuerit eius, ſcil. Theodoreti mens, & ſenſus, non ita patet, quin locus relictus ſit varijs ea de re ſententijs*; pag. 326. eiuſdem tomi 1, poſt narratum exemplum Honorij I. ea de cauſa, vt narrat ipſe, in 6. Synodo proſcripti, quia in cauſa Monothelitarum vtrique parti hæreticorum & Catholicorum pro tunc ſilentium impoſuiſſet, id adaptat non minus Vrbano VIII. non damnanti ſtatim propoſitiones in Ianſenij tunc edito libro contentas, ſolumque interdicenti lectionem eiuſdem, & ſic ſcribere non veretur. *Prodijt Auguſtinus Ianſenij Iprenſis Monotheliſmum renouans &c. Placet nouitas pluribus, diſſenſio oritur, contra hæreſim inclamatur. Trahunt plures ex nouatoribus etiam ipſum Summum Pontificem, qui in neutram partem pronior viſus fuerat, in ſuas partes: donec Innocentius X. conſtitutionem edidit, quæ ſe vni parti, abdicata alia, addicit.* O fortem Apoſtolicæ Sedis propugnatorem ſimulque laudatorem? in tomo 2. non minus prodigus encomiaſtes eſt, dum pag. 209. ex aduerſo taxare non erubeſcit procliuem nimis in Anathematiſmos Eccleſiam: *Quæri poteſt*, inquit, *de multis articulis, an Papa poſſit ſuſpendere Anathemata, relicto vnoquoque ſuæ conſcientiæ &c. vt quidam putant de proceſſione Spiritus Sancti à filio, de tranſubſtantiatione, & pluribus alijs &c. res eſt certe grauiſſima ob querelas hæreticorum de multitudine Anathematum, per quæ multi ſeparantur ab Eccleſia Romana.* O ſibi conſonum in mox taxato ſopore cenſorem? O firmum ac ſtabilem deffinitionum Eccleſiæ ac Canonum defenſorem? Tandem (vt alia demittam, cum me iam tædeat, pudeatq; vel has voces audire, quas ſolum dijudicandas cæteris exhibemus) pag. 828. de damnatis ab Alexandro VII. quampluribus in materia morali propoſitionibus, non formidat iuxta hæc ſua falſa principia perquirere, *an hæ propoſitiones falſæ ſint habendæ ex vi decretorum Alexandri VII.* nec timet tandem pro eneruanda earundem damnatione ſic inter alia concludere. *Aliqua doctrina non ſolum dubia & probabilis, ſed etiam certa & vera, quando per accidens eſt pernicioſa & ſcandaloſa, interdici poteſt, vt conſtat in Biblijs Sacris vulgaris idiomatis, quæ interdicuntur & ſi doctrinam fidei & morum contineant.* O dignas vtique illas venerandas propoſitiones Romæ proſcriptas, quæ cum Sacris Biblijs conferantur? O dignum pro Eccleſia Sancta Dei Conciliorum Summiſtam? O dignum tandem doctrinæ S. Thomæ ac Thomiſtarum arbitrum & cenſorem? *Age ergo vt placet* (repeteret Auguſtinus Iuliano lib. 4. in eundem cap. 76.) *dic quod placet, vel illis etiam, quibus places. Dic* (vt præmiſerat lib. 3. cap. 53.) *dic quod dicturus es, egregie corrector,* dum nunc tuas præallatas obiectiones (& ſi proſtratæ iam iaceant,) quia tamen ſapientibus & inſipientibus debitores ſumus, parati ſumus adhuc per ſingulas ſuperabunde diſſoluere.

ARTICVLVS III.

Argumenta ſoluuntur in primo articulo recitata.

AD primum igitur, præterquamquod præcipua Dialecticæ portio in tyrunculos etiam docendo conſiſtit, quomodo præmiſſæ non ſemel in

aliquo ſenſu veræ concedi debeant, in alio ſenſu diſtingui ac negari, vt poſſit exinde falſa concluſio illata reſcindi, ruantque proinde, quæ in probationem aſſumpti extra rem condenſabat Bail; adeout hic Auguſtinus repetere, quod de contraria Dialectica Iuliani dicebat lib. 3. in eundem cap. 31. *Itaquæris vnde libros loquaciſsimos impleas, vt etiam Dialecticam, vbi opus non eſt, lectores eorum docere coneris, quæ tamen* (vt ſubdit cap. 32.) *Dialectica iſta tua te tam ridiculum quam iactanticulum facit &c*, præter hæc, inquam, ab eodem Bail adhuc ſubinquirendum hic manet; Cur ergo non derelinquit ipſe principia Maſſilienſium, qui eandem præſcientiam conditionatorum non innixam propoſito aſſumebant? cur immo inculcat & ipſe eadem aduerſus nos argumenta, quæ, vt in ſuperiori quæſtione ar. 3. iam vidimus, aduerſus Auguſtinum, iſdem Maſſilienſes vrgebant? cur eam maiorem in vtroque Pelagianorum & Caluiniſtarum ſyllogiſmo communem, quæ eiſdem *tentatio fuit* (vt eius verbis vtan ur) *aut ovum, ex quo ſuas hæreſes excluſerunt*, cur ipſe non reſpuit ſed amplexatur? cur eiſdem ab eodem admiſſis principijs negat poſtea adhuc ad minus conſortes eiſdem Maſſilienſibus, hoc non obſtante, illationes? cur ergo non approbat ſaltem, quod referente eodem tomo 2. pag. 786, *Doctor ex Thomiſtis pertractans diſcrimina inter doctrinam Thomiſticam & Ianſenianam, ſeu Caluiniſticam, aiebat. Germanus & Gallus Apoſtata viderunt, primam gratiæ efficacitatem, ſed ex principio ſano non infirmas tantum, ſed mortiferas conſequentias deduxerunt. Caluinus ſcilicet & Ianſenius &c. ſic ex eodem puncto quædam lineæ in Orientem, aliæ verſus Occidentem protrahuntur. Sic idem Sol ceram liquefacit & lutum indurat, ſic palato non ſano pœna eſt panis qui ſano eſt ſuauis, & oculis ægris odioſa lux, quæ puris eſt amabilis &c. Quis neſcit ex ſimili per media diſsimilia poſſe diſſimile naſci?* Cur hæc non videns ſibi non minus, vt modo vidimus, neceſſaria eſſe, irridet ex aduerſo noſtros, in pag. 321, ex eo quod negent illegitimas Caluiniſtarum ex aliquo non falſo alioquin principio illationes? ac ſi de ſuis in ordine ad Maſſilienſes, potius quam de noſtris in ordine ad Prædeſtinianos, ea per ironiam iactata ſua verba repetere non expediret: *Feliciora ſunt quorundam ingenia, qui ſimilem nexum tam facile diſſoluunt, ac ſtuppæ filum, & conſequenter ſe loqui putant, priori admiſſo negando poſteriora, &c.* Nunquid ipſi nobis aduerſi nunc vno ore non dicunt ac confitentur Maſſilienſes etiam communẽ habuiſſe præſcientiam conditionatorum decreto priorem, ſolumque in abuſu eiuſdem hypotheſis aberrauiſſe, vt ſe nimirum diſcriminent ab eiſdem? nunquid (vt hoc ipſum excuſent) non approbant ea Gelaſij verba in libro de vinculo Anathematis opportunè pro eiſdem aientis? *nunquid in ipſorum hæreticorum libris multa, quæ ad veritatem pertinent, non leguntur? nunquid iam veritas refutanda eſt, quia illorum libri, vbi prauitas eſt, refutantur?* Verum, & ſi quidam ex noſtris hunc illis præcipuum, vnicumque, pro nobis etiam ſoluendi modũ adaptent, nobis tamen nec iſte neceſſarius eſt, cum per tot præallata diſcrimina viderimus iam etiam Caluini, ac Sectariorum principia longo interuallo à noſtrorum principijs remota eſſe, vt bene vidit ante Ioannem à S. Thoma & alios primus omnium noſter Magiſter Lemos tomo 1. p. 2. trac. 4. cap. 17. id obſeruans ac dicens: *Non tantum Caluinus errauit in illatione & conſequentia, ſcilicet in hoc quod ex efficaci Dei præueniente motione intulit ablationem ſeu læſionem noſtræ libertatis (quod a multis audio prolatum arbitrantibus ipſum ſolum in illatione &*

con-

conſequenti erraſſe) ſed etiam errauit in antecedente, modo præexplicato, quia veram efficaciam gratiæ, ſeu ueram præuenientem motionem Dei, & verum gratiæ adiutorium non admiſit, vt manet oſtenſum; Gratis tamen admiſſo (quod non concedimus) ſeu dato aliquem aucupaturum aliqua verba in Caluino ſimilia ſeu in Caluiniſtis, quibus, vt præmonebat Hieronymus epiſtola ad Pammachium & Oceanum, *hæretici ſic verba temperant, ſic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, vt & noſtram & aduerſariorum confeſsionem teneant, ſeu tenere videantur, ut aliter hæreticus, aliter Catholicus audiat*, hoc gratis, inquam, permiſſo, adhuc longe hæc minus conuenientia teſtimonia eſſent, ac forent illa, quæ olim Iulianus Pelagianus ex epiſtola quadam Manichæi exſcripta afferebat, ac conferebat cum verbis Auguſtini, vt exprobraret eidem Auguſtino cum Manichæo conſenſum, cum quo Manichæo, vt ſæpe diximus, in re præſenti Caluinus eſt idem. Sic enim (vt refert ipſe Auguſtinus libro præſertim 3. operis imperfecti in eundem Iulianum à cap. 173.) in cap. 174. exſcripta Manichæi epiſtola ad filiam ſuam, inter alia Iulianus comparabat ea Manichęi verba, quibus ad ſuam hæreſim comprobandam Manichæus vtebatur, *Quod naſcitur de carne caro eſt, & quod de ſpiritu ſpiritus eſt*, comparabat, inquam, cum eodem omnino teſtimonio Ioannis 3. quo pro vulneratione liberi arbitrij ex originali peccato etiam Auguſtinus ſæpiſſime vtebatur; cap. 177. confert ad idem adhibita à Manichæo illa ſcripturæ verba, *Radix omnium malorum concupiſcentia*, & ea non minus Apoſtoli, *caro concupiſcit aduerſus ſpiritum*, cum eodem vtrinque teſtimonio pariter adhibito paſſim ab Auguſtino; cap. 179. illud aliud ex Apoſtolo teſtimonium ad Romanos, à Manichæo ſimiliter vſurpatum, *non bonum, quod volo, ago, ſed operor, quod nolo, malum*, & ex pudore argumentum, quod concupiſcentes *ſecretis pudoribus gerunt*, vti & Auguſtinus in Pelagianos vrgebat; ideoque inquit ad Auguſtinum Iulianus. *Tanto Magiſtrum tuum Manichæum amore amplecteris, vt non ſolum itineribus eius, ſed etiam veſtigijs inſiſtas, quod tu omnibus ſcriptis aſſeris, ſicut & illi, quos ad Marcellinum nomen edidiſti de concupiſcentia libri, & iſti teſtantur, quos ad Valerium deſtinaſti, item videlicet concupiſcentiam carnis, quam etiam pudendam vocas, per Diabolum admixtum eſſe humanis corporibus, & hanc eſſe peccati filiam atque aliorum peccatorum matrem* (vti & Manichæus ibidem aiebat, *eſſe opera carnis*) *& de ea conqueri Apoſtolum Paulum, cum dicit: Scio quia non habitat in carne mea bonum*. Cap. 181. confert inde Iulianus hæc alia verba Manichæi. *Tolle malignæ ſtirpis radicem, & ſpiritualis fies. De hac Apoſtolus clamat ad Romanos, non bonum, quod volo, ſed malum operor, quod exhorreo*; & ſubinfert in Auguſtinum Iulianus. *Vides quanta tibi & Manichæo ſit in noſtri impugnatione concordia: eius dimicas verbis, eius niteris argumentis, & nos mentiri dicis, qui te diſcipulum illius non ſolum fuiſſe, ſed etiam eſſe dicamus*. Et poſtquam cap. 182, 183, & 184. hæc ſingula iterum cum Auguſtini verbis comparauit, in cap. 186. comparat rurſus & illa Manichæi verba. *Legalis authoritas indicat malum concupiſcentiæ, cum omnem eius vſum vituperat, quem caro miratur, & laudat*, & cap. 187. contra ſuppoſitam Auguſtini reſponſionem aientis, *bona quidem ſed primorum hominum tantum factam naturam, omnem autem deinceps per concupiſcentiam fuiſſe ſubuerſam*, ſcilicet ex originali peccato, replicat idem Iulianus aſſerendo velut ſimilem explicationem Manichæi ita ſubdentis. *Prima anima, quæ à Deo luminis manauit, accepit fabricam*

iſtam

iſtam corporis, vt eam fræno ſuo regeret, venit mandatum, peccatum reuixit, quod videbatur captiuum; inuenit Diabolus articulos ſuos, materiam concupiſcentiæ in eam reduxit, ex quibus ſubinfert Iulianus. *Non ergo magnum eſt, nec aliquid ad defenſionem tui promouet, quod à criminatione naturæ humanæ Adam ſequeſtrandum eſſe putaſti.* Demum cap. 188. inuectiuas, quibus Auguſtinus vtebatur aduerſus Pelagianos, vt oſtendat Iulianus ſimul adhibitas eiſdem verbis à Manichæo fuiſſe aduerſus catholicos, hæc eiuſdem ibidem Manichæi verba tranſcribit. [Hi autem, qui concupiſcentiam iſtam contra Euangelicos & Apoſtolicos libros, quos vacuo lectitant, bonum auſi ſunt dicere, videant eorum Sanctos nunc cum filiabus iacuiſſe, nunc cum pluribus & concubinis & vxoribus miſcuiſſe negotium, nec illud Apoſtoli vident; quæ ſocietas lucis ad tenebras? &c. Quaſi ignorent Apoſtolum dixiſſe, quæ geruntur ab eis in tenebris, turpe eſt etiam dicere. Age tu defenſor concupiſcentiæ, aperto ſermone narra fructus & opera eius &c. Vides ne concupiſcentiam mali eſſe originem, per quam miſeræ animæ libidini ſeruiunt, non ſponte; quia hoc eſt, quod nolente animo gerimus ſolum &c. Si malum naturale non eſt, quare baptizantur infantes, quos nihil per ſe male conſtat egiſſe? iſti his verbis mihi interrogandi ſunt, ſi omne malum actuale eſt antequam malum quiſpiam agat, quare accipit purificationem aquæ, cum nullum malum egerit per ſe ipſum? Aut ſi nec dum egit, & purificandus eſt, liquet ergo eos naturaliter malæ ſtirpis pullulationem offendere &c.] Hactenus exſcripta per Iulianum ex Manichæi epiſtola verba ſunt, adeo apparenter conformia cum repetitis vbique ab Auguſtino diſcurſibus aduerſus Pelagianos, ſicut ſupponebat Iulianus, vt audeat Iulianus in fine eiuſdem capitis ſic arroganter in Auguſtinum concludere. *Poſita ſunt multa de Manichæi ſententia, ſed niſi Manes filium & Manichæum, qui ſe Chriſti Apoſtolum nominat, titulus epiſtolæ indicaret, te omnino ſuum polliceretur authorem.* Infra autem nec his contentus Iulianus, vt Auguſtini præcluderet reſponſionem, (quam & Bail poſtea Auguſtini diſcipulis eadem penitus argu̅ēdi forma in pręſenti pręcludere laborauit) qua ſcilicet Auguſtinus reſpōdere valebat, Manichæum ex veris illis è ſcriptura principijs tanquam ex vero antecedente intuliſſe illegitimas conſequentias hæreticas, ſe autem ex eodem vero è ſcripturis antecedente non niſi veras cum cęteris Patribus cōcluſiones de originali peccato & vulneratione naturę intuliſſe, vt hanc, in quā (quam vere adhibet Auguſtinus) reſponſionem excluderet, idem Iulianus infra lib. 4. eiuſdem operis cap. 114. (non minus ac Bail in præſenti) ſic pergit, *neque in iure cuiuſquam eſt definita ſuſcipere, & quæ conſequuntur excludere*, & cap. immediate ſequenti 115. *Quod autem ſimul vtrumque negatur aut ſimul vtrumque ſuſcipitur, & cum ſit in poteſtate vtriuſque reiectio, non eſt tamen in arbitrio alterius electio &c. Hoc dato te volente, & te nolente concludo &c. Huic effectio ſeu illato quicumque poſt prima ſumpta obniti voluerit non ædificium rationis quatit, ſed ipſe ſe expenit riſui*, pręter alia ſimilia, quę habet iterum lib. 5. cap. 25. vbi in epilogum ſuperius dicta recoligit. Eſtne itaque, obſecro Lector, alia hęc arguendi forma Iuliani ab ea, qua Bail modo contra nos in prima obiectione arguebat? Poteritne adhuc tam magna teſtimoniorum affinitas, quam oſtentabat Iulianus inter Manichæi & Auguſtini diſcurſus, vel data fingendi licentia, affingi nobis inter Caluiniſtarum ac Thomiſtarum preſumpta principia?

Pote-

Digitized by Google

Poteritne à fortiori vel illa noſtrorum roborari reſponſio, dicentium Caluinum aut Caluiniſtas, & ſi in antecedente falſi non eſſent, falſos tamen & vere hæreticos in conſequentia fuiſſe, ſi ſemel hac ſola reſponſione ſimiliter Auguſtinus, pro diſcriminando ſe ipſum & Patres à Manichæo, doctrinam catholicam ſuam ſecuriſſime & vere tutatus ſit? Audiamus ergo quid prius de aſſumptis illis à Manichæo è ſcriptura teſtimonijs, quibus & vſum ſe ipſum non negat, (exponens alioquin ſemper in conſequentijs illatis diuerſitatem, vt locis eiſdem videre eſt) ſic inculcanti Iuliano reſpondeat? Inter alia itaque paſſim obuia in toto ferme eodem opere poſteriori in Iulianum, præſertim lib. 5. cap. 30. reſpondet. [Nunquid propterea dicere non debemus, quod bonus Deus fecerit Mundum, quia hoc etiam dicit Manichæus? De ipſa quoque Trinitate interrogati vtrique dicimus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnius eiuſdemque naturæ, nec ideo tamen vel nos ſumus Manichæi, vel ipſi Catholici ſunt. Sicut ergo Arianus ideo eſt hæreticus, quia nobiſcum non dicit vnam Trinitatis eſſentiam quod nobiſcum dicit etiam Manichæus, ita & vos hæretici eſtis non dicendo nobiſcum naturale ſeu originale peccatum, quod nobiſcum dicit etiam Manichæus, ſed non ideo ſumus Manichæi. Quod enim dicit etiam ille, non ita dicimus ſicut ille &c. Cur ergo non attendis nec nos eſſe Manichæos, qui cum eis aliqua dicimus, & vos eſſe hæreticos quia cum eis illa non dicitis? Deſine ergo mihi opponere Magiſtrum Manichæum, ſed mecum potius ſequere Ambroſium; & Arianos intuere, eoſque in eo ſaltem, quod melius ſapiunt, imitare, qui nos Manichæos eſſe, non dicunt, quamuis cum Manichæis dicamus vnam Patris & Filij & Spiritus Sancti eſſe naturam, vbi nobis contentioſiſſime contradicunt]. Quo ad idem vero, quod replicabat Iulianus (& replicat Bail contra nos) quod ſi quis nolit in falſam hæreticorum conſequentiam deduci, ſatius habeat nec conuenire in antecedente, ſed præſtet & illud negare; reſpondet appoſite idem Auguſtinus lib. 4. eiuſdem operis cap. 113, deducendo ad hoc abſurdum, quod eodem modo illud in ſe verum antecedens, quod alij Patres conceſſerunt vt certum, nūc ad inſtantiam Pelagianorum, ob vitandam malam Manichæorum conſequentiam illatam, ijdem Sancti Patres negare deberent, & inquit. *Ex quo deuenerunt hi dies, vt in eis Ambroſius* (dicatur à nobis, Auguſtinus ipſe, Proſper Fulgentius, S. Thomas, & alij.) *Si hic viueret, diceret ſe fuiſſe Manichæum, & audito Iuliano vel ipſo Pelagio, eſſe vlterius non debere, ſed immo ex illa nefaria peſtilentia, vobis præcipientibus, curantibuſque, ſanari; quale ſpectaculum animo cogitantis occurrit! Quale eſſet videre Ambroſium* (ſeu mauis dicere, Auguſtinum, aut S. Thomam cum cæteris) *ſtantem, vel ſi ille permitteret, ſedentem ante Pelagium, atque diſcentem! Si ergo talia reſponderet Ambroſius*, vel Auguſtinus, vel S. Thomas, vt ex ipſis noſtri reſpondent. *ſi talia reſponderet præclaris ſyllogiſmis veſtris prohiberetur hæc dicere, ne ſcilicet & liberum aufereretur arbitrium &c. & ſub nomine gratiæ legis euerſio ſequeretur. Non ſic plane, non ſic. Erubeſcite, vel potius expaueſcite talia cogitare. Immo vero ſi vir ille ſupereſſet, vehementius quam nos, & authoratius nobis pro catholica fide & pro Dei gratia vel æquitate reſiſteret, quia non ſunt conſequentia, quæ conſequentia putatis oſtendens*. Hæc pro ſe ipſo Auguſtinus, ac pro ſinceris ſuæ & aliorum Patrum doctrinæ ſectatoribus luculenter, & ad primum Bailij obiectum iam ſatis.

Ad

Ad ſecundum parum abeſt quin ſuſpicer Bailium eundem, vt in nos ſecundam obiectionem vrgeret, ſimilia pariter Iuliani verba in Auguſtinum exſcribenda accepiſſe, dum non minus & ipſi Auguſtino Iulianus inſultabundus aiebat, tum lib. 3. cap. 105, *liberum arbitrium Manichæos certum eſt vobiſcum negare. Verum quia fidei catholicæ, cuius ſolido nudatus es, quaſi amiculum ſenſu, ſolum nomen aſſumis, vis nos credere etiam à te hoc teneri, quod catholici confitentur, liberum arbitrium in hominibus eſſe*; tum cap. 172. ſimilia, tum cap. 217. *liquere confido te Manichæi ſolum nomen auerſari, vel voces*, tum lib. 4. cap. 71; *fateor tamen nimis te cogitaſſe, quod diceres, & ingenium apparet & ſtudium. Nemo alius callidius ſcribere potuiſſet, quod tamen nec tu ipſe tam vrbane implere potuiſſes, niſi ingenium ſuum commenta Magiſtri Veteris Manichæi adiuuiſſent*; tum lib. 5. cap. 30. *Quid induraturus eſt inter Manichæum & Auguſtinum Catholicus? Manichæum quippe ſine dubio ſtolidiſſimum, ſed cum Auguſtini ingenio compoſitum, peracutum*; quem in modum & modo Bail non veretur de Caluiniſtis in ordine ad Catholicos *Prædeterminatiſtas*, repetere, *illos non fuiſſe ſatis aſtutos vt iſtos*, qui non niſi per *logomachiam*, ideſt per conceſſum nomen libertatis, quod illi negarunt, ab illis iſti, ſi eidem credimus, ſe diſcriminant, quod eſt ſane in re ipſa, licet non quo ad voces, omnes Thomiſtas omnino hæreticos denunciare. *O frontem linguatam?* (non ipſe reſpondeo, ſed Auguſtinus eidem Pelagiano Iuliano reſpondet lib. 4. cap. 73.) *O frontem linguatam mentemque cæcatam? Itane vere Catholici non ſunt, quibus inhæreo in huius fidei ſocietate, quam contra tua vana dicta & maledicta defendo? Catholici non ſunt, vt alios taceam, eoſdemue ne repetam, Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Gregorius & alij*. (Quos etiam pro re noſtra de gratiæ efficacia retulerat aduerſus Maſſilienſes in libro de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeuerantiæ, & S. Thomas non minus cum cæteris ſecutus eſt) *Hi Catholici non ſunt, & Catholici ſunt Pelagius, Cæleſtius atque Iulianus?* Et lib. 3. cap. 10. *Sciens quam clari probatique Doctores Eccleſiæ Chriſti, quod credo, crediderint, quod doceo docuerint, quod defendo defenderint, ſic audire debeo contumelias tuas, quomodo & laudes tuas*, & lib. iterum 4. cap. 67. *Contumelias tuas cum his me accipere gaudeo, quos in me culpare audes, & nominare non audes*. Et cap. 72. *Hos tot & tantos Catholicæ Eccleſiæ filios & Patres, qui hoc eam in eius poſiti culmine docuerunt, quod in eius vbere didicerunt, Manichæos dicere non formidas, & cum me vnum quaſi aperte appetis, illos, quanto obliquius, tanto inſidioſius, & quanto inſidioſius, tanto ſceleſtius criminaris*. Et cap. 105. *audio: Dicis intentionem nefandam noſtram. Intentio quippe noſtra nefanda eſt, quia opponimus Ambroſium & cæteros Iuliano: eſſet autem fanda, ſi Iulianum, ſi te ipſum præponeremus Ambroſio &c.* & cap. 111. *Ambroſij videlicet eiuſque ſociorum plane hoc onere ita premeris, vt non ſolum opprimaris, ſed etiam conteraris, & fias puluis, quem proijcit uentus à facie terræ*. Hæc profecto non noſtra logomachia (vt pergit lib. 6. cap. 6.) *non cetra Numidica eſt, de qua nobis uelut facetus inſultas, ſed eſt ueridicum ſcutum, in quo omnes ſagittas ignitas maligni, ſicut hortatur Apoſtolus, exſtinguimus. Hoc muniebatur ſcuto, quando uobis futuris iam occurrebat armatus, non quidem Numida, ſed tamen Pœnus ille Cyprianus, quo rurſus nomine tua in nos eliditur uana loquacitas, hoc, inquam, ſcuto armatus Pœnus ille dicebat in libro de Oratione Dominica, ita nos orare cum dicimus, fiat uoluntas tua ſicut in Cœlo & in terra*. *Sed* (vt proſequitur cap. 21.) *cum mihi uel nobis nominatim conuiciaris lingua maledica, et fronte proterua, profecto et illum & alios*

qui

qui eadem ſenſerunt atque dixerunt, Eccleſiæ catholicæ magnos claroſque Doctores, tanto nequius, quanto obliquius, criminaris; Tu ergo (vt præmittebat ſubiratus lib. 1. cap. 74.) *aut ſciens calumniaris, ſi tu iſta mentiris, aut neſciens quid loquaris, commentientibus credis.* Nam, vt aduertebat etiam Gregorius lib. 5. Regeſti epiſtola 15, *Si credi fideliter confitenti deſpicitur, cunctorum in dubium fides adducitur,* & ex Nazianzeno epiſtola 16, *non eſt hoc hæreſes purgare ſed facere.* Hinc quod Iulianus non minus hariolando pro ſe ipſo iactabat his contentionibus ſubſequentia tempora forſan maiori lumine illuſtranda finem fore impoſitura, ſeu, ut conceptis verbis aiebat lib. 2. cap. 13. poſt tot impugnationes, ſuam adhuc exagitatam ſententiam, *ita ſupra caſus manere ancipitem vt inuincibilis elueret poſſeſſione victoriæ*; Reſpondet non minus Auguſtinus ibidem eodem libro 2. cap. 13. ſic dicens. *Ipſe tibi das palmam contra tot Antiſtites Dei, qui ante nos ea, quæ oppugnas, in Eccleſia Chriſti didicerunt, atque docuerunt, bibentes, & miniſtrantes in fontibus Iſrail: Hoc ergo, quod facis, non eſt victoriæ poſſeſſione eluere, ſed in odioſæ arrogantiæ cloacam deformiter ruere: eluere quippe pollere eſt: quomodo autem potes victoriæ poſſeſſione pollere, qui conaris antiqua dogmata & inuicta pollere?* Immo nunc petam ipſe a Bailio, dum ſperat pariter & ipſe, vel iactat pro ſe ipſo, *his contentionibus forſan ſæculum proximum maiori lumine colluſtrandum finem impoſiturum,* peto, inquam, an id ipſe nunc dicat ex eo, quod credat Spiritum Sanctum, inſpirantem per gratiam præuenientem, operaturum eſſe in alicuius ſummi Pontificis voluntatem, vt velit tandem hanc dirimere controuerſiam, vel potius id dicat ex eo, quod ſperet minus addictos nunc Thomiſtarum animos eſſe deinde in aduerſam recentiorum ſententiam agendos ab eodem ſpiritu, vt ſuæ ſententiæ cedant? Et quidem ſi primum eligat, dignetur ad minus conſulere Eſtium in 2. diſt. 28. §. 3. ratione 37, vel cum ipſo ſapientiſſimos Patres Carmelitas Excalceatos Salmanticenſes in tomo 6. diſp. 7. dub. 4. §. 7. per totum, & videbit potius ex hoc ipſo ſuppoſito conuinci noſtram ac robuſtiſſime confirmari ſententiam ex eo nimirum, quod vel aduerſarijs fatentibus admittendum eſt Spiritum Sanctum, ſine præuiſione conſenſus priuatæ voluntatis Pontificis in quamnam partem determinaturæ ſe ſit, præuenire eiuſdem voluntatem, vt hic & nunc hanc præaltera ſententia eligat atque definiat ex cathedra, abſque læſione libertatis in ipſo, vt fuſius ijdem Salmanticenſes, exploſis etiam euaſionibus, me quidem iudice, enucleate demonſtrant. Si vero eligat ſecundam partem, audiat iterum ex ea ipſa conceſſione non minus probatam euidentiſſime doctrinam noſtram ab Auguſtino lib. 3. in Iulianum operis imperfecti cap. 1, dum vbi Iulianus ibidem aiebat pro ſua ſententia, *oportere demereri bonis ſtudijs conditoris fauorem &c. vt præſumentes Dei auxilium, inquit, quæ libro promiſimus precedente, reddamus.* Auguſtinus arrepta inde occaſione ſubiungit. [Auxilium Dei quæris vt impleantur vani libri tui, & non quæris, vt corrigantur peruerſi ſenſus tui. Vellem tamen diceres propter quid in hoc opere auxilium Dei poſcas, cum ſit in libero arbitrio tuo hoc facere, ſiue non facere? an vt ea tibi præſto ſint, quæ in poteſtate tua non ſunt, & ſine quibus hoc effici non poteſt, ſicut ſunt, vt alia omittam, ipſe victus vel fauor & otium? At hæc pene ſemper Deus per voluntates nobis ſubminiſtrat aliorum. Vides ergo id te poſcere ab omnipotente Deo, cum propter implendos tuos libros poſcis auxilium Dei, vt in-

voluntatibus hominum, quid te adiuuet & quid non impediat, operetur. Nam ſi nolint homines poſtremo à te inquietando impediendoque ceſſare, ſcribere vel dictare iſta non poteris. Speras ergo auxilio Dei ſic agi hominum voluntates, inter quos homines viuis, vt tibi neceſſariũ nil deſit? Paratur enim, quod non credis, voluntas à Domino. Aut igitur tuum dogma iam corrige, aut ad hoc defendendum deſine diuinum auxilium poſtulare.] Et clarius adhuc lib. 5. cap. 4, vbi Iulianus aiebat. *Nec illud deſperare vel poſſumus vel debemus, quoniam proceſſu temporum tempeſtas excitata concidat, & authoritate ſapientum vulgus ignarum, quod nunc perſtrepit, corrigatur &c. Potens eſt Deus, inquit Daniel, ò Rex liberare nos de fornace hac &c. Certum eſt, quoniam nos poſſit liberare Deus noſter &c. optamuſque perſecutionum rumore compreſſo etiam populis ſubuenire.* Ad hæc iactabunda Iuliani verba robuſtiſſime æque ac opportune Auguſtinus ſic ſubijcit. [Quęro abſte, vtrum id à Domino optetis? quod ſi non facitis, non ſunt iſta vota Chriſtiana; ſi autem facitis, quomodo ſperatis exaudiri votis veſtris, hoc Dominum largiturum? nempe vt corda hominum, quæ aduerſa ſunt vobis, in veſtrum fauorem & amorem conuertat. Si hoc creditis, profeciſtis, vos ipſos conuertere, vos ipſos in melius mutare iam cœpit. Cogitate, quæſo, iſtud atque retinete, tandemque fateamini operari omnipotentem Deum in cordibus hominum voluntates, auerſoſque conuertere. Ita ejus miſericordiam gratiamque capietis; & vbi hoc non egit iudicio occulto, ſed iuſto, ſic vota noſtra potius fortaſſis exaudiet, vt vos ad fidem catholicam (ſicut Turbantium paulo ante veſtrum, nunc vero ecce iam noſtrũ) ſimili ſua operatione atque miſeratione conuertit.] Hæc per omnia Auguſtinus in ſui criminatorem Iulianum, nos vero ex parte tantum in damnatorem noſtrum Bailium adaptanda (ſeruata proportione ac ſine iniuria) cenſemus.

Ad tertium, gratiæ de hoc ſaltem eidem Bailio reddendæ ſunt, quod agnouerit ac recenſuerit tomo 1. pag. 799. diſtinctionem illam, quam Thomiſtæ in eandem rem adhibere ſolent, de ſenſu compoſito & diuiſo, adhibitam omnino fuiſſe etiam à ſapientiſſimis & ſanctiſſimis Tridentini Patribus in Congregatione Tridentini Concilij circa examinatam ibidem ac reprobatam ſecundam Zuinglij hæretici propoſitionem, vt agnoſcit etiam & vltro commendat Eminentiſsimus Pallauicinus lib. 8. hiſtoriæ cap. 13, & fuſius demonſtrat eandem diſtinctionem haberi ex ſcripturis, Concilijs, Sanctis Patribus, & antiquis pleriſque Scholaſticis, noſter Magiſter Lemos tomo 1. p. 2. trac. 4. per quatuor capita, ſubinde per integrum tractatum explodens falſas quaſdam intelligentias aliorum circa diſtinctionem eandem, & veram confirmans ipſe ac defendens, vt ferme ſcripta ibidem reſpondere videantur etiam expoſtulationibus Theophyli in opuſculo cõtra Reginaldum noſtrum, quod *vulpem parvulam captam* inſcribere maluit, vt ſimiam fortaſſe ageret in ordine ad aliud vetuſtius opuſculum contra ſuum Ripaldam à Louanienſibus ſimili nomenclatura notatum; cum tamen *Leoni ægrotanti remedium ſit comedere ſimiã*, vt Ælianus lib. 1. cap. 9. dicebat. Poterat tamen vlterius Bail idem (quod & de altero fortaſſe dicerem) occaſione eiuſdem hiſtoriæ Tridentini Concilij ſimiliter tangere, non vero data opera præterire, aut occultare pro ſuis, tot alias eorundem Tridentinorum Patrum dilucidas phraſes in Congregationibus

[illegible] de gratia & libertate, adamuſſim Thomiſtarum adhi- [illegible] ſapientiſſimus noſter Lemos. tomo [illegible] per totum, [illegible] Sed hoc non obſtante, [illegible] [illegible] Thomiſticam fateatur, [illegible] [illegible] [illegible] Polanus in [illegible] [illegible] Philibertus Ballerdem [illegible] *ipſe intelligunt, non in-telligunt* [illegible] (reponeret hic ſua verba Auguſtinus lib. [illegible] cap. 18. [illegible] Auguſtinus [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] explicationem requi [illegible] [illegible] [illegible] ab illis Patribus diſtinctionem [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] mo in [illegible] diſtinctionis præ [illegible] conſtanter & illos, qui poſt quam eidem Synodo Tri dentinæ interfuerant, ſua ſcripta vulgarunt, oſtendant Salmanticenſes tomo 6. pag. 46. conſulendi) *Vana ergo loqueris, & tuæ ſaluti aduerſa loqueris: quieſce, obſecro, quid tantum loqueris?* & Cap. 111. *Horum enim pondere iam ipſe ſic frangeris, vt eorum dicta, quibus in re contradicis, clara benignaque ratione defendenda ſuſceperis. Audiamus ergo claram benignamque rationem, qua ſua ratione ſi defenduntur eorum dicta, non poteris nobis ingerere tua maledicta. Nam omnino, quæ in nobis deteſtaris & arguis, ipſa ſunt, quæ in illorum diſputatione defendis. Si autem non defenduntur à te, ſed ſub nomine defenſionis aſtutius arguuntur, abſit vt iſta clara tua & benigna ſitratio, ſed irriſoria potius adulatio, quæ ideo defenſio vocatur, ne populorum catholicorum, à quibus ijdem viri venerantur, tolerari non poſſit offenſio.* & Cap. 112. *Si vera igitur ratione defenduntur eorum dicta, proculdubio veraciter defenduntur, & vera ſunt, & ſi hoc ita eſt, recte aſſeritur* (noſtra diſtinctio) *& dogma interimitur veſtrum. Si autem falſa ratione defenduntur eorum dicta, clara tua illa & benigna ratio non eſt ratio, ſed deceptio; illorum enim dicta non defendis, ut promiſeras, & teneris, ſed reprehendis. Tuo quippe dogmate cum cogaris illa* (ſcilicet traditam diſtinctionem vt inintelligibilem) *culpare, nullo modo ſineris authoribus eorum dictorum defenſionem, quam ſpoponderas, exhibere &c.* Verum vt plenius obiectioni fiat ſatis, duo ad inuicem diſtincta valde ſecernenda ſunt. Alterum eſt non deeſſe quandoque, & ſi rarò, aliquos minus noſtrarum rerum peritos, qui argumento preſſi, dum eam diſtinctionem adhibere conantur, eam obſcurent potius quam explicent, atque è ſua ſola imperitia quodammodo dehoneſtent: alterum eſt, hoc non obſtante eandem, ſi explicetur vt debet, & vt ex Lemos, & alijs, & tot adductis mox ante haberi poteſt, non ſane tunc niſi tardiſſimis, aut non volenti-

Non derogatur proſequutioni operis, citat enim Doctor, cui utriusque modeſtiæ diſplicebat, plurimum commendari

bus intelligere eandem inintelligibilem eſſe. [redacted] Quæ enim [redacted]) quę vnquam prævalidæ & inobtuſæ frameæ culpa fuit, ſi inerti imbecillique brochio rotetur, ictumque non imprimat, quem validioribus agitata lacertis, ſulcatis ab imo viſceribus & cruenta ſui veſtigia roboris explicaret? quænam ſimiliter macula doctrinæ erit, ſi ab erudito Doctore explicata ſemel vt debet ex imperitia deinde vel fraude aut non valentis aut nolentis intelligere, inintelligibilis ipſa, non ſuo, ſed audientium vel calumniantium vitio dicatur? *Intelligor prorſus* (aiebat eodem opere in Iulianum Auguſtinus lib. 3. cap. 140.) *intelligor prorſus, velis nolis, ſed tu contra iſta nihil dicturus, vis non intelligi, quod ego veriſsimum atque firmiſsimum dixi, indeque res ipſa indicauit, hæc à te non potuiſſe redargui*. Forſan (vt præmiſerat cap. 61.) *quia tenebras veſtras redarguunt, vobis lucida non videntur, & quæcumque vobis ſua radiante luce moleſta ſunt, contra illa cor clauditis ne inde nox fugetur erroris. Melius ergo* (ex cap. 94.) *& paucis doctis te derelinquo, qui & me non demonſtrante faciliime intelligunt, te nihil dicere, quam te refellendo, quamuis vera dicam, ea, quæ multi non intelligunt, dicam.*

Ad quartum, *Quid explicata implicas?* (& hic diceret Auguſtinus, quod ſcripſit eodem opere in Iulianum libro 4. cap. 33.) *quid explicata implicas, & euoluta conuoluis, vt ingenijs tardioribus, qualia in hominibus plura ſunt, videreris dicere aliquid, cum dicas nihil?* *Lege* (vt ſubdit cap. 34.) *lege & intellige, & noli tibi, ne intelligas, tumultu loquacitatis obſtrepere.* Lege, inquam, non ſolum in Lemos tomo 2. trac. 2. cap. 33. per totum, & trac. 4. cap. 1. vel in noſtris quibuſcumque ſcriptoribus, ſed etiam in Bellarmino, Becano, Valentia, Suarez, ac pleriſque cæteris longe diſtinctum modum, quo Prędeſtiniani antiqui, & Wiclef, & Caluinus blaſphemando dicebant, ſic Deum prædeſtinaſſe electos ad gloriam, vt neque libertas in meritis ſubſequentibus admitteretur, pariterque

terque ſic reprobos abieciſſe, vt etiam ad peccatum mortemque æternam animæ deſtinati eſſent; vbi Catholici omnes in hoc repudiando conueniunt, & ſi quam plures eorum pro certo habeant (probabiliterque omnes admittant) electionem ad gloriam vt finem antecedere ipſa merita vt media, velut non ante præuiſa, ſed prouidenda ſimul cum gratia Dei, & libertate noſtra, pariterq; in reprobis non prædefiniri vllo modo, ſed ſolum permitti, peccata præſuppoſito quod ad finem gratuitum gloriæ electi non ſint. Si itaque intelligas de primo modo, dum inquis, *ob ſuam atrocitatem Caluini prædeſtinationem non potuiſſe tolerari etiam à ſuis, ſcilicet Bernenſibus, Tigurinis, Holandis*, vt refers (vt ea & ab omnibus omnino catholicis condemnatur, nec inde indigent tuis vocibus excitari *Generales Ordinum Religioſorum ad idem prohibendum*) ſi de hoc, inquam, intelligas, gaude, vt gaudemus & nos, quadantenus ſaltem eos, qui Caluiniſtæ molliores nuncupari ſolent, ab atrociori blaſphemia ſui Caluini reſipuiſſe, licet nec ex hoc ſolo tamen Catholici nominentur, aut ſint, nec proinde nobis condigne imitandos eſſe commendas eoſdem, ſicut etiam vt reſpondebat Auguſtinus Iuliano lib. 4. cap. 7. *Nouatianos, Arianos, Eunomianos, alioſque nonnullos, cum totum adhuc ſimbolum confeſſi fuerint, etiam vocamus hæreticos.* Si vero de ſecundo modo loquaris, vel ſentias, agnoſce etiam ex Caluiniſtis non paucos inde in recentiſsimos SemiPelagianos tranſuerſos eſſe, Arminianos nuncupatos, in Pſeudo Synodo Dordacena à perſiſtentibus in Caluiniſmo Gommariſtis cęteris condemnatos, quorũ (vt nota hiſtoria eſt) ætate noſtra Princeps fuit Iacobus Arminius, aſſeclæ vero Perchinſius, Arnoldus, Voſſius, Groſſius, *laudantes etiam pro ſe* (vt loquitur Baronius noſter diſput. 2. ſect. 3. art. 1. §. 1. reſpondens Franciſco Annato è Societate obijcienti nobis è contra Tuiſium, Molinæum, & Ameſium, qui pro amoliendo à ſe ipſis eo primo atrociori modo Caluini, in hoc ſenſu, vera quoque Thomiſtarum principia quandoque ſubdole laudabant) *laudantes*, inquam, *Arminiani*, non minus, ſed peius, *etiam Molinam, Pennotum diu noctuque legentes, & huiuſmodi alios in Magiſtros & patronos aſciſcentes, quod ſcientia media ſit illis loco clipes & teli, quo aduerſarios depellant atque laceſcant*, vt repetit hęc eadem tranſcripta verba Gonetus diſp. 6. de ſcientia media ar. 5. in fine legendus. Agnoſce itaque eas ſingulas, quas contra noſtram ſine dubio catholicam doctrinã inter hos duos extremos errores velut in veritatis medio ſiſtẽtem ad glomeras modo obiectiones, eas ipſas penitus eſſe, quas olim à Caſſiano & Maſſilienſibus & à Fauſto Regenſi contra Auguſtinum oppoſitas, & ab Auguſtino & Proſpero diſſolutas, in ſuperiori quæſtione art. 3. ſuperabunde retulimus, ſoluitque non minus & Lemos tomo 2. tract. 2, 3, 4, & poſtremo per totos. Recognoſce hanc ipſam, quam velles *a Generalibus Ordinum Religioſorum prohiberi ſententiam* de prędeſtinatione ad gloriam vt finem, ante præuiſa merita vt media, eam ipſam eſſe, de qua Bellarminus è Societate (à te magnificis verbis appellatus tomo 2. pag. 306. *æque doctus ac ſanctus*) lib. 2. de gratia & libero arbitrio cap. 11. dicebat: *Hæc ſententia, non quorumvis Doctorum opinio, ſed fides Eccleſiæ Catholicæ dici debet*, vt vere traditur & probatur ab Auguſtino integro ferme libro de prædeſtinatione Sanctorum, qui totus fere in præſenti exſcribendus veniret. Hæc ea eſt, quam ex eadem Societate tuentur Suarez, Granadus, Ruiz, Maldonatus, Henriquez, Salmeron, & Toletus. Hæc ea

eſt,

eſt, quam tu modo (ſi ſuperis placet) velut Etherodoxam, immo *nec ab hæreticis tolcratam* inclamas, in hocque vel imitandos à nobis Arminianos hæreticos, ſeu recenres Semipelagianos, aut laudando ſupponis, aut ſupponendo commendas. Nec vides quod bene alij viderunt, & iſtos ita apparenter ab extrema hæreſi Caluini receſſiſſe, vt in extremam alteram hæreſim Maſſilienſium ſub pietatis ſpecie proruperint, vt ſic ſub eſca exhibita abſceſſus ab vna hæreſi hamum trahendi cærcros in aliam hæreſim adornarenr, vel regerent, ſicut de Eunomio opportune monebat Baſilius lib. 1. in eundem dicens. *Palam omnibus eſt, quod opinioni ſuæ tanquam hamo ad mortem trahenti, dolum eſcæ integritatem fidei coaptas, vt imperitiores, ad id, quod apparet, vndiq; accurentes minus cauti peruerſitati infigantur erroris.* Cur ergo tandem prædictorum quoque hæreticorum exemplum Catholicis ingeris imitandum? cur nos immo velut pertinaciores eiſdem hæreticis Bernenſibus aut Tigurinis in hoc ipſo vel indicas vel ſupponis? Cur Arminianos ipſe cauendos eſſe non percipis, potius quam in hac ipſa re imitandos liceat commendare? *Nunquid ergo* (vt Auguſtinus decernit lib. 5. operis prioris in Iulianum cap. 7.) *nunquid ideo vim veritatis effugere poteris, quia nobis calumniando importas ſocios falſitatis? Sed exue te* (ait cap. 5.) *exue te calumnijs, & viribus potius luctare, non fraudibus.*

Ad quintum, quod poſtremum eſt, omniumque vaniſſimum. Non deſunt qui dicant Campanellam ſolum voluiſſe omnia, quæ ſunt futura in tempore, preſciri ab æterno in pręſentia phiſica æternitatis, non vero adhuc poſt prædifinitiones Dei in obiectiua præſentia vel ſolum in voluntate diuina vt in cauſa; vel, inquiunt, inde præſciſe reprobare voluiſſe eum primum Caluiniſticum explicandæ prædeſtinationis modum (vti mox ante diſtinximus) non vero ſecundum modum catholicum; ideoque (vt refert etiam Bailius pag. 825.) librum ſuum in epigraphe nuncupauit *Nuncium ad Caluinum quod Thomas non erat cum eis.* Alij tamen admittentes vltro & ſecundum modum catholicorum atque Thomiſtarum à Campanella derelictum fuiſſe, & ſi hoc dato congaudeant eum præcluſiſſe Ianſenij errores deinde proſcriptos (vt in hoc laudat etiam eodem loco Bail) non ſic tamen gaudere poſſunt, quin ſuſpicentur aut timeant eum in recedendo à gratiæ efficacia, atque in faciendo ſimul eandem naturæ pediſſequam, deflexiſſe quodammodo incautè in extremum alterum Maſſilienſium errorem, non minus, ſed acrius (in hac hypotheſi) reprobandum à noſtris. Nos enim ingenue hoc modo comparati ſumus, vt ſicut quoſdam ex exteris in ſimili euentu culpamus, *ita quoque* (inquit appoſite Lemos præfatione ſuorum operum ad Lectorem) *faceremus ſi talis vel ſimilis doctrina ab aliquibus ex noſtra familia traderetur: ſicut Durandum etiam & Catharinum vtrumque ex Ordine noſtro aſſumptum in hac eadem materia & cauſa acrius impugnamus.* Cur ergo permiſſo ſemel & Campanellam in hac materia cum Catharino aberraſſe, abſcedendo à S. Thomæ doctrina, opponit nobis Bail nunc imitandum eundem, cum tamen nec ipſe nec alij eundem ſimul in philoſophicis peſſumdantem *vniuerſam Ariſtotilis philoſophiam*, velut *aſinitates* habentem, vt ille loquitur, hoc non obſtante imitari eundem non audeant, ſed erubeſcant? Cur hic modo vt imitationis exemplar vſque ad ſidera tollunt Campanellam eundem, cui hoc dempto motiuo, ex eadem ſchola iam author Diatribarum, Diatriba 4. §. 57. illud elogium immane pangebat? *tam & ſi Campanella*

panella per aliquod tempus Cymbalum mundi viſus ſit, tamen re vera fuit ignorantiſſimus, ita vt ne ipſos quidem terminos, ſiue philoſophicos, ſiue theologicos, intelligeret, & deſipere potius quam diſſerere videretur. Hicne igitur erit, cui cæteri Thomiſtarum proceres debeant ſubmittere faſces, quemque (ſi Bailio credimus) nō dicam S. Thomæ, ſed Caietano, Capreolo, totique, vt breuiter dicam, tam amplo tam venerando Doctorum Angelicorum choro præponant? hicne in illo eodem vel dubio libro ſequendus, de quo vltro vt imputato ab alijs eidē intelligi poteſt, quod in Indice Romano edito ſub Alexandro VII. littera T. impreſſum legitur, & declaratur? *prohibita eſſe Thomæ Campanellæ opera, quæ Romæ excuſſa aut approbata non ſunt, cum author pro ſuis illa non agnouerit*, nec conſequenter vel iſtum librum, vt ſuum, author recognouerit. Quomodo igitur his omnibus ſtantibus (concludebat libr. 4. in Iulianum Auguſtinus cap. 108.) *quomodo non erubeſcis, cum calumniator eorū ſis, quos apertiſſime criminaris, eius adulator, quem ex obliquo pariter criminaris, & adiutor eorum, ſcilicet Manichæorum, de quibus criminaris alienos?* vt Bail ipſe de Caluiniſmo Thomiſtas nunc adulando Campanellæ, Caluiniſtaſque, vt ſupra vidimus, adiuuando condemnat, & tamen, (inquit idem Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 1.) *nihil aliud Pelagiani nituntur, niſi vt hac horribili hæreſi obiecta, cuius ſe aduerſarios confingunt, lateant inimici gratiæ ſub laude naturæ. Sed* (vt aiebat Hieronymus in proœmio librorum aduerſus Pelagianos) *ſic ingrediendum via regia, vt nec ad ſiniſtram nec ad dexteram declinemus, appetitumque propriæ voluntatis credamus ſemper Dei auxilio gubernari.* Inde lib. 3. ſubiungit: *Egone liberum tollo arbitrium, qui in tota diſputatione mea nihil aliud egi quam vt omnipotentiam Dei cum libero arbitrio conſeruarem?* Et in epiſtola ad Cteſiphontem: *Iniuriam tu tibi fieri putas, & deſtrui libertatem, ſi ad Deum ſemper recurratur authorem, ſi ex illius pendeas voluntate, ideò fruſtra blaſphemas, & ignorantiam auribus ingeris, nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille qui damnat*, Manichæus ſcilicet atque Caluinus, & Ianſenius ſimul, quatenus cum Caluino conſentit, vt in ſequenti exponetur.

QVÆSTIO QVARTA.

An ſaltem prædicta ſententia ſeu explicatio Thomiſtica circa conditionatorum præſcientiam decreto innixam, vt Ianſeniſmi ſuſpecta ab aliquibus traduci poſſit.

TOt iam diſcrimina inter Caluini dogmata, ſinceramque eum D. Auguſtino & S. Thoma Thomiſtarum ſententiam ſuperabunde protulimus, vt ferme ſuperuacaneum iudicari poſſet vlterius in re præſenti connexa penitus cum præcedenti amplius immorari, niſi vel id non videntium, vel videre nolentium, aut ſe videre diſſimulantium importuna adhuc iniuſtaque dicteria nos prouocarent, aut cogerent, ad demonſtrandum adhuc lucidius & magis in particulari diſcrimen, quod latiſſimum quoque adeſt inter Ianſenij dogmata, deriuata ex Caluino, & Thomiſtarum aſſerta hucuſque cum Auguſtino & Aquinate defenſa. Ad hunc finem itaque, quod titulus quæſtionis præfixæ inquirebat, diſcutiendum eſt.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Affirmatiua contra nos ſententia refertur.

ALiquos id affirmaſſe non dubitabit, qui legerit Dualium Doctorem ſatis recentem in tomo de gratia in fine, aut qui percurrerit auctorem Diatribarum Diatriba 8. §. 140. & Diatriba 2. §. 32. & 33. & paſſim in eodem libro Romæ proſcripto, vt ſupra lib. 5. q. 2. ar. 1. eiuſdem verba retulimus inter cętera etiam id primo loco opponentis, quod antequam quinque Ianſenij aſſerta proſcriberentur, Generalis tunc Ordinis Præd. Thomas Turchius quibuſdam dixerit, *tuendum ſtrenue eſſe ſuburbium, ne urbs ad deditionem cogeretur*, ne ſcilicet poſt damnatam Ianſenij explicationem *ſubinde Thomiſtica quateretur*, vti ad hunc finem, inquit, & alterum ſuccedentem eidem nempe Marinum ſcripſiſſe *ad ſuos in Gallijs vt ſtarent pro S. Thoma, ſeque Thomiſtas profiterent inhærendo ſenſis Ianſenij*, vt repetit denuo hæc ipſa verba Theophylus Raynaudus in tomo 18. in Apologia in Arnaldum §. 1. pag. 216. ergo à ſigno dignoſci poſſe videtur Thomiſtarum ſententia de Ianſeniſmo ſuſpecta.

Secundò, quia pręcipuus ſcopus Ianſenij fuit probare contra Patres Societatis efficaciam ab intrinſeco propoſiti, & voluntatis Dei (vt de gratia ſileamus) vnde ad hunc finem præmittit primum tomum de hæreſi Pelagiana & Semipelagiana, vt oppoſitum ſentientes oſtendat cum Semipelagianis conſpiraſſe; inde in ſecundo tomo de diuerſo ſtatu naturæ innocentis ac lapſæ agit, vt ſaltem in hoc ſtatu lapſo ad differentiam ſtatus innocentiæ conuincat dari prædictam ab intrinſeco efficaciam, vbi in illo vtique ſcientiam mediam ex oppoſito amplexatur; & demum in 3. tomo agit ex profeſſo inter cætera (quæ de gratia dimittimus) etiam de propoſito prædeſtinationis ante quamcunq; operum preuiſionem &c. Sed pariter Thomiſtarum ſententia per hæc principia progreditur in ſcientia media expellenda, ergo Thomiſtarum pariter explicatio ac ſententia dicenda videtur, vti à prædicto auctore dicebatur, *Ianſeniana conſanguinea aut collactanea*.

Tertiò tandem, quia hinc ſingulæ quinque propoſitiones in Ianſenio damnatæ in eodem ſenſu videntur à non paucis Thomiſtarum antiquis admiſſæ, vt eos in ſui patrocinium atque ſuffragium Apologiſtæ Ianſenij aduocare vel trahere conabantur. Ergo ſignum iterum eſt præallatam Thomiſtarum ſententiam non immeritò aliquibus videri poſſe Ianſeniſmi ſuſpectam.

ARTICVLVS II.

Negatiua ſtabilitur.

IN oppoſitum tamen eſt, quod ſenſus in Ianſenio damnatus ex integro Caluiniſticus erat, vt antequam etiam proſcriberetur Ianſenius ſinguli impugnatores eiuſdem etiam ex Societate vulgatis operibus oſtenderunt, eum etiam inde vocantes *Caluinum perſonatum*, & huiuſmodi, & conſentit Bail Pariſienſis tom. 2. pag. 822. Sed, vt abunde iam vidimus in ſuperiori, longe abeſt

tam

tam pura doctrina Thomiſtiea à fæce illa Caluini, ergo à Ianſenij pariter ſenſu eiuſdemque maculis procul eſt.

Reſpondeo in nullo, in quo Ianſenius errauerit aut idem proſcriptus fuerit, præſtabiliram hucuſque ſententiam Thomiſtarum vel minimum cõuenire aut commercij ſuſpectam iuſte ab aliquo dici poſſe Et præmuniri poſſet primo loco hæc aſſertio auctoritate quamplurium Thomiſtarum Scriptorum, qui hanc non minus criminationem ſedulo depulerunt, vt præter Ioannem Caſalam, tranſeunter Auctori Diatribarum occurrentem in ſua Apologia, Vincentium Baronium de libertate humana diſput. 1. § 3, noſter iterum Gonet vbi ſupra magis ex propoſito non contemnenda ab aduerſis Apologia, etſi præcedenti parcior longe videri poſſit. Sed iſtos ac ſimiles ſcriptores noſtros libenter omittimus, aliorumq; dumtaxat poſitorum extra cauſam auctoritatibus ſtatim id communimus. Præter enim Doctorem Pariſienſem Bernardum Guiar, qui librum integrum evulgauit inſcriptum, *Diſcrimina doctrinæ Thomiſticæ à Ianſeniana*, præter Dualium ac plurimos alios in Gallia ſcriptores diſcriminantes a noſtra, ſeu S. Thomæ, Doctrinam Ianſenij proſcriptam, magni in propoſito ponderis apud me eſt auctoritas Ioannis Caramuelis, qui ſe primitùs exorientibus Ianſeniſtarum diſſidijs Louanij adfuiſſe teſtatus eſt in ſua Theologia fundamentali fundamento primo, & ne dum Dominicanus vel Thomiſta non eſt, verum & liberioris in proferendo, quod ſentit, nullo præiudicio præuentus ingenij eſt; & tamen hic ipſe in eadem Theologia fundamentali fundamento 1. num. 62. non ſolum profert in hoc puncto pro Thomiſtarum ſchola iudicium, verum & euidenti id ratione demonſtrat dicens. *Ianſeniani non debent accenſeri Thomiſtis; iſti enim etiam quando loquuntur ſeueriſſime, negant in ſenſu diuiſo neceſſitatem, quod ſufficit vt ſaluetur libertas. At Ianſeniani in omni ſenſu neceſſitatem protrudunt, & re ſublata retinent merum libertatis vocabulum*, nec minus euidenti altera ratione id oſtendit inferius fundamento 13. num. 1341. ita ſcribens, *prodijt Cornelij Ianſenij Auguſtinus, & in ipſo plura contra Dominicanos, & pauciora contra Ieſuitas, gratia enim illa ſufficiens, quam Ianſenius irridet, non Moliniſtarum ſed Thomiſtarum gratia eſt.* Hucuſque Caramuel.

Secundò, quid quærimus alios ex alieno Ordine ſuffragantes in hac cauſa Thomiſticæ indemnitati Doctores? ex ipſa eadem Doctiſſima Societate, qui adſint, audiet modo & mirabitur Lector, vt credo. Sic enim ex eadem idem ipſe Theophylus Raynaudus, qui an ex affectu nimio in Dominicanos iſta, quæ refero, ſcripturus eſſet, nemo poterat ſuſpicari, hic inquam in tomo 18. in Opuſc. in inſcripto, *Arnaldus* pag. 237. alloquens Ianſeniſtam hæc habet, *prætendis Thomiſtas à te eſſe, inclamo ego haſtam in te Pontificiam intentans, ſepone innocuos. Ipſi ſe abs te, & tuo Ianſenio ſegreges eſſe conteſtantur, & in Pontificiæ Doctrinæ comprobationem vnanimes venerunt. Nominatim quo ad Thomiſtas te reuincit mendacij Fr. Ioannes Nicolaus inſignis Thomiſta, cuius ad Raynerij Pantalogiam perdocta acceſſiones, quam præ multis pileo tenus Doctoribus abundet in doctrina ſana teſtimonium faciunt &c. alios proferre alibi memini.* hæc ille. Sic etiam Franciſcus Annatus, qui ſtrenue in eiuſdem Ianſenij doctrinam depræliatus eſt, hic ipſe integrum librum elaborauit ac edidit inſcriptum. *Ianſenius à Thomiſtis gratiæ efficacis defenſoribus condemnatus.* In coque per totum celebriorum omnium noſtræ ſcholæ Doctorum teſtimonijs verbatim adductis Ianſeniana dogmata

præfocauit, præter alia, quæ idem ad eundem ſenſum typis dedit, vt lib. contra commentatorem cap. 2. §. 1. & libr. de libertate incoacta contra Apologiſtam Ianſenij cap. 2. §. 4. ex profeſſo concludens, *Ianſenij ac Thomiſtarum diuerſiſsima eſſe principia*, & libro inſcripto Gallicè. *La conduite de l'Egliſe parte ſecunda.* producens & explicans decem & 8. doctrinæ Thomiſticæ à Ianſenianæ differentias; iam igitur etiam iſtis fatentibus longe à Ianſenij doctrina explicatio ac ſententia Thomiſtica abeſt. Vide etiam ex eadem Societate Stephanum Decamps lib. 2. de hæreſi Ianſeniana diſp. 6. cap. 9. vbi, *Glorientur*, inquit, *licet Ianſeniani tot ſe nuperi dogmatis patronos habere, quot phiſicæ prædeterminationis defenſores extiterunt, vere tamen mihi videor eſſe dicturus, nullos huic doctrinæ infenſiores reperiri, quam qui poſt natam Caluini hæreſim ex S. Dominici Ordine, alijſque eiuſdem Sacramenti Theologis, maioris eruditionis & ingenij laude floruerunt*, & lib. eodem 2. diſp. 3. cap. 5. relata eadem iactabunda Ianſeniſtarum imputatione, velut non poſſet eorum error proſcribi, niſi & Thomiſtarum ſententia tāgeretur, reſpondet his verbis. *Iſtud tamen falſitatem omnem ſuperat, & ab ijs cū ſtomacho auditur, quibus vtraque opinio nota eſt atque perſpecta*: Similia habet ex eadem Societate P. Martinonus in Anti-Ianſenio pag. 708. & 131, ſimiliaStubrochius in notis ad primam Pauli Irenæi diſquiſitionem, nec deſunt alij, quos non vacat omnes aut exquirere aut recenſere.

Tertiò, quia ſi ſolum poſt damnatas quinque Ianſenii propoſitiones Thomiſtæ fuiſſent profeſſi ſe à Ianſenio diſcedere, forſan ſuſpicio potuiſſet apparētior aliquibus iudicari, at ne dum ſecuta damnatione ſed ante, & priuſquam vere à reliquis Ianſenius ipſe impugnaretur, à noſtris impugnatus eſt, & contra eundem Pontifici Innocentio inſtantiæ humiles porrectæ ſunt; igitur nulla omnino vel apparens alicui in hoc ſuſpicio potuit ſuboriri. Minor oſtenditur ex his, quæ ſupra etiam libr. 5. quęſt. 2. in ſolut. ad vltimum afferebamus, nempe cum proſcriptio prima Ianſenij ſolum prodierit Anno 1653. iam antea Anno 1649. Mag. noſter Alexander Sibillè Regens Louanij ſuas Theſes contra Ianſenij dogmata evulgauit, eaſq; ideo à Ianſenij Patronis interdictas Louanij, ne dum Thomas tunc Turchius Generalis Publicè ibidem defenſari præcepit, verum & Regens ipſe Sibillè eodem Generali aſſiſtente poſt oſcula pedum Pontificem deprecatus eſt, vt pro gloria *S. Thomæ Aquinatis indiſciplinatas illorum hominum quæſtiones dignaretur compeſcere*, & demum tomum integrum in quinque libros diſtributum Anno 1652. Bruxellis edidit inſcriptum *contra Ianſeniſtas*, in cuius initio ſingula, quę nunc retulimus, diſtincta ſerie impreſſa leguntur; antequam, vt antea dixi, Anno deinde ſequenti Ianſenij damnatio emanaret, ibique non immerito idem Sibillè poſt allatas aliorum Dominicanorum approbationes non immerito concludebat, *prælo hæc inſeri volui, vt totius excutias à te ipſo dubietatis ambiguum, & ſcias hæc a Thomiſticis exulare Doctrinis.* His congruit, quod Pariſienſis Apologiſta lib. 1. ſect. 3. dicebat, *Patris Nicolai Dominicani opera, qui fama eruditionis reliquis non ſolum Thomiſtis, ſed etiam aliorum Ordinum Theologis ſibi adiunctis præcellebat, ſuffragiorum numero victas Ianſenianas partes Pariſijs fuiſſe*, vti reipſa videri poteſt in præfatione ad tomum 2. Pantheologiæ Raynerij, neque has vanas gloriationes fuiſſe conſtabit.

Quartò, quia immo Ianſenius non modice mordet S. Thomæ doctrinam,

cum

cum in tomo 2. lib. 1. Procemiali cap. 7. ponit hanc maiorem, *modus penetrandi diuina per humanam rationem & Philoſophicas ratiocinationes eſt periculoſus & multis erroribus expoſitus*, inde cap. 22. ſubſumit minorem, *ſumma autem S. Thomæ nihil eſt aliud quam S. Auguſtinus contractus certa proportione alligatus naturalibus principijs*, & conſequentiam tacite, aut ſubinfert, aut ſupponit, ſcilicet *ergo modus docendi S. Thomæ* eſt periculoſus & multis erroribus expoſitus. Immo in eodem libro Procemiali cap. 9. iterum carpit S. Thomam vt minus habentem in Theologia potiori, ſcilicet poſitiua, dum inquit. *Exemplo S. Thomæ & Caietani comprobatum eſt non poſſe excellere in poſitiua, qui in Scholaſtica excelluerit.* Et poſtea cum Ianſenius adeo male habeat S. Thomam, eumque traducat, ſuſpicabitur aliquis eiuſdem ſingularem Ianſenij doctrinam cum adeo communi ac ſolida S. Thomæ conuenire doctrina?

Quintò, quia nemini ignotum eſt Thomiſtarum ſententiam eam eſſe, quam docuit ex S. Thoma Aluarez & exarrauit in lib. de Auxilijs, de quo ideo Caramuel fundamento 1. dicebat in hac materia, *quod contra Aluarez S. Thomæ non eſt*. Sed Ianſenius præter ea, quæ in vulgato opere habet non ſemel contra doctrinam Aluarez, etiam poſt eius mortem in ipſius Bibliotheca repertus eſt liber Aluarez poſtillis eiuſdem manu frequentiſſimis obſignatus ac impugnatus, tanquam doctrina Aluarez (admirare hic Ianſenij ſpiritum contradicendi ac indomabile ingenium) magis cum Molina quam cum D. Auguſtino conueniret; ergo euidentiſſime iterum Ianſenius ipſe probauit cum ſua doctrina haudquaquam conuenire Thomiſticam. minorem, quam olim à Gallis noſtris audiueram, nunc manifeſtam effecit ipſe Caramuel, dum & ipſe in ſua Theologia fundamentali fund. 1. nu. 32. ponit hunc titulum, *demonſtratur doctrinam Didaci Aluarez eſſe eandem, quam hodie ſolent in Scholis defendere P. P. Ieſuitæ*. Et præter alia, quæ habet à num. 32. inde poſtea fundamento 5. num. 286. vt videas id totum à prædictis Ianſenij Poſtillis deſumpſiſſe, ſic habet. *Obijt Cornelius Ianſenius, eiuſque Bibliotheca importata fuit Brugas, & meo conſilio empta à Reuerendiſs. Domino Bernardo Campamans Monaſterij Duanenſis Antiſtite magna ex parte. pleriq; libri erant notis marginalibus, in Doctorum ſententia, maculati, mea illuſtrati. Fuerat enim Cornelius multæ lectionis & memoriæ vir, & ſcribebat in margine, quod alibi legerat, & putabat conducere, inter alios libros librum Aluarez legi de auxilijs, in quo vix erat linea ſine linea, & inde cognoſcere cœpi, quæ alibi expendo*, ſcilicet mox ante relata.

Sextò, quia præcipua dogmata in Ianſenio notata, vt erronea, ſunt eadem ipſa dogmata Michaelis Baij, vt ipſe Ianſenius præuidit, & ideo Baium ſemper nititur excuſare, & Bullam condemnatoriam errorum eiuſdem eludere alienis interpretamentis, ac eleuare, vt videre eſt in lib. de gratia primi hominis cap. 19. per totum, & lib. 4. de ſtatu naturæ lapſę cap. 25, & 26, & 27. ex profeſſo per ſingula, & lib. 6. de gratia Chriſti cap. 38, ideoque iuſtiſſime Pontifex Vrbanus VIII. in prima interdictione editionis Iãſenij id indicauit, vt legenti decreti verba patebit, ſed in damnatione dogmatum Michaelis Baij nunquam profecto dubitatum eſt, vel eminus tactam fuiſſe S. Thomæ doctrinam, cum immo B. Pius V. ex Ordin. Dominicanorum aſſumptus, qui & Bullam in honorem doctrinæ S. Thomæ emiſit, eumque albo Doctorum Eccleſiæ adnumerauit, ille fuerit, qui prius ante Gregorium XIII. damnauit Baij pro-

poſitiones, ergo pariter in damnatione doctrinæ omnino ſimilis Ianſenianæ dubitandum non erat de S. Thomæ doctrina, nec eidem cum illa commercij ſuſpicio affigenda fuit.

Septimò, quia Sedes Apoſtolica, ne dum damnauit propoſitiones Ianſenij, ſed etiam ſenſum Ianſenij, vt patet ex Bulla Alexandri Septimi ſub die 17. Nouembris 1656. decernentis, *in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe*, ſcilicet 5. propoſitiones. Sed ſenſus Ianſenij erat iſtas propoſitiones colligi ex doctrina Auguſtini, ergo damnatum eſt etiam colligi ex Auguſtini doctrina, ſed in hac ipſa materia certum eſſe videtur doctrinam S. Thomæ eandem eſſe cum doctrina Auguſtini, vt præter Caramuelem fundamento primo, cõfitetur ipſe Suarez prologomeno 6. in fine in hoc appellans S. Thomam *Supparem Auguſtino*, ergo per conſequens dici nequit prædictas damnatas propoſitiones colligi ex doctrina vel S. Thomæ. Vnde non minus Archiepiſcopi, & Epiſcopi Galliarum congregati Pariſijs rite agnouerunt damnatos ab Innocentio X. & Alexandro VII. Ianſenij ſenſus longe à doctrina S. Thomæ recedere (quam idcirco poſtea Alexander Septimus in Breui ad Louanienſes ſimul cum doctrina Auguſtini coniunxit ac commendauit) non minus, inquam, id agnouerunt, ac id in ordine ad Auguſtini doctrinam agnouerint, & repetitis vicibus profeſſi ſint, tum in communi epiſtola ſubſcripta & miſſa ad Alexandrum Septimum ſub die 2. Septembris 1656. dicentes, *Magiſtrum illum optimum Auguſtinum à Cæleſtino laudatum, dum verbis colunt, adultero ſenſu violant*, & poſt pauca, *ac ſi Auguſtinum aſſererent ipſi, à cuius tamen ſententia pertinaciter diſcedunt*, tum in tranſmiſſis iterum ad eundem Summum Põtificem ſub die 20. Februarij 1663. repetentes, *reſponſum ab Apoſtolica Sede manauit aduerſus ſcientiam falſi nominis, quæ in Diui Auguſtini doctrinam inuaſerat, atque eius nomine circumferebatur*, tum antea etiam ad Innocentium X. ſub die 28. Martij 1654. ſcribentes ac recognoſcentes nouam Ianſenij doctrinam longe per conſequens à doctrina Thomiſtica, quæ ſane non noua, ſed vetus erat, abſcedentem, his verbis, *Auctor ille vſurpatione priuata nouam doctrinam ſub ſpecie veteris inducebat*, ſub ſpecie ſcilicet Auguſtinianæ doctrinæ, vti hæ omnes epiſtolæ eorundem per extenſum impreſſæ leguntur in fine tomi primi Ludouici Abelly Epiſcopi Ruthenenſis, conſulendæ in eodem, & Bail ipſe Pariſienſis, licet nobis aduerſus, tom. 2. pag. 925. ex ſubſcriptionibus etiam poſtremis Epiſcoporum Galliæ pro poſtremo decreto Alexandri Septimi recenſet & confitetur *doctrinam Diui Auguſtini à Ianſenio non fuiſſe bene intellectã, ſeu Ianſenium à mente D. Thomæ aberraſſe*.

Octauò, quia differentia propria ac radicalis inter doctrinam Thomiſtarũ ex vna parte, & P.P. Societatis ex alia, eſt ſine dubio ea Phyſica prædeterminatio toties à Thomiſtis defenſa, quoties ab Aduerſarijs impugnata, ſed Ianſenius apertiſſimo Marte impugnat hanc Phyſicam prædeterminationem, ergo Ianſenius profecto non poteſt cum Thomiſtis vt diſſidentibus à Societate conuenire; minor, quæ ſola indiget probatione, probatur afferendo Ianſenij loca, nimirum in tomo 2. libr. de gratia primi hominis cap. 20. pro titulo habet. *Declaratur adiutorium ſtatus innocentiæ non fuiſſe prædeterminationem phyſicam.* Et præter ſeptem ibi probationes adhoc, inter alia ſic inquit, *prædeterminatio phyſica penitus deſtruit magnam illam libertatem & bene viuendi poteſtatem &c.* & fuſius

fuſius infra lib.8. de gratia Chriſti Saluatoris cap.2. ita capiti affigit titulum, *varia diſcrimina proferuntur inter adiutorium Dei medicinale & prædeterminationem phyſicam, prout à defenſoribus eius, ſcilicet Thomiſtis, traditur,* & in toto capite ipſe proſequitur 7. differentias, nobis adimens laborem vel eas adinueniendi, vt ab ipſo ſecerneremur, vel eas euulgandi vt ab oppoſitis defenderemur, & poſtea concludit, *quapropter qui medicinalem Chriſti Saluatoris gratiam ſic defendere conantur vt eam in talem prædeterminationem phyſicam transforment, magis profectò Ariſtotelici quam Auguſtiniani ſunt, nam talis prædeterminatio ſic aſſerta, non ſolum nullo eius teſtimonio probari poteſt, ſed potius doctrinam eius vniuerſam innumeris locis traditam inexplicabili confuſione perturbat.* Hæc ille, cum quo vides quam injuſte commercij Thomiſtæ apud aliquos obtrectatores vel ſuſpicionem incurrerint.

Nonò, quia præcipuum dogma Ianſenianæ doctrinæ eſt illa differentia inter modum decretorum Dei vel adiutorij erga ſtatum innocentiæ, & erga ſtatum hominis lapſi, vt ipſemet Ianſenius profitetur lib. de gratia primi hominis cap. 17. appellans, *veram & immobilem baſin, cui vniuerſa doctrina de gratia Chriſti Saluatoris incumbit,* ſed ex oppoſito doctrina Thomiſtarum, ne dum per phyſicam prædeterminationem, verum etiam per decreta prædefinitiua ab intrinſeco in ordine ad vtrumque ſtatum ex æquo deſtruit continuo in radice prædictum dogma Ianſenianæ doctrinæ, vt ex propoſito videri poteſt illud idem dogma ac diſcrimen refutatum à noſtro Mag. Gonet in tomo 3. diſput. 5. art. 7. per totum, & antea à Lemos tom. 4. tractatu vltimo per integrum, & nos in opuſculo integro iam parato aliàs edendo de quinque ſtatibus naturæ contra Ianſenium fuſius exponemus: ergo iterum Thomiſtarum doctrina longe à Ianſeniana diſcedit, immo eidem radicaliter contrariatur.

Decimò, quia tota vere origo errorum Ianſenij eſt, quod Ianſenius neget in hoc ſtatu gratiam proprie & ſtricte ſufficiẽtem in actu primo intrinſece completo tribuentem poſſe, volens immo & concurſum quemcunque Dei correquiſitum ad actum ſecundum complere ſimul intrinſece actum primum & cõſequenter complete tribuere poſſe, vt præter noſtros omnino Thomiſtas obſeruauit etiam Annatus in Informatione circa quinque propoſitiones eiuſdẽ pag. 40. num. 31, ſubinde concludens, *omnes autem hi errores ex hac vna origine proterere.* Sed ab oppoſito Schola Tomiſtarum negat concurſum Dei correquiſitum vel præequiſitum tribuere vllo modo intrinſece poſſe, atque ait dumtaxat ad lineam actus ſecundi attinere, nonniſi extrinſece non vero intrinſece completiuam actus primi, vt late etiam nouiſſime explicarunt Xantes Mariales relectione 9. de Scientia ſect. 3. per totam, & Gonet tomo 4. diſput. 6. ar. 7. §. 6. per totum, ergo ab origine iſta etiam Thomiſtæ à Ianſenio latiſſime diſcriminati ſunt.

Vndecimò, quia ſicut doctrina Ianſenij quo ad aliquid ſaltem apparenter alicui videri poteſt conuenire cum doctrina Thomiſtarum, ita etiam quo ad aliquid immo quo ad omnia in propoſito viſa eſt doctrina Thomiſtarum conuenire cum doctrina P.P. Societatis, vti mox ante ex Caramuele recitabamus, & conſequenter eodem modo etiam doctrina Societatis apparere poteſt cũ doctrina Ianſenij conueniens, ſed non obſtante iſto ſecundo vera profectò dici nequit conuenientia ſecunda, ergo pariter non obſtante primo nec vera di-

ci

ei poterit ea prima, nec in damnatione Ianſenij ſubinde Thomiſtarum vel P. P. Societatis doctrina tacta eſſe vel per ſomnium cenſenda eſt, hucque adaptari poteſt id, quod habet ipſe Ianſenius libr. 8. de gratia Chriſti Saluatoris cap. 1. vbi confitetur non magis ſibi dici poſſe conſimilem doctrinam Thomiſtarum quam Societatis, & relata ex vna parte ea prima de Phyſica prędeterminatione, ex alia parte ſecunda ipſa ſententia Molinæ, ſubiūgit ſuam ſententiam tertiam: & inquit. *Interroganti cum vtra tandem ex his doctrina de adiutorio medicinali Chriſti conuenire ſtatuenda ſit: dicendum eſt ex integro cum neutra conuenire, ſed aliquid ab vtraque ſumere &c.* vt ipſe proſequitur explicare.

Duodecimò, nam doctrina Ianſenij nequit cum ea altera conuenire, in qua immo contradictorie negantur ſingulæ quinque Ianſenij propoſitiones proſcriptæ. Sed in doctrina S. Thomæ verbaliter, & ſingulæ propoſitiones contradictorie negantur, ergo cum doctrina S. Thomæ dici nequit vllo modo cōnuenire doctrina Ianſenij. Pro minori late poſſemus exſcribere verba S. Thomæ, eaque vt contradictoria verbaliter cum propoſitionibus Ianſenij conferre, ſed ne præoccupatum ab alijs id diutius nos in præſenti detineat, ſatis eſt loca S. Thomæ ſignare: nimirum contra primam propoſitionem loquitur S. Thomas qu. 24. de veritate art. 14. ad primum, & in ſecundo diſt. 28. art. 3. Contra ſecundam conſuli poteſt in primam ad Theſſalonicenſes cap. 5. lect. 2, in ſecundam ad Corinth. cap. 6. lect. 1. & 1. 2. q. 106. ar. 2. ad 2. Contra 3. in q. 6. de malo, quæ eſt de electione humana, Contra quartam in quodlibeto 1. art. 7. ad 2, Contra quintam demum in primam ad Timoth. cap. 2. lect. 1. & in cap. 1. eiuſdem epiſtolæ lect. pariter prima, in epiſt. ad Hebræos cap. 12. lect. 3. in primo diſt. 46. q. 1. art. 1. & 3. contra Gentes cap. 159.

Decimotertiò, quia Alexander Septimus Pontifex, poſt repetitam adhuc ſeu confirmatam damnationem errorum Ianſenij, viuæ vocis Oraculo declarauit, noluiſſe (vt inquit Frācifcus Annatus in libro, cui titulus eſt, Cauilli Ianſenianorum pag. 29.) *noluiſſe*, inquam, *controuerſiam attingere inter P. P. Societatis & Thomiſtas diſputatam de gratia*, vt ad hunc ſenſum noſter Gonet diſput. 6. de Scientia media art. 8. ſubiungit etiam *decretum editum in congregatione generali Sanctæ inquiſitionis habita die 23. Aprilis Anni 1654 quo declarauit ſe celebrem illam de gratia per ſe efficaci controuerſiam in eodem ſtatu relinquere, in quo erat in congregatione de Auxilijs &c.* & ante Alexandrum Septimum, etiam Innocentium X. id de ſeipſo ſuique mente declaraſſe teſtatus eſt Orator tunc Romæ Regis Galliæ in epiſtola exſcripta apud Carolum ab Aſſumptione in ſuo *Triumpho Thomiſtico firmato* cap. 2. num. 131. ſub die 12. Iunij 1653. tranſmiſſa ad Comitem de Brienne Regiâ ſecretis, idemque præcitatum S. Congregationis decretum agnoſcunt Carmelitæ Salmanticenſes tom. 5. pag. 482. Sed hoc nō eſſet ſi doctrina S. Tho. aut Thomiſtarum ſuſpecta dici poſſet commercij cum prædamnata doctrina Ianſenij, ergo non ſic vtique dici poteſt.

Decimoquartò, quia iterum poſt damnationem Ianſenij idem Alexander Septimus in Breui dato ad Louanienſes 6. Nouembris 1660. inquit, *non dubitamus vos &c. præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini & Thomæ Aquinatis inconcuſſa tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper, vt aſſeritis, ac impenſe reuereri &c.* ſed ſi in Ianſenij proſcriptis dogmatibus conuenirent dogmata Sancti Thomæ, non ita continuo, nec ita diſtincte vel decretorie ab eodem Pontifice ap-

pellata

Digitized by Google

pellata fuiſſent, *etiam S. Thomæ dogmata inconcuſſa tutiſsimaque*, ergo euidens eſt non conuenire &c. Scio non vnum conatum eſſe hoc egregium pro D. Auguſtini ſimul ac S. Thomæ doctrina encomium eneruare, immo deijcere: quidam enim (vt refert Chriſtianus Lupus in epiſt. Apologetica de attritione & contritione cap. 5. ad vndecimum pag. 90.) dixit *laudatum Breue per diabolicam machinam fuiſſe impetratum*. Faber etiam apud Gabrielem à S. Vincentio in lib. de Remedijs ignorantiæ diſp. 14. dub. 9. num. 149. non dubitauit dicere Pontificem Alexandrum Septimum, *nunquam Breue illud priuatum vidiſſe*, ex teſtimonio ſui conſodalis Wanderche cõcludens, *ſincere id affirmo ac Sanctè iuro*. demum Petrus de Alua nodo 17. ea verba, *inconcuſſa tutiſsimaque dogmata*, ait nõ aſſeri à Pontifice, ſed afferri velut ſibi ſcripta à Louanienſibus, ideoque parentheſim inſeri, *vt aſseritis*. Sed contra duos priores ſatis egerunt Chriſtianus Lupus ibidem, Gabriel à S. Vincentio eodem loco relato, & præter noſtrum Eminentiſs. ac ſapientiſſimum Capiſuceum in hoc etiam laudatum à Gabriele de S. Vincentio, nouiſſime Henricus Noris in Vindicijs Auguſtinianis cap. 6. in fine exſcripta etiam atteſtatione Cardinalis Nerlij tunc temporis Secretarij Breuium: poſtremam vero Aluæ ſiniſtram interpretationem manifeſtæ falſitatis conuicerunt Vincentius Baronius libr. 1. Apologetico ſect. 2. art. 5. §. 1. & ante ipſum Martinus Harnei in epiſt. Apologetica demonſtrans immo in epiſtola Louanienſium ſcripta ad Pontificem ſub die 20. Martij 1660. non extare ea verba, vti ad hoc *ſe epiſtolæ illius authenticum exemplar ſuis oculis vidiſſe teſtatur*, tum quia illa interſerta verba, *vt aſseritis*, non afficiunt ly *inconcuſſa*, ſed ly *ſequi ſemper velitis*, tum quia tandem, vt etiam Gabriel à San. Vincentio exſcribit edictum conuocationis Vniuerſitatis pro ſubſequente gratiarum actione, eadem Vniuerſitas Louanienſis repellit prædictam interpretationem dicens, Pontificem Auguſtini & Thomæ dogmata, tanquam inconcuſſa tutiſſimaque, & proinde ſemper ſequenda, & *impenſe reuerenda commendauiſſe*, vt latius egimus ſupra lib. 3. q. 8. art. 2. Ergo &c.

Decimoquintò, quia demum idem Alexander VII. ſub die 29. Iulij anno 1663 ad Epiſcopos Galliæ reſcripſit aliud Breue reſponſivum libello ſupplici eorundem præſentato per Illuſtriſſimum Dominum Gilbertum de Choiſeul Epiſcopum Conuenarum, circa quinque propoſitiones damnatas Ianſenij, quas & ipſi damnabant, & oppoſitos ſenſus Catholicorum latiſſimè ſubiungebant, eoſq; Pontifex in dicto Breui incipiente, *vt nulli veſtrum &c.* commendauit, & eorundem Epiſcoporum exemplo gaudebat & alios *ad ſaniorem doctrinam induci*, vt ex integro & Epiſcoporum libellum, & Pontificis reſpõſum exſcriptum legitur in eodem Gonet art. 8. citato, & ſimul refertur à Contenzono tom. 5. diſſert. 5. §. 1. ſed ſenſus expreſſi in prædicto libello Epiſcoporum, vt ibidem idem Gonet expẽdebat, continent ipſam explicationem Thomiſticam, vt & conferenti patebit, ergo iterum explicatio Thomiſtica nullo modo in damnatione Ianſenij, vel leuiter tacta dici poteſt, quinimmo commendata poſt ipſam.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Obiectiones ſoluuntur.

AD primum igitur iam ſupra abunde reſpondimus lib. 5. quæſt. 2. in reſponſione ad vltimum euincentes illius impoſitæ narrationis falſitatẽ, quam ab aliquibus fictam fuiſſe non miramur, cum etiam tempore Auguſtini inter Pelagianos non defuerint, qui ſint auſi falſum rumorem emitrere, quod Sixtus Præsbyter poſtea Pontifex ſucceſſor Bonifacij aliquando Pelagianis patrocinium præſtitiſſet, vt refert ipſe Auguſtinus lib. 2. ad Bonifacium cap. 3, vti & Pontifici Zozimo quid ſimile imponebatur, vt refert Auguſtinus ibidem, & tractat nouiſſime Noris lib. hiſtoriæ Pelagianę cap. 12, vbi etiam ipſe Franciſcus Annatus ex aduerſo pro nobis in informatione pag. 12. ante damnationem Ianſenij teſtatur aliquos noſtros contra eundem Ianſenium ſcripſiſſe, nominatim inquiens, *ex ordine S. Dominici ſcripſit contra Ianſenium Pater Sebille*.

Ad ſecundum iam longe lateque diſcrimina, ne dum allata à noſtris, verum etiam à præcitatis P. P. Societatis conſtanr inter proceſſum doctrinæ Ianſenij & progreſſum doctrinę Thomiſticæ, præſertim vero præter ſeptem differentias à Ianſenio explicatas, & 18. ab Annato, ea etiã præcipua eſſe poteſt, quod nunquam Thomiſtæ vel conueniunt, vel ſe conuenire aliquo modo permittũt cum Caluino negante expeditam indifferentiam libertatis in actu ſecundo, at Ianſenius in re conuenir, & aliqualiter ſe conuenire concedit, dum libr. 8. de gratia Chriſti Saluatoris cap. 21. audacter inquit, *ſi qua in re Caluinus cum Auguſtino & antiquis Patribus ſenſerit, non propter Caluinum Auguſtino indignandum eſt, ſed propter Auguſtinum Caluino potius gratulandum*; & licet ibidem aliquas conetur poſtea differentias adducere inter ſuam doctrinam & Caluiniſticam, tamen quo ad ponendam ſolam libertatem à coactione, non à neceſſitate, cum Caluino omnino perſiſtit in fine concludens, *an hoc ideo negandum eſt, Auguſtinum ſenſiſse ac docuiſse, quia Caluinus etiam in immunitate coactionis libertatem collocare voluiſse videtur?* Hæc ille, non ſic nos, vnde ille in hoc ſtatu lapſo eam ſolam rationem voluntarij pro noſtra libertate concedit, quæ datur etiam in amore Beatorum in Patria, vt ab exemplo idem explicat lib. 6. cap. 8. & lib. 7. cap. 14, non ſic vero Thomiſtæ, qui ad differentiam illius expoſcunt in actu libero, præter rationem voluntarij, expeditam etiam in actu ſecundo indifferentiam ad oppoſita &c. Vide apud Bail Pariſienſem tom. 1. Conciliorum pag. 776. decretum Vniuerſitatis Pariſienſis agnoſcens in hoc ipſo Ianſeniũ contrarium D. Thomæ.

Ad tertium negatur penitus antecedens, vt præter adductas in oppoſitũ S. Thomæ auctoritates contradictorie deſtruentes ſingulas quinque Ianſenij propoſitiones, & præter integros quinque libros noſtri Sebille ex profeſſo refutantis eaſdem iuxta principia Thomiſtarum, & præter ſingulos poſteriores Thomiſtas, vt Gonet & huiuſmodi, qui ſuis locis ſuorum operum editorum ex propoſito iuxta doctrinam Thomiſticam reprobarunt eaſdem, ſatis erit conſulere librum Franciſci Annati è Societate inſcriptum, *Ianſenius condemnatus*

à Tho-

à Thomiſtis &c. vbi ſingillatim noſtrorum etiam antiquorum Thomiſtarum, ſignatis locis, & exſcriptis verbis, teſtimonia afferuntur, & veluti collato pede contra Ianſenium depræliantia ordinantur. Merito igitur loco ante laudato Gonet expoſtulabat de quibuſdam alijs his verbis, *liberius interdum aliqui familiaribus aut earundem partium ſtudio coniunctis inſuſurrant, Thomiſtas in eodem cum Ianſenio luto hærere, ac maiori arte aut dolo alij, dum toto impetu totiſque viribus in Ianſenium ferri ſimulant, & videri volunt, oblique & per latus Thomiſtas petunt, & ſibi viam parant, vt quod animo diu meditantur, aliquando palam faciãt, & fidem non ægre reperiãt, cuius toties periculum fecerint aut guſtum aliquem dederint, Thomiſtas à Ianſenij ſententia nec quantum latus vnguis eſt in diuerſum abire &c.*

QVÆSTIO QVINTA.

An etiam Hæreſis Prædeſtinianorum ante Caluiniſticam verè olim extiterit in Orbe diſtincta à præexplicata doctrina Auguſtini, licet & huius hæreſis nota Auguſtini doctrina ab aliquibus infamata fuerit?

POſt tot præmiſſa proficiet & huius reſolutio quæſtionis, vt iterum eluceſcat, quam longe ab errore quocumque ſincera Thomiſtarum cum Auguſtino & Aquinate explicatio recedat, quod, vt video, aliqui etiam ex Catholicis non plene viderunt, dum Ianſenio quo ad hoc adhærentes negant hæreſim Prædeſtinianorum vnquam in Orbe fuiſſe, nec ita intime perceperunt eiuſdem Ianſenij intentum conantis ita & ſuam Prædeſtinianam hæreſim occultare ſub pallio verorum Auguſtini diſcipulorum, ac ſi non alij fuerint vnquam hoc Prædeſtinianorum nomine diffamati, quam veri Auguſtini diſcipuli, ſicque liceret & ipſi excuſare ſe ipſum &c. ſit ergo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Proponitur Negatiua Sententia.

NEgauerunt aliqui hanc hæreſim aliquando fuiſſe, vel eam aliquos propugnaſſe, quinimmo dumtaxat hoc nomine Auguſtini doctrinam ſub iſtius hæreſis colore ac prætextu præſertim à Fauſto fuiſſe traductam, vt pro iſta ſententia negatiua perſtitit Ianſenius libr. 8. de hæreſi Pelagiani cap. 23. per totum, & ante ipſum Iacobus Vſſeus Caluiniſta Hibernus in lib. edito Anno 1621. & inſcripto, *Godeſchalci & Prædeſtinianæ controuerſiæ ab eo motæ hiſtoria*, inde Gilbertus Maguinus contra Sirmundum Apologiſta cęterorũ, & ex parte videtur inclinare Noris lib. 2. cap. 15. ſub dubio ſaltem pleraſque oppoſitas probationes eneruans. Et ſuaderi poteſt primo, quia ſi iſta hæreſis aliquando fuiſſet, maxime tempore Auguſtini & Proſperi, ſcilicet Anno 415. vt tradit Sigisbertus, & ex Hincmarro colligitur. Sed hoc tempore non fuit, aliter mirum eſſet eius non feciſſe mentionem aliquando Auguſtinum vel Proſperum eodem tempore viuentes, & contra hæreticos in hac materia ſcribentes, ergo vere aliquando non fuit.

Secundò, quia vtique Proſper præfatione ad capitula Gallorũ, & ad obie-

ctiones Vincentianas, fatetur ac repetit talem errorem fuiſſe per calumniam impoſitum Auguſtino eiuſque ſequacibus, vt eius verba ibidem excurrenti patebit, ergo ſignum eſt Chymericam ſeu phantaſticam hæreſim iſtam Prædeſtinianorum fuiſſe, eaque dumtaxat falſo fuiſſe traductos ac maculatos cum Auguſtino ſequaces eiuſdem, non vero eiuſdem hæreſis verum aliquem Auctorem in Orbe extitiſſe.

Tertiò, quia ad hoc Hincmarrus, vbi de hac tractat, ait hanc hæreſim primum in *Affrica, poſtea in Gallia exortam eſſe quando & Neſtoriana hereſis naſcebatur*. Sed hoc nil aliud eſt quam primitus ortam eſſe viuente Auguſtino in Affrica, & poſtea ſub mortem eiuſdem, ſcilicet dum ipſe Epheſum ire debebat contra Neſtoriū mortuus eſt, & ad hoc Sigisbertus & Proſper Tyro inquiunt ex *libris Auguſtini male intellectis initium ſumpſiße dicitur*, ergo ſignum eſt hanc fuiſſe meram calumniam in libros Auguſtini male intellectos non autem vere aliorum quorundam hæreſim dici poſſe.

Quartò, quia primus, qui retulit hanc hæreſim Prædeſtinianorum, quemq; alij ſecuti ſunt, fuit Gennadius Maſſilienſis Præsbiter, ſed veriſimile eſt hunc per hæreticos Prædeſtinianos ſolum intelligere voluiſſe Auguſtinum ac Proſperum denigratos hac nota, ergo veriſimile eſt alios non fuiſſe vnquam hæreticos Prædeſtinianos; minor oſtenditur, tum quia idem Gennadius, vt late in libro ſuperiori vidimus, cum Semipelagianis conſpirauit vocans Auguſtinum, *multiloquio peccantem & errantem*, Proſpetum vero *infamantem Caſsiani ſalutaria opuſcula tanquam nocua*, tum quia ideo ipſe Gennadius in Chronico omiſit hæreſim Pelagianorum & Semipelagianorum & appoſuit è contra hæreſim Prædeſtinianorum, vt patet in libro de hæreſibus, qui attribuitur Hieronymo vſque ad Photinum & Eunomium; & inde ibidem notatur ſic *hucuſque S. Hieronymus. Hæc vero, quæ ſequuntur à S. Gennadio Maſsilienſi Præsbytero poſita ſunt*, & ſtatim incipit hæreſis Prædeſtinianorum Pelagianis Semipelagianiſque dimiſſis, ergo.

Quintò, quia hac de cauſa S. Iſidorus in Cathalogo hæreticorum lib. 8. poſt Gennadium, ſed ante Hincmartum, hac de cauſa ab oppoſito omiſiſſe videtur hæreſim Prædeſtinianorum & loco eius appoſuit Pelagianam, ergo idem, quod prius.

Sextò, quia ſinguli illi articuli, qui inter hæreſes Prædeſtinianorum referuntur, ſunt ipſimet Articuli, qui attribuebantur à Semipelagianis ipſi Auguſtino, vt patet ſi illi, qui in Gennadio & Hincmarro recenſentur, conferantur cum ijs, quos Auguſtino impoſitos refert Proſper vbi ſupra, vt confert latè loco citato Ianſenius, & poſt ipſum Noris vbi ſupra, ergo ſignum eſt Hæreticos Prædeſtinianos non fuiſſe veros, ſed fictos, ſcilicet hac calumnia notatos ipſum Auguſtinum, & Auguſtini ſequaces.

Septimò, quia cum Gondeſcalcus ab Epiſcopis Gallicanis damnatus eſſet & à factione Hincmarri anno 850 inde hæreſis Prædeſtiniana in faciem alterius partis illideretur, tunc S. Prudentius Epiſcopus Trecenſis in lib. contra Ioannem Erigenam cap. 4. reſpondebat, *tertiam vero hæreſim, quam Pelagianis contrariam aſſeris, quæ ita denum gratia prædicetur, vt libertas arbitrij funditus auferatur, nec legimus nec audiuimus*, & poſtea, *neſcio quem elogio tua tertia hæreſeos denotare volueris, niſi Beati Auguſtini dictorum, quæ præmiſimus, immo Catholicorum omnium*

nium fideliter veraciterque ſequaces, & S. Remigius cum ſua Eccleſia Lugdunenſi in lib. contra eundem Ioannem Erigenam cap. 4. ait, *quæ ſit vel fuerit in Eccleſia hæreſis ſecunda, quæ ita prædicauerit ſola Dei gratia hominem ſaluari, vt liberum hominis negaret vel deſtrueret arbitrium, nobis minime compertum eſt*, & inde Concilium Valentinum ſub Lotario Imperatore damnauit è contra Hincmarrum eo quod Articulos Gundeſchalci velut Prædeſtinianos damnauiſſet, vt late refert verba Ianſenius. Non igitur agnita vnquam fuit extitiſſe hæc hæreſis, ſed ſola calumnia aduerſariorum fuit impoſita eiuſdem Auguſtini doctrinæ, vel diſcipulorum eiuſdem.

ARTICVLVS II.

Affirmatiua firmatur, & defenditur.

IN oppoſitum tamen eſt auctoritas longe maior aliorum Doctorum in propoſito conuenientium, ſcilicet extitiſſe &c. vt legi poſſunt noſtri Thomiſtæ approbati à Gonet in tomo de gratia diſput. 2. ar. 1. §. *ſecundus error.* Suarez prologomeno 5. cap. 5. Baronius ad Annum 855. & anno 448. num. 3. Grauina noſter p. 1. tom. 3. q. 2. principali art. 9. in initio, Waldenſis tomo 1. art. 1. cap. 21. Bellarminus lib. 2. de ſtatu peccati cap. 9. Alphonſus de Caſtro aduerſus hæreſes verbo *Prædeſtinatio*, Sanderus lib. 7. de viſibili Monarchia, Iacobus Sirmundus, & Ludouicus Celotus de hoc argumento ex inſtituto, Thomas Auguſtinus lib. 2. cap. 15. art. 2. Bail Pariſienſis tom. 2. Summæ Conciliorum pag. 529. Salmanticenſes Carmelitæ tom. 5. pagina 54. & alij, quos ſingulos recenſere præſertim Scholaſticos nimis prolixum eſſet, ergo longe plauſibilius iſta ſententia approbanda venit.

Reſpondeo pro affirmatiua aſſerendo dilucide præſertim aduerſus Norim seriem eiuſdem hæreſis Prædeſtinianæ, vtique Adrumeti in Affrica circiter annum 417. primitus, viuente adhuc Auguſtino, ſubortæ. nempe hoc anno 417. (ex relatis etiam à Noris lib. 1. hiſtoriæ cap. 17.) Auguſtinus ſcripſit eam celebrem epiſt. 105. ad Sixtum non adhuc Pontificem aduerſus Pelagianos, quam Florum Monachum Adrumentinum in ſuos Concellitas Adrumentinos deriuaſſe narrat dilucidè Valentinus eorundem Adrumentinorum Antiſtes epiſt. 256. ad Auguſtinum his verbis, *incipiamus*, inquit, *ipſius ordinem perturbationis*, ſcilicet ſuorum Monachorum Adrumentinorum, *exponere. Clariſſimus Frater noſter Florus Seruus Paternitatis tuæ, cum ad Vzalenſem Patriã fuiſſet profectus &c. De opuſculis nobis tuæ attulit Sanctitatis, vno Fratre Felice, qui ad tuam ſanctitatem tarde poſt comites ſuos veniſſe cognoſcitur, eundem librum deuote dictante*, ſcilicet, *Epiſtolam ad Sixtum, ventum eſt ad Monaſterium* noſtrum *eum eodem libello, Fratre Floro ad Carthaginem de Vzalenſi Ciuitate profecto, mihi non monſtrato libro, imperitis fratribus recitare cæperunt, qui ſcilicet liber quorundam non intelligentium corda commouit &c. cæperunt memorati fratres*, ſcilicet imperiti, & quos antea vt præcipuos huius factionis ſugillarat dicens, *per ruſticitatem fratrum noſtrorum inaleio erubuimus, quorum inordinata profectione*, ſcilicet extorta ab Abbate licentia, *tuam meruimus Beatitudinem ſalutare*, nempe Creſconius & alter Felix hi erant ex epiſt. 26. Auguſtini ad Valentinum; pergit Valentinus. *Ca-*

perunt memorati fratres, qui omnia ſubuerterunt, innocentum animas commouere, mea paruitate penitus ignorante, in tantum conuentus illorum murmurantis neſcij, vt miſſi Frater Florus de Carthagine, repetitas eorum perturbationes agnoſcens, mihi ſollicite nunciaſſet, furtiua & tanquam ſeruilis erat inter eos de non intelligenda veritate contentio. Videlicet non intelligebant Florum (vere Auguſtinianum) & putabāt, dum extollebat gratiam ſupra arbitrium in hac vita, negare opera noſtra in die Iudicij examinanda (vt poſtea idem Valentinus impoſitum fuiſſe Floro hunc errorem ab ijs, eumque ab eodem errore ſe expurgaſſe coram alijs ſubjungit) vt mox referremus.

Illi igitur præmemorati in duas factiones integrum diuiſere Cœnobium ſub Valentino Abbate conueniente cum Floro. Prima fuit obſiſtens Floro in hoc ſenſu perperam intellecto, quod ipſe negaret libera opera voluntatis, ad quod declinandum hæc factio deflectebat in hæreſim Semipelagianam ſubdendi gratiam arbitrio. Secunda factio ſimiliter accipiens ruditer in eodem ſenſu doctrinam Flori hoc non obſtante perſiſtebat pro Floro, conſequenter vere Prædeſtinianam Hæreſim excitabat. illi quidem ex aliquali malitia aduerſus Florum agebantur, iſti vero ex imperita quadam affectus obſtinatione in Florum. illi quinque circiter aut vix plures fuerunt, deducti à Creſconio & Felice; iſti vero erant plerique alij demptis pauciſſimis doctioribus, qui ſimul & Valentinus in ſenſu recto & Catholico ſeu Auguſtiniano Florum ipſum intelligebant, & approbabant. Abbas inde Valentinus de tot tumultibus ſui Cœnobij modeſtiſſime erubeſcens diſtulit per multum tempus de hoc ſcribere ad Auguſtinum, vt in præcitata Epiſtola præmittebat dicens, ſe diſtuliſſe, *quia tempus loquendi & tempus tacendi, ne dum per dubitantes et de veritate fluctuātes ſcriberemus de dictis ſapientia tuæ, quæ eſt ſicut Angeli Dei, dubitare cum dubitantibus videremur.* Attamen hoc eodem quorundam Annorum tempore intermedio ſubdit, *propoſui ad auferendas impias quæſtiones, vt ad Dominum S. Patrem Euodium mitteremus,* ſcilicet Vzate Epiſcopum Auguſtinianæ doctrinæ ſequacem, *vt ipſe nobis de hoc ſacroſancto libro propter ignaros aliquid certius reſcripſiſſet. Nec hoc patienter accipere voluerunt,* ſcil. Creſconius & Felix primæ factionis duces, *ſed arripuerunt profectionem,* ſcilicet ad Auguſtinum, *nobis taliter non optatam, Fratre Floro,* cui ſcilicet imponebatur falſus ſenſus Prædeſtinianus ab imperitioribus ſecundæ factionis vtique approbatus, *Fratre Floro,* inquam, *furore illorum conturbato, in quem ſæuiebant, quia ipſe illis, vt putabant, vulnera libri huius attuliſſet, in quo non poterant me dicinam infirmi cognoſcere. Vnde & Sanctum Presbiterum Sabinum ad maiorem auctoritatem rogauimus, & ipſius ſanctitas eum librum cum liquidis interpretationibus legit, nec ſic anima ſauciata curata eſt,* ſcilicet Creſconij & Felicis, *quibus propter ipſam pietatem ſumptus dedimus, ne vulnera ipſorum cumularemus, quæ poſſet ſanare libri huius gratia, in qua refulget tua ſancta præſentia.* Sic iſti ad Auguſtinum profecti ſunt, Creſconius ſcilicet & Felix forſan cum quodam alio, vt infra apparebit. *quibus profectis quies & pax per omnes fratres exultauit in Domino: quinque enim vel amplius Fratrum animoſitate iſta eſt innata contentio,* ſcilicet primæ factionis. hi igitur prope Paſcha reditum *feſtinantes, vt apud ſuos agerent Paſcha,* vt inquit Auguſtinus epiſt. 46, eidem Auguſtino retulerunt *Monaſterium illud nonnulla diſſenſione turbatum, eo quod quidam ſic gratiam prædicarent, vt negarent hominis eſſe liberum arbitrium,* en hæreſis Prædeſtiniana

ſtiniana excitata ab imperitioribus & rudibus addictis Floro, licet falſo impoſita ipſimet Floro, de ſe ipſis autem occultata in Pelagianos propenſione, ſimul & de ſuis ſequacibus tantummodo retulerũt, *quod plures eorum Monachorum non ita ſentirent, ſed liberum arbitrium adiuuari faterentur per Dei gratiam*, quos primæ factionis ita ſibi ſuppoſitos ibidem Auguſtinus laudauit reſcribens, *hoc qui ſentiunt bene ſentiunt*: ſed quia, vt opinor, ex eorundem familiari collocutione dignouerat penitiorem & improbam eorundem in Pelagianos propenſionem, in quam, vt ab extremo præſuppoſito errore recederent, declinabant, & vltro cum Valentini Abbatis *nullas ad ſe litteras attuliſſent, & ſi de eius congregatione ſe eſſe dicerent*, non penitùs eorundem relationi fidiſſe ſe innuit Auguſtinus ſubiungens, *ſuſcepimus eos, quoniam ſimplicitas eorum ſatis*, non inquit omnino, *nihil illos nobis potuiſſe confingere indicabat*, tamen vix prædicti Flori diffamationi confidens ſubdit, *multum rogo, ipſum, à quo dicunt ſe fuiße turbatos, ad me mittere non grauemini*, vt poſtea Valentinus recenſet ſe eundem Florum miſiſſe cum ſua epiſtola 256. ad Auguſtinum, & ideo Auguſtinus, & ſi contra ſibi ſuppoſitum erroneum ſenſum Flori ſeu contra Prædeſtinianam Hæreſim ſecundæ factionis in iſta epiſt. 46. breuiter aliqua ſcribat, potius tamen contra detectam intimius factionem primam integrum librum de gratia & libero arbitrio exarauit, vt ipſe teſtatur lib. 2. retractationum cap. 66. in hæc verba, *propter eos, qui cum defenditur gratia Dei putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, vt negent gratiam Dei, aſſerentes eam ſecundum merita noſtra dari, ſcripſi librum, cui titulus eſt de gratia & libero arbitrio ad Monachos Adrumentinos, in quorum monaſterio de hac re cæperat eſſe contentio*, nempe excitantibus contentionem Creſconio & Felice, ex dictis, & imponentibus errorem Prædeſtinianum Floro ſimul & Valentino, de quo propterea Valentinus in epiſtola 256. conquerebatur, veluti de mendacibus impoſtoribus aliorum & diſſimulatoribus erroris proprij, dicens, *ſed cur non directum non timet proferri mendacium? liberum arbitrium Dei gratia non negamus, ſed per Chriſti gratiam quotidianam proficere credimus, & adiuuari confidimus, quid vero homines dicunt, in mea eſt poteſtate, vt faciam bonum, ſi tamen homines facerent bonum? ò inanis gloria miſerorum!* ſic etiam ab hac calumnia Florum ſe coram alijs vindicauiſſe mox ante præmiſerat dicens, *ſerui tui Flori hæc fides eſt Pater, non ſicut fratres iſti ſunt locuti: in præſentia audierunt ab illo dictum, non iuxta merita noſtra dari donum pietatis, ſed per gratiam redemptoris, nam de illo die quis dubitet longe eſſe gratiam, cum cœperit iraſci iuſtitia?* quod eſt in hac vita defendere gratiæ neceſſitatem, & non incidere in errorem Prædeſtinianum excludentem pro die iudicij operum diſcuſſionem, at vero interim non diſcedentibus Creſconio & Felice ante Paſcha ab Auguſtino, id fatente in ſubſequenti epiſt. 47. *qui ad nos venerunt ex veſtra congregatione, nobiſcum egiſſe Paſcha nouerit charitas veſtra; quos ideo tenuimus aliquanto diutius, vt inſtructiores ad vos redirent*, ſuperuenit ſub eodem Feſto Paſchatis ad Auguſtinum alter Felix addictus Floro, de quo dicebat Valentinus epiſt. 256. *vno Fratre Felice dictante, qui ad tuam Sanctitatem tarde poſt comites ſuos veniſſe dignoſcitur*, & Auguſtinus ipſe epiſtol. 47. ſtatim ab initio eum memorabat nominans, *Creſconium Felicem & alium Felicem Dei ſeruos &c.* Auguſtinus ab iſto fidelius & clarius cuncta ſubaudiens, cum iam contra primæ factionis errorem Pelagianum ſcripſiſſet librum priorem de Gratia &c, acce-

pta

pta dilationis eorum opportunitate adiungit, ne dum ſecundam epiſtolam 47. ſed etiam librum poſteriorem de correptione & gratia aduerſus errorem extremum Prædeſtinian. ſeu rudium illorum quorundam ſecundæ factionis Monachorum putantium ſe in hoc Florum ſimul & Auguſtinum magiſtros habere: vnde inquit libro 2. retractationum caput. 67. *rurſus ad eoſdem*, ſcilicet Adrumentinos, *ſcripſi alterum librum, quem de correptione & gratia prænotaui, cum mihi nunciatum eſſet dixiſſe ibi quendam, neminem corripiendum ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo vt faciat tantummodo Deum orandum eſſe.* An vero ab aliquo ibi hac occaſione vulgatus ſit ſub nomine Auguſtini falſus ille liber de facto errorem continens Prædeſtinianum, quem refert Theophylus Raynaudus in Hoplotheca ſect. 2. ſerie prima cap. 6. adductum ab Auctore lucubrationis tripartitæ contra Prædeſtinianos, & vt ipſe credit, impugnatum ab Arnobio Iuniori præſertim lib. 2. & à prædicto Auctore in præfatione demonſtratum, vt ſpurium Auguſtini his verbis, *ad manus noſtras peruenit liber, qui Auguſtinum mentitur in titulo; cum ſe hæreticum oſtendat in textu, vnde volentes inimicum fidei noſtra inter fratres dogma inducere Catholicum ſupra luminare libri ſui poſuerunt.* An, inquam, id ſit verum, vel potius, quod ibidem de Cæleſtino abominante ſimilem librum recenſet, intelligi potius debeat de capitulis Gallorum, quæ vt Proſper atteſtatur, tanquam Auguſtini placita vulgabantur, aliorum eſto iudicium; dum nobis ſufficit ſincera hucuſque narratio, ex qua prima omnino origo habetur apud Adrumetum hæreſis Prædeſtinianæ, adeo vt euaneſcat integrum illud, quod in oppoſitum obijciebat Noris lib. 2. cap. 15. Auguſtinum ſcripſiſſe ad Adrumentinos, *contra Pelagianorum reliquias* ex lib. 2. retractationum cap. 67. non contra *Prædeſtinianos*, tum Valentinum epiſt. 256. ad Auguſtinum vindicaſſe Florum illius turbationis auctorem à calumnia Pelagiana, non Prædeſtinianaſ euaneſcunt, inquam, ex ſincera dumtaxat hucuſque ſingulorum enarratione, ac ſerie, in qua vidimus cum ſcriptione primi libri aduerſus errorem Pelagianorum ſimul compati ſcriptionem ſecundi libri aduerſus hæreſim Prædeſtinianam, & Florum, vt ex allatis verbis colligitur, potius ab iſta ſecunda quam ab illa priori per Valentini epiſtolam vindicatum eſſe, vt contextum etiam excurrenti patebit, & ex lib. de correptione & gratia cap. 1. vbi aduerſus Prædeſtinianos inquit Auguſtinus, *liberum arbitrium, & ad bonum & ad male faciendum confitendum eſt*, & poſtea ſubdit, *hanc fidem &c. etiam in fratre noſtro Floro inueniſſe gaudeo.* En manifeſte Florum Auguſtinus à Prædeſtiniana hæreſi vindicabat. Sic verax aduerſus negatiuam ſententiam ſubſiſtit antiquus hiſtoricus non longe poſt Auguſtini tempora Proſper Tyro in Chronico apud Bibliothecam veterum Patrum tom. 5. parte 3. ad Annum Honorij XIII. ſcribens, *Prædeſtinianorum hæreſis, quæ ab Auguſtini libris male intellectis accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa eſt*, ſcilicet appoſitè poſt annum 417. Sic Sigibertus in Chronico ad annum 415, ſic Genebrardus in Chronico ſub Zozimo. Sed quid vltro? Auguſtinus ipſe, præter recitatum iam ante de Adrumentinis Monacis hunc errorem, longe poſt, Anno circiter 430. ſcribens librum de Dono Perſeuerantiæ in cap. 15. id iterum de alio Monacho plane Prædeſtiniano atteſtatur dicens, *fuit quidam in noſtro Monaſterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, & facienda non faceret, reſpondebat, qualiſcunque nunc ſim, talis ero, qualem me Deus futurum eſſe præſciuit*

uit

uit &c. ſed vſque adeo profecit in malum, vt deſerta Monaſterij Societate fieret canis reuerſus ad ſuum vomitum, Inde Arnobius Iunior in Pſal. 146. inquit, *nota tibi prædeſtinate quid loquar*, & in Pſal 108. *nota ex arbitrio eueniſse vt nollet, propter hæreſim, quæ dicit Deum alios prædeſtinaſse ad benedictionem alios ad maledictionem*, quę ex decretis Synodi Arelatenſis ſub Fauſto germana hęreſis Prędeſtiniana erat, vti & num Caluiniſtica, nomine maledictionis intelligendo malitiam, quæ ſola primario à Deo maledicta eſt: hic autem Arnobius eiuſdem fere temporibus cum Auguſtino vixit, & conſequenter ad inſtitutum magnam obtinet auctoritatem, nec iuvat euaſio Noris de ſuſpecta fide & iſtius Arnobij in Auguſtinum, velut & ipſe cum Semipelagianis hac nota Prædeſtinianorum Auguſtinum traduceret, vt illi in Gallorum capitulis apud Proſperum præſtiterunt, non iuvat, inquam, nam vt legitur tomo 5. Bibliothecæ Pattum parte 3. *Serapion dixit. Teſtor Deum, quia ſolicitudinis meæ vniuerſam ambiguitatem eliminas, ſi de his Auguſtini mihi definita proferas, & de omnibus, quæ tranſacta ſunt, euidentia eius afferas documenta: fateor enim me eius aſſertiones ita probatas habere, vt ſe ipſum ore ſuo hæreticum detegat, qui Auguſtinum putauerit aliquo reprehendendum eloquio. Arnobius dixit, meo ſenſu locutus es, nam ea, quæ eius nunc profero, ac ſi Sacratiſſima Apoſtolorum ſcripta ſic credo, & teneo, & defendo.* Hæc Arnobius, iſtene igitur Arnobio adeo excelſe de Auguſtini doctrina ſentienti attribuemus poſtea Auguſtinianæ doctrinæ velut hæreticæ criminationem? non ego profecto, vt videtur Nori. His ſuccedunt eandem fuiſſe hæreſim atteſtantes, tum Proſper in Præfatione ad obiectiones Vincentianas dicens eas, *Blaſphemias damnatas in eorum reperit oribus*, ideſt auctoribus, ſupponens per conſequens fuiſſe aliquos auctores illorum errorum vere Prædeſtinianorum, tum Fulgentius lib. 2. de veritate Prædeſtinationis & Gratiæ dicens, *pleroſque nouimus in quæſtione gratiæ Dei & humani arbitrij non tenere diſcretionem, ſed ita vnum aſſerere, vt alterum nitantur auferre*, ſcilicet arbitrij libertatem, exquo, vt inquit Noris ipſe in Appendice pag. 104. Fulgentius ſcripſit libros ad Monimum amicum, *vt eum ab hæreſi Prædeſtiniana, in quam inclinabat, reuocaret*; tum Geradius, tum inde Hincmarus, & in epiſtolis ad Carolum exaratis apud Flodoardum lib. 3. cap. 15. & iterum in epiſtola ad Nicolaum Pontificem apud eundem Flodoardum lib. 3. hiſtoriæ Rhemenſis cap. 14; tum Ennodius Ticinenſis, & alij. Sed poſt iſta robuſtior adhuc ſupereſt argumentatio, nã veri Catholici veriq; Auguſtini ſequaces nunquam in Concilio aliquo Genetali damnati ſunt, vt de ſe conſtat, cum ex oppoſito immo Auguſtini doctrina ex ſupradictis approbata fuerit, ſed Prædeſtiniani manifeſte damnati ſunt in aliquo Genetali Concilio, ſcilicet in Arauſicano 2. per illa verba, *aliquos vero ad malum diuina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolum non credimus, ſed etiam, ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione anathema dicimus*. Quam ſimiliter definitionem, inquit, Bellarminus propriam inde ſibi fecit Synodus Valentina ſub Lothario Imperatore cap. 1. & 3. ergo Prędeſtinianorum nomine non Auguſtini ſequaces intellecti ſunt, ſed alios quoſdam præſuppoſitos fuiſſe neceſſe eſt. vlterius quia tempore Fauſti Regenſis, tum in Concilio Lugdunenſi tum in Arelatenſi Prouinciali damnati ſunt errores cuiuſdam Lucidi vere Prædeſtiniani, & ne dum ille coactus eſt ſubſcribere eorumdem retractationi, verum & contra eundem Lucidum epiſtola quædam Fauſti approbata fuit, vt refert

etiam Baronius ad annum 490. & concedit cenſura Romana edita ſub Braſichelenſi ad Bibliothecam veterum Patrum in Fauſto. Sed hoc manifeſte conuincit iam aliquos vere extitiſſe, qui Prædeſtinianam hæreſim amplexati ſint, ergo ſic vere fuiſſe concedendum eſt. Quod ſi quis euadere cogitaret cum Maguino dicente illius Synodi Arelatenſis acta à Fauſto fuiſſe conficta in odium Auguſtinianæ doctrinæ: Contra hunc ſatis eſt repetere verba Noris aientis, *quis de Fauſto tantos ſibi dolos perſuadeat, qui coram vniuerſis Galliarum Epiſcopis tantorum mendaciorum architectum ſe ſiſtere non extimuerit? quo animo Leontio Metropolitæ Doctiſſimo imponere auſus fuiſſet, quaſi de remotiſſimis Aſiæ rebus præſcriberet, non verò de ijs, quæ in duabus nobiliſſimis vrbibus nudius tertius geſtæ fuerant?* quis vltro neget cum Maguino ſufficienter aliunde, quam ex Fauſti libris, credibiles fieri præcitatas à Fauſto Synodos Arelatenſem, & Lugdunenſem, ſi ex Hilarij Pontificis decreto tranſmiſſo ipſi Leõtio Arelatenſi Metropolitæ tunc temporis præcipiebatur, *per ſingulos annos ex Prouincijs, quibus potuerit congregari, habendum Epiſcopale concilium?* quis renuet in ſatis congruo ſenſu interpretari ea verba récitata etiam apud Flodouardum, & alios, ſcilicet hanc hæreſim prædeſtinianorum *reuictam eſſe auctoritate Cæleſtini Pontificis, & inſtantia Proſperi,* quatenus ſcilicet, mox ante excitata ab alijs, depulſa eſt à ſiniſtrè intellectis Auguſtini libris, emiſſis in illam Proſperi reſponſionibus ad capitula Gallorum, & obiectiones Vincentianas & huiuſmodi? quis demum expenſis his omnibus inficiabitur longe probabilius eſſe vere hanc hæreſim Prædeſtinianorum, vti diximus, extitiſſe?

ARTICVLVS III.

Obiectiones ſoluuntur.

AD primum igitur negatur minor, tum quia de Auguſtino iam vidimus, non vno, ſed tribus locis egiſſe mentionem prædicti erroris, in epiſtolis ſcilicet ad Valentinum, in ſecundo Retractationum cap. 77. & lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 15, tum quia & Proſper ad Capitula Gallorum, & ad obiectiones Vincentianas, continentes vti que Prædeſtinianorum errores, in Præfatione ſupponit illius hęreſis aliquos auctores extitiſſe, dum inquit, *blaſphemias, quas proſpexerint noſtra profeſſione damnari, in earum repertoribus cenſeant debere puniri*, tum quia demum & Fulgentius eiuſdem meminit in libr. 1. ad Moninum cap. vltimo, vt obſeruat Bellarminus lib. 2. de ſtatu peccati cap. 9.

Ad ſecundum, conceſſo antecedenti negatur conſequentia, cum hoc enim quod iſte error per calumniam fuerit impoſitus Auguſtino & ſequacibus, ſtat adhuc hanc hæreſim vere in Orbe ſuos auctores habuiſse, aliter etiam, quia eidem Auguſtino & ſequacibus Hæreſis Manichæa imponebatur, vt referunt & depellunt Auguſtinus libr. 2. ad Bonifacium cap. 4. & libr. 1. contra Iulianum cap. 1. & Proſper in epiſt. ad Ruffinum, inde fieret Hæreſim Manichæam vere auctoribus caruiſſe, vt de *Prædeſtiniana* velut inde chymerica Ianſenius in propoſito differebat.

Ad tertium, conceſſa maiori negatur minor, nam immo hanc Hæreſim primum in Affrica prodijſſe, & poſtea in Gallia exſuſcitatam eſſe, ex dictis vtique

que verum eſt, pro quanto apud Adrumentinos originẽ habuit in Africa, & à Lucido, ſi non ab alijs, apud Gallos denuo exſuſcitata fuit, præter Gondeſcalchum & huiuſmodi ſimiles eiuſdem hæreſis inſimulatos, ſeu proſcriptos.

Ad quartum, negatur maior, cum ante Gẽnadium tot alij ex dictis eandem Hæreſim memorarint, quidquid ſit de Gennadio, an tandem & ipſe Semipelagianorum ſectam dereliquerit, de quo ſatis in libro anteriori quæſt. 3. art. 5. iam dictum eſt.

Ad quintum reſpondetur ideo ſic feciſſe Iſidorum, vt defectui vtique Gennadij ſuppleretur, apponendo principaliorem Hæreſim, quam ipſe omiſerat, non excludendo tamen hinc minus principalem, quæ iam ab ipſo etiam relata fuerat; quinimmo, ſi præallata ponderatio Ianſenij conuinceret, inde probaretur etiam Gennadium fuiſſe Pelagianum, & non ſolum Semipelagianum, quia ne dum Semipelagianam verum & Pelagianam hęreſim prętermiſit, cum tamen conſtet Gennadium non minus ac veteres Maſſilienſes ſe à Pelagianis adminus diſtinxiſſe, vt referunt Hilarius & Proſper in epiſt. ad Auguſtinum, & abunde iam ſupra lib. 5. tractatum eſt.

Ad ſextum, conceſſo antecedenti negatur conſequentia, aliter, ſicut ad ſecundum dicebamus de Hæreſi Manichæa, ex eo quia errores Manichæorũ circa libertatem & huiuſmodi erant ipſi ijdem, qui falſo attribuebantur Auguſtino & ſequacibus, deduci poſſet illam hęreſim Manichæam non fuiſſe realem in Orbe, ſed fictam, quod abſurdum eſt, ſicut igitur ibi ita, & hic, ſolum ſequitur ab aliquibus perperam Auguſtini doctrinam, vel fuiſſe male intellectam, vel malignè traductam, vt conuenientem cum Hæreſi Prædeſtiniana, & tamen ſtat Prædeſtinianam hæreſim non fuiſſe Chymericam, ſed realem, tam approbatam abſurdiſſimè ab alijs, tum ab Adrumentinis introductam.

Ad ſeptimum, reſpondeo ex contextu Lugdunenſis Eccleſiæ non obſcurè colligi, ibi negari ſolum extitiſſe Hæreſim Prædeſtinianam, vt tunc de recenti natam, vel mox ante ea tempora circiter Annum 850, cum quo ſtat tum in quarto ſæculo Auguſtini, tum in quinto tempore Fauſti extitiſſe, non vero prope annum prædictum 850. exortam eſſe, vt Ioannes ille Erigenas dicere videbatur, aut eos Catholicos tunc exiſtentes velut Hæreticos criminatus, aut mox ante præteritos Auguſtini ſequaces, qua de cauſa inquit Eccleſia Lugdunenſis, *vt manifeſte agnoſcamus non eum de antiquiori aliqua Hæreſi dixiſſe, quoa ſolius gratiæ fuerit prædicatrix, non poſuit hanc Hæreſim ante Pelagianam, ſed poſtea à temporibus S. Auguſtini vſque nunc,* & inde ſubiungit, *nec poteſt inueniri toto hoc tempore, quod fuit inter illum ſcil. Auguſt., & nos, aliquam talem Hæreſim in Eccleſia extitiſſe,* idest denuo exortam, cum iam iſta antiquitus Adrumeti nata fuiſſet, & ad ea tempora reuocanda eſſet, quidquid ſit de Godeſcalcho, quem tunc immunem ab hac hæreſi Lugdunenſis Eccleſia tuebatur (vt contendit & Contenzon noſter tom. 5. differt. 3. in Appendice §. 3.) proſcriptum vero commemorat etiam Pilleus in Annalibus, & Trithemius Abbas in Chronico, Flodoardus lib. 3. Hiſtoriæ Rhemenſis cap. 14. Hincmarrus epiſt. ad Nicolaum Papam, Rabanus in epiſt. ad eundem Hincmarrum, & in alia epiſtol. ad Heuerardum Comitem. Valentina autem Synodus ſub Lothario acriter inculcata à Ianſenio, à qua Hincmarrus Gondeſcalchi condemnator ſe damnatum eſſe in ipſius articulis ſuſpicatus eſt (cum tamen eius nomen nullibi no-

miratum ſit, vt ipſe fatetur) ſolum definiuit ſenſum verum doctrinæ Auguſtini, cum quo ſtat in Synodo Lugdunenſi, & Arelatenſi, tempore Fauſti & Leontij, damnatum fuiſſe ex oppoſito ſenſum falſum perperam deriuatum à Lucido *ex libris Auguſtini male intellectis*, vt præcitati dicebant, & ſicut iam fecerant Monaci Adrumentini ex ante relatis, & ad hoc vide in Præfatione tomi primi Lemos notam 4. in Synodum Valentinam eandem. Cum igitur nõ Chymerica, nec fantaſtica, ſed realis, & vera fuerit Hæreſis Prædeſtiniana diſtincta longe ab Auguſtini doctrina, mirum eſt aliquos noſtris adhuc temporibus cum illa in libro inſcripto, *Religio Beſtiarum*, & alibi, *confundere voluiſſe*, ac inde criminari, Auguſtini, noſtram ſimul & Thomiſticam explicationem de prædeſtinatione, contra quos vtiq; eiuſdem Auguſtini, ac S. Th. defenſor repetere poterit eiuſdem pariter Auguſtini verba lib. 1. in Iulianum cap. 4. *quid nomen adlaniare niteris meum, & Ambroſium* (dicamus nos, & S. Thomam vel Auguſtinum) *facis tacito eius nomine Manichæum? cernis quam ubi pernicioſum ſit tam horribile crimen obijcere talibus, & quam mihi glorioſum ſit quodlibet crimen audire cum talibus? ſi cernis, cerne, & tandem tace.*

Finis Libri Sexti.

LIBER

LIBER IN ORDINE SEPTIMVS

DE PROFVNDIORIBVS QVIBVSDAM, DIFFICILIORIBUSQUE *partibus intercurrentium quæſtionum,*

quas poſteà in Auguſtiniana prædicta præſcientia futurorum latiùs Scholaſtici pertractarunt.

P*Rofundiores*, aiebat Pontifex Cæleſtinus in epiſtola ad Gallos, pro vindicata hucuſque Auguſtiniana doctrina, *profundiores* (inquam) *difficilioréſque partes intercurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ità non neceſſe habemus aſtruere*. Inter has autem ſequentes etiam non paucas Scholaſticorum ſubtiliſſimas diſſertationes numerari poſſe conſentiet, qui ſciat Bellarminum aſſeruiſſe libr. 4. de gratia, & lib. arbitrio cap. 15. ad 6. (præter omnes Nominales in 1. diſt. 38.) cum Auguſtino in Pſal. 49. *rem eſſe omninò difficilem, & fortaſſe in hac vita incomprehenſibilem, qua ratione Deus futura prænoſcat*. Nos igitur, opitulante Deo, & Auguſtini ſimul, ac S. Thomæ doctrina, exquiſitiores, atque ſelectas, non verè de triuio, atq; vulgares, circà præſcientiam futurorum in Deo Scholaſticorum diſceptationes pro luce maiori vindicatæ hucuſque Auguſtinianæ doctrinæ nunc ſedulò, & breuiter percuttemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De præexiſtente in Deo præſcientia futurorum quorumcumque etiam conditionatorum, vt ſic.

PRæmittemus autem primo loco ea, in quibus ſingulæ nunc Scholæ conueniunt, quo ad exiſtentiam præſcientiæ futurotum quorumcumque etiam conditionatorum in Deo, præſcindendo à diſſidio inter ipſas, de ſubſecutione præſcientiæ ad decretum conditionatum in Deo, vt volunt Thomiſtæ, vel antegreſſu eiuſdem, vt volunt P.P. aduetſæ Scholæ, & circà iſta, velut Scholaſtica magis, & Scholæ methodum, claritatis cauſa, proſequemur, ſupponentes prius enunciationem conditionalem, per particulam *ſi* efformatam,

efformari poſſe, vel in ordine ad poſſibilia, ac impoſſibilia, *ut ſi homo eſſet Equus, hinire poſſet*, vel in ordine ad exiſtentia quandoque, *vt ſi ſol eſt, dies eſt*, ſiue poſteà de præſenti, vt mox diximus, ſiuè de præterito, *vt ſi ſol fuit, dies fuit*, ſiuè de futuro, *vt ſi ſol erit dies erit*, de qua ſola conditionali poſtremi generis nunc ſermo erit. Hæc autem conditionata futura, ad inſtitutum hoc noſtrum, in triplici ſolent differentia locari. Prima enim neceſſaria dicuntur, quorum conſequens habet cum conditione antecedente connexionem neceſſariam ex ſe, *vt ſi homo erit, riſibilis erit*; Secunda diſparata, ſeù quorum conſequens nullam de ſe habet connexionem cum antecedente, *vt ſi baculo percuties terram, vaſtabo Siriam*. Tertia demum media inter prædicta extrema, ſcilicet conditionata moralia, ac probabilia, quorum conſequens habet connexionem cum antecedenti, de ſe dumtaxat moralem, ſiuè probabilem, quæ etiam dicuntur futura conditionata contingentia, *vt ſi Petrus concionantem audiet reſipiſcet*: quorum prima ſubdiuiduntur in neceſſaria, vel neceſſitate Metaphyſica, ac infallibili, vel ſolum Phyſica, ac defectibili, & hæc ſingula ſub illis primis comprehenſa ſunt. Prius igitur de primis illis ſimul, & ſecundis, velut extremis dicturi ſumus, vt poſteà de tertijs velut medijs recto ordine ſubiungamus. Sed pro primis adhuc vnum alterum præſupponendum eſt, propoſitiones ſcilicet conditionales de eis, vel poſſe ſumi vt veras ex vi propoſitionum de ſe, & ab intrinſeco, vel vt veras aliundè, ſcilicet ab extrinſeco, quodcumque illud ſit, vel decretum Thomiſticum, vel aliud quodcumque motivum, de quo *infrà* dicetur; exempli cauſa iſta propoſitio, *ſi Paulus veniat in aulam Petri donabit Petrus illi librum*, vtique ex vi propoſitionis conditionalis vera non eſt, tamen aliundè ex præſuppoſita promiſſione Petri, vel ſimili alio motiuo, vera eſſe poteſt; vbi ex oppoſito iſta, *ſi Petrus audiet concionantem reſipiſcet*, poteſt ex vi propoſitionis conditionalis ſaltèm probabilitèr vera eſſe: atque ad iſtam diſtinctionem reuocati altera poteſt, ſiue Aluarezij diſput. 7. num. 7. ſiue Nazarij ad par. p. q. 14. ar. 13. ſiuè aliorum, videlicet aut ſumi poſſe in vi puræ conſequentiæ, & illatiue, aut in vi conſequentis, ſeù coexiſtenter, vt Scholæ loquuntur, quo primo modo ſemper requiritur conſequentia neceſſaria ſaltem de modo, ſecundo verò modo ſufficit connexio moralis ſeù probabilis de ipſa re. Et quidem ſecundo modo infrà dicemus etiam conditionales diſparatas, non ex ſe, ſed aliundè certò præſciri à Deo, cum Aluarez loco laudato, Salmanticenſibus diſput. 9. de ſcientia dub. 4. §. 2. & 3. Curiele controuer. 7. in cap. 4. ſapientiæ ar. 3. Lezana tract. 4. diſput. 2. q. 4. Xante Mariali relec. 3. de ſcientia, ſect. 4. referente ſimul Cabreram, Zumel, & Gonzalem, & alios aduerſus Alarcon tract. 2. diſput. 4. & Ariagam diſput. 21. ſect. 7. cum Vaſquez, Leſſio, Amico, & huiuſmodi, vt indè conſtet Thomiſtas magis Deo attribuiſſe ſcientiam certam conditionatorum, quam aduerſarios: ſed primo modo dumtaxat in primo ſubſequenti Articulo de conditionalibus, ſiue neceſſarijs, ſiue diſparatis nunc inquiremus.

ARTI

ARTICVLVS PRIMVS.

An futura conditionata, ſiuè neceſſaria, ſiuè diſparata in vi propoſitionis conditionalis, vel ſaltem æquiualenter copulatiuæ, cognoſcantur à Deo.

Videtur in primis quod neque conditionales neceſſariæ in vi propoſitionis conditionalis de ſe cognoſcantur à Deo, vt tribui ſolet noſtro Magiſtro Gonzalez diſput. 44. ſect. 1. & magis fauet Alarcon tract. 3. diſput. 4. cap. 2. dicens conditionalem neceſsariam, cuius conditio antecedés eſt cauſa efficiens non formalis conſequentis, v.g. *ſi ſol erit dies erit*, ob defectum infallibilis futuritionis ante decretum, vel ob diſcurſus imperfectionem, à Deo præcognoſci non poſſe; hæcque eſſe poſſunt argumenta pro iſtis. Primo quia iuxtà Thomiſtas ſaltem nulla res poteſt extrahi à ratione pure poſſibilis ad rationem aliquo modo futuræ niſi dependenter ab aliquo decreto vel abſoluto, vel ſaltem obiectiuè conditionato, ſed in iſta conditionali neceſſaria, *ſi ſol erit, dies erit*, iam conſequés extrahitur à ratione pure poſſibilis ad aliquam rationem futuri ſaltem conditionati, ergo iuxta Thomiſtas adminus iſta conditionalis neceſſaria non poteſt à Deo ante decretum agnoſci, vt hoc argumentum innui à Gonzalez aliquibus viſum eſt.

Secundò, quia ſaltem (vt opponit Alarcon) de potentia abſoluta poteſt poni Sol, & impediri illuminatio, ac ſubſecutio diei, ſicut & homo ſine accidente riſibilitatis ſeruari poteſt; ergo veritas prædictæ propoſitionis conditionalis de futuro (ſcilicet ſi ſol erit, dies erit) non eſt infallibilis ante decretum in Deo de non impediendo effectum, ſeu de infallibili futuritione eiuſdé, ſed quod non habet infallibilem veritatem non poteſt certò ab infallibili Dei cognitione cognoſci, ergo prædicta adhuc conditionalis de futuro, quæ à nobis dicitur neceſſaria, in vi propoſitionis ante decretum incognoſcibilis perſeuerat.

Tertiò, vt pergit idem, quia ad integram illam conditionalem cognoſcendam gemina cognitio correquiri videtur, ſcilicet conſequentis & antecedentis, ergo cognoſci non poteſt niſi per cognitionem quodammodo diſcurſiuá, ſed iſta repugnat Deo, ergo repugnat pariter dictæ propoſitionis cognitio in vi ſaltem propo ſitionis conditionalis ante decretum.

In oppoſitum ex alia parte extrema videtur quibuſdam alijs etiam propoſitiones de futuro diſparatas ante decretum cognoſci à Deo in vi propoſitionis, non quidem pure conditionalis formaliter, ſed æquiualenter copulatiuæ per modum *fortuitæ cuiuſdam concomitantiæ*, vt ſuppreſſo nomine recitauerat Aluarez diſput. 7. de auxilijs n. 7. & poſteà ſecuti ſunt Fonſeca 6. Methap. cap. 2. q. 4. ſect. 10. Suarez, & Herice apud Alarcon capite 2. Faſſolus dub. 13. de ſcientia conditionatorum n. 255. Ariaga diſput. 21. ſect. 7. n. 42. & alij. Soletque his ſuaderi motiuis, quia intantum conditionalis de futuro moralis, ſeu probabilis, v.g. ſi *Petrus audiet concionantem conuertetur*, poteſt in noſtra ſententia etiam ante decretum cognoſci à Deo ſaltem coniecturaliter ex parte obiecti, inquantum ante decretum de facto probabile eſt, quod vtrumque euentuium ſit, ſed pariter poteſt dari aliqua conditionali diſparata v. g. *ſi baculo*

culo percuties terram pugnator vincet, cuius antecedens, & conſequens etiam ante decretum fortuitò ſimul euentura ſint, ergo pariter ante decretum aliqua conditionalis diſparata in vi ſaltem *fortuitæ concomitantiæ*, ſeù propoſitionis æquiualenter copulatiuæ, cognoſci poterit.

Secundò, quia de facto lib. 4. Reg ca. 13. prædicebatur vt certa ab Eliſæo hæc propoſitio (*ſi percuſſiſſes terrã etc. percuſſiſſes Syriam*) & 4. Reg. 2. eidem Eliſæo ab Elia promittitur, *ſi videris me, quando tollar à te, erit tibi quod petijſti*, ſed iſtæ ſunt conditionales diſparatæ, ergo etiam diſparatæ conditionales in ſacra pagina prædicuntur, ac promittuntur, ſed prædictio, & promiſſio diuina requirit præcognitam veritatem, ergo etiam diſparatæ, vt tales, veræ à Deo cognitæ ſunt, & cum aliàs non ità facilè conditionata decreta permitti ſoleant, præſertim in Aduerſariorum Schola, neceſſe eſt ante decretum prædicta etiam conditionata diſparata cognoſci.

Reſpondeo tamen vtique conditionales neceſſarias de futuro in vi propoſitionis conditionalis ab intrinſeco certò cognoſci à Deo ante decretum, non ſic tamen conditionales diſparatas, vt modo communiter noſtri homines in propoſito docuerunt. Et quidem primum contra primam extremam ſententiam perſpicuè colligitur ex S. Tho. p. p. q. 25. ar. 3. ad 2. aiente hanc etiam propoſitionem eſſe veram, & cognoſci à Deo, *ſi homo eſt Aſinus habet quatuor pedes*; & vltrò probatur ex fundamento deſumpto ex eodem Angelico qu. 44. art. 1. ad 2. & Opuſc. 48. tract. de Enunciatione cap. 14. quia Deus cognoſcit omnia vera, aliter diuina cognitio infinita non eſſet, ſed prædictæ propoſitiones neceſſariæ de futuro iam in vi conditionis neceſſario veræ ſunt, aliter ab antecedente non valeret philoſophica conſequentia dicendo, *ſol eſt, ergo dies eſt*, & ſingulæ philoſophicæ demonſtrationes proprietaris de ſubiecto penitus auferrerentur, ergo iſtas etiam conditionales de futuro neceſſarias in vi conditionis certò cognoſcit Deus. Accedit quod dum à Philoſopho naturali cognoſcuntur, vel demonſtrantur, profectò non eſt ipſi reuelatum decretum Dei de non impedienda ſubſecutione effectus, & tamen hoc non obſtante vt certè philoſophicè in naturali Philoſophia demonſtrati ſolent, ergo iam præſcindendo à decreto Diuino certò cognoſcibiles ſunt, ſed quod eſt certò cognoſcibile, à Deo etiam certò cognoſcitur eo modo, quo cognoſcibile eſt, ergo iſtæ etiam præſcindendo à decreto certò cognoſcũtur à Deo. Secundum indè, quod aſſeruimus contra ſecundã ſententiam aliam extremã, ex eiſdem locis S. Tho. præſertim vltimo deduci poteſt, & ab oppoſito comprobatur, quia Deus nequit cognoſcere vt verum, quod in ſe falſum eſt, aliter fallax eſſet cognitio Dei, ſed conditionalis diſparata exempli gratia dicẽdo, *ſi percuties terram vaſtabitur Siria*, in vi propoſitionis vt talis ab intrinſeco falſa eſt, præſcindendo ab extrinſeco decreto Dei, ergo prout ſic ab intrinſeco, & præſcindendo ab extrinſeco decreto Dei, neque à Deo poterit cognoſci vt vera: Minor, quæ ſola indiget probatione, probatur, quia vt conditionalis de futuro ſit vera expoſtulatur quod conſequens non ſit futurum niſi dependenter ab antecedente, ſed in conditionali diſparata prædicta ab intrinſeco ſaltem ſeù in vi propoſitionis conſequens non eſt futurum dependenter ab antecedente, aliter connexa diceretur, nõ diſparata, ergo in vi propoſitionis ab intrinſeco vera non eſt, immò falſa: ſi neges maiorem, & dicas ſufficere

re concomitantiam fortuitam vtriuſq; non verò expeti dependentiam vnius ab alia; Reſpono in oppoſitum, tum quia aliquem ſenſum diuerſum facere debet conditionalis enunciatio, ac exprimat copulatiua, iuxtà Dialecticos, ſed penes hanc reſponſionem non diuerſum faceret ſenſum, vt applicanti parebit, ergo falſa eſt iſta reſponſio, tum quia quælibet conditio, *ſine qua non*, importat aliquam dependentiam ſeu connexionem, vt inductiue patere poteſt, ergo non ſolam concomitantiam, ergo ad veritatem conditionalis non ſufficit pura concomitantia, immò requiritur dependentia, ſiue connexio, tum quia tandem hanc pariter interpretationem conditionalis in vi copulatiuæ referebat Cicero in libr. de Fato ab illis verbis, *vt ità ſua percepta pronuncient, ſi quis natus eſt, oriente Canicula, is in mari non morietur, ac ſi potius ità dicerent, non & natus eſt quis oriente canicula, & is in mari morietur*. Et tamen ſtatim poſt hanc relatam interpretationem, eamdem refellit ab illis verbis, *O licentiam iocularem! quæſo enim, ſi Chaldæi ita loquantur? cur idem Medici, cur Geometræ, cur reliqui facere non poſſent? &c.* ac ſi diceret, non ſic exprimit enunciatio conditionalis, vt tu exponis, non ſic homines loqui ſolent, vt tu gratuitò interpretaris, ergo falſa interpretatio, ac reſponſio.

Ad primum igitur primæ ſententiæ extremę, facillimè reſpondemus ex doctrina Salmaticenſium diſput. 9. dub. 1. num. 4. & aliorum Thomiſtarum, diſtinguendo minorē, ſi prædicta conditionalis neceſſaria ſumatur ex parte modi ſignificandi, concedo, ex parte obiecti ſignificati præciſè in re, nego, ſeu vt alij loquuntur, in vi conſequentis concedo, præciſè in vi conſequentiæ nego, nam hoc ſecundo modo conditionales etiam de re impoſſibili efformari poſſunt dicendo, ſi Centaurus erit, erit ſimul Equus, & homo; ſi homo erit Aſinus erit quadrupes, vti & S. Thom. afferebat, & tamen conſtat rem impoſſibilem tunc adhuc non extrahi ab ordine impoſſibilium, neque deduci ad aliquā propriè futuritionem adhuc conditionatam ex parte obiecti.

Ad ſecundum, ex præindicata ab initio diſtinctione conceſſo antecedenti diſtinguitur primum conſequens, non eſt infallibilis Metaphyſicè, bene tamen neceſſaria phyſicè, concedo, neque phyſicè certa, ac neceſſaria, nego, & ad minorem ſubſumptam diſtinguo, idest quod non eſt infallibile metaphiſicè, non poteſt cognoſci, vt metaphiſicè certum, bene tamen vt phiſicè certum, concedo, neque vt certum phiſicè, nego, & eodem modo diſtinguitur conſequens, nam Diuina cognitio, licet ex parte ſubiecti omninò etiam Metaphyſicè certa ſit, tamen ex parte obiecti cognoſcit res vt certas eo omni modo, quo certæ ſunt, & quo certæ cognoſcibiles ſunt, per conſequens cū iſtæ conditionales neceſſarię etiam ante decretum certæ phyſicè ſint, eas etiā vt certas hoc modo ex parte obiecti cognoſcit.

Ad tertium negatur omninò aſſumptum, cum immò ſufficiat vnica omninò ex parte ſubiecti cognoſcentis cognitio, ad cognoſcendum ex parte obiecti, & cauſam, & effectum in cauſa, & antecedens, & conſequens ſubillatum ex illo, vt communiter alibi de Diuina cognitione, & aliquatenus etiam de Angelica dici ſolet.

Ad ſecundam deinde ſententiam, primumque fundamentum eiuſdem, didiſtinguo maiorem, *inquantum vtrumque eventurum eſt*, cum dependentia tamen aliquali conſequentis ab antecedenti, concedo, abſq; vlla dependentia, nego,

nego, & primo modo negatur minor, ſecundo modo permittitur, & conſequentia negatur, ſemper enim ad veritatem conditionalis cuiuſcunque requiritur aliqua connexio, & non pura concomitantia ſatis eſt, quæ potius copulatiuæ conuenire ſolet, licet poſtea iſta connexio etiam moralis dumtaxat, ſed probabilis, inter conditionem antecedentem, & rem expreſſam in conſequēte ſufficiat.

Ad ſecundum, & vltimum eiuſdem ſententiæ extremæ, conceſsa maiori, diſtinguitur minor, *ſunt conditionales diſparatæ*, ſi ſumantur ex vi propoſitionis conditionalis ab intrinſeco, concedo, aliundè ab extrinſeco motiuo, ſcilicet decreto, vel promiſſione Dei, nego, & primo modo nego conſequentiam, ſecundo modo concedo, & eodem modo vltimum conſequens diſtingui debet, nam tunc deuaſtatio Syriæ collata, vt cōſequens, cum percuſſione terræ tamquam conditione antecedente, ab extrinſeco ſaltem cum illa connectitur, vt res ſignificata cum ſigno repræſentatiuo eiuſdem, vti Salmaticenſes exponunt dub. 2. num. 12. ſicuti etiam Alarcon diſput. 4. n. 7. eam connecti dicit cum illa vt rem compromiſsam cum alia, cum quo ſtat de ſe ab intrinſeco, vt diximus, in vi propoſitionis à Deo neutiquam cognoſci poſſe.

ARTICVLVS II.

An futura conditionata contingentia, ſeù moralia, et probabilia, ex vi conditionis etiam ante decretum coniecturaliter, ſeù moraliter obiectiuè præcognoſcantur à Deo.

Videtur quod non, ipſi Alarcon diſput. 4. cap. 4. referenti Suarez, Vaſquez, Ruuicium, & alios, quibus alios etiam adiungit, & ſequitur Maſtrius diſpur. 3. de Scientia Dei q. 3. ar. 4. n. 112. hiſque plerumque motiuis ſuaderi ſolet. Primo quia ex S. Thom. opuſ. 48. tract. de enunciat. cap. 14. ad veritatem conditionalis requiritur bonitas, ſeù neceſſitas conſequentiæ, ſed in his conditionalibus, ver. gr. *ſi Peccator audiet concionantem futurum eſt, vt conuertatur*, non adeſt bonitas, ſeu neceſſitas conſequentiæ, cum immò multoties detur antecedens, & non detur conſequens, ergo prædictæ conditionales ab intrinſeco ſaltem in vi propoſitionis conditionalis nullo modo, vt veræ, cognoſci poſſunt, vt tandem ad hoc reducitur obiectio Alarcon n. 32.

Secundò, ne effugi videatur diſtinguendo minorem, *non adeſt neceſſitas conſequentiæ*, ſcilicet de dicto, quod eſt futuritio conſenſus, concedo, de modo ſcilicet de probabilitate futuritionis eiuſdem, nego, quod ſecundum ſufficit ad hoc vt probabiliter obiectiuè cognoſci poſſint. Ne, inquam, hoc modo effugi videatur, ita ſecundo loco reponitur, quia ſaltem non euitatur, quin conſequens extrahatur de ratione pure poſſibilis ad rationem futuri ſaltem ſecundum quid, ſed per Thomiſtas nil poteſt extrahi, vel deduci ad rationem futuri, niſi ex libero aliquo decreto Dei, veluti fonte cuiuſcumque futuritionis rerum, ergo ſaltem iſta reſponſio penes Thomiſtarum principia ſuſtineri non poteſt; & in idem redit ſub hac alia forma dicendo, quia iuxta hanc doctrinam aliqua ſaltem futura conditionata cognoſcerentur ex parte obiecti in ſua veritate obiectiua, ſed hoc repugnat Thomiſtarum principijs, ergo & prædicta reſponſio repugnat.

Tertiò,

Tertiò, quia iuxtà hanc doctrinam in ordine ad iſta futura non poneretur maior cognitio in Deo, quàm in nobis, ſcilicet coniecturalis, ſeu moralis, quæ falli poteſt, & ſimul ſtaret cum falſitate futuritionis euentus, vt arguit Alarcon etiam num. 24. ſed hoc repugnat infinitæ perfectioni, & infallibilitati cognitionis Diuinæ, ergo & iſta doctrina repugnat eidem, nec admittenda videtur.

Quartò, ne & hic iterum maior diſtingueretur dicendo, *ſi poneretur coniecturalis iſta cognitio ex parte ſubiecti*, vt in nobis, concedo, *ſolum ex parte obiecti*, negatur. Ne, inquam, ſic iterum euadatur, hoc modo reponitur, quia certitudo actus cognitionis ex parte ſubiecti deſumitur, vel ſaltem dignoſcitur ex ipſo obiecto, ſed in propoſito in obiecto non adeſt, niſi probabilitas, ergo à pari ex parte ſubiecti, nonniſi probabilis cognitio erit, & conſequenter allata diſtinctio dilabitur.

Quintò, quia, vt inquit Alarcon n. 11. hanc cognitionem coniecturalem in Deo Thomiſtæ non ſunt auſi Romæ tueri in diſputationibus habitis coram Clemente VIII. & Paulo V. ergo ſignum euidẽs eſt hanc doctrinam vel falſa n, vel periculo plenam eſſe, vt eam Molina appellabat p. p. q. 14. ar. 13. diſp. 14. concluſ. prima.

Sextò, quia, vt refert Stapletonius ad caput 11. Matt. etiam Caluinus in Antithodoto interpretabatur ſcripturas reuelantes præſcientiam futurorum conditionatorum de præſcientia dumtaxat, *probabili, atque ad captum noſtrum*, ergo ex hoc capite etiam ſimilis hæc doctrina fugienda eſt.

Septimò, quia Deuteronomij 18. dicitur, *hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt loquutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit &c.* At ſi ſemel aliquid à Prophetis, vel in ſcriptura prædictum, aut reuelatum, non eſſet infallibiliter euenturum, iam non ſuſiſteret hoc ſignum Dei, atque diſcrimen inter veros Prophetas, ac falſos, ergo dici nequit, vt nos aſſerere videmur, quod aliquid prædictum vel reuelatum in ſcripturis haud infallibiliter euenturum ſit.

Octauò tandem, vt arguit idem Alarcon. n. 13. quia iuxta hanc Gloſſam nil haberetur certæ prædictionis in ſcriptura, & vt Donatiſtis dicebat Auguſtinus lib. de vnit. Eccleſiæ cap. 9. *hoc modo, quo iſti putant hæc eſſe prædicta, quiſquis voluerit poteſt eſſe Propheta, vt cum ea, quæ prædixit, impleta non fuerint, reſpondeat homines noluerunt: libero enim arbitrio Chriſtiani ſunt*, ergo non poteſt hæc doctrina defendi, quod aliqua cognoſcantur, vel reuelentur à Deo, vt futura moraliter, quæ tamen eo modo infallibiliter futura non ſint.

In oppoſitum tamen eſt auctoritas Theologorum quamplurium ſuſtinentium hanc etiam in Deo ex parte obiecti probabilem cognitionem prædictorum conditionatorum probabilium in vi propoſitionis antè decretum, vt legi poſſunt Aluarez diſput. 7. nu. 7. Nazarius p. p. q. 14. ar. 13. controuer. 1. concluſione 2. & iterum ad argumenta Suarez Ripa ibidem dub. vlt. Salmaticenſes diſput. 7. dub. 6. n. 132. Serra dub. 4. & 7. Ledeſma diſput. 2. de auxilijs concluſione 2. Nugno 3. p. q. 62. ar. 5. q. 2. ad 12. Cabrera ibidem diſput. 12. concluſ. 3. Ioannes de Sancto Thoma diſput. 20. ar. 1. S. *quod attinet ad Ledeſmam*, Gonet diſp. 5. ar. 1. ad primum in ſecunda ſolutione, immò tandem & Ruvicius incidit in hanc ſententiam, vt fatetur Alarcon n. 31. eamdemque

demque attribuit Vaſqueſio, vt refert idem Alarcon num. 14. & eamdem ſe-
quitur Granado diſput. 2. tract. 5. ſect. 2. & ex ſchola ſubtilium Faber cum
alijs recitatis à Maſtrio, ergo longè adhuc iſta ſententia probabilior eſt.

Reſpondeo futura prædicta conditionata, moraliter, ſeu probabiliter, ex
parte obiecti in vi conditionis ante decretum etiam cognoſci poſſe. Et primo
quidem id ſimul colligimus ex quibuſdam ſcripturæ locis, & S. Tho. nimirum
ex illo Iſa. 38. *Morieris & non viues*, & Ionæ 3. *adhuc 40. dies, & Niniuè ſubuer-
tetur*, quod explicans S. Thom. 2. 2. q. 171. ar. 6. ad 2. inquit, *Deus ſemper co-
gnoſcit futura contingentia prout ſunt in ſuis cauſis, & prout ſunt in ſeipſis, ſed prout
ſunt in ſuis cauſis*, ſcilicet indeterminatis, *non ſunt determinata ad vnum, & poſ-
ſunt aliter euenire, vt autem ſunt in ſe ipſis ſunt ad vnum determinata. Quando igitur
Deus reuelat talia contingentia non ſemper reuelatio eſt ſimilitudo Diuinæ præſcientiæ
prout reſpicit ipſa futura contingentia in ſeipſis, ſed quandoque eſt tantum ſimilitudo Di-
uinæ præſcientiæ prout cognoſcit ordinem cauſarum ad effectum, & tunc quandoque ali-
ter euenit, quam prædicatur: nec tamen Prophetiæ ſubeſt falſum nam ſenſus Prophetiæ
eſt quod inferiorum cauſarum diſpoſitio ſiuè naturalium ſiuè humanorum actuum hoc
habet vt talis effectus eueniat:* vt repetit etiam ſimilia in 2. 2. q. 174. ar. 7. p. p.
q. 19. ar. 7. ad 2. q. 12. de verit. ar. 10. primo Perihermenias lect. 13. & in 1.
diſt. 38. q. 1. ar. 5. ſed hoc nil aliud eſt, quam Deum reuelare, & conſequen-
ter cognoſcere etiam futura prout probabiliter, & non infallibiliter, ex par-
te obiecti ſecundum ſe futura ſunt, ergo iam iſta cognitio ex parte obiecti
probabilis non repugnat Deo, & conſequenter etiam in propoſito de prædi-
ctis futuris conditionatis defendi poteſt.

Secundò dum in reuelatione aliquorum futurorum etiam conditionatorum
facta in ſcriptura apponitur illa particula, *forte*, ſaltē probabilis expoſitio eſt
iſtam particulam ſimul denotare dubitationem ex parte obiecti fallibilis ſe-
cundum ſe, licet non ex parte ſubiecti cognoſcentis ipſum, ſed hoc ſufficit
nobis, vt reponatur in Deo iſta cognitio ex parte obiecti probabilis prædicto-
rum conditionatorum, ergo ità de facto reponenda eſt, maior probatur, quia
non ſolum illa particula *forte*, circa futura aliqua conditionata repetita legi-
tur Io. 4. Lucę 20. Deut. 4. Gen. 3, & alibi, Verū etiam quia Hilarius cap. 11. re-
petebat, *fortè illis, ſcilicet Tyrijs & Sidonijs, credendi fuiſſet affectus, ſi talium virtu-
tum contemplatio contigiſſet*, & Tertullianus lib. de pudicitia in hoc ſenſu dice-
bat, *ipſe Dominus Tyrijs, & Sidonijs præſumpſit pænitentiam, ſi virtutum documen-
ta vidiſſent*, in eodemque ſenſu interpretati ſunt eumdem locum Ianſenius
Gandauenſis, & Ioannes Arborius, Cait. 1. Reg. 23. & in eumdem locum
Matt. Titelmanus ibidem, & alij id etiam ex græco colligentes, in quo parti-
cula, *an*, loco particulæ, *forſan*, legi dicitur, vbi aliàs interpretatio Caluini lon-
gè ab iſta diuerſa eſt, vti ad argumenta ſubdetur.

Tertiò, quia etiam Exo. 4. ſic legitur, *ſi non crediderint tibi, neque audierint ſer-
monem ſigni prioris, credent verbo ſigni poſterioris, quod ſi nec duobus his ſignis crediderint, ſume aquam fluminis &c.* ſed in prioribus verbis futurum aliquod condi-
tionatum cum aliqua dubitatione futuritionis à Deo proponitur, & reuela-
tur, vt videtur manifeſtum ex verbis ipſis, ergo vel cum dubitatione, & falli-
bilitate ex parte ſubiecti cognoſcentis, vel ex parte obiecti cogniti, & reuela-
ti, ſed non primum, vt certum eſt, ergo ſecundum, vt nos intendimus.

Quartò,

Quartò, quia dum Sap. 4. dicitur, *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius,* Auguſtinus id explicans in libr. de Prædeſt. Sanctorum cap. 14. *dictum eſt,* inquit, *hoc, ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum præſcientiam Dei,* id eſt ſecundum diſpoſitionem cauſarum inferiorum fallibilium ſecundum ſe ex parte obiecti, & non purè ſecundum præſcientiam infallibilem ex parte ſubiecti cognoſcentis, ſcilicet Dei, vti etiam mox ante S. Tho. de Prophetia comminationis ſimiliter exponebat, ſed hoc eſt iterum Deum cognoſcere etiam fallibiliter, ſeù probabiliter ex parte obiecti ſecundum ſe (licet ſemper infallibiliter ex parte ſubiecti cognoſcentis) aliqua futura conditionata, vt nos intendimus, ergo ita de facto dicendum eſt, vt præuidit & Lemos tom. 1. 2. par. trac. 5. cap. 8.

Quintò, eatenus enim hæc teſtimonia ſubterfugi poſſent ad intentum noſtrum, quatenus, vt inquit Alarcon num. 19. dici poſſet hinc colligi ſolum duplicis generis futura dari, alià ſcilicet abſoluta, quæ abſolutè euenient, & attinent ad Prophetiam Prædeſtinationis, alia verò conditionata, quæ euenirent poſita aliqua conditione, v. g. ſi Ezechias, vel Niniuitæ non recurriſſent ad pœnitentiam, iam in craſtinum Ezechias obijſſet, & poſt dies 40. Niniue ſubuerſa fuiſſet, quæ poſteriora ſpectant ad Prophetiam comminationis, vtraque tamen infallibiliter, inquiunt, vera ſunt, & vt futura infallibiliter cognoſcuntur, licet illa abſolutè, iſta conditionate, neutiquam verò ita vt ſolum probabiliter futura à Deo cognoſci poſſint. Sed immò iſtam doctrinā, ac interpretationem non congruere mox oſtendo, ergo hac non obſtante interpretatione, & euaſione, quod mox antea ex dictis locis inferebatur, ſuſtinendum eſt. Minor iſta probatur, tum quia locus allatus Exod. 4. manifeſtè proponit aliquid ſub dubitatione futurum, quod tamen verè ſeù infallibiliter euenturum non erat, ergo iſta interpretatio negans propoſitionem alicuius futuri cum aliqua dubitatione ſaltem ex parte obiecti illi loco non congruit; tum quia ſine vlla alia conditione in alio loco Sapien. 4. proponitur futuritio peccati ex ſola hypotheſi, quod ille in vita permaneret, ſed dicta futuritio, ſine vlla alia conditione, non erat per Auguſtinum ex parte obiecti infallibilis, ergo remanet prout ſic ex parte obiecti ſecundum ſe vt fallibilem ſolum, ſeu probabilem fuiſſe eo loco propoſitam; tum quia noſtra iſta interpretatio, & S. Thom. ſimul innititur doctrinæ Phil. in 2. de generat. tex. 64. dicentis, *fieri poſſe, vt is, qui futurus eſt incedere, non incedat.* Quod eſt dari aliquam futuritionem ex parte obiecti fallibilem, ergo in hoc ſenſu iterum hæc noſtra, & S. Th. interpretatio probabilior eſt, tum quia tandem hanc æquiuocationem penitus abſtulit S. Tho. q. 12. de verit. ar. 10. ad 8. dicens, *ſi Prophetia comminationis referatur ad ordinem cauſarum, quem directè reſpicit, ſic eſt abſque omni conditione, abſolutè enim ita eſt ordinatum in cauſis vt hoc contingat: ſi autem referatur ad euentum, quem reſpicit indirectè, ſic intelligenda eſt cum conditione cauſæ &c.* Sed iuxtà interpretationem Alarcon ſaluatur ſolum hoc ſecundum, non primum, ergo interpretatio Alarcon inſufficiens eſſe videtur.

Sextò igitur, poſt auctoritates, ratione deſumpta ex doctrina Phil. ſic iterum comprobatur, quia, vt inquit Ariſtoteles primo perhiermenias cap. 8. aliqua ſic ſe habent, *vt magis quidem, immo plerumque, alterum ipſorum eueniat, etſi poſſit & alterum euenire,* conſequenter & verum probabile quoddam verum

cognoſcibile eſt ex Ariſtotile, & à nobis etiam cognoſci poteſt, ſed implicat aliquid eſſe cognoſcibile à nobis, quod non ſit cognoſcibile, immò non cognoſcatur à Deo, vt docebat idem Philo in 3. Metaph. tex. 15. repræhendēs Empedoclem, quod in ipſius ſententia, *Deus, qui eſt omnium feliciſsimus, minus eſſet ſapiens, quam cætera*; ergo implicat pariter prædictum verum probabile, ſeù probabiliter futurum non eſſe cognoſcibile, ſeu non cognoſci à Deo, etiā iuxtà principia Philoſophi.

Septimò tādem indè à priori probatur, quia Deus cognoſcit omne cognoſcibile, & præcipuè infallibiliter verum, ſed verum eſt infallibiliter iſtas conditionales, ſiue morales, ſiue probabiles, etiam ab intrinſeco in vi condirionis ante decretum habere connexionem moralem, ſeù probabilem, ergo iſtas etiam hoc modo cognoſcit, ſed non cognitione certa obiectiuè, aliter falſo cognoſceretur, ergo ſolum cognitione certa ſubiectiuè, obiectiuè autem ſolum probabili, ſeu morali. Minor principalis, quæ ſola indiget probatione, probatur, tum quia ſicut eſt infallibile ex vi ſuarum præmiſſarum ſyllogiſmum demonſtratiuum inferre concluſionem euidenter, ità ſyllogiſmum probabilē inferre ſuam concluſionem probabiliter, vndè tam de illo, quàm de iſto ſciētia infallibilis logicalis datur, ergo ſicut in conditionali neceſſaria eſt infallibile, conſequens eſſe euidenter futurum ex vi conditionis inferentis euidenter, ita in conditionali probabili infallibile eſt conſequens eſſe probabiliter futurum ex vi conditionis inferentis probabiliter ipſum, tum quia ſicut eſt bona, & formalis conſequentia in ſyllogiſmo demonſtratiuo ad inferendum euidenter, ita in ſyllogiſmo probabili ad inferendum probabiliter, vt patet ex 1. perhier. & paſſim in Summulis, ergo ſicut eſt infallibilis conditionalis neceſſaria ad inferendum neceſſariò in vi conditionis ante decretum, ità eſt infallibilis cōditionalis probabilis ad inferendum probabiliter de modo ſcilicet probabilitatis, non verò de dicto, ex vi conditionis ante decretum.

Ad primum igitur optime inter arguendum ea reſponſio afferebatur, ſcilicet diſtinguendo minorem, *in conditionali probabili non adeſt bonitas conſequentiæ*, quoad ipſum dictum concedo, quoad modum probabilitatis nego, quia & in ipſa, vt modo explicatum eſt, infallibile eſt ex conditione probabiliter ſequi futuritionem, ſeu probabilitatem futuritionis conſequētis, ſicut etiam in cōditionalibus de impoſſibili infallibile eſt ſequi futuritionem in vi conditionis v. g. dicendo, *ſi homo eſſet brutum futurum eſſet, vt homo irrationalis eſſet &c.*

Ad ſecundum diſtinguo ſequelam maioris, vt etiam in ſuperiori Artic. diſtinctum eſt, ſi iſtæ conditionales præciſe ſumantur in vi conſequentiæ negatur, in vi conſequentis tranſeat; licet enim quoad modum ſignificandi, conſequentis futuritio exprimatur ex parte noſtri, quoad rem tamen ſignificatā ſecundum ſe non importatur propriè aliqua futuritio, ſed pura connexio, quæ iuxta Thomiſtas per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ante decretum attingi poteſt, vt ſupra allati Salmaticenſes, cæterique Thomiſtæ docebant, & in hoc ſenſu non negant ex parte termini cogniti prædictas conditionales in veritate obiectiua earumdem cognoſci poſſe concurrente dumtaxat eſſentia diuina, vt medio cognoſcendi, vt Idea prius cognita earumdem, licet de conditionalibus importantibus proprie aliquam futuritionem conſequentis id negent Thomiſtæ, & meritò, ante decretum.

Ad

Ad tertium reſpondetur negando ſequelam maioris omnino, tum quia nos non cognoſcimus omnes prædictas conditionales, & omni modo, quo cognoſcibiles ſunt, vt eas cognoſcit Deus conſideratas adhuc in vi conſequentiæ, tum quia inde penes iſtam conſiderationem numquam falli poteſt, ex mox ante explicatis, diuina cognitio, vti adhuc in hoc ſenſu falli poteſt humana, tum quia demum, vt in Art. ſequenti dicemus, præter hanc cognitionem prædictarum conditionalium in vi conſequentiæ infallibilem ante decretum, habet deinde Deus vlterius alteram cognitionem poſt decretum infallibilem etiam in ordine ad futuritionem, vel non futuritionem conſequentis ſub conditione prædicta, vbi nos neque iſtam ſine dubio habemus.

Ad quartum, & ea reſponſio ibidem allata ſuſtinenda venit, vti colligitur ex S. Tho. qu. 12. de verit. art. 10. ad 7. dicentis, *ſic etiam medicus dicit iſte ſanabitur, iſte morietur; & etiam ſi aliter contingat, non falſum dixit, ſic enim tunc futurum erat ex ordine cauſarum, quod tamen poſſibile eſt impediri*, ideſt erat infallibilis probabilitas futuritionis, licet non futuritio, & ratione primi eſt infallibilis ſubiectiue cognitio diuina, licet ratione ſecundi obiectiue probabilis nuncupetur, & iterum ratione primi intelligitur illud Auguſtini lib. 26. contra Fauſtum cap. 4. *quod ſcilicet tam non poſſunt futura non fieri, quam non fuiſſe facta præterita*, ideſt eo modo, quo præſciuntur futura, vt exponit Anſelmus in libr. de concor. cap. 1. ratione vero ſecundi intelligitur illud, quod mox ante ex Ariſtotile afferebamus, *ſcilicet fieri poſſe vt is, qui futurus eſt incedere, non incedat*. Indè ad impugnationem iſtius doctrinæ diſtinguo maiorem, ab obiecto purè materiali, quod in propoſito eſt dictum conſequentis ſeù futuritio, nego, ab obiecto, veluti formali, quod in propoſito eſt modus, ſcilicet probabilitas futuritionis conſequentis, concedo, & ad minorem loquendo de dicto, concedo, de modo, nego, & negatur conſequentia, quia eſt infallibilis probabilitas futuritionis, licet non ipſa futuritio ante decretum &c.

Ad quintum diſtinguo antecedens, non ſunt auſi Thomiſtæ cognitionem probabilem conditionatorum tueri, ſcilicet loquendo de probabili cognitione etiam ſubiectiue, vel de obiectiue probabili ſeparata omnino ab altera cognitione etiam ex parte obiecti certiſſima poſt decretum, concedo, loquendo de cognitione obiectiue probabili coniuncta ſimul cum altera, nego, nam de prima vtique intelligitur illud Auguſtini tract. 26. in Ioan. *Diuinitas non opinatur;* De ſecunda autem non ſolum tunc aperte Thomiſtæ eam docuerunt, verum etiam in ea docenda vſque ad hæc tempora perſeuerant, poteſtque iſta diſtinctio noſtra à ſimili explicari, quia pariter, licet repugnet Deum cognoſcere præciſè ſe ipſum in creaturis, non tamen repugnat primo cognoſcere ſe ipſum in ſe ipſo, & inde etiam in creaturis in ſe ipſo præcognitis, tamquam cauſam in effectu præcognito, vt docet S. Th. in 1. diſt. 32. q. 2. ar. 1. ad 4, & explicant Salmaticenſes diſput. 3. de ſcientia dub. 1. num. 7. Ioan. de Sancto Thoma diſput. 17. art. 2. difficultate prima, & alij, immò & Atiaga diſput. 17. de ſcientia ſect. 2. cum Herice hoc modo ſuſtinet in Deo dari ſimul ſcientiam propter quid, & quia.

Ad ſextum eodem modo diſtinguas antecedens, itaut Caluinus, vel loqueretur ſolum de ſcientia probabili etiam ſubiectiue, vel de obiectiue probabili ſeparata ab altera etiam obiectiue infallibili, concedo, ita vt loqueretur de obie-

obiectiue probabili ſimul coniuncta cum altera, vt explicatum eſt à nobis, nego, vnde verba Caluini circa futura conditionata de Tyrijs, & Sydonijs iſt ſunt, *non diſputat Chriſtus quid præſcierit Deus, ſed quid facturi fuerint alteri, quatenus ex re ipſa percipi poterat &c. & ad communem humanæ mentis captum Chriſtus ſermonem ſuum accommodauit.* Thomiſtas verò quis neſcit, aut quis, ex modo dictis, non percipit longe aliter philoſophari?

Ad ſeptimum conceſſa maiori diſtinguitur ſequela minoris, non differret verus Propheta à falſo, *ſi futurum prædictum ab illo non eſſet infallibiliter euenturum*, ſcilicet ſi non eſſet euenturum eo modo, quo ab ipſo prædicitur, concedo, ſi non ſit euenturum alio modo, nego ſequelam, & negatur conſequentia, quia in Prophetia comminationis, quam neque Aduerſarij inficiari poſſunt, non prædicitur futurum, vt futurum quocumque modo, & abſolute, ſed ſolum ſubintellecto ad minus implicite hoc modo, ſcilicet, *iuxta diſpoſitionem cauſæ inferioris*, & conſequenter modo probabili, non infallibili ex parte obiecti ſecundum ſe, cum quo ſtat aliunde reuelationem Diuinam, ac cognitionem penitus poſtea ſimul attingere infallibiliter futuritionem, vel non futuritionem euentus, vt ſæpè antea explicatum eſt.

Ad octavum tandem ex iſta eadem doctrina ſolutio patet, ſcilicet ibi ab Auguſtino reprehendi Donatiſtas concedentes Diuinæ reuelationi primum tantum ſeparatum à ſecundo, vti & Caluinus errabat, non vero reprehendi, qui ponunt primum cum ſecundo coniunctum, vti nunc ponunt Thomiſtæ, & iamdiu in hoc ſenſu Ledeſma diſput. 2. de ſcientia conditionatorum parte 2. pag. 580. de ſigno priori ante decretum dicebat, *poſſe Deum iudicare quid foret probabilius in tali euentu, non tamen poſſe definitiuum ferre iudicium, hancque fuiſſe ſententiam omnium Thomiſtarum ſibique*, vt ſubdit pag. 590. *certiſſimam eſſe*, vt refert etiam hæc verba Ledeſmæ nouiſſime Quiros ſeu Bernalius diſput. 51. de ſcientia Dei ſect. 2. ſed perperam velut ex ipſis triumphans contra Thomiſtas concludit, *non iure igitur Thomiſtæ cum Ioanne de S. Thoma acerbè audiunt ſe aliquando ab hac fuiſſe ſententia, vt liberius iam negent Societatis Magiſtros, per quos profecerunt in huius veritatis agnitionem*, ſcilicet in cognitionem ſcientiæ infallibilis conditionatorum, immeritò, inquam, ex allatis Ledeſmæ verbis id Quiros concludit, quia cognitionem obiectiue probabilem, quam tunc Ledeſma, vti Thomiſticam amplexabatur, tuentur adhuc denuo moderni Thomiſtæ, & ſimul cognitionem aliunde obiectiue infallibilem conditionatorum, quam nunc agnoſcunt Thomiſtæ, agnouerunt priores illi, nec didicerunt ab alijs extra ſcholam S. Thomæ, vt ipſe ſupponit, ſed eam primitus, & antiquitus recognouerunt, melius etiam quam alij, vt in Articulo ſubſequenti afferemus.

ARTICVLVS III.

An certum ſit, conueniantque Thomiſtæ, prædicta conditionata, præter cognitionem obiectiuè ex vi conditionis probabilem, aliundè etiam certò infallibiliter obiectiuè præcognoſci à Deo.

Videtur quod non tum Aureolo, & Gregorio, vt refert Vaſquez p. p. diſput. 66. cap. 1. tum Ianſenio Gandauenſi, in concordia cap. 47. vt fere

ſolum

ſolum eum recenſet Suarez lib. 2. de Scientia cap. 1. tum Claudio Tiphanio è Societate lib. de Ordine cap. 25. Ioanni Carameuli nouiſſime in ſua Theologia fundamentali fundamento primo Theſi 6. tum, vt falſo inquit Alarcon, diſput. 4. cap. 4, & repetit cum ipſo Macedo Collat. 10. differentia 4. ſect. 2. *paucis quibuſdam Thomiſtis, quos vocant paucos, & ignobiles Theologos*, ſed falsò citant, vt patet ex dictis, & minus iuſte, *ignobiles Theologos* nominarunt. Vtrique loquendo de conditionalibus adhuc diſparatis pro ſententia negante cognitionem infallibilem in Deo veriùs referri poſſunt Vaſquez diſput. 67. cap. 3. Alarcon ipſe diſp. 4. cap. 10. Faſſolus dub. 13. n. 255. Leſſius de auxilijs cap. 19. num. 3. Amicus diſp. 12. ſect. 3. Ariaga diſp. 21. ſect. 7. & alij. Et primo probari poteſt præcedens negatiua ſententia de conditionatis futuris in cõmuni, quia prædicta conditionata in Scriptura plerumque pronunciata leguntur cum hac particula, *forte, vel forſan*, vt Lucæ 10. *ſi in Sidonijs factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent vſque in diem hunc*, & in Pſalm. *ſi in vijs meis ambulaſſent forſitan inimicos eorum humiliaſſem*, & ſimilia repetũtur Io. 4. Matt. 11. Deut. 4. Gen. 3. ſed iſta particula *forte, vel forſan* deſignat propriè dubitandi rationem adminus obiectiuè ex parte obiecti (vt nos etiam anteà in quorumdam ſententia expendebamus) licet non ſubiectiue ſemper ex parte ſubiecti, & aliàs verba ſcripturæ accipi debent, & intelligi in ſenſu proprio, vbi id commode poteſt, ex Auguſtini regula 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. igitur ex his ſcripturæ locis accipiendum eſt conditionata prædicta ad minus obiectiuè ex parte obiecti cum aliqua dubitandi ratione, & non pure omnino cum certitudine infallibili præcognoſci à Deo.

Secundò, cum Proſper ad Auguſtinum propoſuiſſet eidem hũc Semipelagianorum errorem, ſcilicet paruulos ſine baptiſmo pereuntes *tales perdi, talesque ſaluari, quales futuros illos in annis maioribus, ſi ad actiuam ſeruarentur ætatem, ſcientia diuina præuiderit*, quem errorem etiam anteà præuiderat, & impugnarat idem Auguſtinus præſertim lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7. ideo, tum hic tum alibi volens eumdem conuincere errorem, poſt probationem aliundè deſumptam ex facto oppoſito Dei ſaluantis, immò *quem rapit, ne malitia mutaret intellectum eius*, neque donantis Tyrijs, & Sidonijs prædicationis gratiam, *quos* Matth. 11. reuelauit *credituros ſi apud ipſos factæ fuiſſent virtutes*; indè volens vlterius ex impoſſibilitate prædictæ præſcientiæ meritorum conditionatorum eumdem errorem deſtruere, recurrit ad hoc, quod & nullo modo futura ſint, nec ideò præſciri poſſint, tum epiſt. 105. inde dicens, *quomodo futura dicuntur, quæ nulla erunt?* Tum lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 7. *quomodo præſciuit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia præſcientia eius falli non poteſt, præſciuit potius non futura?* tum lib. 1. de anima, & eius origine cap. 12. *Qui a quod ipſa exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit? Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* & dimiſſo ſimili Auguſtini diſcurſu in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 12. & alibi, & Damaſceni in Dialogo contra Manichæos fol. 480. id etiam Proſper in eadem epiſtola profitebatur dicens Maſſilienſes adeò deſipuiſſe, *ut quæ non ſint futura confingãt, nouoque abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint*, vbi ex oppoſito Auguſtinus, vt explicaret præindicatam futurorum conditionatorum præſcientiam in illo text. Sap. 4. *raptus eſt, ne malitia*

mutaret

mutaret intellectum eius, ad ſolam conditionatorum cognitionem obiectiuè in caufis probabilem refugiſſe videtur, dum lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 14. illud teſtimonium expoſiturus ſic inquit, *dictum eſt hoc ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat*; hoc autem, vt plane conſtat, eſt dilucidè denegare Deo præſcientiam ſaltem obiectiue certam, vel infallibilem futurorum conditionatorum, & ſolam concedere obiectiue probabilem, mox ante ſupra probatam: ergo vere illa ſola non verò hæc adhuc obiectiue infallibilis conditionatorum præſcientia in Deo admittenda eſt.

Tertiò, vt arguit Tiphanius, quia ſicuti infallibilis reuelatio futurorum conditionatorum facta in ſcriptura videtur quantum eſt de ſe ſignificare infallibilem cognitionem eorumdem conditionatorum in Deo, ità & ſermones vocales Dei ad Patriarchas, & Prophetas reuelati in ſcriptura videntur ſignificare cognitionem diſcurſiuam in mente Dei. Sed non obſtante hoc ſecundo non ponitur adhuc cognitio diſcurſiua in Deo formaliter, immò ſolum eminenter præcontenta in ſimpliciſſima cognitione omnium. Ergo pariter non obſtante primo non ponetur adhuc infallibilis cognitio futurorum conditionatorum in Deo formaliter, immò ſolum eminenter, ſcilicet præcontenta in alia cognitione obiectiuè probabili, ſeu coniecturali, vt iſte ſcriptor ex Societate intendebat.

Quartò, quia eatenus neceſſe eſſet admittere hanc certam etiam obiectiue præſcientiam conditionatorum futurorũ, quatenus ſaltem formando de ipſis contradictionem, & v. g. dicendo, *ſi Petrus vocabitur conſentiet, ſi Petrus vocabitur non conſentiet*, neceſſe eſt ſaltem in reali inſtanti temporis alterutram earũ eſſe determinate veram, aut falſam, & conſequenter certò cognoſcibilem à Deo. Sed dato hoc ſuppoſito fundamento (de quo tamen cum Curiele aliqui dubitant apud Salmaticenſes diſput. 7. dub. 6. ad 3) adhuc ſufficeret iſtas, ac ſimiles enunciationes cognoſci vt veras, non formaliter in ſe, vt conditionatas formaliter, ſed eminenter in abſolutis, reuocando eas ad iſtas abſolutas copulatiuè dicendo (*non vocabitur Petrus, & non conſentiet*) vel hoc alio modo, & *vocabitur Petrus, & conſentiet*, ergo adhuc non obſtante prædicto fundamento ſuppoſito neceſſaria non eſſet in Deo preſcientia certa formalis ſaltem futurorum ſub conditione, vti de facto diſcurrit de cõditionatis in communi Caramuel, & de conditionatis diſparatis conueniunt in re cum ſuo Vaſquez Faſſolus dub. 13. num. 255, & Ariaga diſput. 21. ſect. 7. num. 42. & alij.

In oppoſitum tamen eſt concors non, ſolum omnium aliorum Theologorum Societatis conſenſus, & cæterorum ſcriptorum longè ante ipſos, vt, obſeruante Macedo Collatione 12. diff. prima pag. 527. inter cæteros legi poteſt Toſtatus Abulenſis ad cap. 11. Matt. q. 52. verum etiam omnium omninò Thomiſtarum ſcriptorum, quos longo ſillabo ab initio iſtarum diſputationum referebat Aluarez libr. 1. reſponſionum cap. 1. nominatim adnumerans etiam Ledeſmam, Nauarettem, Cabreram, Zumel, & alios, de quibus anteà ab aduerſarijs dubitabatur, & mirum eſt aliquos adhuc dubitare velle, nolentes eoſdem in fonte conſulere, idque reperire admittentes, vt Ledeſmam de auxilijs pag. 610, & Cabreram 3. p. q. 62. ar. 1. diſput. 12. §. 5. etiam n. 136.

136. optimè exponentem ſententiam Nauaretis negãtis hanc in *Deo præſcientiam formaliter*, quod nempè poſterior ſit ad præſciẽtiam abſolutorum, non anterior ipſa: Indeque eamdem certam conditionatorum præſcientiam poſteriores omnes Thomiſtæ pro ſequuti ſunt, quos Salmanticenſes addenſant diſput. 9. dub. 4. Gonzalez, Nazarius, Ioa. de S. Tho. Serra, & huiuſmodi, & index innumerabilis poſteriorum, etſi priores quidam probabiliter opinati eſſent non eſſe neceſſe id de omnibus omnino conditionatis admittere, (ſicut neque de conditionalibus omnibus diſparatis iuxta aduerſarios neceſſe eſt Deum decreuiſſe, vel præſciuiſſe quid futurum eſſet, ad hoc ſufficiente eius dabili reſponſione quod ſcilicet eſſet illud, quod Deus vellet, aut voluiſſet, vti Aluarez occurrebat;) ſed de illis dumtaxat, quæ in ſcripturis reuelata ſunt, ſiue explicite poſtea, ſiue implicite, vt Ioan. de S. Tho. ſubiungit diſput. 20. de ſcientia Dei art. 1, vbi poſt recitata Herice, & Alarcon verba iactantia Thomiſtas conuictos ab ipſis ad hanc tandem conditionatorum ſciẽriam admittendam in Deo deue niſſe, concludit, *ſciat tamen lector ſtudioſus veritatis, omnia iſta foliorum ſonitum eſſe, & manes vmbras*, & verè ſic eſt, cum omnes omnino Thomiſtas hanc ſcienti am Deo abſolute primirus conceniſſe ex ante relatis iam conſtet, etſi de modo, vel medio eiuſdem iure merito diſputatinr. Certa igitur præallata præſcientia futurorum conditionatorum etiam obiectiuè infallibilis, & iuxta Thomiſtas, Deo concedenda eſt.

Reſpondeo conſtantiſſime etiam conueniente Thomiſtarum Schola præallatam præſcientiam Deo obiectiue infallibilem concedendam eſſe, immò etiam loquendo de conditionatis diſparatis, præſertim in ſcriptura reuelatis, vt contra præcitatos docent Gonzalez diſp. 44. ſect. 2. notabili 2. Cabrera, Zumel, & alij locis citatis à Faſſolo vbi ſupra; Et præter expreſſam S. Thom. auctoritatem 3. p. q. 1. ar. 3. q. 12. de verit. ar. 10. ad 8, & 2. 2. qu. 171. ar. 6. ad 2. breuiter (cum hæc modo communior ſententia ſit) id comprobandũ eſt; quia dnm Matth. 11, & Lucæ 10. ea conditionalis propoſitio proferrur à Chriſto, *Si in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, cauenda vtique eſt interpreratio Caluini in Antidoto interpretantis de ſola præſcientia coniecturali, veluti Chriſtus ad communem humanæ mentis captum ſermonem *ſuum accommodauerit*, vt fere etiam loqui videtur Valentia apud Faſſolum dub. 13. num. 219. immò ſimul intelligenda ea eſt iuxta intelligentiam, tum Auguſtini lib. de bono perſeuerantiæ cap. 9. fidentiſſime de prædicta conditionali dicentis, *Numquid poſſumus dicere Tyrios &c. credituros non fuiſſe ſi &c.* Tum Proſperi ad excerpta Genuenſium reſponſione 8. addenris, *manifeſtiſsime ſciri &c.* Tum Theophylacti in illud c. 10. Lucæ ſic exponentis, *ſi vidiſſent, credidiſſent vtique*, Tum Chryſoſtomi homilia 65, in Matt. Gregorij lib. 23. moralium cap. 33, & S. Thom. in catena aurea ad idem cap. 11. Matt. & aliorum Patrum, apud eumdem eodem modo exponentium. Sed hoc eſt planè præexiſtere in Deo præſcientiam etiam obiectiue certiſſimam conditionatorum, ergo hanc præexiſtere in eodem concedendum eſt. Accedunt inde alia teſtimonia ſcripturæ, vt 3. Reg. 11. *non ingrediamini ad eas, certiſsime enim auertent corda veſtra*, hoc enim aperte conditionalem continet, *ſi ingrederentur &c.* & tamen *certiſsime* pronunciatur futurus euen tus, conſequenter ſi infallibilis ſcripturæ veracitas eſt, infal-

ſibilis etiam conditionalis certitudo erat; Tum 4. Reg. 13. *Si percuſiſſes quinquies, aut ſexties ſiue ſepties, ſcilicet terram, percuſiſſes Syriam &c.* hæc enim conditionalis, vt diſparata, ex ſe nec probabiliter cognoſci poterat, conſequenter relinquitur aliunde à Deo certò fuiſſe præſcitam, vt in præſenti noſtrum inventum eſt. Video hic Caramuelem nuper conatum eſſe pleraque hæc teſtimonia ſcripturarum ſubterfugere dicendo, ſatis eſſe Deum ſcientia viſionis præuidiſſe in prædictorum hominum voluntatibus præſens aliquod propoſitum, ad effectum illum, perſeueraturum vſque ad eam circumſtantiam, ſi oblata fuiſſet, & ſic conditionata cognoſci ſolum in abſolute futuris. Immo, quod miror, Haunaldus nouiſſimus ſcriptor è Societate idipſum attribuit Eſparzæ lib. 1. trac. 1. cap. 3. cont. 4. §. 4. eum referens ex quæſt. 17. art. 13. Sed quis præſcindendo adhuc à diſparatis, de quibus nec apparenter hæc ſolutio procedit, quis, inquam, non vidat reſponſionis improbabilitatem? Tum quia vel ſupponitur decreuiſſe Deum perſeueraturum illud humanæ voluntatis propoſitum etiam ſub illa conditione abſolute ponenda, vel ſolum in hypotheſi ſi poneretur, vel tandem nullo modo decreuiſſe in ordine ad conditionẽ eamdem; ſi primum iam non eſt purè futurum conditionatum, vt in præſenti loquimur, vt præallata ſunt; ſi ſecundum iam habetur decretum conditionatum, & vera formaliter ſcientia conditionatorum intenta hic; ſi tertium tandem iam non eſt certum ſed fallibile illud creatum propoſitum fore adhuc in ea conditione perſeueraturum, cum inſtabiles ſint cogitationes hominum, & incertæ prouidentiæ eorum, nulla igitur eſt Caramuelis reſponſio; Tum quia illud Sap. 4. *raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*, exprimit aliquem conſenſum futurum ſub conditione ſine vllo propoſito abſolute perſeueraturo vſque ad conditionem eamdem, cum de facto ad eam non peruenerit, ergo non ſemper in futuris abſolutis ipſa futura conditionata prænoſcuntur à Deo, vt Caramuel aſſerebat.

Secundò igitur id ipſum probatur ex Patribus ſupponentibus, immò repetentibus, *præſciuiſſe Deum quid facturi eſſent homines, vel Angeli, ſi ab ipſo conderentur, vel quid operaturi in ſua ætate infantes, ſi in infantia non deceſſiſſent*, vt ad hoc paſſim congeri ſolent teſtimonia Cyrilli lib. 3. cont. Iulianum, & lib. 9. in Io cap. 10. Niſſeni in lib. de infantibus, & lib. 8. ſuæ Philoſophiæ cap. vltimo, Tertulliani lib. 2. cont. Marcionem cap. 4. Hieronymi Dialogo 3. aduerſus Pelagianos, Ambroſij lib. de Paradiſo cap. 9. Nazianzeni oratione 2. de Paſcha, Nemeſij lib. de natura hominis cap. 44, Damaſceni in Dialogo contra Manichæos, Anſelmi, & Remigij ad illud Matth. 11. *ſi in Tyro, & Sidone &c.* præter alios mox ante allatos, & præter alios ad illud actorum 16. de Paulo, & ſocijs impeditis à Deo ne *prædicarent verbum Chriſti in Aſia*, ſupponentes præſciuiſſe *Deum fore illos id contempturos*, vt conſuli poſſunt Beda ibidem, Eumenius, Gregorius hom. 12. in Ezechielem, Origenes homilia 9. in Leuit. & alij, ſed omnium optime Auguſtinus id tradit, non ſolum in Enchiridio cap. 95. (qui liber apud aliquos dubius eſt) verum etiam in lib. de dono perſeuerantiæ cap. 9. de corrept. & gratia cap. 10. & 12. de Prædeſt. Sancto. cap. 9. vbi diſertiſſimis verbis aſtruit præſciuiſſe Deum, ac Chriſtum, quid facturi eſſent Tyrij, aut alij Populi, ſi ipſis verbum Dei prædicaretur. Hoc autem profecto eſt recognoſcere in Deo certiſſimam obiectiue præſcientiam etiam futurorum

futurorum conditionatorum; ergo iſta profecto in Deo recognoſci debet.

Tertiò ratione probatur, quia ſicut homo interrogatus de aliquo futuro conditionato imprudenter ageret ſi certo neſciens quid ſub illa conditione euenturum eſſet, tamen fidenter reſponderet hoc, vel illud euenturum fore, ita pariter hunc reſpondendi modum Deo attribuere abſonum omnino eſt. Sed Deus iam interrogatus etiam de his conditionatis ſæpe abſolute reſpondit, vt 1. Reg. cap. 23. & alibi frequenter conſtat, immò foret abſurdum dicere eum expoſtulatum de iſtis, non poſſe ex eorumdem ignorantia reſpondere, ergo abſurdum eſt pariter dicere hæc futura etiam conditionata certò non præcognoſci ab eodem: qua de cauſa inter Ethnicos etiam ſolo lumine naturæ præditos olim Maximus Tyrius ſer. 3. hoc ferè noſtro diſcurſu pro diuina futurorum prædictione vtebatur dicens, *nemo repellitur à Deo, qui oro futurorum certitudine aſſequenda oraculum petat &c. ego autem ne dum Dei, ſed ne boni quidem viri eſſe exiſtimo temerè, ac præter dignitatem rei ad effundendam veritatem proſilire*, & apud Tullium lib. de fato in hoc ſenſu, *dicebat Carneades*, vt loquitur Cicero, *ne Apollinem quidem futura poſſe dicere, niſi ea, quorum cauſas natura ità contineret, vt ea fieri neceſſe eſſet &c. ità non præterita quidem ea, quorum nulla ſigna tamquam veſtigia extarent, Apollini nota eſſe cenſeat, quo minus futura. Solis enim cauſis efficientibus quamque rem cognitis poſſe denique ſciri quid futurum eſſet*, vbi nota recurſum & hic Thomiſticum pro cognitione futurorum ad cauſam eorumdem, de quo infrà. Inde concludit, *ergo nec Ædipo potuiſſe Apollinem prædicere nullis in rerum natura cauſis præpoſitis, cur ab eo Patrem interfici neceſſe eſſet; nec quidquam huiuſmodi*, quod abſurdum eſſe ſupponit.

Quartò tandem, quia ſicut ex vniuerſaliſſima virtute voluntatis diuinæ (per S. Tho. p. p. q. 19. ar. 8, & Theologos ibidem, cum Auguſtino, Anſelmo, & alijs ſupra allatis) demonſtratur diuinam voluntatem attingere debere res, ne dum ſecundum ſubſtantiam, verum etiam ſecundum omnem modum, quem habent, ita ex vniuerſaliſſima pariter virtute ſcientiæ Dei colligendum eſt eamdem neceſſario attingere res, ne dum ſecundum ſe abſolute, verum etiam ſecundum omnem modum reſpectiuum ad alias res, & combinabilitatis cum illis; ſed ad hunc modum omninò pertinet futuritio conditionata rei, ſub cõbinatione cum alia re, ergo & quo ad iſtam futuritionem conditionatam debet ſcientia vniuerſaliſſima Dei attingere ipſas res. Vnde à pari ex prima vniuerſalitate voluntatis Dei inferebat dependentiam voluntatis humanæ quoad omnem etiam circumſtantiam Auguſtinus in Enchiridio cap. 97. dicens, *quis porro tam impie deſipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & vbi voluerit, in bonum non poſſe conuertere?*

Ad primum igitur iam diu S. Thom. noſter in cat. aurea ad cap. 11. Matth. ad ea verba, *ſi in Sodomis &c. forte manſiſſent*, omnem precidit difficultatem cum D. Remigio dicens, *ideo Dominus, qui omnia nouit, hoc loco verbum dubitatiuum poſuit, ſcilicet forte, vt demonſtraret quia liberum arbitrium conceſſum eſt hominibus*, & Hieronymus in Ier. 26. expendens ſimilem particulam dubitatiuam, *noſtro*, inquit, *loquitur affectu, vt liberum hominis ſeruaretur arbitrium*. & repetunt Chryſoſtomus hom. 78. in Matt. Theophilactus ad præcitatum mox locum Ieremiæ, Gregorius hom. 18. in Ezech, Auguſtinus tract. 37. in Ioan. Euſebius 6. præparationis Euangelicæ cap. 9. & ſine dub. hunc ſenſum euincit il-

lud Ioan. 8. *ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*, vbi non obſtante ea particula *forſitan* certum erat non poſſe ſciri filium, quin ſciretur & Pater, pariter Ioan. 5. *ſi crederetis Moyſi, crederetis forſitan mihi*, & actor. 8. *penitentiam age, & roga Deum ſi forte remittatur tibi*. Vnde concludit velut ab abſurdo & Ambroſius lib. 2. de pęnitentia cap. 2. *dicant ergo Dominum ignoraſse, quid eſset futurum*; & nos ex his omnibus concludimus, vtique poſſe ex dicta particula in ſcripturis appoſita inferri Deum habere etiā cognitionem obiectiue probabilem conditionatorum ante decretum, vt in ſuperiori Articulo oſtenſum eſt, non tamen inde excludi poſſe, quin habeat ſimul cognitionem aliunde ex decreto infallibilem, atque obiectiue certiſſimam eorumdem, vt in præſenti iam concluſum eſt.

Ad ſecundum, Suarez prolegomeno 2. de ſcientia cap. 4. reſpondet illis locis Auguſtinum ſolum negauiſſe futura conditionata eſſe pręſcibilia vt motiua meritoria, vel demeritoria ad mouendam voluntatem Dei in retributionem præmij, vel penæ, non vero negauiſſe præſcibilia infallibiliter; quam tamen poſtea reſponſionem, veluti non euacuantem difficultatem ad mentem Auguſtini, quinimmò non ſemel ex negatione ſecundi, etiam negationem primi ſubinfert (vt in argumento expenſum eſt) ideo cæteri inde plerique Societatis ſcriptores eam reſponſionem, veluti inſufficiētem, deſerere coacti ſunt, vt inter cæteros videri poteſt Faſſolus dub. 13. num. 244. aliter ipſe reſpondens, *Auguſtinum ibi ſolum voluiſse talem cognitionem conditionatorum impropriè vocari a Pelagianis præſcientiam, & Pelagianorum errorem impugnaſse non ſolum, quia male ſentiebant contra fidem, ſed etiam quia male loquebantur*, ſic ille cum alijs ſuis priores Auguſtini probationes adaptans quoad quæſtionem de re, poſteriores verò quoad quæſtionē *de præſcientiæ nomine*, pulchrè equidē, cum Nominalibus, *reuocata ad quæſtionem de nomine controuerſia grauiſsima*, ſubdit noſter Xantes Mariales relect. 3. de ſcientia ſect. 3. *quæ per tot annos vocibus, diſputationibus, ſcriptis & reſcriptis inter D. Auguſtinum, & Pelagianos, & poſtea inter recentes exagitata eſt*. Grauior igitur & verior Thomiſtarum noſtrorum reſponſio eſt (etſi valdè his, & ſimilibus Auguſtini locis ibidem expenſis à Mariales pag. 124, etiam Macedo torqueri videatur Collat. 11. diff. 1. pag. 428.) Semipelagianos ea conditionata futura poſuiſse obiectiue futura in ſeipſis extra, vel ante primæ cauſæ diſpoſitionem, quomodo vtique, *futura, quæ non erant futura, fingebant*, & inde, *Diuinam præſcientiam exinanire dicebantur*, ſubtrahendo nimirum aliquid futuritionis determinatæ creatæ à ſupremo Dominio Dei, eiuſdemque vniuerſaliſſima cauſalitate; At vero ponendo, vt ponimus nos, prædicta conditionata futura non eſse obiectiue determinata, niſi intra Deum ex diſpoſitione volūtatis eiuſdem, illud profecto dicimus, quod eo loci Auguſtinus de præſcientia *innixa propoſito* vniuerſaliter aduerſus Maſſilienſes intendebat; & pro quanto poſtea in illo dicto Sap. 4. *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius*, ſermo erat de futuro peccato formaliter, quod vt tale vtique à Diuina cauſalitate non dependebat, quoad hoc vtique ritè Auguſtinus accurrebat ad ſolam futuritionem, non obiectiue infallibilem, ſed moralem, ſeu naturalem innixam diſpoſitionibus cauſarum inferiorum in libr. de Fradeſt. Sanctorum cap. 14. dicens, *illud dictum eſt ſecundum pericula vitæ huius, non ſecundum præſcientiam Dei, qui hoc præſciuit quod futurum erat, non quod futurum*

futurum

Digitized by Google

futurum non erat, *ideſt*, (Audi explicationem noſtram, & Auguſtini) *ideſt quod ei mortem immaturam, fuerat largiturus, vt tentationum ſubtraheretur incerto, non quod peccaturus eſſet &c.* tametſi poſtea indirectè aliunde ex decreto tùm influxiuo in materiale peccati, tum permiſſiuo malitiæ eiuſdem etiã deformitatis peccati futuræ, certa cognoſcibilitas in prædictorum cognitione non negaretur, vt conſtat ex illo Auguſtini lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. *præſcire autem potens eſt Deus etiam quæ ipſe non facit, vt quæcumque peccata &c.*

Ad tertium prætermiſſa paritate maioris, diſtinguo minorem, *non ponitur formaliter in Deo diſcurſus*, ſcilicet formalis ex parte actus procedens de vna cognitione ad aliam, concedo, ſcilicet obiectivus ex parte obiecti cognoſcẽs etiam vnum obiectum procedere ab alio, nego, & negatur conſequentia, quia hæc pariter cognitio infallibilis conditionatorum in Deo eſt conditionata dumtaxat obiectiue ex parte obiecti, non vero cõditionata ſubiectiue ex parte actus cognitionis; præterquamquod ſolum inferius præcontinetur eminẽter in ſuperiori, non è contra, Vnde cum diſcurſus formalis ſit cognitio inferior, & imperfectior cognitione ſimplici intuitiua omnium, bene poteſt illa præcontineri in iſta, ſed cum ex oppoſito cognitio infallibilis obiectiua conditionatorum ſuperior ſit, & perfectior cognitione obiectiue probabili, ideo illa non poteſt adhuc eminenter præcontineri in iſta, vt arguens ſupponebat.

Ad quartum, tandem miror vix aliquod argumentũ à recentioribus Theologis in hac materia de præſcientia futurorum aduerſum veritati inueniri, quod ab Ethnicis Philoſophis non fuerit longè antea excogitatum, vti explicationem, ad quam refugit hæc quarta obiectio, reperio nunc, & lego verbatim apud Ciceronem lib. de fato, vbi Chryſippus, etſi quoad actus noſtros liberos ſcientiam & ipſe conditionatorum formaliter recognoſceret, vt ſupra vidimus, quoad naturalia tamen, vt mortẽ & cętera huiuſmodi in nobis à cauſa externa naturali pendentia, eodem omnino diſcurſu refertur ibi à Cicerone vtens his verbis, *hoc loco Chryſippus æſtuans falli ſperat Chaldæos, cæteroſque Diuinos, neque eos vſuros eſſe coniunctionibus, vt ita ſua percepta pronuncient. Si quis natus eſt oriente canicula, is in mari non morietur, ſed potius ita dicent, non & natus eſt quis oriente canicula, & is in mari morietur.* Sed ſtatim Cicero ipſe ibidem pro nobis reprobat hanc explicationem, ſeu aduerſariorum euaſionem exclamãs, *O licentiam iocularem! ne Chryſippus incidat in Aduerſarium Diodorum, docet Chaldæos, quo pacto eos exponere percepta oporteat. Quæro enim ſi Chaldæi ita loquantur, vt negationes infinitarum coniunctionum potius, quam infinita connexa ponant: Cur idem Medici, cur Geometræ, cur reliqui facere non poſſunt? Medicus in primis iuxta Chryſippum, quod erit ei perſpectum in arte, non ita proponet, ſi cui venæ ſic mouentur is habet febrem, ſed potius illo modo: non & huic venæ ſic mouentur, et febrem is non habet, & ita Geometra &c. Multa genera ſunt enunciandi, nullum diſtortius quam hoc, quod Chryſippus ſperat Chaldæos contentos Stoicorum cauſa fore. illorum tamen nemo ita loquitur &c.* Vno verbo nos pariter concludere iuxta iſta poſſumus; Scriprura, mox ante adducta, *non ita loquitur*, vt Aduerſarij eam loqui deſiderant. Nulla igitur euaſio illa Aduerſariorum etiam de diſparatis, de quibus non minus, ac de probabiliter connexis adeſt reuelatio in ſcriptura, vt 4. Reg. 2. *ſi videris me, quando tollar a te, erit tibi, quod petiſti*, quam enim connexionẽ obtinebat videre abeuntem, & impetrare quod petebatur? vti & illud 4. Reg. 13. *Si percuſſiſſes*

ſes

ſes terram, percuſiſſes Syriam &c. Quis ergo non videt hanc ſcientiam infallibilem conditionatorum Deo magis conceſſiſse Thomiſtas, quam plerique Societatis conceſserint, qui de diſparatis eamdem negauerunt? Quomodo ergo de nouo Rodes diſput. 3. de Deo qu. 4. non veretur repetere, *hanc omnem conditionatorum ſcientiam negant conſtantiſsime recentiores Thomiſtæ. Sed deinceps vi argumentorum coacti ſunt aliquam admittere; dixerunt verò alij eam probabilem dumtaxat, vt Curiel, Ledeſma, Cabrera, Cabezudo, Nauarete; alij mox aduertentes effugij huius male tutas latebras maluerunt humanæ libertatis iure violato dicere poſteriorem decreto.* Hæc ille, prout ipſi placet, non prout antea viſum eſt, ne quid amplius, vt mereretur, adjungam.

ARTICVLVS IV.

An prædictæ res ſemper prius ſciantur à Deo, vt futuræ in ſtatu conditionato, quam abſoluto.

VIdetur quod non, tum de conditionatis in communi, vt ſic, ipſi Nauarete controuer. 56. §. 5. Gonzalez diſput. 44. ſect. 3. num. 38. Cabreræ 3. p. q. 62. ar. 1. diſput. 12. §. 5. num. 135. & partim Suarez lib. 2. de ſcientia cap. 8. num. 6. tum ſaltem de conditionatis neceſſarijs, licet non contingentibus, ipſi Arubali diſpu. 47. cap. 5. Herice diſput. 9. cap. 1. Faſſolo dub. 18. num. 454. & quibuſdam alijs, probarique poteſt. Primò quia cognitiones in Deo ordinari poſſunt adinuicem ſolum ex ordinatione obiectorum, ſed in propoſito obiectum conditionatum eſt poſterius abſoluto, & fundatur in ipſo, vt v. g. in tantum hæc conditionalis eſt vera *ſi Petrus eſt homo eſt riſibilis*, inquantum eſt vera hæc abſoluta, quod *omnis homo eſt riſibilis*, & intantum verificatur, *ſi Sol eſt, dies eſt*, inquantum verificatur quod *Sol eſt neceſſario illuminans*, & huiuſmodi, ergo & cognitio conditionata in Deo prout ex parte noſtri diſtinguitur ab abſoluta, erit illa poſterior.

Secundò, quia intantum homo prius tractat de rebus ſub conditione, antequam abſolutè decernat, v. g. ſi ego fecero hoc pacto domum, erit vtilis ad talem finem, vel non, & poſtea executio futura decernitur, inquantum homo procedit per viam inquiſitionis, & conſilij, ſumendo ſcientiam à rebus, & procedendo de imperfecto ad perfectum, vt de Rege cogitante de bello, vel de cogitante ædificationem Domus, habetur apud Lucam cap. 14. ſed ab oppoſito Deus non ſic procedit à conſilio mediorum ad efficacem intentionem finis, immò primitus efficaciter prout ipſi placet finem intendit, & inde habens in ſua poteſtate ſingula media eadem eligit in ordine ad finem, ergo ex oppoſito Deus non prius tractat, vel cognitionem habet, de rebus etiam contingentibus ſub conditione priuſquam de eiſdem abſolute decernat.

Tertiò à pari de neceſſarijs arguitur ad contingentia, quia intantum in neceſſarijs prius cognoſcitur abſolutum, quam conditionatum, inquantum eſt prior connexio neceſſaria abſoluta inter extrema quam ſit connexio neceſſaria conditionata, v. g. prior eſt connexio inter Solem, & Lucem, inter hominem, & riſibilitatem, quam quod inde inferatur, ſi eſt Sol dies eſt, ſi eſt homo eſt riſibilis. Sed pariter in contingentibus prior eſt connexio contingens ab-

ſoluta, quàm connexio contingens conditionata, v. g. prius eſt quod audire concionem ſibi connectat probabiliter conuerſionem Petri, quamquod ſi Petrus audiat concionem conuertatur, ergo pariter in contingentibus prior eſt cognitio abſoluta, quàm conditionata.

Quartò, quia quælibet pars componens eſt prior toto compoſito, ſed propoſitio chategorica eſt pars propoſitionis hypoteticæ, ergo quælibet chategorica eſt prior hypotetica, ſed conditionata quælibet eſt hypotetica, abſoluta autem chategorica eſſe poteſt, ergo abſoluta prior erit, quàm conditionata, & conſequenter etiam à Deo prius cognoſcenda erit. Vnde S. Tho. Perhier. lect. 10. de propoſitione chategorica, & hypotetica inquit, *eſſe diuiſionem, vt analogi ſecundum prius, & poſterius, ſicut vnum diuiditur ſecundum prius in ſimplex & per poſterius in compoſitum.*

Quintò, vt arguit Arubal apud Alarcon, quia quando cauſa eſt neceſſariò exiſtens vt Deus, nequit prius concipi illa cauſa vt exiſtens ſub conditione, antequam concipiatur vt exiſtens abſolutè, ſed in qualibet conditionali, quæ eſt prior abſoluta, debet prius concipi conditio, vt prius exiſtens ſub conditione, quam exiſtens abſolutè, ergo quando cauſa eſt neceſſario exiſtens, vt Deus, nequit illa cauſa prius poni vt conditio, & fieri conditionalis propoſitio antequam fiat abſoluta v. gr. *ſi Deus exiſtit Sol erit*, vt pro exemplo Arubal afferebat, & probabat maiorem, quæ ſola indiget probatione, quia id, quod non poteſt concipi, vt poſſibile, priuſquam exiſtens de facto, neque poteſt cõcipi vt exiſtens ſub conditione priuſquam exiſtens abſolutè, ſed quando cauſa exiſtit neceſſario, vt Deus, nequit concipi vt poſſibilis priuſquam vt exiſtens, cum immò exiſtentia ſit de eius quidditate, ergo neque poteſt concipi vt exiſtens ſub conditione antequam vt exiſtens abſolutè.

Sextò, quia aliter iuxta hanc ſententiam prior eſſet Deus ex parte obiecti vt exiſtens ſub conditione, quam abſolute, & conſequenter ordinata cognitio Dei prius attingeret Deum vt exiſtentem ſub conditione, quam in ſe abſolutè exiſtentem, ſed hoc eſt falſum, cum immò illud primum attingatur à ſcientia Dei, quod eſt obiectum primarium, & formale, quam alterum, obiectum autem formale primarium ſcientiæ diuinæ eſt Deus ipſe vt eſt in ſe, & conſequenter vt exiſtens abſolute, non vero vt concipitur à nobis, velut vt exiſtens ſub conditione, nec conſequenter poteſt attingi à ſcientia Dei vt exiſtens prius ſub conditione, quam abſolute, ergo falſa eſt omnino prædicta ſententia.

Septimò, quia intantum in creaturis prior eſt ſtatus poſſibilitatis, quam futuritionis conditionatæ, & iſte quam ſtatus futuritionis abſolutę, inquantum in illo ſtatu res habent maiorem neceſſitatem, quam in iſto, & ſic deſcendendo, ſed ab oppoſito Deus conceptus adhuc ſub ratione non repugnantis ad eſſe, ſeu poſſibilis præciſiue, non contrarie excludendo exiſtentiam, adhuc non habet maiorem neceſſitatem quam habeat Deus conceptus, vt exercite habens exiſtentiam, quæ eſt ſemper de quidditate Dei, ergo Deus adhuc non prius concipitur vt poſſibilis, vel ſub conditione exiſtens, quam abſolute.

In oppoſitum tamen eſt affirmatiua ſententia etiam de conditionatis in communi vt ſic Cabreræ eiuſdem in eadem diſput. 12. §. 7. num. 170. Nazarijp. p. q. 14. ar. 13. controu. 1. §. 6. in fine, Aluarez diſp. 7. de auxilijs n. 7.

Zumel

Zumel to. 1. variarum diſputationum fol. 100, Xantes Mariales releċt. 1. de ſcientia ſeċt. 1. & releċt. 3. ſeċt. 2. ad hanc reducentis etiam Gonzalez, vti tandem fauet & Nauarete vbi ſupra in ſolutione ad primum, & ex alijs ſequuntur Valentia p.p. q.14. art.13. punċt.5. q.2. §.3. Alarcon diſput. 4. cap. 9. cum Ruuicio, & cum eodem Suarez prolegomeno 2. cap. 6. n. 10. Faſſolus dub. 13. n. 214. cum Bellarmino, Fonſeca, Molina & alijs recitatis ab ipſo, & ſaltem de conditionatis contingentibus conſentiunt Arubal etiam & Herice apud Alarcon vbi ſupra, ergo iſta ſententia probabilior eſſe videtur.

Reſpondeo vtique futura conditionata ſaltem contingentia præſciri prius quam abſoluta, & id etiam de quibuſdam ſaltem neceſſarijs probabiliter dici poſſe. Et primum quidem etiam de mente San. Thom. probatur quia in Deo prior eſt voluntas antecedens, qua *vult omnes homines ſaluos fieri*, quam voluntas conſequens, qua aliquos tantum præ alijs prædeſtinat, vt colligitur ex S. Thom. p. p. quæſt. 19. ar. 6. ad 1. ſed vt inquit idem S. Tho. in 1. diſt. 46. q. 1. art. 1. ad 2. *voluntas antecedens poteſt dici conditionata ex parte voliti*, ergo iam conditionatum in Deo præcedit abſolutum, vt ſupponit iterum S. Thomas 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. cum Auguſtino recitato ibidem, & ſic explicante ſe ipſum in opuſculo contra Porphirium, idemque colligi poteſt ex eodem S. Thoma in eadem quæſtione art. 3. ad 4. ſi in hoc ſenſu explicetur non præſcindendo à decreto circa futura conditionata, vt Auguſtinus ſimiliter ſe exponebat expreſſe. Secundò quia quod ſe habet vt finis ſaltem in intentione præcedit alia ſe habentia vt media, vt diſcurrit S. Thom. p. p. qu. 23. art. 5. ſed exempli gratia conſenſus noſter præuiſus, & præuolitus, vt futurus conditionatè ſub conditione gratiæ excitantis ſe habet, vt finis ad collationem abſolutam eiuſdem gratiæ in ſtatu abſoluto, vt colligi poteſt ex eodem S. Tho. ibidem ad 1. dicente, *cuius gratiæ præſcitus non eſt ratio collationis gratiæ, niſi ſecundum rationem cauſæ finalis*, ergo conſenſus præuiſus & præuolitus in ſtatu conditionato ſub conditione gratiæ excitantis futuræ poſtea in ſtatu abſoluto antecedit præuiſionem ſtatus abſoluti eiuſdem; in quo ſenſu (non excludendo poſtea efficaciam intrinſecam Diuinæ voluntatis, à qua incipit noſter futurus conſenſus, & quæ non ab extrinſeco tantum eſt efficax) optimè, & facillime Thomiſtæ exponunt illud etiam Auguſtini teſtimonium libr. 1. ad Simplicianum q. 2. *quia cuius miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere vt vocantem non reſpuat*, de excitante ſcilicet, ac morali vocatione loquendo, vt paſſim exponunt noſtri &c. Tertiò id etiam probatur ex P.P. admittentibus Deum præſciuiſſe Angelos, vel homines peccaturos, ſi ipſos crearet; & tamen inde hoc non obſtante decreuiſſe creationem eorumdem; ſed hoc eſt præſciētiam conditionatorum ſaltem liberorum, & contingentium aliquo modo antecedere præſcientiam abſolutam, ergo ſic verè antecedit; Maior conſulenti patebit Tertullianum lib. 2. cont. Marcionem cap. 7 Damaſcenum in Dialogo contra Manichæos, & Cyrillum lib. 9. in Ioan. cap. 10. vti ad propoſitum optimè expendit eorum verba Suarez proleg. 2. de ſcientia cap. 4. n. 18. contra quoſdam reſpondentes hos Patres admittere præſcientiam futurorū conditionatorum ſupponentem tamen præſcientiam de futuritione abſoluta, contra quam reſponſionem obſtare fateor verba eorumdem Patrum a Suarez adducta, & ponderata. Quartò probatur ratione eleganti Cabreræ, quia il-

læ

Digitized by Google

læ propoſitiones prius ratione veræ ſunt, & conſequenter à Deo præſcitæ, quarum obiecta habent magis neceſſariam veritatem, ſed in futuris contingentibus obiecta futura ſub conditione habent veritatem magis neceſſariam, quam abſoluta, ergo & propoſitiones de conditionatis erunt prius ratione veræ, & conſequenter à Deo præſcitæ, quam abſolutæ. Maior, quia prioritas rationis eſt ſolum prioritas independentiæ, ergo; minor, quia res tanto magis ſunt neceſſariæ, quanto magis abſtrahunt ab exercitio exiſtentiæ contingentis, ſed poſſibilia magis abſtrahunt ab exiſtentia contingenti, quàm futura conditionata, & conditionata magis, quam abſoluta, vt patet ex ipſo connotare, magis, vel minus exiſtentiam, ergo de primo ad vltimum magis ſunt neceſſaria poſſibilia, quam futura conditionata, & iſta quam abſoluta.

Secundum inde (quod magis ambiguum eſt) probari poteſt primo de mẽte S. Tho. quia ex S. Thoma opuſ. 48. tract. de enunciatione cap. 14. etiã in neceſsarijs, *ad conditionalem propoſitionem reducitur omnis cauſalis, ut quia Sortes eſt homo, Sortes eſt animal, & temporalis, ut quando Sortes eſt homo, Sortes eſt animal, et omnes huiuſmodi*, ſed id, ad quod aliud reducitur, eſt prius illo, ergo etiã in neceſsarijs propoſitio conditionalis eſt prior cauſali, vel temporali, ſed cauſalis, vel temporalis, dicit eſse abſolutum, ergo etiam in neceſsarijs conditionatum erit prius, quam abſolutum. Secundo probatur ratione, quia illud natura prius eſt, à quo non valet ſubſiſtendi conſequentia, ex Ariſtot. in poſt prædicamentis cap. de priori, ſed etiam in neceſſarijs non valet à conditionali ad abſolutam, benè è contra, v. gr. licet hæc conditionalis ſit vera, *ſi lapis eſt homo, lapis eſt animal*, non tamen verificatur, *lapis eſt homo, ergo eſt animal*, ſeu, *quia lapis eſt homo, lapis eſt animal*, ergo etiam in neceſſarijs prior natura eſt ipſa conditionalis, quam abſoluta. Tertiò quia intantum in contingentibus priora ſunt conditionata, quàm abſoluta, inquantum conditionata magis abſtrahunt ab exiſtentia, quam abſoluta; & conſequenter magis neceſſariam veritatem habẽt illa, quam iſta, vt diximus; ſed pariter in neceſſarijs adhuc eſse conditionatum eſt magis neceſsarium, quam abſolutum, & magis abſtrahens ab exiſtentia, ergo in ipſis pariter ſunt priora conditionata, quàm abſoluta, minor probatur exemplo adducto etiam ab Arubale de hoc conditionato neceſſario, *ſi Sol eſt, dies eſt*, profectò enim adhuc connexio conditionalis in ipſo magis abſtrahit ab exiſtentia, quam hæc propoſitio abſoluta, *Sol eſt, & dies*, vnde prima verificatur etiam de nocte, & ſemper, non verò ſecunda, & ratio a priori eſt, quia in prima attingitur ſolum vis conſequentiæ formalis, quæ abſtrahit ab exiſtentia, vt forma à materia, in ſecunda verò attenditur ipſum conſequens, quod non abſtrahit ab exiſtentia, ergo vera minor principalis.

Ad primum igitur argumentum à Nauarete allatum, in primis hæc tria argumenta poſſunt retorqueri in doctrinam eiuſdem Nauarretis in ſolutione ad primum dicentis, *Deum prius ratione cognoſcere ſub quadam præciſione ſiue hiatu abſtrahente à præſentialitate ſuos actus liberos, quam tales actus intelligantur præſentes, & ita ſi Deo arez conſtitueret cognitionem neceſſariam, & conditionalem antecedentem prædictum decretum, per quam ſpeculatiuè, vt ita dicamus, cognoſceretur idem decretum, non eſſet ita difficilis eius ſententia; cæterum cum ponatur dicta cognitio tamquam libera, debet neceſſariò præſupponere in eodem ordine actum abſolutum, cum liber-*

tas practica in intellectu ſumatur à libertate formali actus in voluntate præexiſtentis. De cognitione igitur iſta permiſsa à Nauarete ſpeculatiua erga decretũ prius vt conditionate præſens, quam vt præſens abſolutè, hæc vt dixi retorqueri poſsunt in arguentem. Vnde in forma nego minorem, ad cuius probationẽ, & exempla, diſtinguere oportet inter propoſitiones ſignificantes ſolam connexionem neceſſariam terminorũ ſpectantem ad lineam eſſentiæ, & inter propoſitiones ſignificãtes aliquod eſse ſpectans ad lineam exiſtentiæ, ſiue poſteà de præſenti, ſiue de futuro, ad quem primum ordinem ſpectat primum exemplum adductum in argumento, ad ſecundum vero ſecundum. De primis igitur verum eſt conditionales neceſsarias expreſsas etiam à nobis, *per modum ſignificandi de futuro*, fundari in aliqua cathegorica abſoluta, non tamen quæ ſit pariter de futuro, ſed potius in linea poſſibilium cognitorum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſicuti dicendo, *ſi aliquod, v.g. etiam lapis, erit homo, illud erit animal*, fundatur in iſta, quod *omnis homo eſt animal*, quæ tamen ſpectat ad lineam merè poſſibilium, non futurorum, & ſic adhuc non inde fit futuritionem conditionatam fundari in futuritione abſoluta, vt intendebatur, ſed fundari in eſsentijs rerum ſpectantibus ad ſtatum poſſibilitatis, quas vtique admittimus prius cognoſci, quam futura etiam conditionata: de ſecundis autẽ neque hoc adhuc verificatur, non enim ideò verum eſt, *quod ſi Petrus audiet concionantem conuertetur*, quia verificetur, *quod omnis audiens concionantem conuertetur*, vt de ſe patet, quia in conditionatis primi generis ex natura obiecti, & conſequentiæ, eſt connexio neceſsaria, conſequenter vniuerſalis, in iſtis verò ſecundis eſt connexio, & conſequentia ſolum contingens, & ideò particularis, non vniuerſalis. In vtriſque autem ſemper ſeruatur intentum, quod futuritio conditionata non fundatur in futuritione abſoluta, licet aliquando permittatur fundari in abſoluta connexione ſpectante ad lineam poſſibilium cognitorum per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ &c. & hoc forte voluit dicere Faſsolus, quando conditionales in materia neceſsaria conceſſit eſse poſteriorea abſolutis, non vero in materia contingenti, quia inquit, *in materia libera, ſeu contingenti, effectus cum nulla re omnino antecedente poteſt habere infallibilem connexionem &c.* quæ tamen propoſitio Faſſoli adhuc hoc modo limitanda eſt, *niſi illa res antecedens ſit cauſa infallibilis actus, & modi contingentis, ſeu liberitatis, vti eſt motio, & voluntas Dei*, tunc enim etiam de conſequente contingẽte ac libero fiunt conſequentiæ, & conditionales neceſſariæ fundatæ pariter in cathegorica abſoluta ſignificante eſsentiam rerum, vt mox ante de neceſſarijs dicebamus.

Ad ſecundum diſtinguo maiorem, ſi illa cauſalis intelligatur de hoc, quod eſt de vno actu circa conditionata procedere realiter ſucceſſiuè, & diſcurſiuè ex parte ſubiecti, vel actus, ad alium actum circa abſoluta, concedo, ſi illa cauſalis intelligatur etiam de puriſsimo proceſſu virtuali, & connotatiuo ex parte obiectorum ſic ordinatorum inter ſe, nego; ſic enim nos ex noſtra imperfectione procedimus à cognitione cauſarum ad cognitionem effectuum, & cõcluſionum, & tamen Deus, licet non habeat iſtam imperfectionẽ diſcurſus &c. tamen & ipſe prius virtualiter ex parte obiecti attingit cauſas, quam effectus, ita & hic; vti pariter omnino ex ſimili ordine obiectorum prius voluntas Diuina concipitur attingere ſalutem omnium hominum ſecundum ſe præſcindendo

dendo

Digitized by Google

dendo à circumſtantijs, & poſteà conſiderando circumſtantias, & ordinem ad ſingula attributa ſua &c. voluntas Diuina vult efficaciter ſalutem, non omnium, ſed aliquorum.

Ad tertium diſtinguo maiorem, *in neceſſarijs eſt prior connexio abſoluta quam conditionata*, loquendo de connexione abſoluta ſpectante ad eſſentiam ac rerum poſſibilitatem, concedo, de connexione abſoluta ſpectante ad rerum exiſtentiam, vel futuritionem, nego, vt explicabatur in ſolutione ad primum, & hinc ad minorem, etiam in conditionatis contingentibus prior *eſt connexio abſoluta inter audire concionem, & conuerti*, loquendo de connexione ſolius conſequentiæ probabilis, quæ datur etiam ante decretum, & eſt neceſſaria de modo (ex dictis ſupra) ſpectans ad poſſibilitatem, ac rerum eſſentias, concedo, loquendo de connexione conſequentis ſpectante ad lineam futuritionis, quæ adhuc infallibiliter, & non ſolum probabiliter, cognoſcitur à Deo, nego, & negatur conſequentia ad propoſitum, quia de iſta conditionali, *ſi Petrus audiet concionantem conuertetur*, habet Deus cognitionem omnino infallibilem euentus, vt in ſuperiori diximus, & tamen non datur profectò connexio infallibilis euentus conuerſionis cum cõditione, ſcilicet auditione concionantis; non ergo quælibet futuritio, vel connexio conditionata, fundatur in futuritione prius abſoluta.

Ad quartum, ad ſummum inde conuinceretur conditionatam hypotheticam de futuro fundari in aliqua chategorica ſpectante ad lineam eſsentiæ, quod non eſt contra nos, vt antea dictum eſt, quatenus tamen obiectio reſtringi poteſt ad hypoteticam conditionalem ſimul, & cathegoricam in materia contingenti de futuro, poterit adhuc diſtingui maior, *quælibet pars eſt prior toto compoſito*, in executione concedo, in intentione, nego, vti hoc ſecundo modo Deus prius decreuit creare vniuerſum, quam producere materiam eiuſdem, vt partem ordinatam ad illud, neque quoad hoc oppoſitum voluit S. Tho. qui immò in opuſ. 48. citato dixit, *conditionalem priorem eſſe*, & quidquid ſit de alijs hypoteticis, vt copulatiua, diſiunctiua &c. poſterioribus chategorica, ſaltem hypotetica conditionalis aliquid præ cæteris peculiare habet, quia, vt inquit S. Thom. 1. Periher. lect. 8. *propoſitio conditionalis eſt vna, quia vnum ſignificat, & non quia ſignificat plura, quæ ſola coniunctione ſunt vnum*, Vnde etiam Magiſter Soto, & Bannez in Summulis ſuſtinent hypotheticam vniuocari cũ chategorica, nec in ſua formali ſignificatione per ſe dependere ab eadem, vt explicat etiam cum eiſdem Huuerte lib. 2. Summularum cap. 5. q. 19. art. 5. verſus finem, præterquamquod gratis demum admiſſo propoſitionem hypoteticam omnem formalem, ſeu mentalem, eſſe poſteriorem chategorica, nobis ſufficeret conceptum obiectiuum hypoteticæ conditionalis antecedere conceptum obiectiuum chategoricæ abſolutæ, quæ duo valde diſtincta ſunt, cum illud primum includat artefactum noſtrum intentionale compoſitum, nõ vero ſecundum, & conſequenter ſtat in quacunque ſententia, de hypotheticis, intentum noſtrum.

Ad quintum ſimul, & duo ſequentia, nos ſiſtentes in ſecunda noſtræ aſſertionis parte non cogimur reſpondere; ſiquidem ibi aſseruimus conditionata præcedere abſoluta, *in quibuſdam ſaltem neceſſarijs*, non vero diximus, *in omnibus*, & conſequenter admiſso id non verificari in neceſſarijs de Deo, nil contra nos.

nos. In his enim de Deo ſingularis longè diſtincta difficultas eſt, negantibus de ipſis id verificari Arubale, & Herice, affirmantibus autem de iſtis adhuc per oppoſitum Alarcone, & Ruuicio, tum quia inquit Alarcon etiam perſonæ Diuinæ poſſunt concipi verè ſub ratione poſſibilis ex S. Thomas p. p. q. 41. art. 4. ad 2, ergo à fortiori ſub ratione exiſtentis ſub conditione, tum quia de facto verum eſt dicere, quod ſi Deus exiſtat erit trinus, & omnipotens, ſed in iſta ſignificatur exiſtentia Dei ſub conditione, ergo, tum quia conditionalis nihil ponit in eſſe, ergo neque dicit conditionem non eſſe à parte rei, ſicut nõ dicit eſſe, ergo conditionalis ſub conditione exiſtentiæ Dei neque dicet non eſſe exiſtentiam Dei, ſicut eam non ponit, & conſequenter non repugnat dicta conditionalis neceſſitati exiſtentiæ Dei, quæ ſemper eſt; tum quia communiter ſic dicitur à Theologis, quod ſi filius producit Spiritum Sanctum diſtinguitur ab eodem, ſi non producit non diſtinguitur, & tamen verè neceſſariò producit, ergo pariter non obſtante quod Deus neceſſariò exiſtat, poterit dici ſic, *ſi Deus exiſtit* eſt talis res, ſi non exiſtat, non erit Mundus &c. tũ quia tandem, licet eſſentia nequeat concipi vt exiſtens ſub alia conditione à priori, quæ nec virtualiter datur ante ipſam, vtpotè primum ens, & conſequenter à priori dici nequit, *ſi talis conditio datur Deus exiſtit*, benè tamen poteſt concipi vt exiſtens ſub conditione à poſteriori v. g. dicendo, *ſi datur ſubſtantia omnipotens &c. iam exiſtit eſſentia Dei*, ergo iam etiam Deus concipi poteſt vt exiſtens ſub conditione. Sic illi diſputant. Nos tamen in ſingulari iſta difficultate duas credimus diſtinguendas eſſe quæſtiones; altera eſt, an Deus, vel aliquod Diuinum immanens in Deo poſſit concipi ſub ratione futuri etiã ſub conditione; altera eſt, an poſſit concipi ſub ratione præſentis, ſeu exiſtentis ſub conditione: in prima enim, licet non ità clare ſe explicet Alarcon, certa debet eſſe pars negatiua, vt infrà integro Articulo oſtendemus; in ſecunda autem, de qua præcipuè puto diſputare prædictos, tunc è conuerſo affirmatiuæ potius ſententiæ adhærerem, vt mox allata argumenta intendebant; vt autem ad tria prædicta in oppoſitum argumenta à nobis formata occurramus, prædiſtinguendum eſt adhuc, quod aliud eſt poſſe Deum, vel aliquod Diuinum intra Deum concipi vt exiſtens ſub conditione, & aliud eſt debere prius concipi vt exiſtens ſub conditione quam concipiatur vt exiſtens abſolute: Alarcon enim in vtroque affirmare videtur, & tamen eius præallata fundamenta probant ſolum primum, non ſecundum, vt intuenti patebit, è contra autem argumenta allata pro Atubale ſolùm impugnant ſecundum, non primum, quod ſecundum nos non cogimur propugnare, cum iam non ſemel conceſſerimus conditionata etiam fundari, nõ quidem in futuritione abſoluta, ſed in aliqua altera neceſſitate abſoluta, vt antea ſatis in ſolutione ad primum explicatum eſt. Ea igitur euaneſcunt.

ARTI-

ARTICVLVS V.

An prædicta ſcientia conditionatorum reducenda ſit potius ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quam ad ſcientiam viſionis, vel ad ſcientiam intermediam inter utramque.

Videtur quod non, tum reducentibus ipſam potius ad ſcientiam viſionis, vt opinatur Suarez libr. 2. de ſcientia futurorum cap. 3. (licet inconſtanter poſtea Prolegomeno 2. cap. 6. n. 7. potius reducat è contra ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ) & ex profeſſo ſequuntur Ruuicius diſp. 76. ſect. 2. Molina quæſt. 14. art. 9. & ex noſtris Aluarez lib. 1. reſponſionum cap. 5. in fine, Cabrera 3. p. q. 62. art. 1. diſput. 12. §. 6. nu. 148. Gonzalez diſput. 39. n. 13. ad 5. Xantes Mariales relect. 7. de ſcientia ſect. 5. & ſi alibi ſe problematicum fuiſſe fateatur, & quidam alij recentes id proſequuntur: Tum inde ſaltem non eſſe reducendam ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ videtur alijs volentibus potius eam eſſe ſcientiam verè intermediam inter vtramque, vt volunt Herice diſput. 7. cap. 10. n. 65. Fonſeca libr. 6. Metaph. cap. 2. q. 4. ſect. 8. Becanus p. p. cap. 10. qu. 1. concluſione 3. Alarcon diſput. 5. cap. 3. concluſione 3. Faſſolus ad art. 13. dub. 20. concluſ. 3. licet concluſ. 6. potius reducat ad ſcientiam viſionis, & concluſ. 5. ad ſcientiam potius ſimplicis intelligentiæ. Probatur autem primus dicendi modus, etiam Thomiſtarum, primo quia ſcientia ſimplicis intelligentię ideo dicitur ſimplex, quia excludit compoſitionem tum ex parte ſubiecti, tum ex parte obiecti, ex parte quidem ſubiecti excludendo ſcilicet compoſitionem actus intellectus cum voluntate, ex parte obiecti excludendo compoſitionem eſſentiæ rei cum aliquo exercitio exiſtentiæ, vt ſatis ſubtiliter notat Cabrera diſput. citata §. 2. n. 32. immò colligi poteſt ex S. Thom. qu. 3. de veritate art. 3. ad 8. Sed ſcientia futurorum conditionatorum in Deo per oppoſitum habet, & compoſitionem ex parte ſubiecti, ſcilicet actus intellectus cum decreto voluntatis iuxtà Thomiſtas, & compoſitionem ex parte obiecti, ſcilicet eſſentiæ cum exiſtentia exercenda ſaltem ſub conditione, ergo ſcientia futurorum conditionatorum non rectè dicitur ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Secundò ex Caiet. p. p. q. 14. art. 9. & Nazario ibidem contra Molinam, per ſcientiam viſionis etiam attinguntur negationes inhærentes rebus abſolutè futuris, quia licet negationes ratione ſui non ſint præſentes phyſicè in æternitate, ſunt tamen pręſentes res ipſæ futuræ abſolute vt ſubiecta earum. Sed pariter in propoſito licet non ſint phyſice pręſentia in æternitate ipſa futura conditionata, ſunt tamen præſentia decreta obiectiuè conditionata eorumdem, vt Cabrera diſcurrit, ergo pariter ratione ſaltem iſtorum conditionata attingentur per ſcientiam viſionis.

Tertiò, quia antiqui ex illa diuiſione ſcientiæ &c. intulerunt ſemper ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eam eſſe, quæ terminatur ad pure poſſibilia, ſed futura conditionata proculdubio non ſunt pure poſſibilia, ergo futura conditionata ſcientiam ſimplicis intelligentiæ nequeunt terminare.

Quartò, vt diſcurrit Mariales, ſcientia conditionatorum ad eam potius ſcien-

ſcientiam reuocanda eſt, cum cuius obiecto veluti formali magis conuenit; quam cum obiecto veluti formali alterius, ſed hæc futura conditionata per hanc ſcientiam attacta magis conueniunt cum futuris, quæ ſunt obiectum veluti formale viſionis, quam conueniant cum poſſibilibus, quæ ſunt obiectum veluti formale ſimplicis intelligentiæ, ergo hæc ſcientia conditionatorum magis reuocanda eſt ad ſcientiam viſionis, quam ſimplicis intelligentiæ.

Quintò, inde alter modus dicendi aliorum extra ſcholā S. Tho. longe magis,& in ſubſtantia diſcordans à Thomiſtarum ſentētia,ſic probari ſolet,quia futurum conditionatum ex vna parte eſt aliqua ratione futurum, in quo conuenit cum futuro abſoluto, & diſcrepat à pure poſſibili, ex alia parte non eſt abſolutè futurum,in quo conuenit cum pure poſſibili,& diſcrepat à futuro abſoluto; ergo de futuro abſoluto participat aliquam futuritionem communem cum ipſo,de pure poſſibili participat aliquam poſſibilitatem ad futuritionem abſolutam communem cum eodem, ergo verè eſt medium per participationem inter pure poſſibilia, & abſolutè futura. Sed qualis eſt ordo obiectorum talis eſt ordo multiplicis ſcientiæ in Deo, ergo pariter ſcientia futuri conditionati in Deo ſe habebit vt quid medium per participationem inter ſcientiā purè poſſibilium, & ſcientiam abſolutè futurorum.

Sextò quia, vt inquit Alarcon, ſicut antiquitus diuiſa eſt ſcientia adequatè in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,& viſionis,ità communiter dies viginti quatuor horarum diuidi ſolet in diem, ac noctem, ſed non obſtante hoc ſecundo crepuſculum & Aurora dici ſolent quid medium per participationem inter noctem, & diem, ergo pariter non obſtante primo diei poterit ſcientia conditionatorum quid medium per participationem inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis.

Septimò tandem, vt diſſerebat Faſſolus ar. 8. dub. 2. num. 24, & iterum ar. 13. num. 500. quia olim etiam in ſimbolo prius dicebatur ſolum de Spiritu Sancto, *qui ex patre procedit*, & cum à Latinis additū fuit *ex patre filioque procedit*, de hac nouitate Græci immerito conqueſti ſunt, ergo pariter in præſenti, non obſtante quod prius antiquitùs ſcientia ſolum diceretur altera ſimplicis intelligentiæ, altera viſionis, etiamſi poſtmodum de nouo ſit addita *ſcientia media* inter vtramque, immeritò de hoc Thomiſtæ expoſtularunt.

In oppoſitum tamen eſt ſententia aliorum quamplurium, non ſolum Thomiſtarum,& aliorum in re conuenientium ſaltem hanc ſcientiam conditionatorum non eſſe intermediam inter vtramque, verum etiam exiſtimātium probabiliorem modum eſſe dicendi, ſi reducatur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt docuerunt ex noſtris Verdù in tract. de ſcientia conditionatorum. fol. 12. §. *non etiam*, & fol. 25. Cantarellus qu. 22. notabili 2. pag. 298. Ledeſma de auxilijs pag. 518. addens etiam futura abſoluta prout cognita certo in decreto ante phyſicam præſentiam in æternitate cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, licet in gradu perfectiſſimo incipiente attingere ſciētiam viſionis; ſequitur expreſsè Nazarius p. p. q. 14. ar. 13. controu. 1. §. 6. dicens, *eſſe ſcientiam liberam, non tamen viſionis*, Serra in eadem q. art. 8, & 9. Salmaticenſes diſput. 9. dub. 4. num. 51. & 52. laudati etiam in hoc à Xante Mariali ſelect. 3. de ſcientia ſect. 3, & alij recentiores ſequuntur; extra Scholam autem S. Tho. conueniunt potius quo ad hunc ſaltem modum loquendi,

Bel-

Bellarminus lib. 2. de amiſſione gratiæ cap. 17. Leſſius lib. de auxilijs cap. 19. Valentia ad q. 14. punct. 5. q. 2. Arubal diſput. 38. cap. 9. Diotaleuius pag. 107. & 278. Albertinus to. 1. pag. 295. Stapletonius ad caput 11. Matt. Salmeron in Paulum lib. 1. p. 2. diſt. 1. Vaſquez diſput. 67. n. 27. & alij, in quo tamen, vt obſeruauit Xantes Mariales relect. 15. ſect. 1. admonendum venit, Thomiſtas diuerſimodè, vt retulimus, hanc conditionatorum ſcientiam reducentes, vel ad ſcientiam viſionis, vt ab initio relati, vel ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt ſubiuncti mox, non inde efficere hanc diei poſſe vllo modo ſcientiam mediam formaliter in ratione ſcientiæ, vti mox ante allati pro ſecundo dicendi modo opinabantur dicẽtes eſſe ex parte ſubiecti naturalem, liberam autem ex parte obiecti. Nam omnes immò Thomiſtæ eam liberam ex parte ſubiecti ſupponunt poſt liberum decretum Dei, vt bene præuidit Aluarez libr. 1. reſp. cap. 2. num. 4. ideo diſiunctiue concludens, *reuocari ſcilicet ad ſcientiam viſionis, vel liberam*, quod poſtremum in iſto adhuc dicendi modo mox ſubiunctorum Thomiſtarum ſaluatur, nec per conſequens inde ſubſtantialis aliqua Thomiſtis diſſenſio in propoſito imponenda eſt.

Reſpondeo igitur præter primum illum adductum aliorum Thomiſtarum dicendi modum ſine dub. probabilem, hunc ſecundum probabiliorem videri poſſe. Id in primis colligitur ex S. Thom. p. p. qu. 14. art. 9. & 3. p. qu. 10. art. 2. ad 2. & frequenter alibi, vbi diuidit ſcientiam Dei in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, & de iſta repetit, *verſari circa ea, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt*, ſed conditionatè futura neque fuerunt, neque ſunt, neque erunt, vtique poſſibilia ſunt, ergo non ſpectant ad ſcientiam viſionis, ſed magis vt ſimul poſſibilia ſpectabunt ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ſi diſtinguas maiorem, loquendo de ſcientia viſionis directè concedo, reductiuè nego; Inſtatur hoc modo, quia ſicuti ſcientia viſionis diſtingui poteſt in talem directe, & reductiue, ita pariter, & ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vnde ex hac parte non eſt maior ratio quod reducatur potius ad primam quam ad ſecundã: Sed aliàs ſtante æqualitate in hoc puncto, adhuc ſcientia ſimplicis intelligentię ad propoſitum præcellit in hoc, quod ſaltem inuenit in futuris conditionatis aliquã rationem attingibilem à ſe ipſa etiam directe, nempe poſſibilitatem, non ſic verò ſcientia viſionis inuenit vllo modo in eiſdem aliquam rationem directe attingibilem, vt ſolutio concedit, ergo adhuc potiori ratione conditionatorum præſcientia reducenda erit in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quam viſionis.

Secundò eatenus id concedi refugeretur quatenus non appareret quomodo ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ primario ſaltem neceſſaria eſt ante decretum circa poſſibilia vt ſic, valeat poſtea poſt decretum conditionatum attingere aliquid repertum in linea futurorum, vti & cõditionata futura ſunt, ſed hoc nec difficilis explicationis eſt, immo ab omnibus fere communiter admittendum eſt, vt mox oſtendo; ergo hoc non obſtante iam vtique poterit eadem ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſecundariò ſaltem attingere & conditionate futura, minor probatur, tum quia etiam pure poſsibilia, vt contrarie poſitiue diſtincta contra futura (& ne dum præciſiue accepta, vel negatiue) prout ſic, inquã, præſupponũt decretũ liberum nõ de futuritione eorundem, & tamen prout ſic attinguntur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, non vt

pri-

primario neceſſariam, ſed ſaltem ſecundario liberam, vt docent Salmaticenſes diſput. 9. dub. 4. n. 51. & 52. Cabrera diſput. 12. citata §. 13. n. 304. Nazarius q. 14. art. 13. controuer. 1. §. 6. & art. 8. controuer. 1. Serra ibidem, & art. 9. & alij, ergo iam pariter ſcientia ſimplicis intelligentiæ vt libera ſaltem ſecundario poſt decretum attingere poterit etiam cõditionata, licet aliquo modo ſpectantia ad ordinem futurorum; Tum quia etiam poſsibilitas prout ſpecificatiuè (licet non reduplicatiuè) adinuenta in ipſis futuris abſolutis attingitur adhuc per eamdem ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt contra Ægidium ſuſtinent ex noſtris Nazarius eodem art. 8. controu. 1. & art. 9. in diſt. 3. Serra ad eumdem art. 8. dub. vni. ad argumenta ſecundæ ſententiæ, & iterum art. 9. ad vltimum, Aluarez diſput. 6. n. 4. Cabrera diſput. 12. relata §. 14. à n. 325. Gonzalez diſput. 39. n. 9. Faſſolus etiam art. 8. dub. 1. Corollario 2. cum alijs antiquis, & ſequitur Alarcon diſput. 5. cap. 1. cum Vaſquez, Arubale, & Herice, & plane traditur à S. Tho. in 3. ad Annibaldũ diſt. 14. q. vnica ar. 2. dicente, *per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſciri non ſolum quæ ſunt, erunt, & fuerunt, ſed omnia quæ poteſt Deus facere*, ſed dubio procul hæc poſsibilitas vt ſpecificatiuè inuenta in ipſis futuris prout ſic attingi nequit, niſi poſt decretum, & conſequenter per ſcientiam ſaltem ſecundariò liberam, ergo iam etiam ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt ſaltem ſecundariò libera poſt decretum, attingere habet aliquid ſpectãs ad ordinem futurorum, vt alibi ex profeſſo nos iſta diſcuſsimus.

Tertiò, inde principaliter probatur, quia ſcientia viſionis per ſe primo, & directè ſolum reſpicit actu præſentia, vnde & viſionis nuncupatur, & ſolum reductiuè ſecundario reſpicit præterita, vel futura formaliter, quatenus reducuntur ad præſentiam in aliena menſura æternitatis, vt habetur ex S. *Tho.* p. p. q. 14. art. 9. ergo id quod deficit non ſolum ab obiecto primario, & directo, verum etiam à ſecundario obiecto, & reductiuo ſcientiæ viſionis, non pertinebit amplius ad eamdem etiam reductiuè; ſed futura conditionata deficiunt, ne dum à præſentia, verum etiam à futuritione, vbi ab obiecto ſimplicis intelligentiæ non deficiunt, & ſi ſolum aliquid addant, ergo futura cõditionata nec reductiuè pertinebunt ad ſcientiam viſionis, ſed potius ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ reducenda ſunt.

Quartò, quia bonum ex integra cauſa, vt vulgo dicitur, malum autem ex quocunque defectu, ſed ſcientia ſimplicis intelligentiæ collata cum ſcientia viſionis excedi videtur in perfectione ab iſta, & conſequenter licet in genere mali non ſit, non tamen ex æquo cum iſta in genere boni ſe habet; ergo ad hoc vt aliquid ſpectet ad ſcientiam viſionis neceſſariæ erunt ex integro ſingulæ propriæ conditiones eiuſdem, ad hoc autem vt ab eadem deficiat, & reducatur per conſequens ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſatis erit deficere aliquam conditionem; ſed inter conditiones obiecti ſcientiæ viſionis eſt etiam præſentia phyſica in æternitate, & hæc deficit in futuris conditionatis, ergo iam futura conditionata reducenda ſunt potius ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quam viſionis.

Quintò, quia quandoque ex Dionyſio ſupremum infimi attingit infimum ſupremi, non vero econtra ſupremum infimi eſſe poteſt infimum proprium ſupremi. Sed ſcientia ſimplicis intelligentiæ comparatiuè ad ſcientiam viſio-

viſionis ſe habet quodammodo veluti in ordine inferiori ad ſuperiorem, vt abſtractiua ſcilicet ad intuitiuam, ergo potius ſcientia ſimplicis intelligentiæ eleuata veluti in gradu ſupremo (vt diſcurrunt Ledeſma, Salmaticenſes, & Mariales vbi ſuprà) poterit attingere munus infimum ſciẽtiæ viſionis, potius quam è contrà, ergo actus aliqualiter quidem perfectior, quam ſit actus ordinarius ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, imperfectior autem actu ordinario ſcientiæ viſionis, ſcilicet actus cognoſcẽdi conditionata futura, attribuetur potius ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ aſcendenti veluti ad ſcientiam viſionis, quam è contra ſcientiæ viſionis deſcendenti ad eamdem.

Sextò, vt colligitur diſcurſus ex eiſdem Salmaticenſibus, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, vt talis, attingit creaturas prout adhuc manent in ſtatu poſſibilitatis intra cauſas, vbi ſcientia viſionis attingit eaſdem prout in ſe ipſis. Sed futura conditionata ſunt potius adhuc in ſtatu poſſibilitatis, & intra cauſas, magis quam in ſe ipſis, ergo multo magis ſpectant adhuc ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ quam viſionis.

Septimò tandem cum eiſdem ibidem, quia ſi non ſpectarent ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, maxime quia hæc debent attingi per ſciẽtiam ex parte ſubiecti liberam poſt decretum contra Molinam, vbi ſcientia ſimplicis intelligentiæ nec ſupponit decretum, neque ex parte ſubiecti libera eſt. Sed falſum eſt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ſaltem ſecundariò, & extenſiue, non præſupponere decretum, aut non eſſe ex parte ſubiecti liberam, vt mox antea in ſecunda probatione oſtenſum eſt, ergo hoc non obſtante futura conditionata ſpectabunt vtique ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, vt ſtatutum eſt; ex quo etiam impugnatus manet ſecundus modus dicendi à fortiori de ſcientia intermedia inter vtramque, præterquamquod ex falſo ſuppoſito procedit ſupra impugnato de præſcientia conditionatorum ante decretum, impugnabitur vltro in ſubſequenti articulo ex profeſſo.

Ad primum igitur diſtinguo maiorem, loquendo de ſcientia ſimplici directe tali concedo, reductiue tali nego, nam vbi prima dicitur ſimplex modo explicato in argumento, ſecunda dicetur ſimplex eo modo, quo dicitur *ſimplex amor finis*, qui non dicitur ſimplex inquantum excludat compoſitionem actus intellectus cum voluntate, vel eſſentiæ obiecti cum exiſtentia, ſed inquantum excludit compoſitionem ordinis ad media, & circumſtantias, & ſolum inefficaciter, non efficaciter, attingit ordinem finis ad exiſtentiam, ità proportionaliter in præſenti ſcientia conditionatorum, cum non reſpiciat exiſtentiam, quæ ponetur, ſed quæ poneretur &c, ideo non reſpicit omnes circumſtantias, nec efficaciter rem, & ideo adhuc ſimplex non immerito nominatur; ſicuti in hoc ſenſu S. Tho. tum p. p. q. 14. ar. 9. tum in 3. diſt. 14. q. 1. ar. 2. quæſtiuncula 2. dicebat, *quæ ſunt in potentia, non actu, dicitur Deus cognoſcere ſimplici intelligentia, quia intelligentia eſt concipere etiam ea, quæ non ſunt extra concipientem*, cum ergo conditionata nullo modo ſint extra concipientem in aliqua menſura etiam æternitatis, remanet cognoſci ſimplici intelligentia, vnde q. 2. de verit. ar. 9. ad 2. repetit, *per ſcientiam viſionis Deus non dicitur ſcire, niſi quæ ſunt extra ipſum.*

Ad ſecundum ſemel admiſſo decreto conditionato in Deo tunc profecto duo diſtinguenda ſunt, alterum eſt ipſa diſpoſitio cauſæ primæ in dicto de-

creto conſiſtens, alterum eſt ipſe euentus rei quocumque modo futuræ, vt diſtinguebat in ſimili omnino S. Thom. q. 12. de verit. art. 10. dicens, *futura in tempore, quando adhuc ſunt futura, non ſunt niſi in ordine cauſarum ſuarum, vnde ſic ſolummodo à nobis præcognoſci poſſunt, vt rectè conſiderantibus apparet in hoc quod futura præſcire dicimur, etiam magis præſentium, quam futurorum ſcientiam habere*, & in reſponſione ad 2. *præſcientia Dei ſecundum hoc propriè præſcientiæ nomen habet, quod euentum reſpicit, qui futurus eſt, ordo enim ad euentum eſt in præſenti, vnde de eo eſt magis ſcientia quam præſcientia*: ſic in propoſito aliud eſt quærere per quam ſcientiam à Deo cognoſcatur diuinum decretum conditionatum de præſenti exiſtens in Deo, & aliud per quam cognoſcantur ipſa futura conditionata, ad quæ tamquam ad euentum ipſum decretum ordo eſt, vel diſpoſitio cauſæ: de primo enim certum eſt cognoſci per ſcientiam viſionis, cum præſens realiter ſit, ſed in ſecundo negauimus, & negamus iterum, ea cognoſci per ſcientiam viſionis, & cognoſci potius dicimus per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; vnde in forma ad paritatem argumenti adaptabilem adhuc contra hanc doctrinam, ea paritas neganda eſt, aliter inde probaretur etiam quod purè poſſibilia cognoſcerentur per ſcientiam viſionis, eo quia eorum cauſa ſcilicet eſſentia Dei, & omnipotentia per ſcientiam viſionis pariter cognoſcuntur: diſparitas ergo eſt, quod res abſolutè futuræ comparantur ad ſuas negationes ſibi inhærentes, vt ſubiectum ad formam, at iſta decreta conditionata comparantur ad futura conditionata vt cauſa effectiua ad effectum, conſtat autem non poſſe intuitiuè comprehendi ſubiectum, quin inhærens eidem forma videatur, bene poteſt intuitiuè videri cauſa efficiens vt ſic, quin intuitiuè videatur effectus quilibet contentus in ipſa; ſtat ergo non poſſe intuitiuè videri futura abſoluta, quin videantur negationes in ipſis, & tamen intuitiuè videri poſſe decreta conditionata, quin futura ipſa conditionata ſcientia intuitiua videantur à Deo.

Ad tertium diſtinguo maiorem, de ſcientia ſimplicis intelligentiæ primario, & directè tali quoad primum munus eiuſdem concedo, ſecundario, & reductiuè tali quoad ſecundum munus ipſius nego, nam hoc ſecundo modo iuxta communia principia probauimus in ſecunda probatione noſtra hic, & ex propoſito alibi, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ attingere poſſibilitatem, nedum præſcindentem vt ſic à futuritione, & non futuritione, verum etiam imbibitam in ipſis futuris, immo & cōtradiſtinctam poſitiuè ab eiſdem, qui ſunt tres modi poſſibilitatis valde formaliter, & Metaphyſicè in propoſito diſtinguendi.

Ad quartum nego abſolutè minorem, & ſuppoſitum eiuſdē, nam obiectum proprium ſcientiæ viſionis, licet materialiter ſit ipſum futurum in tempore, formaliter tamen eſt ipſum præſens in æternitate, quod nullo modo futuro conditionato conuenit, vti eidem conuenit eſſe poſſibile, quod eſt obiectum formale ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, prout nimirum connotatiuè extrinſecè à ſcientia viſionis diſtincta eſt.

Ad quintum reſpondetur, etiam ens rationis, vel materiam primam participare aliquid de ente, & aliquid de nihilo, cum & materia prima ab Auguſtino dicatur propè nihil, & tamen hoc non obſtante non dicuntur eſſe quid medium inter ens & nihil, immò ſimpliciter reducuntur ad ens; ità in propoſito

cum

cum à pari hæ ſcientiæ diſtinguantur penes obiectum in actu, & non in actu, quæ profectò opponuntur contradictorie, vti ens, & nihil, ideo inter ipſas vere non datur medium; nec valet quod ens actu ſubdiuidi poſſit in ens actu abſolutè, vel ſub conditione, quorum primum eſt præſens in æternitate, non ſecundum; non valet, inquam, quia etiam in actu ſubdiuidi poteſt in poſitiuum vt res futuræ abſolutè, & in negatiuum, vt realis negatio inhærens eiſdem, & magis diſtant hæc duo extrema, quàm prima, ſed non obſtante iſta ſubdiuiſione non ſubdiuiditur ſcientia viſionis futurorum abſolutorum, & negationum inhærentium eiſdem, cum per vnicam ſimul attingantur, ergo pariter non obſtante priori illa ſubdiuiſione ſubdiuidi nequit ſcientia in ſcientiam conditionatorum, & abſolutorum, vel aliter plures aliæ diuiſiones ſcientiarum in Deo ad arbitrium dari poterunt iuxta obiecta materialia diuerſa. Ad objectionem ergo, diſtinguo antecedens, ita vt tamen futurum conditionatum magis participet de poſſibilitate, quam de futuritione, & magis ad poſſibile reducatur concedo, ita vt è contra magis participet de futuro abſolutè, & reducatur ad ipſum nego, nam profectò eſt aliquo modo poſſibile, non verò eſt aliquo modo abſolutè futurum, & cum poſſibile ſit in genere mali, futurũ in genere boni, vt aliquid reducatur ad illud, potius quam ad iſtud, ſufficit quicumque defectus, vbi vt reduceretur ad iſtud integra cauſa requireretur.

Ad ſextum negatur minor, cum immò Aurora, & crepuſculum reducantur ſimpliciter ad diem, vt principium, & finis eiuſdem, vti puncta terminatiua lineæ, non verò vllo modo reducuntur ad noctem, quæ cum in priuatione lucis conſiſtat non habet latitudinem, vel diuiſibilitatem, vti habet dies conſiſtens in luce, quæ magis, vel minus intenſa eſſe poteſt, præterquam quod nos non probauimus ſcientiam conditionatorum non eſſe intermediam præcisè ex bimenbri illa diuiſione ſcientiæ, ſed ex eo quod illa bimenbris diuiſio tradita eſt penes contradictoria ex parte obiectorum, inter quæ medium non datur, vt probabat Aluarez diſput. 6. de auxilijs, quem alij noſtri ſequuti ſunt.

Ad vltimum negatur paritas, & conſequentia, quia in ly *à Patre* virtualiter continebatur implicitè & proceſſio *à Filio*, quam inde explicite Eccleſia definiuit, non condens nouum articulum, ſed contra nouum errorem antiquum explicans, vt communiter Theologi contra Græcos reſpondent, nõ ſic autem in prædicta diuiſione continebatur implicite alia ſcientia intermedia diſtincta à prædictis extremis, immò excludebatur ex contradictione extremorum ex parte obiecti, nec aliàs crederem nouo modo explicandi facultatem, quæ Concilijs, & Eccleſiæ conceditur, in re graui præſertim, priuatis Doctoribus conuenire, præter alia, quæ ſimilibus Falloli dictis etiam noſter Xantes Mariales relect. 15, & 16. per integras, non immeritò reponebat, conſulenda in eodem.

ARTICVLVS VI.

An iuxtà S. Tho. & veritatem, ſcientia libera ne dum à ſcientia naturali diſtincta ſit, verum etiam libera eſſe debeat, ne dum obiectiuè, ſed ſubiectiuè ſemper, nec conſequenter prædicta ſcientia conditionatorum ſit media inter vtramque.

VIdetur quod non, tum Suarez Prolegomeno ſecundo de ſcientia cap. 6. n. 8. Vasquez p. p. q. 14. art. 8. Alarcon diſput. 5. cap. 2. negantibus immò prædictam diuiſionem à San. Thoma expreſſam eſſe, & multò minus in ſenſu intento à nobis intelligendam eſſe. Tum inde alijs hinc ſuſtinentibus prædictam ſcientiam conditionatorum vere mediam dici poſſe inter ſcientiã ſubiectiuè liberam, & naturalem, vt conuenere in hoc puncto Molina art. 13. diſput. 17. S. *triplicem*, & in concor. diſput. 52. Herice diſput. 7. cap. 10. n. 65. Alarcon diſput. 5. cap. 3. concluſione 3. Becanus apud eumdem, Faſſolus dub. 20. conclu. 7. concludens eamdem eſſe communem in Schola Societatis. Et primò probatur, quia numquam, vt etiam Suarez opponit, inuenietur in S. Thom. hæc diuiſio, ſcientiæ ſcilicet diuinæ in ſcientiam liberam, & neceſſariam, ſeu naturalem, licet inueniatur ea altera diuiſio in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & viſionis, ergo adminus intentum noſtrum ex S. Thom. probari nequit.

Secundò, quia immò ex S. Thoma p. 1. q. 19. ar. 3. ad 6. *ſicut Diuinum eſſe in ſe eſt neceſſarium, ita & Diuinum velle, & Diuinum ſcire, Diuinum tamen ſcire habet neceſſariam habitudinem ad ſcita, non autem Diuinum velle ad volita, quod ideo eſt, quia ſcientia habetur de rebus ſecundum quod ſunt in ſciente, voluntas autem comparatur ad res ſecundum quod ſunt in ſe ipſis; quia igitur omnia alia habent neceſſarium eſſe ſecundum quod ſunt in Deo, non autem ſecundum quod ſunt in ſe ipſis habent neceſſitatem abſolutam, ita quod ſint per ſe ipſa neceſſaria, propter hoc quæcumque Deus ſcit ex neceſſitate ſcit, non autem quæcumque vult, ex neceſſitate vult*, ergo immò ex S. Thoma, & probatione eiuſdem, ſola voluntas in Deo libera erit, non verò ſcientia ad minus ex parte ſubiecti libera eſt, ergo remanet ſcientiam in intellectu ad differentiam voluntatis in Deo ad ſummum dici liberam ab extrinſeco ex parte mutabilitatis obiecti.

Tertiò, quia idem S. Thom. p. p. qu. 14. art. 15. ad 2. concedit hanc propoſitionem, *quod ſicut Deus poteſt plura facere quam facit, ita poteſt plura ſcire, quam ſciat, ſi hoc referatur ad ſcientiam viſionis*, ſed hoc nil aliud eſt, quam quod ſcientia viſionis, quæ etiam libera nominatur, ideò poſſit ad plura ſe extendere, ad quæ non ſe extendit, quia illa plura poſſunt eſſe, quæ de facto non ſunt, ergo ità res ſe habet, & conſequenter ſcientia viſionis dicitur libere extendi, vel non extendi, ex mutabilitate dumtaxat obiectorũ ad eſſe, & non eſſe &c. nec valet quod poſteà in fine reſponſionis videatur dictam propoſitionem veluti retractare dicens, *& ideo non debet concedi quod Deus poſſit plura ſcire, quam ſciat*; Non valet, inquam, quia hoc intelligi poteſt de ipſo *poſſe* in ſenſu compoſito, quod ab æterno illa non sciuerit, non vero in sensu diuiſo, vt ibidem cum Syluestro explicat Nazarius dub. 1. ex eodem S. Th. in 1. diſt. 39. q. 1. ar. 1. & 2.

Quartò, non magis opponſitur adinuicem liberum, ac naturale, quam practicum, & ſpeculatiuum, ſed hoc non obſtante hæc duo adunantur in vnica ſcientia Diuina, immò & in ſcientia noſtra Theologica, ergo pariter non obſtante primo poterunt etiam illa duo adunari in vnica ſcientia Diuina conditionatorum, vt naturali ſcilicet ſubiectiuè, libera autem ex parte obiecti, vti adhibet hanc paritatem Faſſolus vbi ſupra ad 5. argumentum Cabreræ.

Quintò tandem, quia ſcientia conditionatorum liberorum, vt iſti ſupponunt, eſt ante decretum liberum voluntatis Dei, ſed inquantum reſpicit obiecta libera poteſt vtiq; dici obiectiue libera, inquantum verò antecedit ex parte ſubiecti omne decretum liberum, dici poteſt, & eſt ſubiectiuè naturalis, ergo verè eſt ſimul obiectiue libera, & ſubiectiue naturalis, ſed hoc eſt, & nihil aliud intelligitur, dum dicitur media inter ſcientiam tam ſubiectiue, quam objectiuè naturalem ſcilicet ad poſſibilia vt ſic, & inter ſcientiam tam obiectiue quam ſubiectiue liberam, ſcilicet ad futura abſolute libera, ergo rationabiliter iſta ſcientia conditionatorum ſcientia media inter vtramque nuncupata eſt.

In oppoſitum tamen eſt conſenſus ne dum omnium Thomiſtarum, verum etiam plurium aliorum, vt legi poſſunt Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 2. præſertim num. 3. Nauarete controuerſ. 56. §. 1. concluſ. 1. & 2, Nazarius qu. 14. ar. 13. controuer. 1. §. 6. Gonzalez diſput. 39. à num. 10, Cabrera diſput. 12. ſupra telata §. 2. à num. 38, Xantes Mariales releſt. 15, & 16. de ſcientia, & vno verbo omnes qui ſcientiam mediam impugnare ſolent, ergo incunctanter & nos in hac ſententia conuenire debemus.

Reſpondeo iuxta S. Thom. & veritatem, ſcientiam liberam ita diſtingui à ſcientia naturali, vt libera ſemper ſubiectiuè etiam ex parte ſubiecti, & non pure obiectiuè eſſe debeat, conſequenter prædicta ſcientia conditionatorum nequit eſſe media inter ſcientiam liberam, & naturalem. Ità in primis prædicta diuiſio, & explicatio ex S. Thoma colligitur, nam ſcientia Dei, *vt habens voluntatem adiunctam*, & vt cauſans liberè creaturas; perſpicuè eſt ſcientia libera diſtincta à naturali, immò eſt libera ex parte ſubiecti ab intrinſeco, ſed hanc verbaliter agnoſcit, & tradit S. Thom. p. p. q. 14. art. 8, in corpore, & iterum art. 9. ad 3, vt legenti patebit, ergo iam prædicta diuiſio, ſimul & explicatio ex S. Tho. manifeſta eſt. Probatur autem abſolute, quia liberum ſolum ab extrinſeco ex parte mutabilitatis in obiecto non eſt proprie liberum, ſed contingens; ſed abſurdum eſt ponere in ſcientia Dei imperfectionem cōtingentiæ & auferre perfectionem libertatis, ergo pariter abſurdum eſt ponere ſcientiam in Deo eſſe liberam ſolum ab extrinſeco ex mutabilitate in obiecto connotato; maior probatur euidenter, quia in hoc differt contingens à libero, quod contingens taliter eſt, vt poſſit non eſſe ratione alicuius extrinſeci, vt fructus in arbore contingens dicitur, quia poteſt non eſſe ex impedimento extrinſeco tempeſtatis, liberum verò, vt potè vitale illud eſt, quod ità eſt vt ab intrinſeca differentia potentiæ liberæ poſſit eſſe, & non eſſe, ergo liberum ſolum ab extrinſeco ex mutabilitate in alio non eſt proprie liberum, ſed contingens; minor vero principalis ſi diſtinguatur ab Aduerſarijs hoc modo, loquendo de ſcientia Dei quoad intrinſecam perfectionem, concedo, quoad terminationem ad extrinſecum connotatum, nego, ſic enim poteſt dici contingens,

ſtingens, vti etiam poteſt non eſſe in Deo. Aduerſus iſtam ſolutionem ſic probo minorem eamdem, quia ſcientiæ Dei non eſt deneganda aliqua perfectio libertatis proprie, ſicuti conceditur & actui intellectus noſtri aliqua libertas participata à voluntate, ſed hæc libertas propriè nequit competere ſcientiæ Dei quoad intrinſecam perfectionem ipſius, cum vt ſic formaliter ſit omninò neceſsaria in Deo, ergo ſaltem eidem quoad prædictam terminationem concedi debet libertas proprie, & non ſolum contingentia, vti mox antea effugebatur.

Secundò, in hoc differt ſcientia in Deo à ſcientia in nobis, quod ſcientia noſtra non facit obiectum, vel cauſat, immò ideo fertur in ipſum quia illud in ſe ipſo ſupponitur, ſcientia autem libera Dei facit, vel cauſat obiectum ſuum, & non præſupponit ipſum, vt menſuram ſui, ſicuti alibi fuſius diſcuti ſolet à noſtris, & à nobis diſcuſſum eſt, ſed id, quod ab intrinſeco habet cauſare eſſe, vel non eſſe obiecti, vere ab intrinſeco liberum eſt erga illud, & non purè contingens ab extrinſeco ex mutabilitate eiuſdem, ergo ſcientia Dei erit libera ab intrinſeco, ſeu ſubiectiue, & non ſolum contingens ab extrinſeco, ſeu obiectiue, vt præcluſit acutè iſtam æquiuocationem S. Thom. art. 8. citato dilucidiſſimè ad tertium.

Tertiò, quia etiam ſcientia, vel cognitio noſtra poteſt eſſe, vel non eſſe, ſi varietur obiectum liberum, ſed hoc non obſtante ſcientia noſtra ex hoc capite non dicitur libera, immò dicitur ex imperfectione variabilis, ergo pariter ſcientia Dei ex hoc capite libera dici non poſſet, immò imperfecte variabilis diceretur.

Quartò, quia ſicut in ſententia aduerſariorum prædicta præſcientia futurorum conditionatorum, & liberorum ante decretum, repræſentaret obiectiue eorum libertatem, ita & eſſentia Dei adinſtar ſpeciei, vel Ideæ obiectiue eamdem libertatem repreſentat; ſed non obſtante hoc ſecundo eſſentia Dei in linea eſſentiæ nullo modo etiam obiectiue libera dici ſolet, ergo pariter non obſtante primo prædicta præſcientia futurorum conditionatorum liberorum libera adhuc obiectiue dici nequit.

Quintò, quia libertas per ſe primo conuenit ſolum ſubiecto libero, & ſecundario operationi eiuſdem, nullo autem modo ipſi obiecto, vel termino vt tali; ſed ſi eſſe liberum in ſcientia Dei ſumi deberet ab obiecto, vel termino vt tali iam libertas aliquo modo prius conuenire deberet obiecto, vel termino vt tali, quam ſubiecto, vel operationi eiuſdẽ denominatæ liberæ ab obiecto, ergo eſſe liberum in ſcientia Dei nullo modo ab obiecto ſumi poteſt.

Sextò, quia quod eſt perfectio in ſcientia Diuina nequit eſſe præcisè denominatio extrinſeca paſſiue ſumpta à termino, immò intrinſeca denominatio eſſe debet, ſed eſſe liberum in ſcientia Dei eſt etiam quædam perfectio in ipſa, ergo id ſumi nequit pure extrinſece ab obiecto, vel termino, velut paſſiua extrinſeca denominatio.

Septimò, quod dicit imperfectionem nequit Diuinæ ſciẽtiæ attribui, quæ perfectiſſima eſt, ſed accipere denominationem intrinſecam liberi ab obiecto quamdam diceret imperfectionem in ſcientia Diuina, in hac veluti intrinſeca denominatione pendente à creatura, ergo id ipſi attribui nequit. Nec valet inſtantia Faſſoli n. 490, quod etiam in ſententia Thomiſtarum poſt decretum

volun-

voluntatis de futuris, conſurgit in ſcientia Diuina determinatio ad ea ſcienda præ poſſibilibus, quæ antea prius determinatio nō aderat. Non valet, inquā, quia ſcientia adhuc prius reſpicit medium, & rationem cognoſcendi obiectū, quam obiectum ipſum, cum intellectus ideò dicatur trahere res ad ſe, ſed medium, ſeu ratio cognoſcendi futura, iuxta Thomiſtas eſt ipſum decretum Dei, non veritas obiectiua creaturarum, vt volunt Aduerſi, ergo iuxta Thomiſtas adhuc in prædicta determinatione ad futura ſcientia prius reſpicit Diuinum decretum, quam creaturas futuras, & conſequenter prius determinatur ab aliquo Diuino, vbi iuxta Aduerſarios ab aliquo creato determinaretur; ſicut etiam ſcientia ſimplicis intelligentię proportionaliter determinatur ad ſciendum hominem poſſibilem, non vero poſſibilem chimæram, determinatur inquam ab ipſa diuina eſſentia, cuius participandæ capax eſt homo, non chimęra.

Octauò, quia ſicut in ſententia Aduerſariorum iſta ſcientia conditionatorum, licet independens à creatura ex parte ſubiecti quo ad ſpeciem, & entitatem actus, diceretur adhuc determinari à creatura terminatiuè, ſeu obiectiue, ità & intellectus etiam agens in nobis ſimul & poſſibilis etiamſi ſubiectiuè nō pendeat à ſenſu (dum immò actiue gradus intellectiuus ſibi format ſpecies, & inorganicus eſt) dicitur tamen obiectiue determinari ab eodem ſenſu, & à phantaſmatibus in ſenſu. Sed non obſtante hoc ſecundo adhuc intellectus noſter, & gradus intellectivus in nobis dicitur abſolutè pendere obiectiue à ſenſu, ergo pariter non obſtante primo prædicta ſcientia Diuina abſolute diceretur pendere obiectiue à creatura.

Nonò, ſicut in ſententia Aduerſariorum, ſolum ex ſuppoſitione futurorum liberorum ſub conditione determinaretur ad illa hæc ſcientia media in Deo, ita ex ſuppoſitione pariter externarum actionum liberarum in nobis ad iſtas determinatur ſcientia intuitiua Angelorū, nec minus iſta, quam illa, obiectiuè licet non ſubiectiue libertas diceretur, cum aliàs neutra à rebus ipſis ſpecies acciperet. Sed non obſtante hoc ſecundo ſcientia Angelica comparata ad obiecta prædicta ſe habet vt menſuratum ad menſuram, & in hoc etiam creaturæ imperfectionem inuoluit, ergo pariter non obſtante primo prædicta etiam ſcientia Diuina comparata ad futura ſub conditione ſe haberet, vt menſuratum ad menſuram, & imperfectionem per conſequens importaret.

Decimò, inde reſtaurari poteſt quædam alia probatio noſtri Magiſtri Verdù contempta à Faſſolo dub. 20. ſi ad hanc formam reducatur; nimirum ſicut in ſententia Aduerſariorum hæc ſcientia media ſubiectiue ex ſubiecto naturalis, obiectiue ex obiecto libera, ex primo eſſet independens à creatura, ex ſecundo verò dependens; ità ex primo eſſet Diuina, ex ſecundo verò non Diuina, & veluti ſolum pro dimidia parte Diuina foret, vti & ſcientia media nuncupatur; ſed abſonum eſt dicere aliquid partim Diuinum, partim non Diuinum, ſeu ſolum pro dimidia parte Diuinum, vti & chimæra eſt animal pro dimidia parte homo, & pro altera parte brutum, ergo abſona pariter prædicta ſcientia videretur.

Vndecimò, adeo inconueniens viſum eſt etiam Auerroi in 12. Metaph. cap. 9. aliiſque Philoſophis Arabibus, facere ſcientiam Diuinam obiectiue pendentem à creaturis, vt capere non valentes, quomodo in Dei eſſentia eaſ-

dem

dem præcontinente creaturę videri poſſent, maluerint inde denegare hanc ſcientiam Deo, quam eamdem à creaturis fingere dependentem. Sed ex oppoſito in ſententia Aduerſariorum hoc totum, quod illi cauere conati ſunt, manifeſtè conceditur, ergo vel iuxta lumen naturale Philoſophorum, aduerſariorum ſententia minus congrua eſſe videtur: Et minus malum iuxtà iſtorum hypotheſim (etſi abſolute falſum ſit) videretur potius negare Deo eamdem ſcientiam conditionatorum, vt denuò negauere Tiphanius, & ipſe Caramuel, quam adeo imperfectam ponere in eodem, non verente Faſſolo dub. 22. de eadem ſic imperfecta concedere, *quod verè noſter vſus non cauſatur à ſcientia media, ſed potius illam quodammodo cauſat.*

Duodecimò, vt poteſt colligi etiam ex Nauarete, quia abſurdum eſt præuideri prius libertatem aliquam formalem ex parte creaturæ, quam ex parte Dei, ſed in iſta ſentētia ſic prius præuideretur libertas formalis ex parte creaturæ in ſtatu conditionato, quam libertas formalis ſubiectiue ex parte Dei, ergo abſona videtur prædicta explicatio, & ſententia; præter alia quamplura motiua producta ſuperius aduerſus ſcientiam mediam, etiam adaptabilia in præſenti.

Tertiodecimò tandem in ſpeciali, magis quod ſubiunximus, ſeu deduximus, probandum eſt, nempè prædictam ſcientiam conditionatorum nullo modo dici poſſe mediam inter naturalem, & liberam, & facillimè ex dictis hucuſque probatur; eatenus enim ab Aduerſarijs hæc ſcientia conditionatorū media dicebatur &c. inquantum, vt ipſi dicebant, eſſet ſubiectiue naturalis, ſolum autem obiectiue libera; ſed hoc eſſe impoſſibile hucuſque probatum eſt, ergo pariter eſt impoſſibile dici mediam. Accedit quod, vt diſcurrit Gonzalez, iſta ſciētia media conditionatorum diceretur naturalis inquantum antecederet omne decretum liberum Dei, libera autem quatenus abſolute potuit Deus oppoſitum ſcire, ſi creatura oppoſitum voluiſſet, ſed hoc eſt hanc ſcientiam, vti & eius obiectum, dependere à libera voluntate creata, non verò à libera voluntate Diuina, ergo tum hæc ſcientia, tum obiectum eiuſdem ſcilicet conditionatum futurum pendebit ſolum à voluntate libera creata, non vero à Diuina, hoc autem implicare videtur, & ſimul videtur admittere quid medium veluti inter Deum ac pure creaturam, ſcilicet aliquid præter Deum independens à libera voluntate ipſius, & ſolum à propria alterius voluntate dependens, ergo pariter implicare de nouo videtur prædicta ſcientia conditionatorum vt media. Accedit rurſus quod ponere in ſcientia Diuina conditionatorum ſic intermedia ſolam libertatem obiectiuam, non ſubiectiuam, eſt pariter ponere ſolam medietatē dependentiæ creaturæ à Creatore, non integram, & totalem, nempè ſolum in ſtatu abſoluto, non in ſtatu conditionato, immò & in ſtatu conditionato eſt dimidiare libertatem Dei, concedendo, vt concedit Faſſolus, indè Deum concurrendo eſſe liberum, *ſed non concurrere modo libero*. Sed hæc profectò ſingula abſona eſſe videntur, dimidiantia veluti perfectionem in Deo, neque eamdem explicantia vt reperitur in re, ergo abſonum pariter eſſe videtur intermediam hanc ſcientiam aſtruere, præter alia quamplura, quæ Faſſolus conatus eſt ſoluere, ſed denuò Xantes Mariales integro tomo in eumdem in ſuis relectionibus de ſcientia Dei diligentiſſime inſtaurauit, & vno verbo ex refutato mox ante principio Aduerſa-

uerſariorum, de libertate pure obiectiua ſcientiæ, vere ſingula reuiuiſcunt.

Ad primum igitur reſpondet in primis Aluarez, non conſueuiſſe Thomiſtas vim facere in verbis, vt præſtitere antiquitus Nominales; de re autem in propoſito communis conſenſus fuit ſcientiam viſionis erga creaturas ſemper eſſe liberam, & ſcientiam ſimplicis intelligentiæ plerumque eſſe neceſſariam, vt refert ex Antiquis communiter etiam Faſſolus ad art. 8. dub. 1. concluſ. 6. & Alarcon vbi ſupra, & alij; conſequenter eum S. Thom. diuiſerit ſcientiam Dei in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & Viſionis, in re diuiſit etiam eamdem in naturalem, & liberam Vnde nec S. Tho. fecit vim in his vocibus, quinimmò notanter in 1. contra gentes cap. 66. tradens hanc diuiſionem inquit, *vt verbis aliorum vtamur*. Puto tamen addi poſſe, & negari antecedens, nam præter verba iam adducta in aſſertione, clariùs idem S. Thom. in 1. diſt. 39. q. 1. art. 1. in reſponſione ad 5. inquit, *licet eſſe & ſcire Dei ſint idem ſecundum rem, tamen ſcire ſequitur voluntatem, vt imperatum ab ipſa*. En ſcientiam etiam liberam in Deo, & clarius iterum ar. 2. ad 1. *ipſum ſcire in Deo eſt ſubiectum libertati voluntatis*.

Ad ſecundum reſpondetur idem omninò dictum, quod ſcilicet, *ex eo quod res ſit neceſſe eſt Deum eam ſcire*, ex Origene afferri à S. Thom. in eadem q. 14 ar. 8. in 1. argumento, & tamen ſic gloſſat & reſpondet, *quod intelligitur ſecundum rationem ſcientiæ, cui non competit ratio cauſalitatis niſi adiuncta voluntate vt dictum eſt*. Ità pariter hic nos dicimus ſcientiam Dei eſſe liberam ſubiectiuè, non præcisè vt ſcientia eſt, quo modo potius eſt neceſſaria, vt probat argumentum, ſed quatenus ex coniunctione cum libera voluntate habet prius libere cauſare futuritionem rerum, & inde habet liberè in eas ferri, ex ſuppoſitione qua eas libere cauſauerit.

Ad tertium diſtinguo maiorem, *poteſt plura ſcire*, ex eo quod per coniunctionem cum voluntate poteſt etiam liberè plura cauſare, concedo, poteſt plura ſcire ſolum quia illa poſſunt eſſe, nego, & hinc negatur etiam minor & conſequentia, & conſtat ſcientiam in Deo, etiam ad mentem S. Thom. verè ſubiectiue liberam eſſe, quæ deinde quomodo pure materialiter ſubdiuidatur in ſcientiam approbationis, & viſionis, explicat optime cum alijs Aluarez vbi ſupra, ex eo quod primo modo ſumitur, vt dicit habitudinem ad decretum, ad quod ſubſequitur, ſecundo verò modo prout dicit habitudinem ad obiecta ipſa futura, vt ex S. Thom. colligitur q. 2. de verit. art. 9. ad 2.

Ad quartum negatur maior, quia liberum, & neceſſarium opponuntur penes contradictoria ex parte ſubiecti, ſcilicet penes eſſe in poteſtate ab intrinſeco, & non ita eſſe, inter quæ non datur medium, etiam per participationem, vbi ſpeculativum, & practicum opponuntur ſolum ex parte obiecti, & contradictorie ſolum in obiecto, non ſuperiori, ſed inferiori, in quo diuerſæ rationis ſunt, vt in procemialibus Theologiæ explicari ſolet.

Ad quintum iam ſupra ex propoſito maiorem falſam eſſe probauimus, ſed ea dimiſſa adhuc minor neganda eſt, vt in præſenti de libertate ſola obiectiua ſatis abunde (quod non ita cæteri præſtiterunt) hoc oſtendere conati ſumus.

QVÆSTIO SECVNDA.

De futuritione, vel præſentia actuum Diuinorum in Deo præcognoſcendorum ab eodem.

ANgelos aſcendentes, & deſcendentes, per ſcalam Iacob indigitaſſe diuerſam methodum Theologorum atque Philoſophorum, præter Origenem homilia prima in Cantica, plures cæteri Patres obſeruauerunt, aſcendente nimium Philoſopho à creaturis ad Deum, deſcendente vero Theologo à Deo ad creaturas. Hanc ideo Theologicam methodum à non paucis in præſenti dimiſſam nos ſedulo proſecuturi, poſtquam de præſcientia Diuina, vt ſic in ordine ad cōditionata in communi, abſtrahendo à creatis atque Diuinis (etſi quandoque de creatis inter diſputandum aliqua immixta ſint) in præcedenti quæſt. pertractauimus, nunc vt modum præſcientiæ eiuſdem in ordine ad actus conditionate futuros creatos noſtros quodam ordine examinemus, ab actibus antea Diuinis Theologicè incipiemus, atque exordiemur, vt iuxtà modum, quem Deum ſeruate viderimus in cognitione ſuorum actuū Diuinorum ex mox dicendis, aliquo modo futurorum, idem modus proportione ſeruata in ordine ad actus noſtros etiam conditionate futuros ab eiſdē actibus Dei dependentes iuſta methodo deducatur. Ad hunc igitur finem ordinate aſſequendum per plures ſubſequentes Articulos procedemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An in Deo præter actum liberum actiue executiuum in tempore, detur ab æterno formaliter etiam prædefinitio libera vt talis prædefiniens prædictum actum liberum ſuum in tempore executiuum.

VIdetur quod non ipſi Herice diſput. 20. cap. 1. n. 6. vt refert Alarcon diſput. 1. de voluntate cap. 5. num. 5. pro quanto Herice diſtinguens in actu libero ex vna parte totam entitatem intrinſecam, ex alia parte connotationem, ſeu terminationem ad creaturam extrinſecè connotatam, inquit ab æterno adeſſe ſolùm primum, & ſic dici prædefinitionem Dei eſſe ab æterno, ſecundum verò dicit eſſe in tempore, non ab æterno, & ratione iſtius intelligi poſſe Antonium Delfinum vnum ex Patribus Tridentinis dum dixit poſſe eſſe quod Deus de nouo in tempore definiat aliquid, quod ab æterno non volebat. Et poteſt primò probari, quia actus liber vt diſtinguitur à neceſſario in Deo conſtituitur per terminationem ad extrinſecum connotatum vt plerique ſupponunt. Sed ſufficit vnica terminatio, & ſuperfluit duplex terminatio ad creaturam connotatam, ergo cum iam in tempore detur de nouo terminatio ad creaturam executiuè productā, ſuperfluum eſt ponere vlterius ab æterno aliam terminationem ad creaturam, ergo præter terminationem in tempore ab æterno non dabitur niſi intrinſeca perfectio prædefinitionis liberæ Dei, non verò formaliſſimè ipſa prędefinitio, vt prædefiniens ſuum actum executiuè liberum in tempore,

Secun-

Secundò quia, vt colligitur ex S. Thom. p. p. q. 19. ar. 3. ad 5. eo proportionali modo ſe habet voluntatem Diuinam eſſe ab æterno determinatam à ſe ipſa, quo modo ſe habet voluntatem noſtram eſſe determinatam à decreto Diuino ad futuritionem ſui actus liberi. Sed voluntatem noſtram eſſe determinatam à decreto Diuino ad futuritionem ſui actus liberi nõ dicit alium actum liberum intrinſecum in voluntate noſtra, immò ſolam habitudinem tunc intrinſecam voluntati determinatæ per decretum ad actum futurum, ergo pariter eſſe determinatã à ſe ipſa in voluntati Dei, dicit meram habitudem intrinſecam eidem voluntati Dei determinatæ ad futuram liberam terminationem in tempore erga creaturam.

Tertiò creatura ab æterno comparata ad ſeipſam in tempore valdè mutatur, ergo ſi volitio Diuina connotat creaturam, & ad ipſam terminatur, nedum prout in tempore, ſed etiam prout ab æterno, iam mutatur terminatio Diuina ad creaturas, & conſequenter variatur, ac mutatur etiam ipſa volitio Diuina, hoc autem abſurdum eſt, ergo &c. vt arguit Herice.

Quartò, vt proſequitur idem apud Alarcon, quia adhoc vt volitio Diuina actu formaliter terminetur ad creaturam, requiritur creaturam actu formaliter eſſe. Sed creatura ab æterno actu formaliter non eſt, ergo ad ipſam ab æterno volitio Diuina actu formaliter non terminatur.

In oppoſitum tamen eſt non ſolum auctoritas omnium aliorum Scholaſticorum, quos refert, & ſequitur Alarcon cap. 5. citato num. 12. ſed etiam expreſſa diſtinctio S. Tho. p. p. q. 23. ar. 2. dicentis, *prouidentia non eſt in rebus prouiſis, ſed eſt quædam ratio in intellectu prouiſoris, vt ſupra dictum eſt ſcilicet*, q. 22. ar. 1. *ſed executio prouidentiæ, quæ gubernatio dicitur, paſſiuè quidem eſt in gubernatis, actiuè autem eſt in gurbernante*, ſubſumo minorem, ſed ad executionem ſpectat actus liber Dei executivus in tempore, & ad prouidentiam ſpectant decreta prædiſinitiua Diuina ab æterno; ergo in Deo præter actum liberum executivum in tempore, actiuè in ipſo exiſtentem, adhuc admitti debent ab æterno decreta formaliter prædefinitiua reſpectu eiuſdem actus liberi executiui in tempore.

Reſpondeo in Deo præter actum liberum executivum, actiuè in tempore, dari ab æterno formaliter intrinſecè etiam ipſam prædefinitionem liberam, vt talem terminatam etiam conſequenter ad creaturam ab æterno. Nam, vt refert etiam Cardinalis de Lugo diſput. 26. de Incarnatione ſect. 6. inter Articulos Petri de Riuio prius damnatos Louanij, & poſteà Romæ ſub Sixto IV. Pontifice, hic erat in ordine primus, *in Deo non eſt velle intrinſecum, quo priuſquã res producat, determinetur ad eas producendas &c.* & contradictoria Louanienſium cenſura hæc eſt in ordine prima, *in Deo eſt velle intrinſecum, quo determinatè voluit ab æterno, priuſquam mundus fieret, res producere, quas erat ad extra producturus &c*, ſed præadducta ſententia Herice in re conuenit cum prædicto articulo Riuij, & noſtra ex oppoſito cum cenſura Louanienſium, & Romana per conſequens, vt conferenti patebit, ergo præadducta ſententia Herice reprobanda venit, & noſtra ſine dubio admittenda.

Secundò quia ſcriptura vniuerſim in ordine ad omnia, quæ Deus facturus erat, præſupponit in Deo prædefinitiones vti ad Epheſios primo, *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, & cap. 3. *ſecundum prædefinitionem ſæculorum*, &

ad Romanos 8. *quos præſciuit, & prædeſtinauit*, nempè, vt explicat Auguſtinus lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 17. *prædeſtinaße, hoc eſt præſciſſe quod fuerat ipſe facturus*, & de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. *prædeſtinatione quippè Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus*. Sed iuxtà præadductam explicationem Herice non præſupponerentur in Deo iſtæ prædifinitiones propriè, & in ſenſu formali, ſed in ſenſu quodam materiali dumtaxat, vt ex eiuſdem explicatione colligitur, & conſequenter non ità propriè, ac formaliter ſuſtinerentur hæc teſtimonia Scripturę, ergo iſta ſententia Herice non ita eiſdem conformis eſt, & ad idem reducitur illud Iſaiæ 41. *fecit quæ futura ſunt*, quòd explicans Auguſtinus tractatu 68. in Ioan. ad propoſitum omninò contra prædictam explicationem inquit, *non enim ait ſcriptura, facturus eſt, quæ futura ſunt, ſed qui fecit quæ futura ſunt, ergo & fecit, & facturus eſt ea, nam neque facta ſunt, ſi ipſe non fecit, neque futura ſunt, ſi ipſe non fecerit. Fecit ergo ea prædeſtinando, facturus eſt ea operando &c.* hæc Auguſtinus, quæ nemo non percipit ex directo deſtruere ipſiuſmet Herice explicationem negantis terminationem Diuinæ volitionis ad creaturas ab æterno, eamque ſolum in tempore concedentis.

Tertiò, idipſum ex alijs Patribus comprobatur, nam noſtra ſententia mox poſita, aduerſus adductam, in nullo alio conſiſtit, niſi in hoc quod præter entitatem intrinſecam volitionis Diuinę ab ęterno ſimul detur formaliter exercita terminatio eiuſdem ſaltem ſecundario ad creaturas producēdas in tempore, & conſequenter primariò ad actum proprium Diuinum executivum in tempore, ſed hoc totum plerique Patres edocuerunt, vt mox oſtendo, ergo noſtra sententia ex plerisque Patribus comprobatur, minor probatur afferēdo teſtimonia Patrum, inter quos agmen ducit D. Dionyſius Areopagita in lib. de Diuinis nominibus cap. 5. non ſemel nominans ab æterno in Deo, *Diuinas & bonas voluntates exiſtentium prædeterminatiuas, & effectiuas*, vti & D. Athanaſius, & Damaſcenus appellant, *Diuinas prædefinitiones*, D. Thom. *prædeterminationes*, D. Auguſtinus, Gregorius, Proſper, & Fulgentius, *prædeſtinationes*, Dionyſius Carthuſianus *paradigmata, & prædefinitiones*, vti & Marſilius nuncupat, *præſcriptiones & antedecreta &c*; ſic inter cæteros mox indicatus Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 29. *puto*, inquit, *his verbis euidenter eſſe oſtenſum Deum opera ſua præſciße, & prædeſtinaße*, ſic Gregorius lib. 12. Moralium cap. 2. inquit, *ante ſæcula decreuit, quæ per ſæcula diſponuntur*, ſic repetunt Bernardus ſermone 71. in Cantica, Ambroſius lib. 5. de fide cap. 5, & vt alios omittam, manifeſtè id iterum exponit Auguſtinus lib. 6. ſuper Gen. ad litteram cap. 17. dicens, *id vtique faciens Deus, quod ante conſtitutionem mundi ſe facturum præſciebat, & in ſua voluntate ſeruabat*, & tractatu 106. in Ioan. *loquebatur*, inquit, *quaſi feciſſet, quod immobiliter eſſe præfixum ſciebat, vt faceret*.

Quartò, hinc à ratione probatur, quia intantum ab ęterno non dicitur dari creatio, inquantum ab æterno, licet detur intrinſeca perfectio actionis creatiuæ, non tamen datur terminatio ad proprium connotatum, ſed pariter in ſententia oppoſita ab æterno daretur ſola intrinſeca perfectio volitionis prædefinitiuę ſine terminatione ad proprium connotatū, ergo pariter in oppoſita ſententia non diceretur dari ab æterno prædefinitio Diuina ſuorum actuum Diuinorum in tempore, & creaturarum producendarum per ipſos, immò abſolutè negari deberet, vti abſolutę negatur creatio ab æterno, ſed hoc eſt ab-

ſonum,

Digitized by Google

ſonum, vt nemo non videt, ergo abſonum pariter id, ex quo ſequitur, ſcilicet prædicta poſitio.

Quintò tandem à priori probatur, quia vbi datur diſtinctus formaliter terminus connotatus, ibi datur etiam diſtincta formaliter terminatio, ac connotatio; ſed ab æterno datur diſtinctus formaliter terminus connotatus, ac detur in tempore, ergo & diſtincta formaliter terminatio, ſeu connotatio datur ab æterno, ac detur in tempore, vt bene præuidit S. Thom. p.p q. 14. art. 15. ad 1. & inde ſubſumo minorem, ſed ex terminatione iſta ſecunda, quæ datur in tempore, dicitur actus liber executiuus Dei in tempore eſſe, ergo ex illa pariter prima terminatione, ſeu connotatione, quæ ab æterno eſt, dici debet prædefinitio libera eſſe formaliter ab æterno: minor principalis, in qua ſola poteſt eſſe difficultas, probatur quia res vt futura nunc, & res vt actu preſens, ſeu exiſtens, profectò ſunt termini connotati formaliter diſtincti, ſed creatura producenda per actum executiuum Dei ab æterno vere futura eſt, & in tempore poſteà verè dicitur preſens &c. ergo iam ab eterno aderat terminus connotatus formaliter diſtinctus, ac ſit in tempore &c.

Ad primum igitur nego minorem, vt mox probatum eſt, & explicat S. Tho. q. 14. citata ar. 15. ad 1, tum quia creatura connotata per actus Diuinos liberos, prout ab æterno futura, eſt terminus formaliter diſtinctus, ac ſit eadem prout exiſtens in tempore, tum quia in propoſito prædefinitio ab æterno in Deo connotat immediatè proprium actum Dei executiuum in tempore, & ſolum mediate creaturam, actus verò executiuus in tempore connotat immediatè ipſam creaturam, tum quia tandem, vt notat idem S. Tho. p.p. q. 13. ar. 7. ad 3. terminus prædefinitionis ab æterno conſideratur, vt terminus operationis totaliter immanentis in Deo, at terminus actus executiui in tempore conſideratur, vt terminus actionis Diuinæ tranſeuntis ſaltem virtualiter ad extra.

Ad ſecundum diſtinguo minorem, non dicit actum intrinſecum voluntati creatæ, dicit tamen actum intrinſecum alteri voluntati Diuinæ determinanti creatam, concedo, neque hoc dicit, nego, & negatur conſequentia, immò hinc proportionaliter ſequitur, quod ſicut pro voluntate creata determinata ab alio, requiritur in illo determinante intrinſecus actus determinans ipſam, ità in voluntate Diuina determinata à ſe ipſa ad operandum poſtea executiue in tempore, prærequiritur in eadem ſe determinante intrinſecus actus, mediante quo ſe determinet, quod explicabat S. Th. in eadem q. 19. ar. 3. ad 5. dicens, *ſed voluntas Diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.*

Ad tertium conceſſo antecedenti, negatur conſequentia, vt explicat non ſolum S. Thom. p. p. q. 19. art. 7. ſed etiam Auguſtinus lib. 12. de Ciuit. cap. 17. dicens, *poteſt Deus ad opus nouum, non nouum, ſed ſempiternum adhibere conſilium, idest volitionem, non pænitendo quia prius ceſſauerat, & cæpit facere, quod non fecerat: ſed etſi prius ceſſauit, & poſterius operatus eſt, hoc procul dubio, quod dicitur prius, & poſterius, in rebus prius non exiſtentibus, & poſterius exiſtentibus fuit: in illo autem non alteram præcedentem, alteram ſubſequentem mutauit, aut abſtulit voluntatem, ſed vna eademque ſempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & prius non eſſe voluit, quamdiu non fuerunt, & vt poſterius eſſent, quando eſſe cæperunt,*

ſunt, vt idem proſequitur D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 24. quod eſt vno verbo mutari creaturam materialiter prout in ſe, non prout formaliter Diuinam terminat volitionem.

Ad quartum diſtinguo minorem, non eſt formaliter præſens cócedo, formaliter futura, nego, quidquid ſit de præſentia ab æterno etiam in æternitate, de qua prolixè agitur à noſtris ad ar. 13. & à nobis id alibi diſcuſſum eſt, dum interim præallata ſolutio neceſſario admittenda eſt, aliter numquam voluntas Dei terminaretur ad rem formaliter vt futuram, ſed præcisè vt in tempore præſentem, quod eſt perſpicuè contra reuelationes Diuinas, & prædictiones Prophetarum &c.

ARTICVLVS II.

An de quocumque ſuo actu libero executiuo futuro abſolutè in tempore habuerit Deus ab æterno ſua decreta prædefinitiua.

Videtur quod non ipſi Antonio Delfino, quem ex parte conatur defendere Herice vbi ſupra, dum prædictus Auctor opinatur poſſe euenire, quod Deus de nouo in tempore abſolute aliquid velit, quod ſe voliturum ab æterno non decreuit. Probatur autem primo, quia ſicut prædefinitio Diuina in noſtra ſententia dicit intrinſecam perfectionem in Deo, & connotationem ad terminum, ita pariter & creatio duo iſta dicit. Sed ex hoc ſecundo poteſt Deus dici de nouo in tempore creans, quod antea non creabat, ſine intrinſeca ſui mutatione addita ſola connotatione de nouo ad creaturam, ergo à pari poterit Deus dici de nouo volens, quod antea non volebat, ſine ſui intrinſeca mutatione addita ſola connotatione ad extrinſecum &c, ergo neceſſe non erit ab æterno præceſſiſſe prædefinitioné de omni ſuo actu executiuo in tempore.

Secundò quia quod Deus poteſt facere, etiamſi faceret, nullum ſequeretur inconueniens, ſed Deus poteſt facere, quæ ab æterno non decreuit facere, vt concedit S. Tho. p.p. q. 25. ar. 5. ergo etiamſi de facto aliqua ex his faceret, quæ facere non decreuit, nullum inconueniens ſequeretur.

Tertiò, quia communiter vulgò dici ſolet, *fiet hoc, vel illud, ſi Deus voluerit,* ergo communiter vulgò ſupponi videtur Deum fore aliquid voliturum, quod in præſenti non vult, ſed communes iſtæ velut naturales vulgi notiones, ac locutiones, falli non poſſunt, vt arguit Tertullianus in lib. de teſt. animæ, ergo verè admittendum videtur Deum fore aliquid voliturum, quod de præſenti non vult.

In oppoſitum tamen eſt auctoritas pariter, non ſolum omnium ſcholaſticorum, quos conglobat, approbatque Alarcon diſput. 1. de voluntate cap. 5. verum etiam expreſſa auctoritas S. Tho. p. p. q. 25. ar. 5. ad 1. dicentis, *non poteſt eſſe quod Deus aliquid faciat, quæ non præſciuerit, & præordinauerit ſe facturum, quia ipſum facere ſubiacet præſcientiæ, & præordinationi, non autem ipſum poſſe, quod eſt naturale. Ideò enim Deus aliquid facit, quia vult, non tamen ideò poteſt, quia vult, ſed quia talis eſt in ſua natura,* ergo &c.

Reſpondeo Deum omninò prædeſtinaſſe ab æterno etiam omnes proprios actus ſuos executiuos in tempore. Et primo probatur ex Auguſtino lib. de

Præ-

Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. explicante illam promiſſionem à Deo factam Abrahæ. *Patrem multarum gentium poſui te*, & dicente, *non de noſtra voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit. Promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines &c.* & probat hanc ſuam doctrinã ibidem Auguſtinus euidenter ex verbis Apoſtoli ſubdentis, *non autem ſic credidit Abrahã, ſed credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promiſit potens eſt & facere. Non ait præſcire, ſed ait potens eſt & facere &c.* quam doctrinam repetit etiam lib. de correp. & gratia cap. 12. & lib. 2. cont. Iulianum operis imperfecti fol. 363. & 364. & alibi ſæpe, inde nos docens Deum prædeſtinaſſe ab æterno opera ſua, ſeu prædefiniuiſſe per conſequens ſuos actus executiuos in tempore.

Secundò probat hoc idem Auguſtinus tract. 105. in Ioan. ex illo Ioannis, *& nunc clarifica me*, quod ſic applicat, & exponit dicens, *ad hoc valet quod ait, & nunc clarifica me, hoc eſt, ſicut tunc ita & nunc, ſicut tunc prædeſtinatione, ita & nunc perfectione, fac in mundo quod apud te iam fuerat ante mundum; fac in tempore, quod ante omnia tempora ſtatuiſti*, & inde pro nobis ad inſtitutum concludit ibidem Auguſtinus, *certis igitur & immutabilibus cauſis omnia futura prædeſtinauit, & quod facturus eſt fecit.*

Tertiò probat etiam Auguſtinus ex ipſo modo orationis Eccleſiæ petentis in tempore, vt faciat Deus, quod ipſe ſe facturum eſſe ab ęterno præordinauit, & ita hoc vrget in lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 23. dicens, *hæc igitur, quæ poſcit à Domino, & ſemper ex quo eſſe cæpit, popoſcit Eccleſia, iſta Deus vocatis ſuis daturum ſe eſſe præſciuit, & in ipſa prædeſtinatione iam dederat*, iuxta quod etiam eodem lib. cap. 14. dixerat, *quod prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei*, & lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. hæc duo clarius diſtinxerat dicens, *quo circa prædeſtinatio, quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio vt dixi, gratia vero eſt ipſius prædeſtinationis effectus; inter gratiam, & prædeſtinationem hoc tantum intereſt, quod prædeſtinatio eſt gratiæ præparatio, gratia vero ipſa donatio.* En ab æterno præparationem prædefinitiuam actus executiui in tempore, & generaliùs iterum in lib. de dono perſeuerantiæ cap. 17. concludebat, *in ſua, quæ falli mutarique non poteſt præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omninò nec aliud quiſquam eſt prædeſtinare*, quod nos etiam dicimus prædefinire, & noſtrum integrum intentum eſt.

Quartò, vt aduertit idem ipſe Auguſtinus in lib. de bono perſeuerãtiæ cap. 18. adeò præſcientia eorum, quæ Deus facturus eſt, præſupponit prædefinitionem, ſeu prædeſtinationem, *vt aliquando eadem prædeſtinatio ſignificetur etiam nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſtolus, non repulit Deus plebem ſuam, quam præſciuit*, ſed certum eſt Deum præſciuiſſe omnes ſuos actus executiuos futuros in tempore, vt infra ex propoſito etiam de diuinis actibus conditionatè futuris contra vnicum fere Molinam oſtenſuri ſumus, ergo certum eſt etiam omnes ſuos actus executiuos futuros prædeſtinaſſe, ſeu prædefiniuiſſe Deum.

Quintò, immò à fortiori ſic probatur, quia præſcire vt diſtinctum à prædeſtinare potius videretur adaptabile (ſi alicui aptari poſſet) ad opera aliena, quam propria, vt indicat idem Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. poſt illa verba Pauli, *quoniam quæ promiſit Deus potens eſt & facere*, ſubdens, *non ait prædicere, non ait præſcire, nam & aliena facta poteſt prædicere atque præſcire, ſed ait potens eſt & facere, ac per hoc facta non aliena ſed ſua*, ſed certum eſt Deũ

opera

opera aliena, ſcilicet noſtra, nedum præſcire, verum etiã prædefinire ab æterno, vt omnes admittunt, ergo à fortiori & omnes actus ſuos executiuos futuros ab æterno prædefiniuit, ſeu prædeſtinauit, vt tandem lib. de bono perſeuerantiæ cap. 17. ità pro nobis omninò diſcurrit, & claudit dicens. *An forte nec ipſa dona Dei dicuntur prædeſtinata? ergo nec dantur à Deo, aut ea ſe daturum eſſe neſciuit. Quod ſi & dantur, & ea ſe daturum eſſe præſciuit, profectò prædeſtinauit.*

Sextò inde probari poteſt ratione S. Tho. p. p. q. 19. ar. 7. ſic adaptata ad propoſitum noſtrum, quia ſi Deus aliquid de nouo exequi vellet in tempore, quod ab æterno non prædefiniuiſſet ſe executurum, oporteret aut de nouo incipere aliquid eſſe bonum ipſi, aut de nouo cognoſcere quod non cognoſcebat ſibi bonum eſſe, vt patet in mutatione noſtræ voluntatis prouenientc ex alterutra harum cauſarum, ſed vtrumque repugnat Deo, primum quidem immutabilitati ſubſtantiæ ipſius, ſecundum vero immutabilitati ſcientiæ eiuſdẽ, ergo nullo modo Deus poteſt velle exequi aliquid in tempore, quod non prædefinierit prius ab æterno ſe fore in tempore executurum, pro qua ratione videndus ſubtiliter Caiet. in Commentario ibidem, & Nazarius poſt ipſum, & apparebit deductam eſſe ex Auguſtino lib. 12. de Ciuit. cap. 15.

Septimò tandem aliundè etiam à priori probatur, quia à cauſa vniuerſaliſſima debet realiter pendere totum eſſe diſtinctum ab ipſa, & ſimul virtualiter procedere totum eſſe virtualiter diſtinctum ab eadem, ſed etiam quæcumque futuritio actus proprij executiui in Deo eſt quoddã eſſe virtualiter diſtinctum ab ipſo Deo, ſicut quælibet futuritio creaturarum eſt quoddã eſſe diſtinctum realiter ab eodem, ergo ſicut ad hoc ſecundum, vt de facto detur determinata futuritio creaturarum, prærequiritur in Deo decretum prædefinitivum realiter futuritionis creaturarum, ità ad illud primum ad hoc vt detur futuritio determinata actus executiui Diuini in tempore prærequiritur Diuinum decretum prædefinitivum virtualiter eiuſdem.

Ad primũ igitur negatur paritas, & maioris ex profeſſo aſſignatur diſparitas à S. Tho. p. p. q. 14. art. 15. ad 1. dicente, *Dominus & creator important relationes ad creaturas ſecundum quod ſunt in ſeipſis; ſed ſcientia Dei importat relationẽ ad creaturas ſecundum quod ſunt in Deo &c. vel aliter dicendum eſt quod Dominus & creator, & huiuſmodi, important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipſas creaturas ſecundum quod in ſeipſis ſunt, & ideo huiuſmodi relationes variè de Deo dicuntur ſecundum variationem creaturarum. Sed ſcientia, & amor, & huiuſmodi important relationes, quæ conſequuntur actus, qui intelliguntur in Deo eſſe, & ideò immutabiliter prædicantur de Deo*, & idem habet p. p. q. 34. art. 3. ad 2. & alibi.

Ad ſecundum diſtinguo maiorem, quod Deus poteſt facere, tam abſolute quam ex ſuppoſitione, concedo, quod Deus poteſt facere abſolute, non tamen ex ſuppoſitione, ſcilicet ſuppoſito quod non præordinauerit ſe facturum, nego, & ad minorem primo modo nego, ſecundo modo concedo, & negatur conſequentia, vt reſpondet verbaliter S. Thom. p. p. q. 25. art. 5. ad 1.

Ad tertium reſpondet dilucidè Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. cap. 2. dicens, *dicimus, fiet ſi Deus voluerit, non quia Deus nouam voluntatem, quam non habuit, tunc habebit, ſed quia id, quod ex æternitate in eius immutabili præparatum eſt voluntate, tunc erit.* Sic igitur diſtinctis in Deo actu executiuo in tempore, & prædefini-

fini-

finitiuo ab æterno, de vtriſque videndum manet, quomodo in Deo futuri rationem habere poſſint, & primo de executiuo vt notiori nobis.

ARTICVLVS III.

An actus liber Dei executiuus in tempore, vt talis, ab æterno habeat rationem futuri abſoluti in Deo.

Videtur quod nõ, aliquibus, cum quibus hic mihi cõtigit non ſemel colloqui, & poteſt his dubitandi rationibus ſuaderi. Primò quia, vt inquit S. Thom. q. 1. de pot. ar. 5. ad 2. *in Deo non cadit præteritum, & futurum, immò quidquid eſt in eo, eſt totum in præſenti æternitatis; nec præteritum, & futurum in eo verbum ſignificatur, niſi per reſpectum ad nos*, ſed actus liber Dei etiam in tempore executiuus verè eſt aliquid in Deo, ergo neq; iſte habet rationem futuri.

Secundò quia intãtum deberet admitti in Deo futuritio propriè actus executiui in tempore, inquantum in Scriptura actiones Dei multoties ſignificantur per verba temporis futuri, ſed hæc ratio non obſtat, immò, vt inquit San. Tho. p. p. q. 10. art. 2. ad 4. *hæc verba diuerſorum temporum attribuuntur Deo inquantum eius æternitas omnia tempora includit, non quod ipſe varietur per præſens, præteritum, & futurum*, ergo adhuc hac non obſtante ratione non debet admitti in Deo futuritio proprij actus executiui in tempore.

Tertiò quia, vt inquit Ambroſius libr. 1. de fide cap. 1. *creatio ſignificat Dei actionem, quæ eſt eius eſſentia*, ſicut & quælibet operatio in Deo ex S. Thom. & Theologis p. p. qu. 3. eſt ipſum eſſe, & eſſentia Dei, ſed eſſentia vel eſſe Dei nequit habere rationem futuri, cum ſingula æterna ſint, ergo neque actio executionis futuri rationem habere poteſt, & ità de alijs.

Quartò, quia vbicunque datur aliquando ratio futuri datur etiam fieri, vel factum eſſe, ſaltem ſecundum intellectum noſtrum, ſed in actu libero Dei, neque ſecundum intellectum datur fieri, & factum eſſe, aliter poſſet etiam dari in Deo mutari, & mutatum eſſe, ſaltem ſecundum intellectum noſtrum, ergo neque poteſt dari vllo modo ratio futuri.

Quintò, quia quodlibet in tempore futurum eſt Deo præſens in æternitate, ſed iſtæ actiones Dei nequeunt eſſe Deo præſentes in æternitate, quin abſolutè Deo præſentes ſint, & non futuræ, ergo iſtæ actiones nequeunt eſſe in tempore futuræ.

In oppoſitum tamen eſt, quod aliquid verè dici de Deo, de nouo in tempore, eſt aliquid de Deo ſaltem quo ad explicitam terminationem, ſeu habitudinem ab æterno eſse futurum, ſed vt probat S. Tho. p. p. q. 13. ar. 7. nomina importantia relationem ad creaturas, vti ſunt nomina actionis creatiuæ, iuſtificatiuæ, & huiuſmodi, dicuntur de Deo in tempore, ergo & actiones iſtæ Diuinæ ſcilicet creationis, iuſtificationis &c. verè habent rationem futuri ab æterno ſaltem quo ad explicitam terminationem earundem *habitualiter*, ut ait S. Tho. in 1. diſt. 30. ar. 2. ad 1.

Reſpondeo actum liberum Dei executivum in tempore, vt talem ab æterno quodammodo habere rationem futuri abſoluti in Deo; & probatur in primis ex verbis Auguſtini in lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. manifeſtè di-

centis, *prædeſtinatione quippè Deus ea præſcinit, quæ fuerat ipſe facturus, vnde dictum eſt, fecit, quæ futura ſunt.* Et ne dicas ly *futura* intelligi non de operatione Dei vllo modo in tempore denuò terminata ad creaturas, ſed de creaturis ipſis in tempore terminantibus actionem Dei; idem Auguſtinus eodem lib. cap. 19. de ipſa actione Dei, vt ſecundum hanc terminationem futura ſe loquutum eſſe declarat dicens, *cum ergo nos prædeſtinauit opus ſuum præſciuit, quo nos ſanctos, & immaculatos facit,* & inde apertiſſime poſtea lib. de dono perſeuerantiæ cap. 17. concludit, *In ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia opera ſua futura diſponere id omnino, nec aliud quidquam eſt, niſi prædeſtinare,* & cap. 24. *opera ſua futura præſciuit*, ergo iam manifeſte, ex Auguſtino, actio libera Dei prout formaliter ſaltem executiua in tempore ab æterno habet vere rationem futuri reſpectu præſcientiæ eiuſdem.

Secundò, præter auctoritates S. Thom. tangendas in ſolutionibus ad argumenta, hac ratione probatur, quia ad hoc, vt aliquid, vt tale, dicatur præteritum, vel futurum, ſufficit aliquando eſſe, & aliquando non eſse illud formale, per quod illud tale differt ab alio, ſed formale ſcilicet explicitum in denominando, per quod actus liber Dei executiuus in tempore vt talis differt ab actu interno in Deo, eſt ipſa terminatio, ſeù connotatio ad creaturas extrinſecè extra Deum, ergo vt iſte actus liber Dei executiuus in tempore vt talis dicatur præteritus vel futurus, ſufficit aliquando eſſe, & aliquando non eſſe hanc terminationem ſeu connotationem quoad explicitum in denominando, licet totum reale actus æterni in Deo ſemper immutabiliter perſeueret, ſed de facto iſta terminatio ſeu connotatio quoad explicitum in denominando aliquando eſt, aliquando non eſt, ſicut & terminus connotatus eiuſdem aliquando eſt, aliquando non eſt, vt diſcurrit cum Auguſtino lib. 7. de Trinit. Magiſter ſent. in 1. diſt. 30. & S. Tho. ibidem, & p. p. q. 13. ar. 7. ad 6; ergo de primo ad vltimum actus liber Dei executiuus in tempore, vt talis, poterit verè dici habere rationem futuri non obſtante intrinſeca immutabilitate Dei.

Tertiò, eatenus id dici non poſset, quatenus adhuc actus iſte executiuus liber Dei in tempore quoad ſuum formale intrinſecum, etiam explicitum, in re eſt quid Diuinum, & conſequenter immutabile, & ſemper præſens, ſed hæc ratio huic noſtræ ſententiæ rectè explicatæ non obſtat, & in communi omniũ ſententia de conſtitutiuo actus liberi Dei etiam æterni ſoluenda eſt, ergo hac non obſtante ratione hæc noſtra ſententia admitti debet; minor, quæ ſola impiget probatione, probatur, nam ſicuti ens Diuinum in re ſemper eſt ità præſens vt non poſſit aliquando non eſse, ita pariter ſemper ita neceſsario eſt, vt non poſſit non eſse, ſed non obſtante hoc ſecundo formale intrinſecum conſtitutiuum actus æterni liberi Diuini ita ab æterno fuit, vt quoad explicitum in denominando potuerit non eſse, aliter actus liber non fuiſset, vt plerique in ea materia diſcurrunt, ergo pariter non obſtante primo formale intrinſecum actus executiui Diuini ſic erit, vt quoad explicitum in denominando aliquando non fuerit, & verè, etſi vtrobique difficultas negari non poſſit, non minor tamen in illo eſt, ac in iſto, immò minor in iſto, quam in illo, vt mox oſtendo.

Quartò, nam licet formale conſtitutiuum actus liberi æterni in Deo non ita probabiliter cum Vaſquez aut alijs reponatur, vel in relatione rationis, vel in denominatione extrinſeca tantum, vel ſimul adminus in connotato importa-

eo

to cum ipſo, tamen in præſenti magis probabiliter formale conſtitutiuum actus liberi executiui Diuini in tempore vtique reponi valeret in hoc ſimul connotato extrinſeco, ad quod ipſe actus executiuus habitudinē dicit, & relationem rationis ſuperaddit. Sed ſemel hac data explicatione longe magis facile eſt explicare quomodo actus Diuinus executiuus in tempore vt talis aliquando non ſit, quam facile ſit explicare quomodo actus liber æternus Dei vt talis non eſse potuerit, ergo facilior eſt difficultatis ſolutio hic de actu executiuo Dei, quam ibi de actu libero ab æterno in Deo, vt mox anteà dicebamus.

Quintò demum ex iſta poſtrema explicatione deduci poſsunt quicumque alij in hunc modum dicendi de fututitione actus executiui Diuini formaliter, nam in hoc omnes conueniunt, quod non ſemper adeſt in Deo vel iſta habitudo, vel iſta connotatio, vel relatio rationis (quocumque modo explicetur) ad creaturam, quam de nouo producit in tempore. Sed in his ſimul inſiſtit, vel in recto, vel in obliquo iſte actus executiuus Dei vt talis formaliter, ergo omnes pariter conuenire debent in hoc quod actus executiuus Dei in tempore vt talis formaliter aliquando non eſt, & conſequenter quod ab æterno etiam rationem futuri habet, vt nos intendimus hic.

Ad primum igitur diſtinguo maiorem, loquendo de his, quæ important actionem immanentem in Deo, qualis eſt præſcientia, Amor, & huiuſmodi, de quibus dumtaxat apertè loquebatur argumentum ibi à S. Thom. ſolutum, concedo, loquendo etiam de illis, quæ important actionem ſaltem virtualiter tranſeuntem ad extra, vti eſt creatio, Iuſtificatio &c. de quibus nos loquimur hic, nego, vt inter iſta ad propoſitum tradit perſpicue diſcrimen ipſe S. Tho. p. p. q. 14. ar. 15. ad 1, & q. 34. ar. 3. ad 2. & alibi frequentiſſime.

Ad ſecundum diſtinguo minorem, loquēdo de operationibus Dei mox explicatis, ſcilicet terminatis ad creaturas immanenter prout ſunt intra Deum, concedo, de actionibus Dei terminatis tranſeunter extrinſecè ad creaturas in ſe ipſis, prout ſic formaliter nego, quia primo modo vtique ſequeretur variari Deum ſi illæ variarentur, non verò ſecundo modo ſi iſtæ, vt diſcriminat idē S. Tho. p. p. q. 19. art. 7. & q. 13. art. 7. ad 3. & Auguſtinus iam ſupra adductus; præterquamquod & de iſtis poteſt iterum ſubdiſtingui eadem minor, non variantur quoad aliquid intrinſecum in eſſendo concedo, quoad purum explicitum in denominando ſeu quoad connotationem, vel connotatum nego, vt in poſterioribus probationibus noſtris explicatum eſt, & explicat mox afferendus S. Tho.

Ad tertium reſpondet verbaliter S. Thom. p. p. q. 13. art. 7. ad 1. dicens, *quædam nomina Dei ſignificant ipſam habitudinem ad creaturam, ut Dominus, & hæc huiuſmodi non ſignificant ſubſtantiam Diuinam directè ſed indirectè inquantum præſupponunt ipſam &c. quædam verò ſignificant directè eſſentiam Diuinam, & ex conſequenti important habitudinem ſicut Saluator, creator: & huiuſmodi ſignificant actionem Dei, quæ eſt eius eſſentia. Vtraque tamen nomina ex tempore de Deo dicuntur quantum ad habitudinem, quam important vel principaliter, vel conſequenter, non autem quantum ad hoc, quod ſignificant eſſentiam directè, vel indirectè*, & hinc in reſponſione ad 6. concludit, *licet igitur Deus ſit prior creaturis, quia tamen in ſignificatione Domini clauditur, quod habeat ſeruum &c. ideò Deus non fuit Dominus antequam ha-*

beret creaturam ſibi ſubiectam, ex quibus verbis in forma diſtinguo maiorem, *actio creationis ſignificat eſſentiam*, ſimul tamẽ cum terminatione, habitudine, vel connotatione ad creaturam extrinſecè, concedo, ſolam eſſentiam nego, & ad minorem, eſſentia ſeu eſſe Dei *non poteſt habere rationem futuri*, poteſt tamen ſic habere rationem futuri ipſa connotatio, vel habitudo, concedo, & neque iſta, nego, & diſtinguitur conſequens, neque iſta actio *poteſt habere rationem futuri*, adæquatè prout dicit etiam eſſentiam, vel eſſe Dei, concedo, inadæquatè formaliter prout dicit ſolam connotationem, ſeu habitudinem, nego, quia autem dicta terminatio, habitudo, vel connotatio ſolum virtualiter penes explicitum in denominando, vel ſignificando, diſtinguitur ab eſſe Dei, hac de cauſa ratio futuri ab aliquibus in prædictis non dicitur realis ſecundum ſe, ſed potius rationis, & quoad nos, vti & S. Tho. in ar. 7. citato ad 4. & 5. recurrit ad relationem rationis in Deo, exiſtentem tamen extrinſece realiter per relationem realem in creatura, vt ſubtiliſſime in commentario ibidem Caietan. exponit.

Ad quartum diſtinguo maiorem ex dictis mox, *vbi eſt ratio futuri*, adæquatè etiam quoad eſſe intrinſecum in eſſendo, concedo, ſolum inadæquatè quoad formale explicitum in denominando, ſeu quoad connotationem ad extrinſecum, nego, vt reſpondet S. Th. ibidem ad 2. dicens, *ſicut relationes, quæ de Deo dicuntur ex tempore, non ſunt in Deo niſi ſecundum rationem, ita nec fieri nec factum eſſe dicitur de Deo niſi ſecundum rationem nulla mutatione circa ipſum exiſtente, ſicut eſt illud Domine refugium factus es nobis*: vel adhuc hoc ſecundo modo conceſſa majori de fieri, & factum eſse pariter ſecundum intellectum, tunc nego minorem, & ſequelam eiuſdem, vti reſpondet idem S. Tho. in 1. diſt. 30. qu. 1. ar. 1. ad 1. dicens, *tamen etſi concedatur, quod ſecundum rationem Dominus refugium factus eſt, & huiuſmodi, nullo tamen modo dicendus eſt mutatus, quia mutatio imponitur pro remotione eius à quo eſt motus, ſed fieri per adeptionem eius, ad quod motus terminatur. A Deo autem nullo modo aliquid remouetur, etſi adueniat habitudo aliqua ſecundum rationem, vndè etſi dicatur fieri aliquid, non tamen debet dici mutari in illud &c.*

Ad quintum tandem reſpondetur negando minorem ex doctrina Cabreræ 3. p. q. 62. art. 1. diſput. 13. §. 7. à n. 163. quia licet reſpectus ideales ex vna parte, & reſpectus creatoris, & huiuſmodi ex alia, ſint pręſentes Deo in æternitate, diuerſimode tamen, quia illi ſunt pręſentes immediatè, & in propria menſura, hi verò accepti quoad explicitum in denominando, vel præexplicatam habitudinem, ſunt præſentes ſolum mediatè mediante menſura propria illorum prout ſic, quæ tempus eſt &c.

ARTICVLVS IV.

An aliquis actus liber Dei executiuus in tempore pariter poſſit habere rationem futuri conditionati ab æterno.

Videri poteſt aliquibus quod non, à pari ex dicendis infrà de actu prędefinitiuo ab æterno non valente habere rationem futuri etiam conditionati. Et primo ſuaderi poteſt, quia quando dicitur, quod ſi poneretur talis conditio v. g. ſi Petrus talem medicum adiret, eum à morbo Dominus liberaret,

ret, vel talis conditio ſe teneret actiuè ex parte Dei in ſuo concurſu expectantis aliquid ex parte creaturæ, vt ipſe concurrat, vel talis conditio ſe teneret paſſiue ex parte creaturæ, quæ ſub tali conditione liberaretur. Si dicatur primum, abſonum videretur quod Deus vt concurrat expectet prius aliquid ex creatura, à quo veluti in ſuo concurſu dependeat: Si dicatur ſecundum, ſequitur poni futuritionem conditionatam ſolum in creatura, non verò in ipſo cōcurſu actiuo Dei, vt hic intenditur, ergo nullo modo id ad propoſitum explicari poteſt. Si autem reſpondeatur conditionem ac dependentiam ab eadem conditione primò quidem, & directè, ſe tenere ex parte vnius obiecti creati ad aliud obiectum creatum, ſecundariò verò, & indirecte, inde refundi etiam ex parte concurſus actiui Diuini.

Secundò contra hoc arguitur quia in ordine ſupernaturali gratiæ etiam ex partæ creaturæ ipſe effectus gratiæ nequit adhuc ſub conditione pendere ex alio effectu, vel concurſu naturali creaturæ, vt volebant Semipelagiani, ergo neque in ordine naturali adhuc ex parte creaturæ nequit vnus effectus ſub conditione pendere, vt fiat à Deo, ab alio effectu prius producto per creaturam.

Tertiò, quia adhuc ex dependentia directa vnius creaturæ volitæ ab altera creatura volita, non pendet etiam indirectè, & ſecundariò in Deo, à prima creatura volita actus volendi ſecundam, vt inquit S. Tho. p. p. qu. 19. art. 5. dicens, *vult hoc eſſe propter hoc, ſed non propter hoc vult hoc*, ergo à pari hic data adhuc dependentia directa vnius obiecti in creatura ex alio vt conditione, adhuc indirectè ab iſta conditione creaturæ nequit pendere aliquis actus in Deo in tempore executiuus, ita vt ſub illa conditione futurus ſit, & ea ablata non ſit futurus; vti tetigit totam hanc difficultatem noſter Nauarete contro. uer. 56. §. 2. in prima probatione ſextæ concluſionis, apertè tamen impugnans ſolam futuritionem conditionatam etiam ipſius decreti, & actus prædefinitiui ab æterno (de quo infra) & non puram futuritionem actus in tempore executiui, vti nos loquimur, vt patet ex illis verbis eiuſdem, *poneretur imperfectio ex parte Dei expectantis &c. ad decernendum ſuum concurſum &c.*

In oppoſitum tamen eſt quod minor eſt futuritio conditionata quam abſoluta, ſed actui executiuo Diuino non repugnat, immò conuenit ex dictis, futuritio abſoluta, ergo à fortiori nec repugnabit, immò conueniet & futuritio conditionata.

Reſpondeo vtique etiam aliquem actum liberum Dei executiuum in tempore habere poſſe rationem futuri conditionati ab æterno. Ità in primis ſupponunt Zumel tom. 3. variarum diſputationum pag. 189. Lorca p. 2. tom. 1. diſput. 4. de actibus humanis S. in 2. puncto, Xantes Mariales relect. 13. de ſcientia ſect. 4. pag. 133. & vno verbo conueniunt omnes infrà referendi qu. 4. 2. 3. & 4. & primò probatur ex ſcripturis, nempè ex Pſal. 80. *Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet, pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaſſem.* Pſal. 88. *ſi iuſtitias meas profanauerint &c. viſitabo in virga iniquitates eorum* Ioan. 14. *Si quis ſermonem meum ſeruabit &c. veniemus, & manſionem apud eum faciemus* Matt. 26. *An non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plus quam duodecim legiones Angelorum*, & ſimilia ſæpè alibi legi poſſunt; ſed in his omnibus ſignificatur actus liber Dei executiuus in tempore ſub conditione futurus,

rus, ſcilicet ſub præallatis conditionibus ibidem, ergo verè ex ſcriptura ſaltem aliquis actus liber Dei executiuus in tempore ſub conditione futurus eſt.

Secundò probatur, quia ſicut nequit exiſtere actio creaturæ, quin ſimul exiſtat ad minus actio executiua Dei, vt omnes admittunt, ita nequit eſſe futura actio creaturæ in tempore quin in tempore futura ſit actio executiua Dei. Sed iam actio creaturæ eſt futura etiam conditionate in tempore, vt omnes modo certo ſupponunt, ergo pariter & actio executiua Dei debet eſſe futura in tempore conditionate, vt aſſeruimus.

Tertiò, quia hinc Auguſtinus admittens futuritionem conditionatam actus noſtri, ſimul ſemper addit non eſſe excludendam actionem executiuam Dei ſub illa conditione futuram, nempè lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 9. dicens, *quid verius, quam præſciſſe Chriſtum, qui et quando & quibus locis in eum fuerant credituri? ſed vtrum prædicato ſibi Chriſto à ſe ipſis habituri eſſent fidem, An Deo donante ſumpturi &c. quærere, ac aſſerere tunc neceſſarium non putaui*, & cap. 10. *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus &c.* vti repetit etiam in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 18. dicens, *ſine dubio præſciuit ſi prædeſtinauit. Sed prædeſtinaſſe eſt hoc præſciſse, quod fuerat ipſe facturus.* Sed hoc eſt agnoſcere in Deo aliquem actum executiuum ſub conditione futurum, quo mediante ſe facturum eſſe præſciebat, vt alij ſub aliqua conditione operarentur &c. ergo verè ex Auguſtino in Deo recognoſcendus eſt actus executiuus eiuſdem ſub cōditione futurus.

Quartò tandem, eatenus enim id negaretur, quatenus id etiam negatur de decreto Dei ſubiectiuè conditionato, ſeu ſub conditione futuro, vt mox infrà dicetur, ſed hæc ratio nil obſtat, & valdè magna diſparitas eſt inter actum purè immanentem in Deo, vt decretum eſt, & inter actum executiuum virtualiter tranſeuntem ad extra, vt ex propoſito præuidit, & manifeſtauit diſcrimen S. Thom. p. p. q. 13. ar. 7. ad 3. dicens, *operatio intellectus, & voluntatis, eſt in operante, et ideo nomina, quæ ſignificant relationes conſequentes actionem intellectus, vel voluntatis, dicuntur de Deo ab æterno; quæ vero conſequuntur actiones procedentes ſecundum modum intelligendi ad exteriores effectus, dicuntur de Deo ex tempore vt Saluator, creator, & huiuſmodi &c.* ergo hac non obſtante ratione admittenda eſt etiam iſta futuritio conditionata actus Diuini executiui in tempore, & ſi de decreto, & huiuſmodi, non admittatur.

Ad primum ergo dicendum eſt, quod aliud eſt loqui de terminatione actiua libera actus Diuini ad creaturas prout ab intrà ſeu ab æterno, & aliud de eadem terminatione prout ad extra, & in tempore, vti primo modo ſe habet cognitio vel volitio, ſecundo modo ſe habet creatio, iuſtificatio, glorificatio, & huiuſmodi, vt ſuprà etiam ex S. Thom. diſparitas allata eſt; de prima igitur loquendo, neque directè, neque indirectè actus Dei expectat etiam vt conditionem priorem aliquid creaturæ, vt rectè probant ex noſtris Ledeſma diſput. 2. affini de ſcientia futurorum dub. 4. ad 4. Nauarete tom. 1. controu. 59. concl. 6. Gonzalez diſp. 38. ſect. 3, & plerique antiqui Scholaſtici allati etiam (licet non approbati) à Faſſolo q. 14. ar. 8. dub. 5. de ſecunda autem profectò admittenda eſt reſponſio allata inter arguendum, cum ſine dubio ſaltem merita noſtra ſint cauſa moralis, vel ratio, cur Deus in tempore executiue velit aliquem glorificare, licet ab æterno etiam ante præuiſionem meritorum

præ-

Digitized by Google

prædecreuerit glorificare eumdem, & propter hoc etiam actus Dei executivus in tempore non pendet à conditione creata adhuc ſecundum ſe, ſed ſolum vt prædefinita ab eodem ab æterno, & ſic vltimatè pendet ſolum à ſua Diuina prædefinitione, vti ad prædictam difficultatem à Nauarete præfactam reſpondet etiam Cabrera 3. p. q. 62. ar. 1. diſput. 12. §. 5. n. 134.

Ad ſecundum facillima reſponſio patet diſtinguendo antecedens, nequit pendere ſub conditione à concurſu naturali, concedo, etiam ſupernaturali, nego, nam etiam in ordine gratiæ vnus effectus pendet ab alio priori effectu ſupernaturali &c, & hinc negatur conſequentia, quia ſicut duo effectus ſupernaturales in ordine ſupernaturali proportionantur adinuicem, ita & in ordine naturali duo effectus naturales ad hoc proportionem habent, vt vnus pendeat ab altero &c. licet è conuerſo immutando ordinem, ſupernaturalis nequeat vtique etiam vt à conditione pendere à naturali concurſu, vt volebant Semipelagiani.

Ad tertium concesso antecedenti negatur conſequentia, & diſparitas eſt iam adducta inter reſpondendum ad primum argumentum, ex qua etiam recto ordine ſubſequitur, vt de actibus Diuinis prædifinitiuis ab æterno, quid ſit dicendum quoad eamdem futuritionem abſolutam, & conditionatam, in ſubſequentibus Articulis diſcutiamus.

ARTICVLVS QVINTVS.

An ſimiliter actus Diuinus prædefinitiuus ab æterno poſſit habere ſaltem virtualiter intrinſecè cum fundamento in re rationem futuri abſoluti in aliquo ſigno priori antequam concipiatur exiſtens.

VIdetur quod ſic Fonſecæ, Suarez, & Ruieio apud Alarcon tract. 2. diſp. 3. cap. 1. Faſſolo dub. 18, & alijs. Et primò probatur impugnando oppoſitas Thomiſtarum probationes ab æternitate deſumptas, quia etiam ſi omnia in Deo menſurentur æternitate, adhuc eſſentia eſt prior intrinſecè virtualiter attributis, intellectus ipſa voluntate, & huiuſmodi, ergo etiam ſi omnia in Deo menſurentur æternitate, poterit vnum eſſe præſens, & aliud ſcilicet decretum habere virtualiter rationem futuri.

Secundò, quia etiam in noſtra ſententia non obſtante menſura æternitatis Deus cognoſcit prius ſuam voluntatem, vt potentem velle hoc, vel illud, quam cognoſcat vt actu volentem, cum prædicta cognitio prior & ſcientia in Deo regulet virtualiter poſteà volitionem Diuinæ voluntatis, ergo pariter poterit etiam Deus in ſe ipſo cognoſcere volitionem vt futuram.

Tertiò, quia æternitas licet ſit indiuiſibilis omninò formaliter, eſt tamen diuiſibilis virtualiter, ergo ſaltem virtualiter admittet in ſe ſucceſſionem, & conſequenter futuritionem virtualiter, licet non realiter.

Quartò, quia magis diſtat poſſibile ab ipſo præſenti, quam ab eodem diſtet futurum; ſed decretum Dei etiamſi æternum poteſt eum fundamento in re etiam à Deo cognoſci vt poſſibile, cum impoſſibile de facto non ſit, ergo à fortiori poterit cognoſci vt futurum.

Quintò, quia ſi mundus fuiſſet creatus ab æterno adhuc in aliquo primo ſigno

gno Deus cognouiſſet mundum vt futurum virtualiter, licet non realiter, ergo à pari, etiamſi decretum ſemper ab æterno ſit, in aliquo primo ſigno poteſt Deus ipſum cognoſcere vt futurum ſaltem virtualiter. Nec valet diſparitas, quod Mundus fuiſſet ab æterno ſolum per participationem, decretum vero eſt æternum per eſſentiam. Non valet, inquam, quia etiam æternitas primò conuenit ſoli eſſentiæ Diuinæ, & perfectionibus ad ſummum neceſſarijs, decretis autem liberis, veluti ſecundario dumtaxat, ergo etiam decreta libera ſe habere videntur, veluti æterna per participationem, nec conſequenter diſparitas allata valet.

Sextò, quia Verbum Diuinum non procedit ex cognitione decretorum liberorum, ſicut neque etiam ex cognitione creaturarum futurarum, ſed Verbum Diuinum procedit ex cognitione omnium præſentium, ſeu exiſtentium in Deo pro ſigno ſltem in quo procedit, aliter non procederet ex cognitione comprehenſiua Dei, ergo pro ſigno, in quo procedit Verbum Diuinum, decreta libera non ſunt præſentia, ſed futura in Deo.

Septimò, quia in illo priori ſigno, quo voluntas Diuina antecedit Diuina decreta vt virtualiter influens in eadem, adhuc vna ex iſtis contradictorijs vera eſt, ſcilicet, *aut Deus decernet in ſequenti ſigno creare mundum, aut non decernet*; ſed non ſecunda, cum de facto decreuerit, ergo prima, ergo pro tunc decretum futurum erat, ſicut de ipſo verificabatur propoſitio de futuro, *quod erit*.

Octauò tandem, quia quando dicitur à Thomiſtis Deum in Ideis ante decretum non cognoſcere futura, profectò ſupponitur pro illo ſigno decreta nō exiſtere de præſenti, ergo ſupponitur extitura ſolum in ſequenti ſigno, non ſolum à quo, ſed in quo, & conſequenter virtualiter intrinſece futura eſſe; conſequētia, de qua ſola poteſt eſſe difficultas, probatur, quia inſtantia naturæ diſtincta penes exiſtere in vno, & non in alio inſtanti, dicuntur etiam inſtans naturæ in quo, & non ſolum à quo, ergo &c.

In oppoſitum tamen eſt concors omnium Thomiſtarum ſententia negatiua, quos referunt, & ſequuntur Salmanticenſes dub. 4. Ioannes de S. Tho. diſp. 19. art. 2. concl. vltima, Serra, Labat, Gonet, Xantes Mariales in relectionibus de ſcientia, immò & plerique ex Societate hanc ſententiam amplexati ſunt, ut eos nominatim refert, & ſequitur Alarcon tract. citato vbi ſupra, & inde Recupitus lib. 1. de Diuino Intellectu q. 3. condenſans alios ex Societate, ergo ſine dubio hæc ſententia probabilior eſt.

Reſpondeo actum Diuinum prædefinitiuum ab æterno nullo modo virtualiter cum fundamento in re habere poſſe rationem futuri abſoluti &c. Et id in primis à pari de actu prædeſtinationis ſtatuitur à S. Thom. q. 6. de verit. art. 3. ad 10. dicente, *actus prædeſtinationis cum menſuretur æternitate numquam cadit in præteritum, ſicut nunquam futurus eſt, vnde ſemper conſideratur vt egrediens à voluntate per modum libertatis*. Et probatur ratione, quia futurum inuoluit carentiam exiſtentiæ cum habitudine ad illam, ſed in nullo inſtanti, ſiue temporis, ſiue naturæ, tamquam in inſtanti in quo, decretum Dei habet carentiam exiſtentiæ, ergo in nullo inſtanti ſiue temporis, ſiue naturæ prædictum decretum prædefinitiuum Dei futurum eſt, maior patet ex definitione communiſſima futuri; minor probatur, tum quia ut notat S. Thom. menſuratur æternitate per eſſentiam in ſua exiſtentia ſicut & ipſe Deus, ergo ſicut Deus in nullo

peni-

penitus inſtanti habet carentiam exiſtentiæ, aliter æternus non eſſet per eſſentiam, ità nec eius decretum, tum quia æternitas per eſſentiam, cum ſit tota ſimul omninò, neque virtualiter ſaltem intrinſecè admittit ſucceſſionem, ergo nec virtualiter intrinſecè futuritionem.

Secundò, quia prioritas ſolum à quo, & non in quo, non ſufficit, vt id, quod tali prioritate poſterius eſt, futurum dicatur, ſed Deus, ſeu Diuina voluntas reſpectu decreti prædefinitiui ſolum habet prioritatem à quo, non in quo, ergo non ſufficit, vt ipſum decretum futurum eſſe dicatur; maior probatur, tum quia aliter etiam Verbum Diuinum, vt quid poſterius Patre in ſigno à quo, non in quo, diceretur futurum in illo priori contra omnes Theologos, quos præiuit S. Tho. p. p. q. 41. ar. 4, & q. 42. ar. 2, ergo &c. tum quia aliter quodlibet attributum ſubſequens ad alterum attributum, vt æternitas ipſa ad immutabilitatem, futuri rationem haberet contrà omnes, ergo &c. Minor verò principalis probatur, tum quia vt inquit Ioan. de S. Thom. in Deo ſolum eſt prioritas originis, vel connexionis, non autem durationis, quæ inuoluit negationem, & expectationem eſſendi, & conſequenter repugnat actui puro, qui eſt ipſum eſſe, ergo &c. tum quia omnia abſoluta in Deo inuicem ſe includunt quidditatiuè, licet non explicent, & omnia etiam relatiua per vnicam omninò exiſtentiam indiuiſibilem exiſtunt, ergo in Deo, ſeu inter Diuina, ſola datur prioritas à quo non in quo.

Tertiò, quia adhuc in inſtanti naturæ in quo, nequit aliquid immanens in Deo concipi, vt præteritum, aliter conciperetur, vt modo non exiſtens, cum tamen anteà extitiſſet, ergo à pari nequit concipi vt futurum, aliter conciperetur, vt modo non exiſtens, ſed extiturum, vt adhibebat hanc paritatem ipſemet S. Tho. recitato loco.

Quartò, quia ſi decretum ſic poſſet concipi, vt futurum, maximè eſſet pro illo ſigno, in quo voluntas Diuina concipitur, vt de ſe indifferens ad liberè volendum, vel non, ſed hoc nequit eſſe, vt mox oſtendo, ergo nullo modo &c. maior continet fundamentum Aduerſariorum, & minor probatur, tum quia pro illo ſigno, ſicut concipitur voluntas ſolum, vt potens velle, & nolle, non vt determinatè volitura, vel nolitura, ita concipitur decretum volendi ſolum vt poſſibile, non vt futurum, ergo &c. tum quia pro illo ſigno concipiuntur etiam creaturæ ſolum vt poſſibiles, non vt futuræ, ergo à pari decretum, à quo rerum futuritio dependet.

Quintò, quia intantum ad ſummum poſſet Deus cognoſcere ſuum decretū, vt futurum, inquantum ſi per impoſſibile decretum non eſſet præſens, immò extiturum poſteà eſſet, tunc ſic futurum cognoſceretur, ſed hæc ratio nulla eſt, ergo &c. maior eſt aperta explicatio Suarez, & Ruicij apud Alarcon, minor probatur, quia eadem ratione non ſolum Verbum, ſed Deus ipſe cognoſci poſſet ſub ratione futuri, vt applicanti patebit, ſed hoc abſonum, ergo &c.

Sextò, quia etiam ſi actus neceſſarij in Deo, vt volitio ſui, virtualiter etiam à voluntate procedant, adhuc nequeunt vllo modo cum fundamento in re cōcipi vt futuri, ergo pariter etiamſi decretum virtualiter procedat &c. nequit concipi vt futurum; antecedens admittitur ab Aduerſarijs; conſequentia autem ſi negetur, aſſignando diſparitatem, quia ad illos neceſſitatur voluntas Diuina, non ad iſtos, ſic probatur contra hanc reſponſionem eadem conſequen-

tia, quia dantur etiam futura neceſſaria, ergo ſi ſemel futuritio non repugnat actui immanenti Diuino, qua talis eſt, neque repugnabit qua neceſſarius eſt.

Septimò, quia multo magis diſtinguntur duo attributa adinuicem in Deo, vel eſſentia ab attributis, quam diſtinguatur idem decretum à ſe ipſo, ſed in illis nequit adhuc concipi vnum, vt futurum ad aliud, ergo multo minus in iſto poterit concipi Vnus conceptus ut futurus ad alium ut poſſibilem.

Octauò, ut arguunt etiam ad hominem contra Suarez ijdem ſcriptores Societatis, tum quia iſta ſcientia Diuina reſpectu decreti, vt futuri, media eſſet inter ſcientiam liberam, & neceſſariam, ſed hoc abſurdum ut ſupra vidimus, ergo &c. tum quia data hac ſcientia decreti, vt futuri, per quam regulari poſſet Diuina prædeſtinatio, iam ſuperflueret omninò ad hunc finem ſcientia media conditionatorum adhuc in ſententia Societatis, ergo &c. tum quia obiectiones afferri ſolitæ contra Thomiſtas de dependentia futuritionis rerum contingentium, & liberarum à decreto ut præſenti, ſimiles omninò procedunt, & retorqueri poſſunt contra Suarez de dependentia futuritionis earumdem à decreto ut futuro, ergo inconſequenter aſtruitur hæc futuritio decreti.

Nonò, quia iſta cognitio Diuina, qua in ſe cognoſceret decretum ſuum in illo priori vt futurum, aut eſſet cognitio practica faciens eius futuritionem, & ſic redit difficultas Suarez quomodo non tollat libertatem, ſicut in nobis, aut eſſet cognitio ſpeculatiua nullo modo cauſans etiam virtualiter ipſam futuritionem, & ita ſequitur virtualiter non eſſe priorem, quia in Deo id ſolum eſt virtualiter prius altero, quod eſt virtualiter cauſa ipſius, vt arguit Cabrera diſput. 12. ſæpè citata §. 7.

Decimò, quia implicat liberum ſecundum quid, & pure terminatiue veluti tale reductiuè non præſupponere prius liberum ſimpliciter, & ſubiectiuè, veluti tale per ſe, in quo fundatur, ſed præſcientia, qua Deus in eo ſigno priori præcognoſceret ſua decreta, vt abſolutè futura, iam eſſet libera ſolum ſecundum quid, & terminatiue, veluti reductiuè, vt reſpondet Faſſolus dub. 18. n. 453. argumento Gonzalez, & aliàs non præſupponeret prius aliud exercitium voluntatis Diuinæ liberum ſimpliciter, & ſubiectiuè, & per ſe tale, ut ibidem Faſſolus admittit, & in iſtorum ſententia certum eſt, ergo implicat ſic explicata præſcientia decreti, vt futuri &c.

Vndecimò, quia nequit volitio decretiua voluntatis Diuinæ concipi ut futura, niſi concepta prius, vel ſimul, vt futura ipſa ſcientia Diuini intellectus, cum nil volitum quin præcognitum etiam in Deo, vt explicat etiam Suarez relect. de libertate Diuinæ voluntatis. Sed inauditum hucuſque eſt præſcientiā ipſam in Deo prædictorum decretorum poſſe ſubiectiuè cum fundamento in re habere rationē futuri, cum immò neceſſariam eſſe adminus ſubiectiuè omnes admittant, ergo impoſſibile pariter erit volitionem Diuinæ voluntatis habere cum fundamento in re rationem futuri.

Duodecimò, quia ſicuti in ſigno anteriori ante præſentiam decreti iuxtà Aduerſarios præconcipi poſſet determinata futuritio decreti futuri directi, qua ſcilicet Diuina voluntas decretura ſit de creaturis, ità & in ſigno anteriori, ante præconceptam dictam adhuc futuritionem decreti, præconcipi poſſet alia futuritio alterius prioris decreti reflexi, quo ſcilicet Diuina voluntas decretura eſset ſuum decretum futurum, & ante iſtam alia vlterius, & ſic in infinitum;

nitum; ſed hoc abſurdum vt conſtat, ergo & id, ex quo ſequitur, vt rectè prævidit, vel innuit ſaltem diſcurſum iſtum Xantes Mariales releſt. 12. de ſcientia ſect. 1.

Ad primum igitur (quod ſicut & ſubſequentia æquè probaret contra omnes, etiam Verbum reſpectu Patris, & vnum attributum reſpectu alterius habere rationem futuri) reſpondetur diſtinguendo antecedens, prioritate inſtantis naturæ in quo ſicut Sol eſt prior lumine nego, prioritate naturæ à quo vt vnum relatiuum reſpectu alterius, differentia reſpectu ſpeciei conſtitutæ, & huiuſmodi, concedo, & negatur conſequentia.

Ad ſecundum eodem modo diſtinguitur antecedens, & negatur conſequētia, immò ſi vt vidimus non obſtante prioritate à quo inter duo attributa adhuc vnum non eſt virtualiter futurum reſpectu alterius, à fortiori in hoc vnico attributo, ſeu adinſtar attributi, ſcilicet decreto, non poterit ſubdiſtingui duplex conceptus virtualiter, ſcilicet præſentis & futuri.

Ad tertium diſtinguo antecedens, virtualitate ponente diſtinctionem, vel ſucceſſionem etiam virtualem intrinſecam nego, ponente dumtaxat extrinſecam concedo, & negatur conſequentia, quia ſecundo modo etiam Verbum Diuinum, vt à nobis concipitur connotatiue ad creaturas, ſic concipi poteſt ſub ratione futuri ad Patrem, & tamen nec virtualiter intrinſecè rationem futuri habet.

Ad quartum, reſpondet Labat diſtinguendo minorem, loquendo de poſſibili propriè pro habente verè cauſam ſui, vt eſt in creaturis, nego, impropriè pro habente ſolum non repugnantiam terminorum ſine ulla cauſa, vel dependentia, ut in Deo concedo, & negatur conſequentia; vel aliter cum alijs diſtinguo minorem, loquendo de poſſibili preciſè, & purè vt excludit exiſtentiā nego, de poſſibili vt conuenit tam merè poſſibilibus, quam exiſtentibus, concedo, & negatur conſequentia.

Ad quintum, bona eſt diſparitas allata, ex illa enim diſparitate ſequitur etiam quod Deus eſſet prior mundo in inſtanti naturæ in quo, voluntas verò Diuina eſt prior decreto ſolum inſtanti à quo, & hinc ad impugnationem diſtinguo antecedens, prioritate inſtantis in quo nego, à quo concedo, & negatur conſequentia.

Ad ſextum, conceſsa maiori diſtinguo minorem, procedit ex cognitione omnium pro tunc exiſtentium in Deo, tamen æqualis neceſſitatis, ac eſt ipſum Verbum, concedo, inæqualis ſeu inferioris neceſſitatis ad Verbum, ſicut ſunt perfectiones liberæ, nego, & negatur conſequentia.

Ad ſeptimum negatur minor, dico enim affirmatiuam de futuro falſam eſſe, ex falſo ſuppoſito, quod ſcilicet tunc ſit diuerſum ſignum naturæ in quo, ità vt in vno non exiſtat decretum, & in altero ſubſequenti exiturum ſit, cum tamen ſemper præſens fuerit, & ſit.

Ad octauum negatur abſolute antecedens, ſufficit enim in illo priori ſigno ſupponi Ideas eſse priores virtualiter decretis, veluti in inſtanti à quo preciſiuo preciſiōne pure negatiua nō poſitiua, nō verò tamquam in inſtanti in quo ipſa decreta non exiſtant, vt fuſius ſolvunt hanc difficultatem Salmaticenſes dub. 6. n. 100. addito etiam ibi Thomiſtas loqui poſſe de Deo prout à nobis cognoſcitur connotatiuè ad creaturas, non preciſe intrinſecè, vt in ſe eſt.

ARTICVLVS VI.

An ſaltem actus prædefinitiuus ab æterno poſſit habere rationem futuri conditionati ſubiectiuè in Deo.

Videtur quod ſic ipſi Suarez, Herice, & Ruicio, & Alarcon cum ipſis diſput. 4. de ſcientia cap. 8. Faſſolo dub. 13. n. 260. Recupito lib. de Diuino intellectu 1. quæſito 30. & alijs, & probatur primo, quia hæc propoſitio eſt veriſſima, & à Deo eſt verè cognita tamquam vera, ſcilicet, *ſi Deus fuiſſet producturus alium mundum in tempore, prius id prædecreuiſſet ab æterno.* Sed in iſta propoſitione ſignificatur decretum Dei, quod de facto non eſt, ut tunc futurum ſub conditione, ergo verè datur futuritio conditionata decreti Diuini.

Secundò, quia ſicut futurum eſſe decretum in Deo, quod modo non eſt, poneret mutationem futuram in Deo, ita poſſibile eſſe decretum in Deo, quod de facto non eſt futurum, videtur ponere mutationem poſſibilem, ſeu mutabilitatem in Deo. Sed non obſtante hoc ſecundo admittitur eſſe poſſibile in Deo decretum, quod neque futurum eſt, ergo pariter non obſtante primo poterit admitti decretum futurum in Deo ſaltem conditionate, quod de facto futurum abſolute non eſt.

Tertiò, quia conditionalis nihil ponit in eſſe, ergo neque futuritio conditionata decreti poteſt ponere aliquam mutationem, vel mutabilitatē in Deo, licet hanc poneret futuritio abſoluta.

Quartò, quia plura, quæ ſunt impoſſibilia, ſub conditione verè dicuntur futura, & è contra plura, quæ de facto ſunt, ſub conditione dicuntur non eſſe futura, v. g. dicendo, *ſi brutum eſſet homo eſſet riſibile, ſi Deus non eſſet omnipotens neque eſſet creator.* Ergo à pari in propoſito etiamſi decretum in Deo eſſe futurum abſolute ſit impoſſibile, poterit tamen adhuc vere dici futurū ſub conditione.

Quintò, quia eo proportionali modo præſens ſub conditione videtur dicere dependentiam à conditione, quo etiam futurum ſub conditione. Sed non obſtante prima dependentia non repugnat Diuino decreto eſſe præſens ſub conditione, vt concedit Nauarete controuer. 56. §. 5. ad 1. & aſſeritur à Ruicio diſp. 77. ſect. 4. ergo pariter non obſtante ſecunda dependentia non repugnabit eſſe futurum ſub conditione.

In oppoſitum tamen eſt ſententia negatiua Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. Ioannes de S. Thom. diſp. 20. ar. 5. ad vltimum, Xantes Mariales releꝺ. 3. de ſcientia ſect. 4. in fine, Gonet diſp. 6. de ſcientia art. 5. §. 5, & præter alios noſtros conſentit nouiſſime Rodes ex Societate diſput. 3. de Deo q. 4. ſect. 3. §. 1. referens ſimul Vaſquez, Arubalem, Albertinum, & alios, ergo non eſt cur ab hac ſententia recedamus.

Reſpondeo actum prædefinitiuum ab æterno neque poſſe habere rationem futuri conditionati ex parte ſubiecti, vel actus, etſi obiectiue, ut infra dicetur, decreta vtique conditionata admittenda ſint. Et prima probatio, quæ ferè vnica adhibetur ab alijs, ita ſe habet; quia futuritio conditionata ſemel purificata conditione tranſit in futuritionem abſolutam, ſed hic nō repugnat purificari conditionem, ergo ſi ſemel admitteretur futuritio conditionata decreti

creti poſſet etiam admitti futuritio abſoluta eiuſdem decreti, quæ in ſuperiori improbata eſt. Vel hinc ſub alia forma iſte diſcurſus proponi poteſt, quia ſicut futuritio abſoluta poneret mutationem abſolutè futuram in Deo, ita futuritio conditionata poneret mutationem futuram ſub conditione in eodem, ſed vtraque mutatio repugnat immutabilitati perfectiſſimæ Dei, ergo utraque pariter futuritio, ne dum abſoluta, verum etiam conditionata repugnat.

Secundò, quia futuritio conditionata importat totum id imperfectionis, quod importat futuritio abſoluta, & ulterius addit aliam propriam imperfectionem, ſcilicet dependentiam actus immanentis in Deo ab aliqua conditione creata à priori, ſed propter ſolam imperfectionem, quam inuoluit futuritio abſoluta, iſta non admittitur in decreto diuino, ut probatum eſt, ergo à fortiori propter imperfectionem maiorem, quam importat futuritio conditionata, neque iſta admittenda eſt in eodem.

Tertiò, quia futuritio abſoluta, quæ ab aliquibus ponitur in decreto Diuino, eſt futuritio ſolum virtualis, non verò realis per negationem exiſtentiæ in aliquo inſtanti reali, ut etiam Suarez exponit; ſed ab oppoſito futuritio conditionata eſſet etiam futuritio realis per negationem exiſtentiæ in aliquo inſtanti reali, itaut modo non ſit decretum, & data tali conditione adeſſet, ergo ſicuti à Diuino decreto immanenti in Deo ob conceptum æternitatis excluditur futuritio abſoluta etiam virtualis, à fortiori excludenda eſt futuritio cōditionata realis.

Quartò, quia hinc noranter Auguſtinus in lib. de Prædeſt. Sanctorum, & de Dono perſeuerantiæ, ut ſupra attulimus, vtique dicit, *Deum præſciuiſſe quid fuerat ipſe facturus*, nempe etiam ſub talibus conditionibus &c. numquam tamen dixit Auguſtinus, *Deum præſciuiſſe quid fuerat ipſe prædeſtinaturus*. Sed ly *facturus*, importat actum executivum in tempore, vt patet, ly autem *prædeſtinaturus* importat actum prædefinitivum ab æterno, cum prædeſtinatio ſit definita ſententia voluntatis Dei, vt loquitur idem Auguſtinus lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 22, ergo licet ex Auguſtino admittatur futuritio conditionata actus executiui Diuini in tempore, non tamen admittenda eſt futuritio cōditionata actus prædefinitiui ab æterno.

Ad primum ergo repetenda eſt diſtinctio Magiſtri Soto tract. 1. Summularum de conditionalibus promiſſiuis cap. 16. lect. 3. approbata ab alijs, ſcilicet aliam eſſe propoſitionem conditionalem importantem ſolam illationem conſequentiæ, aliam vero importantem concomitantiam conſequentis; iuxta quam primam S. Tho. p. p. q. 25. ar. 3. ad 2. inquit, *quamuis Philoſophus dicat in 4. Topicorum cap. 2. quod poteſt Deus, & ſtudioſus, praua agere, hoc intelligitur ſub conditione, cuius antecedens ſit impoſſibile, vt puta ſi dicamus quod poteſt Deus praua agere ſi velit, &c.* & iuxta hunc ſenſum concedi poteſt maior argumenti, & negari minor, quæ tranſit ad conditionalem ſecundi generis, de qua utique eſt ſermo hic. Vel aliter abſolutè negatur maior, ſolum enim neceſſe eſt verificari hanc propoſitionem conditionalem de præſenti dicendo, *ſi Deus fuiſſet, vel eſſet producturus alium mundum in tempore, etiam in nunc æternitatis ſemper eſſet præſens eius decretum de eadem productione*, vbi vides nullum importari, vel futurum, vel præteritum conditionatum ex parte decreti, ſed ſolum præſens ſub conditione, quod utique æternitati non repugnat.

Ad ſecundum diſtinguo maiorem, loquēdo de poſſibili ſola potentia antecedenti nego, etiam potentia conſequenti concedo, & conceſſa minori negatur conſequentia, vt ſimiliter ſoluit ſimile omnino argumenrum S. Tho. p. p. q. 25. art. 5. & q. 23. art. 6. ad 2.

Ad tertium diſtinguo antecedens, loquendo de conditionali pure importante illationem conſequentiæ concedo, etiam importante concomitantiam conſequentis, nego, ut v. g. de aliquo verificatur quod ſi promittat agere hoc, illud, aget, quod tamen de alio non verificatur, vndè in illo profectò talis conditionalis propoſitio ponit aliquam futuritionem conditionatam, quam non ponit in alio, ita proportionaliter in pręſenti, vti tandem ſoluit ſimile argumentum etiam Faſſolus dub. 13. n. 242: & neceſſario hæc ſolutio admittenda eſt, ſi conceditur futuritio conditionata extracta ab ordine pure poſſibilium.

Ad quartum eodem modo diſtinguitur antecedens, ſcilicet loquendo de conditionali importante ſolam illationem conſequentiæ concedo, concomitantiam conſequentis nego, & eodem modo diſtinguitur conſequens, ſeu negatur conſequentia.

Ad quintum reſpondetur quod in conditionali de præſenti, aut conditio ſe tenet ex parte actus Diuini dicendo, *ſi datur talis conditio Deus decernit*, aut ſe tenet ex parte obiecti dicendo, *decernit Deus hoc vel illud ſi talis conditio detur*: primo modo adhuc penderet actio immanens in Deo à conditione creaturæ, quod repugnare videretur; ſecundo verò modo è contra ſolum explicatur totale eſſe etiam conditionatum creaturæ pendere à Deo; & ſic aliqui reſpondent primo modo concedendo maiorem, ſecundo modo negando, & ad minorem primo modo negant, ſecundo modo concedunt, & negant conſequentiam, quia pariter ſequitur ſolum in Deo dari decreta conditionata obiectiuè ex parte obiecti, vti & nos admittimus, non verò ſequitur poſſe dari decreta conditionata ſubiectiuè ex parte actus, vt in præſenti refutamus. Sed melius adhuc primo modo, ſcilicet conditione ſe tenente ex parte actus, admitti poteſt in Deo actus conditionatus de præſenti, cum Nauarete, tum ſignificando connexionem inter actum prædefinientem ab æterno in Deo, & actum eiuſdē executivum etiam ſub conditione in tempore, tum etiam ſignificando connexionem inter actum prædefinitiuum ab æterno in Deo, & futuritionem conditionatam creaturæ, non ità ut ille pendeat tamquam à priori ab iſta, ſed è cōtra iſta veluti à priori & cauſa pendeat ab illo, ille tamen in vi illationis & conſequentiæ connectatur cum iſta, uti exponebat S. Thom. ſimilem propoſitionem conditionalem de præſenti in Deo allatam ex Origene, nempè p. p. q. 14. ar. 8. ad 1.

ARTICVLVS VII.

An ſaltem idem actus prædefinitiuus poſsit habere rationem præteriti abſolutè, vel ſaltem ſub conditione ſubiectiue ab æterno.

Videtur quod ſic à fortiori auctoribus præallatis in ſuperiori. Et primò probatur quia Scholaſtici omnes dum 3. p. q. 1. ar. 3. inquirunt ſimul cum Sanctis Patribus, *an ſi Adam non peccaſſet, Verbum Dei fuiſſet incarnatum*, ſolent

lent diſtinguere geminum ſenſum iſtius propoſitionis, alterum ſcilicet an ex vi præſentis decreti, quod de facto fuit, fuiſſet adhuc incarnatum, alterum an ſaltem ex vi alterius decreti, quod tunc fuiſſet, licet de facto non fuerit, adhuc fuiſſet incarnatum. Sed hoc eſt palam ſupponere, quod decretũ Dei poſſit habere rationem præteriti ſub conditione, ſcilicet dicendo, *ſi Adam non fuiſſet peccaturus tunc Deus habuiſſet tale decretum &c.* ergo verè decretum Dei poteſt habere rationem præteriti ſaltem ſub conditione, non minus ac habeat rationem præteriti conditionari ille actus executiuus Dei in tempore ſignificatus per illam propoſitionem Pſal. 80. *Iſrael ſi in vijs meis ambulaſſet pro nihilo forſitan inimicos eorum humiliaßem &c.*

Secundò, quia licet de ratione rei futuræ ſit in inſtanti præſenti rem carere exiſtentia, tamen ad rationem rei præteritæ ſufficere videtur prius rem inexiſtentia, non verò euidenter probatur requiri poſteà deſijſſe, & modo carere exiſtentia. Ergo licet actus immanens in Deo, quia numquam caret exiſtentia, nequeat habere rationem futuri, bene tamen rationem præteriti habere poterit.

Tertiò, quia carentia exiſtentiæ magis repugnat Verbo Diuino, quam repugnet actui immanenti in Deo. Sed hoc non obſtante Verbum Diuinum melius concipitur ſub ratione geniti in præterito, quam ſub ratione illius, quod generatur in præſenti, vt inquiunt Gregorius lib. 29. Moralium cap. 1, & Auguſtinus in Pſal. 2. ad illud, *hodie genui te.* Ergo pariter hoc non obſtante etiam actus immanens in Deo poterit melius concipi ſub ratione præteriti, quam ſub ratione præſentis.

In oppoſitum tamen eſt quod vt inquit S. Thom. in 1. diſt. 39. qu. 1. art. 1. ad 1. *actus Diuinæ ſcientiæ numquam tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt in actu, & ideò ſemper manet in libertate Diuinæ voluntatis &c.* & idem ſæpè alibi tradit, & probat vti ſupra retulimus; ergo &c.

Reſpondeo neque rationem præteriti ſiue abſolutè, ſiue ſub conditione competere poſſe actui prædefinitiuo Diuino ſubiectiuè ex parte actus, & probatur detegendo æquiuocationem, quia aliquid poteſt dici futurum dupliciter, primo vt futurum in ſequenti tempore diſtinguitur contra exiſtens modo, vt futura mea craſtina ambulatio, quæ modo non eſt; ſecundò vt futurum in ſequenti tempore diſtinguitur contra non exiſtens in eodem tempore ſequenti, vt vita mea cras, vt ſpero, futura eſt, quæ tamẽ & modo præſens eſt; primo igitur modo futurum diſtinguitur contra præſens nunc, ſecundo modo diſtinguitur contra non perdurans impoſterum, & primo modo dicitur rigidè, & ſine addito futurum, ſecundo verò modo dicitur futurum latè, & melius dicitur duraturum. Ità proportionaliter præteritum dupliciter accipi poteſt, primò rigide, & proprie, ſecundo late, primo modo ita dicit extitiſſe prius, ut modo non exiſtat, ſecundo verò modo importat ſolum extitiſſe prius præſcindendo ab eo, quod exiſtat modo: primo modo diſtinguitur ne dum contra nõ exiſtens antea, ſed etiam contra exiſtens nunc, ſecundo verò modo ſolum diſtinguitur contra non exiſtens antea, non vero contra exiſtens nunc; & primo modo in præterito ſignificatur in nobis genitum fuiſſe, ſecundo modo ſignificatur genitum eſſe in Deo, vnde Origenes homilia 1. in cap. 1. Ioan. inquit de Filio Dei, *quod poteſt dici, quod ſemper naſcitur.* Loquendo igitur propriè ut

loqui

loqui debemus, ſicut de ratione futuri eſt carentia exiſtentiæ nunc, ita pariter eſt de ratione præteriti. Sed propter hoc actus immanens in Deo, utpotè menſuratus æternitate, nequit habere rationem futuri ullo modo, etiam conditionati, ut probauimus, ergo pariter ob eamdem cauſam nequit habere rationem præteriti ullo modo etiam conditionati &c.

Ad primum igitur diſtinguo minorem, loquendo de præterito rigide, & propric, nego, in latiori ſignificatione concedo, & negatur conſequentia, quia ita fuiſſet illud decretum, vt etiam nunc præſens eſſet, & ſic eſſet præteritum ſolum ſecundo modo, non primo, ut hic nos loquimur.

Ad ſecundum eodem modo diſtinguitur antecedens, ſcilicet de præterito propric, nego, improprie concedo, vt probatum eſt, & explicatum, & inde negatur conſequentia.

Ad tertium eodem modo diſtinguitur minor, vt ex iiſdem Patribus explicat S. Thom. p. p. q. 42. ar. 2. ad 4. & ſic conſtat de futuritione, præſentia, vel etiam de præteritione actuum Diuinorum in Deo, à paucis, ut video, ſic pertractata. Nunc de certa cognitione eorumdem actuum futurorum in Deo, vti ſunt executiui ex dictis, ex propoſito ſubdendum eſt.

QVÆSTIO TERTIA.

De certa cognitione in Deo prædictorum ſuorum actuum executiuorum in tempore, ſiue abſolute, ſiue conditionate futurorum.

MIrum eſt in hoc puncto Molinam (quem poſtea alij ſecuti ſunt) dum in ordine ad actus noſtros attribuere conatus eſt Deo eam etiam ante decretum cognitionem, quam attribuere verè non poterat, poſtea in ordine ad actus Diuinos proprios eidem Deo eam etiam cognitionem denegauiſſe, quam attribuere neceſſe erat: quaſi vellet facere Deum minus ſui ſcientem, quam noſtri, cum tamen regulatiſſima cognitione procedens perfectiſſime prius ſeipſum agnoſcat, & in ſe cognito, cætera cuncta cognoſcibilia intueatur, & facilius veluti (ſi ità loqui liceret) adminus ex parte noſtri Deo videretur manifeſtius ſe ipſum in ſe ipſo cognoſcere, quam in ſe ipſo alia à ſe ipſo diſtincta, iuxta illud, *quæ ſunt Dei nemo nouit niſi ſpiritus Dei, ſicut & quæ ſunt hominis nemo nouit niſi ſpiritus, qui in homine eſt.* Aduerſus igitur conſimilem Molinę Methodum, ac veluti inconſequentem paucorum quorumdam ſententiam, præexplicata iam futuritione quorumdam actuum Diuinorum in Deo, nunc de certa cognitione eorumdem, non ſolum ex principijs Thomiſtarum, ſed cæterorum etiam agendum eſt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An etiam Deus certo cognoſcat ſuos actus in tempore conditionatè futuros?

VIdetur quod non ipſi Molinæ p. p. q. 14. ar. 13. diſput. 14. 15. & 17, & in concor. diſput. 49. & 50; cui ſubſcripſerunt duo, quos vidi, ſcilicet Becanus tom. 1. ſummæ cap. 10. q. 9. & Eſparza nouiſſimè de Deo vno q. 18, ad 7.

ad 7. & probat primo Molina, quia adhoc, vt cognoſcatur actus conditionate futurus in voluntate vt cauſa, requiritur nedum comprehendi cauſam, ſed etiam *ſuper comprehendi*, aliter Angelus comprehendens ſuam voluntatem præſciret quid eſſet ipſe facturus impoſterum; ſed licet Deus comprehendat ſuam voluntatem, non tamen *ſuper comprehendit* eamdem, cum ipſi æqualis ſit, vbi voluntatem creatam longe ſibi inferiorem etiam *ſuper comprehendere* dicitur, ergo Deus non præcognoſcit ſuos actus in tempore futuros ſub conditione.

Secundò, probat idem Molina, & repetit Eſparza, quia ſi Deus antequam ageret præſciret infallibiliter quid eſſet ipſe facturus, iam non poſſet aliter agere, & conſequenter ageret neceſſariò. Sed hoc abſurdum vtpotè auferens libertatem agendi in Deo, ergo pariter abſurdum eſt Deum ita præſcire quid ipſe ſub tali vel tali conditione facturus eſſet.

Tertiò, vt innuit difficultatem etiam Nauarete controuerſ. 56. §. 3; quia non eſt ponenda ſcientia formaliter in Deo reſpectu illius obiecti futuri, reſpectu cuius nullum habemus fundamentum aſſerendi, quod voluntas Diuina ſit determinata ad eius futuritionem, ſed reſpectu actus etiam proprij in Deo conditionatè futuri non habemus fundamentum ad aſſerendum, quod voluntas Diuina ſit determinata ad eius futuritionem, v.g. in iſta conditionali, *ſi ego crearem alium mundum, in eo producturus eſſem hanc, vel illam creaturam*, non habemus aliquod fundamentum ad dicendum voluntatem Diuinam ſe determinaſſe ad hoc in dicta hypotheſi &c. ergo reſpectu iſtius ſui actus etiam conditionatè futuri non eſt ponenda ſcientia ſaltem formaliter in Deo.

Quartò, vt pergit Nauarete ibidem, & inclinat Cabrera 3. p. q. 62. art. 1. diſp. 12. §. 5. n. 135. cognitio Diuina cognoſcit res eo ordine, quo ſunt cognoſcibiles, cum cognitiones in Deo non ordinentur virtualiter niſi ex ordine obiectorum inter ſe, ſed res ex natura ſua prius habent inter ſe connexionem abſolutam, quam conditionatam, v. g. prius eſt omne rationale eſſe riſibile, quam quod aliquid ſit riſibile ſi eſt rationale, ergo cognitio Diuina prius cognoſcit connexionem abſolutam, quam conditionatam, ergo & voluntas Diuina prius determinat, quid abſolute ſit ipſa factura, vel non, quam quod determinet poſteà, quid in tali conditione, vel hypotheſi factura eſſet, vbi nos ex imperfectione noſtræ cognitionis, ac volitionis, è conuerſo procedimus. Sed ſi daretur in Deo præſcientia ſuorum actuum conditionate futurorum, etiam formaliter, & non ſolum eminenter, iam daretur ante cognitionem abſolutam, vt videtur à pleriſque poni, immò ſupponi, ergo non datur ſaltem formaliter, ſed pure eminenter (vt videtur velle Nauarete, & fauere Cabrera) id eſt vt præcontenta in abſoluta cognitione &c.

In oppoſitum tamen eſt auctoritas omnium aliorum Scholaſticorum conuenientium in affirmatiua, vt legi poſſunt Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. ad 9. Zumel tom. 3. variarum diſp. pag. 189. Cabrera ipſe 3. p. diſput. 1. §. 22. n. 345. & præter alios noſtros cum S. Tho. p. p. q. 14. art. 16. ad vltimum, conueniunt Suarez lib. 2. de ſcientia cap. 8. Fonſeca 6. Metaph. cap. 2. q. 4. ſect. 10. ad 4, Faſſolus ad ar. 13. n. 260, & num. 450, Alarcon diſp. 4. de ſcientia cap. 8, Ariaga diſput. 21. de ſcientia ſect. 4, & alij apud ipſos, ergo hæc ſententia nunc communior eſſe videtur.

Reſpondeo Deum etiam certò cognoſcere ſuos actus in tempore conditionatè futuros, vt iterum colligi poteſt ex S. Tho. 3. p. q. 1. art. 3. ſupponente Deum certò cognouiſse, An ſi Adam non peccaſset, Verbum fuiſset aſsumpturum carnem, vel non. Et probatur, quia Deus nequit certò cognoſcere, & comprehendere veritatem alicuius obiecti, niſi ſimul certò cognoſcat connexionem eſsentialem, quam habet talis veritas cum alio obiecto; ſed veritas noſtri actus ſub conditione futuri habet eſsentialem connexionem cum futuritione conditionata pariter concurſus Diuini, ſine quo actus noſter eſſe non poteſt, ergo nequit Deus certò comprehendere hanc veritatem, niſi certò cognoſcat etiam futuritionem conditionatam ſui concurſus. Sed de facto in Deo reſpectu huius veritatis, ſcilicet actus noſtri ſub conditione futuri, certa præſciẽtia datur formaliter, vt ſuprà ex Scripturis & Patribus probabamus, ergo pariter admitti debet in Deo formaliter certa præſcientia ſui actus, ſeu concurſus ſub conditione futuri.

Secundò, quia ſicut Deus vel Chriſtus in Scriptura reuelauit, aut protulit quaſdam propoſitiones conditionales de actibus futuris creaturæ, ut ſuprà vidimus, ità etiam reuelauit, ac protulit, quaſdam conditionales de ſuis actibus proprijs, vt in Pſal. 80. (ſi populus meus audiſſet me &c. inimicos eorum humiliaſſem) Matt. 16. (An putas quia non poſſum rogare Patrem, & ipſe exhibebit mihi pluſquam 12. legiones Angelorum) Ioan. 4. ſi ſcires donum Dei, & qui eſt, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſitan petijſſes ab eo aquam viuã, & *daret tibi*. Hie. 6. Erudire Ieruſalem ne forte diſcedat *anima mea à te*, Hiere. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pęnitentiam ſuper malo, quod cogitaui ut facerem] & demum. Mar. 11. Si dimiſeritis hominibus, & *dimittetur vobis*. Sed ex primo, ut ſuprà vidimus, certum eſt Deum habere præſcientiam infallibilem formaliter noſtrorum actuum etiam conditionatè futurorum, qui numquam abſolutè erunt, ergo pariter ex ſecundo certum eſſe debet Deum habere præſcientiam infallibilem formaliter ſuorum actuum, etiam conditionatè futurorum, qui numquam abſolutè erunt, & ſicut ibi non obſtat illa particula *forſan*, ità non obſtat hic, quæ ut explicat præter Auguſtinum etiam Baſilius ad primum locum, *non dubitantis eſt, ſed inſtruentis*, vt intelligamus ſcilicet, liberum adhuc arbitrium permanere.

Tertiò, etiamſi Salmaticenſes, cæterique Thomiſtæ nobiſcum negent contrà Suarez, & alios, decreta libera Dei poſſe pręcognoſci ut futura, cum ſolum præſentia ſint ex dictis, ſimul tamen concedunt, quod ſi aliquam futuri rationem haberent, vtique fore præcognoſcenda à Deo, vt futura, ſicuti quia habent rationem poſſibilis Logici, ideò vt Logicè poſſibilia præſciuntur. Sed iam ex probatis ſupra actus ſaltem executiuus Diuinus, vt talis formaliter, futuri rationem habet etiam conditionati, ergo actum executiuum Dei etiam, vt conditionatè futurum, à Deo præcognoſci in omnium ſententia certum eſſe debet, & ſingulæ illæ auctoritates Auguſtini, quas ſuprà afferebamus pro futuritione conditionata actus executiui Diuini, conuincunt etiam & includunt præſcientiam eiuſdem in Deo, vt eas repetenti patebit.

Quartò, quia ſicut eſt vniuerſaliſſima cauſalitas Diuinæ voluntatis, ità & vniuerſaliſſima eſt cauſalitas ſcientiæ eiuſdem Dei, ſed ex primo colligitur illam cauſare quamcumque rem, ne dum quo ad ſubſtantiam, verum etiam quo

ad

ad omnem modum reſpectiuum quoque ad aliam rem, vt colligit S. Thom. p. p. qu. 19. ar. 8, & Auguſtinus in Enchiridio cap. 97. dicens, *quis tam impie deſipiat, vt dicat Deum*, [malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & vbi] *voluerit in bonum non poſſe conuertere?* ergo ex ſecundo pariter colligendum eſt ſcientiam Dei eſſe cauſatiuam omnium rerum, ne dum quoad ſubſtantiam abſolutè, verum etiam quoad omnem modum reſpectiuum quoque ad aliam rem. Sed hoc eſſe non poteſt niſi præſciat Deus etiam ſuum concurſum executiuum ſub conditione cauſatiuum prędicti modi reſpectiui, ſeu combinationis vnius rei cum alia re, ergo verè Deus præſcire debet ſuum concurſum executiuum ſub conditione futurum &c.

Quintò tandem, quia infinita ſcientia Dei ſe extendere debet ad quodlibet verum vt ſic, ſicut omnipotentia ad omnia poſſibilia vt ſic. Sed ſuppoſita prædicta futuritione actuum executiuorũ Dei præexplicata ſuperius, iam aliquod verum eſt etiam tales actus eo modo futuros eſſe, aliter ſi id verum non eſſet, nec verè illi futuri dicerentur, contra Scripturam, & relata ſuperius. Ergo ad iſtos etiam, vt conditionatè futuros, ſcientia infinita Dei ſe extendere debet, contra Molinam.

Ad primum igitur negatur maior, cum enim ſupercomprehenſio nequeat attingere certò effectum in cauſa, qui certò in cauſa non præcontinetur, aliter ſupercomprehenſio falſa eſſet, iam ſequitur non magis ſupercomprehenſionem poſſe in cauſa præcognoſcere effectum ſub conditione futurum, ac poſſit comprehenſio, vt omnes præcitati aduertunt contra Molinam, & inter cæteros Cabrera diſput. 12 citata §. 7. num. 179. Nec valet probatio maioris de Angelo, quia ſi Angelus comprehenderet ſuam voluntatem, vt determinatam à decreto Dei, ſuos vtique actus futuros & ipſe præſciret, non ſic autem cõprehendit, vt determinatam, ſed purè ſecundum ſe vt indifferentem, & indigentem prius ab alio determinari, quod æquè non currit in voluntate Diuina, vt infra melius exponetur.

Ad ſecundum retorquetur, tum de ſciẽtia abſolutorum in Deo reſpectu ſuorum actuum, tum de ſcientia indita animæ Chriſti, qua ſuos actus futuros eſſe præſciebat, & tamen liberè operabatur, tum de peccato negationis in Petro, qui licet per reuelationem Chriſti præſciuerit ſe peccaturum, liberè tamen adhuc negando peccauit; neganda eſt igitur ſequela maioris, quia licet ponatur vnus actus infallibiliter futurus, non tamen auffertur poteſtas proxima ad oppoſitum, immò ex ignorantia iſtius, etiam Ethnicorum quorumdam error proceſſit, qui ob ſimilem infallibilem prouidentiam in Deo reſpectu ſuorum actuum futurorum perperam intulerunt Deum velut ex fato neceſſitari, vt inter cæteros Seneca lib. de Prouid. cap. 5. inquit, *ille ipſe omnium conditor, ac rector ſcripſit quidem fata, ſed ſequitur, ſemper paret, ſemel iuſſit*, vti & Plato lib. 7. de legibus ferè idem habet, & alij Stoici apud Herodotum primò dicebant, *deſtinatam ſortem nec Deo fas eſſe effugere*, & Philemon.

Rex ſeruus eſt Deo, Deus neceſſitati.

cautius autem poſtea idem Seneca 6. de Beneficijs cap. 21. ſubiunxit, *non externa Deos cogunt, ſed ſua illis in legem æterna voluntas eſt*, & quæ. 1. naturalium, *nec Deus ob hoc minus liber, aut potens eſt, ipſe enim eſt neceſſitas ſua*, ſcilicet neceſſitatem habet ex ſuppoſitione, non abſolutam, vt S. Thom. loquitur præue-

biens hanc Molinæ difficultatem, & Stoicorum, quos in propoſito refutarunt etiam Tertullianus in Apologetico contra gentes, Niſſenus lib. de fato cap. 4. & alij Patres.

Ad tertium iam tangitur modus, quo Deus præſciat iſtos ſuos actus in tempore ſub conditione futuros, an ſcilicet ante vel poſt decretum prædefinitiuum ſuæ voluntatis in ordine ad eumdem actum executiuum ſub conditione futurum, de qua difficultate poſtea in ſubſequenti quæſt. 4. & 5. ex propoſito agendum eſt. Pro nunc ſufficit certum eſſe voluntatem Dei ab æterno determinatam eſſe ad prædictam futuritionem, ſiue primo, ſiue ſecundo modo, ſcilicet poſt decretum, & conſequenter prædictam etiam futuritionem præcognoſci, & in forma negari debere minorem argumenti, vt ex locis ſcripturæ allatis haberi poteſt.

Ad quartum, etiamſi concederemus præſcientiam conditionatam in Deo ſubſequi ad abſolutam, vt argumentum intendit, adhuc in propoſito intentum noſtrum ſeruaretur, & ſola quæſtio de nomine remaneret, An hæc præſcientia actuum Diuinorum conditionatè futurorum ad abſolutam ſubſequens dici deberet eminenter talis in Deo, vt loquitur Nauarete, vel etiam formaliter, vt melius alij loquuntur. In re tamen ex ſupradictis quæſt. 1. Ar. 4. negandum eſt intentum argumenti, vt negat etiam Faſſolus num. 455. & minor principalis diſtinguenda eſt, ſcilicet in materia purè neceſſaria tranſeat, in materia libera, vt in propoſito nego, vt ibi latius explicatum eſt.

ARTICVLVS II.

An Deus ſuos actus futuros abſolutè in tempore præſciat ſolum in ſuo decreto prædefinitiuo eorumdem ab æterno.

Videtur aliquibus quod non, immò quod præſciat in quadam ſcientia ſimplicis intelligentiæ ante decretum, non verò in ſuo decreto per ſcientiam viſionis. Primò quia ex Auguſtino lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 17. *Deum in ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia opera ſua diſponere id omnino nec aliud quidquam eſt prædeſtinare.* Sed iſta præſcientia, cui innititur diſpoſitio, ac prædeſtinatio operum Dei futurorum, profectò non eſt ſcientia viſionis, aliter iterum & iſta inniteretur alteri diſpoſitioni, ac prædeſtinationi, ſeu decreto libero voluntatis Dei, ergo reſtat quod ſit ſcientia ſimplicis intelligentiæ antecedens decretum &c, ergo in aliqua ſcientia ſimplicis intelligentiæ antecedente decretum prænoſcit Deus ſua opera futura in tempore per Auguſtinum.

Secundo, quia intantum actus noſtri futuri nequeunt præſciri à Deo ante decretum ſuum, inquantum ſunt actus cauſæ ſecundæ neceſſario pendentis à prædeterminatione cauſæ primæ. Sed ab oppoſito actus proprij in Deo ſunt actus & ipſi cauſæ primæ, non ſecundæ, ergo actus proprij in Deo ad differentiam noſtrorum actuum poterunt præſciri à Deo ante decretum prædeterminatiuum eorumdem.

Tertiò, quia ante quamlibet determinationem ſubiectiuè præſentem, ſeu ante decretum præſens, datur in Deo futuritio determinata actus proprij executiui

cutiui in Deo, vt à fortiori colligitur ex ſententia Societatis cum Suarez ponente etiam futuritionem abſolutam actuum noſtrorum determinatam in veritate obiectiua in ſigno priori, in quo iuxtà ipſos decretum Dei non eſt præſens, ſed futurum, ergo hic ſaltem ante decretum præſens cognoſci poterit futuritio actus executiui Diuini abſolutè futuri.

In oppoſitum tamen eſt quod Deus nequit aliquid cognoſcere aliter ac eſt cognoſcibile ex parte obiecti cogniti: ſed actus proprij Dei in tempore abſolutè futuri ex parte obiecti non ſunt cognoſcibiles in aliquo ſigno priori, in quo decretum non ſit præſens, immò futurum, vt ſupra vidimus quæſt. 2. Ar. 5. & 6. contra futuritionem decreti, ergo Deus non poteſt ſuos actus etiam executiuos in tempore abſolutè futuros præcognoſcere in aliquo ſigno ante decretum præſens.

Reſpondeo Deum ſuos actus futuros abſolutè in tempore præſcire ſolum in ſuo decreto prædefinitiuo eorumdem ab æterno. Probatur euidenter ex Auguſtino epiſt. 107. ad Vitalem dicente, *propterea Deus, vt omnia opera futura in prædeſtinatione præſciuerat, ſic ille diſpoſuit*, & lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. *prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus*, & cap. 17. *prædeſtinatione, in qua Deus ſua futura facta præſciuit*, ſubſumo minorem, ſed prędeſtinatio *in qua* iſta præſciuntur, importat decretum voluntatis, ſeù vt loquitur idem Auguſtinus lib. de Dono perſeue. cap. 22. *Definitam ſententiam voluntatis Dei*, ergo in decreto voluntatis ſuæ præſcit Deus opera ſua futura, ſeu quod eſt ipſe facturus.

Secũdò, quia Hilarius lib. 9. de Trinit. paulò poſt initium inquit, *quod Deus facere decreuit, in ſua voluntate cognoſcit*, ſed hoc eſt ſuos actus futuros in ſuę voluntatis decreto cognoſcere, ergo eos ita cognoſcit.

Tertiò, quia hæc erat quæſtio propoſita à D. Proſpero in epiſtola ad Auguſtinum, *An præſcientia Dei* [ita ſecundum propoſitum maneat, vt & ipſa quæ ſunt propoſita ſint accipienda præſcita &c. & An uniformiter licet diuidi pręſcientia à propoſito temporali diſtinctione] *non poſſit, præſcientia tamen quodam ordine ſit ſubnixa propoſito*. Sed ad hanc quæſtionem Auguſtinus affirmatiue reſpondet in lib. de Prædeſt. Sanctorum, regulans vtique ſemper præſcientiam iuxta propoſitum, vt ſupra retulimus, ergo in iſta quæſtione vtique etiam iuxta Auguſtinum affirmandum eſt *vniformiter* in propoſito ſua opera Deum futura præſcire.

Quartò tandem, quia vt probauimus ſupra quæſt. 1. Ar. 1. & 2. in Deo etiam ab æterno præter actum executiuum in tempore neceſſe eſt dari actum prędefinitiuum, ad quem virtualiter ſubſecuturus ſit actus executiuus futurus in tẽpore, aliter vt ibi diximus mutaretur Deus, ſed actus executiuus debet præcognoſci à Deo eo modo, quo eius natura petit, & ſe habet in ſe, ergo actus executiuus Dei debet à Deo præcognoſci ſolum in actu prædefinitiuo ab æterno.

Ad primum igitur nego minorem, quia Auguſtinus ibi volens explicare, quomodo non niſi in decreto ſuo antecedente ſcientiam viſionis præſciat Deus opera creaturę, recurrit ad hoc, quod pariter Deus opera ſua futura præſcat in ſcientia viſionis reſpectu ſui, pariter utique præſupponente decretum, vti ex alijs locis Auguſtini iam adductis conſtat; licet gratis adhuc admiſſo

miſſo quod ibi de ſcientia ſimplicis intelligentiæ loqueretur, adhuc ſolum inde fieret, quod per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ præuideret Deus, quid ipſe agere poſſet, non quid ipſe eſſet acturus, & inde dirigente hac ſcientia decerneret Diuina voluntas, ſeu opera ſua futura diſponeret, quæ ut futura non niſi poſt decretum, ac in eodem decreto cognoſcuntur.

Ad ſecundum diſtinguo maiorem, ſi illa cauſalis intelligatur inadæquatè concedo, vt adæquata nego, ſicut enim actus noſtri futuri indigent prædeterminari à decreto cauſæ primæ, vt à cauſa priori, ità proportionaliter actus proprij executiui in Deo indigent prodire ab actu prædefinitiuo tamquam à ratione à priori virtualiter, ut explicatum eſt.

Ad tertium diſtinguo anteceděs, loquendo de futuritione abſoluta, de qua in præſenti, nego omninò antecedens, de conditionata concedit Zumel cum Cabrera, & alijs; de quo tamen, quia ſingularis eſt hæc ſententia, & difficultas, ex propoſito in ſequenti quæſt. 4. & 5. agendum eſt, An ſcilicet iſta futuritio conditionata actus executiui Diuini præcognoſcibilis ſit ante decretū, ad quam arduam, & ferè intactam à poſterioribus noſtris ſcriptoribus controuerſiam, prius, & præambulares veluti, ſubſequentes Articulos præmittendi ſunt.

ARTICVLVS III.

Quid ſit forma, à qua deſumatur futuritio actus noſtri creati, vt inde à notioribus nobis ad futuritionem etiam conditionatam actus Diuini aſcendamus.

Videtur hęc futuritio ſumenda formaliter ab ipſo eſſe, ſeu euentu, ad quē eſt futuritio tamquam tendentia rei ab eſſe in potentia, ſeu in cauſa, ad eſſe in actu ponendum. Ita Suarez prolegomeno ſecundo de ſcientia cap. 7. à num. 4. vſque ad 9. ex profeſſo, & Alarcon diſput. 3. de ſcientia cap. 2. referens Herice, & alios. Et primò probatur, quia cum dicimus hæc res eſt futura nihil aliud immediatè ſignificamus, quam quod res, quæ ſecundum ſe eſt poſſibilis, ſucceſſu temporis habebit eſſe actu &c, ſed in eo formaliter conſiſtit futuritio, quod immediatè ſignificatur per ipſam propoſitionem de futuro, ergo iam futuritio formaliter conſiſtit in dicta tendentia rei ad habendum eſſe actu in ſe, ſucceſſu temporis, ſicut relatio conſiſtit in tendentia ad ſuum terminum.

Secundò, quia in eo conſiſtit formaliter futuritio, ex quo poteſt certificari cognitio de futuritione, ſed cognitio futuri in nobis, licet poſſit fallibiliter inchoari ex diſpoſitione cauſæ, numquam tamen certificatur niſi quando videmus euentum in actu, ergo ab euentu in actu, non verò à diſpoſitione in cauſa, ſumitur futuritio formaliter.

Tertiò, quia ab eo, quod eſt præſens, nequit ſumi formaliter ratio futuri, ſed diſpoſitio cauſæ præſens eſt, non verò euentus, ergo non à diſpoſitione cauſæ, benè ab euentu deſumi poteſt futuritio formaliter.

Quartò, quia ſi futuritio ſumeretur à diſpoſitione cauſæ quilibet cognoſcens cauſam, quantum cognoſcibilis eſt, cognoſceret etiam futura. Sed Angelus cognoſcit cauſas quantum ſunt cognoſcibiles, cum eas comprehendat, & tamen non cognoſcit futura, ergo futuritio non ſumitur à diſpoſitione cauſæ.

Quin.

Quintò, quia ſi futuritio ſumeretur à diſpoſitione cauſæ, idem eſſet *rem eſſe futuram & cauſam de præſenti eſſe determinatam*, ſcilicet in actu primo, cum nequeat intelligi determinata in actu ſecundo, aliter & effectus præſens non futurus eſſet, ſed immò hæc duo præallata mox valde adinuicem diſtincta ſunt, vt mox oſtenditur, ergo futuritio nōn ſumitur à diſpoſitione cauſæ; minor probatur, tum quia duæ illæ prædictæ propoſitiones non ſunt ſinonimæ, ergo neque vnum, & idem eſt ſignificatum earum, tum quia prius eſt cauſam eſſe determinatam, quam quod res ſit futura, ergo non ſunt idem, tum quia tandem cauſa poteſt eſſe determinata & non eſſe rem futuram, vt de corpore Ezechiæ diſpoſito ad mortem, & de Niniue ad ſubuerſionem explicat S.Thom. p. p. q. 19. ar. 7. ad 2, & q. 12. de verit. ar. 10. ad 7, & alibi, ergo &c.

Sextò, quia duplex eſt futuritio, alia ſecundum quid talis, & fallibilis, alia ſimpliciter & infallibilis, illa vtique ſumitur ex diſpoſitione cauſæ, hæc verò ex euentu ipſo, ut explicat S.Thom. loco mox allegato dicens, *aliquid poteſt dici eſſe futurū nō ex hoc quod ità erit, ſed quia ordinatum eſt in cauſis ſuis, ut ſic ſit futurum, ſic enim medicus dicit, iſte ſanabitur, & iſte morietur, & ſi aliter contingat non falſum dixit, ſic enim tunc futurum erat ex ordine cauſarum, quas tamen poſsibile eſt impedire*. En exemplum futuritionis ſecundum quid ex diſpoſitione cauſæ, vbi ab oppoſito loquens de futuritione ſimpliciter ab euentu, inquit in ſecundo ſententiarum diſt. 38. qu. 1. ar. 5. *Non poſſe hanc propoſitionem eſſe veram, Petrus curret, & quod Petrus deficiat à curſu &c.* Sed in propoſito eſt ſermo de hac ſecunda futuritione ſimpliciter tali & infallibili, ergo in propoſito dicendum eſt hanc ſumi ab euentu ipſo.

Septimò, quia futuritio ſe habet vt tendentia ſeu relatio habens quidem pro fundamento diſpoſitionem cauſæ, tamen habens pro termino ipſum euentum. Sed relatio ſumitur formaliter à termino, in ordine ad quem ſpecificatur, ergo & futuritio.

Octauò, quia ſicut in relationibus nos incipimus à fundamētis, & inde progredimur ad terminos, vt dignoſcamus relationes, ita in futuris incipimus à diſpoſitione cauſarum, & progredimur ad euentum, ſed ex primo non fit adhuc relationem deſumi formaliter à fundamento, licet à nobis per fundamētum explicetur, ergo pariter ex ſecundo non fiet futuritionem ſumi formaliter à diſpoſitione cauſæ, licet etiam à S. Thom. per diſpoſitionem cauſæ explicetur.

Nonò tandem, quia ſicut propoſitio de præterito reſpicit euentum præteritum, ità propoſitio de futuro reſpicit euentum futurum, ſed ex primo præteritio ex nullo alio deſumitur, quam ex ipſo euentu, qui fuit, ergo ex ſecundo pariter futuritio ex nullo alio ſumetur, quam ex euentu, qui erit, vnde Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 4. hac vtens paritate dicebat, *tam non poſſunt futura non fieri, quam non fuiſſe facta præterita*.

In oppoſitum tamen eſt Sententia ſuſtinens futuritionem etiam ſimpliciter talem, ac infallibilem, ſumi formaliter à priori ab ipſa diſpoſitione cauſæ, vel primæ, vel ſecundæ ſaltem prædeterminatæ à decreto primæ, ut legi poſſunt ex noſtris Capreolus in 1. diſt. 38. qu. 1. ar. 1. Caiet. p. 2. qu. 40. art. 3. Ferrarienſis 1. contra gentes cap. 67. & inde Ledeſma, Curiel, Gonzalez, & alij apud Salmaticenſes diſp. 7. de ſcientia dub. 6, & alij poſteriores noſtri

ſcri-

Digitized by Google

Tertiò probatur ex Auguſtino lib. 6. ſuper Geneſim ad litteram cap. 17. dicente, *Deum facere futura nihil aliud eſt, quam eorum cauſas præparare*. Ex quo ſic arguitur, quia habitudo, ſeu tendentia rei futuræ ad euentum, adhuc contingenter competit rei, non neceſſario, aliter quælibet res poſſibilis ex ſua quidditate futura eſſet. Sed id, quod cōtingenter competit rei, ab aliqua cauſa extrinſeca prouenire debet, vt ſic determinatè, ergo & iſta tendentia rei futuræ ad eſſe, ad quam recurrit Suarez, adhuc debet competere rei ex aliqua cauſa extrinſeca &c, ergo tandem futuritio reducitur in cauſam, & conſequēter ab ipſa deſumitur.

Quartò probatur, quia, vt in hoc fundamēto conueniebat etiam Antonius Perez ex Societate diſput. 3. de Prouid. cap. 2. nulla præſens actu denominatio prouenire poteſt niſi ab aliquo denominante actu præſente, tum quia aliter ego ab albedine futura albus actu dici poſſem, tum quia hac de cauſa & denominatio poſſibilis ab æterno præſens actu deſumitur à præſente actu realitate in Deo. Sed fururitio actus creati adhuc ab æterno eſt quædam denominatio actu tunc præſens, cum profectò futura futuritio non ſit, vti eſt futura exiſtentia rei futuræ. Ergo ab aliquo præſente actu à priori ad minus deſumi debet. Sed euentus profectò præſens actu non eſt, bene præſens eſt actu ab æterno adhuc diſpoſitio ad minus in cauſa prima, ergo adminus ab iſta non ab illo à priori hæc futuritio deſumitur, vnde Auguſtinus lib. 11. Confeſſionum cap. 17. ad hunc ſenſum aiebat, *futura, ubicumque ſunt, non ſunt futura, ſed præſentia*, & cap. 20. *non tam propriè dicuntur eſſe tria tempora futurum, præteritum, & præſens, quam diceretur eſſe tria tempora præſentia, ſcilicet præſens de futuris, præſens de præſentibus, & præſens de præteritis*, & ad idem legi poteſt idem Auguſtinus lib. 26. contra Fauſtum cap. 4.

Quintò, nemo ſaltem admittet ante eſſe præſens, vel etiam futurum ſuæ cauſæ, poſſe eſſe futurum effectum. Sed ſi ſemel futuritio rei ſumeretur ab euentu dumtaxat, & conſequenter in quolibet inſtanti ſignabili anteriori ea futuritio daretur, iam ante futuritionem etiam ſuæ cauſæ, eſſet futurus effectus, immò, quod mirabilius eſt, ante quodlibet eſſe conceptum Dei, vel ante proceſſionem Verbi Diuini, cum adhuc ante iſta aliquod ſignum anterius ſignabile ſit, ergo nemo admittere poteſt futuritionem rei à ſolo euentu futuro deſumi.

Sextò, longe magis actualis eſt & in actu, & perfecta, res præſens, quam res ut præciſè futura, & conſequenter ſi prima vt talis nequit talem formalitatem habere à ſe, immò tantummodo à ſua cauſa, à qua dependet à priori, à fortiori neceſſe eſt id habere ſecundam. Sed iam res præſens, vt omnes admittunt, & lumine naturali euidens eſt, non habet præſentiam niſi à ſua cauſa à priori, adeout ea remota (ſaltem prima, quæ ſemper manet, & in ea cæteræ) præſens eſſe non poſſit, ergo à fortiori res futura vt talis nequit habere ſuam futuritionem, vt talem, niſi à ſua cauſa à priori, adeout ea primò remota ſtatim remoueatur à priori & futuritio.

Septimò, hinc educitur hæc alia demonſtratio, nimirum propoſitio, quæ ſecundum ſe immediata non eſt, habet neceſſarium medium etiam à priori ſecundum ſe, & non ſolum à poſteriori quoad nos, aliter immediata ſecundum ſe, licet non quo ad nos, ut omnes colligunt ex Ariſtotile primò Poſteriorum cap. 2. S. Thom. ibidem lect. 5. & acutè aduertit Caiet. cap. 3. Sed propoſi-

tio rei contingentis, ſiue de præſenti, ſiue de futuro etiam ſub conditione; profectò ſecundum ſe immediata non eſt, cum neq; ex ſolis terminis conſtet, vt prima principia, neque prædicatum, ſcilicet futuritio, vtpotè contingens ſit de ratione eſſentiali ſubiecti; ergo remanet habere medium à priori ſecundum ſe, quod profectò aliud eſſe non poteſt, niſi diſpoſitio in cauſa, non verò poterit immediatè dumtaxat verificari à ſe ipſa, vel ab euentu ſubſecuturo, ut iſti dicunt.

Octauò, nihil poteſt ſibi ipſi eſſe cauſa, ſeu ratio à priori, ad habendum realem modum eſſendi ſimpliciter ſaltem (quod dico ob eſſe ſecundum quid accidentale, quod excluditur ab hoc axiomate per S. Thom. in 1. contra gentes cap. 22.) ſed ſi res vt futura formaliter à priori ſumeretur à ſuo euentu futuro, quod eſt à ſe ipſa ut ponenda aliquando in actu exercito exiſtentiæ, iam eadem res ſibi ipſi eſſet cauſa, ſeu ratio à priori, ad habendum hunc modum realem eſſendi ſimpliciter (ideſt non accidentalem) qualis eſſet modus eſſendi futuritionis, ergo res vt futura formaliter nequit à priori deſumi ab euētu futuro, ſed ſolum à diſpoſitione determinata in cauſa, vt dictum eſt.

Nonò, futuritio iſta deſumpta à ſolo euentu impoſterum præſenti nequiret excedere conditiones illius, à quo tamquam à priori deſumeretur. Sed ille licet in inſtanti, in quo eſt, neceſſe ſit eſſe, non tamen eſt neceſſarium, vel infallibile eumdem perſeuerare in ſubſequentibus etiam inſtantibus, aliter res ſemel producta indeſtruibilis eſſet; ergo & futuritio ad ſummum licet in primo inſtanti, quo eſset, neceſſe eſſet eſſe, non tamen neceſſe foret, aut infallibile eamdem perſeuerare in ſubſequentibus etiam inſtantibus vſque ad euentum, nec conſequenter à Deo futura, ut futura infallibiliter, noſcerentur.

Decimò, ſicut repugnat vnam relationem fundari in ſola alia relatione, bene in ſuo proprio fundamento, ita repugnat vnam propoſitionem fundari in ſola alia propoſitione, bene poteſt in ipſa re ſignificata, ex illo vulgato Philoſophi, *ab eo quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera vel falſa*. Sed iuxta Aduerſariorum ſententiam veritas propoſitionis de futuro fundaretur præciſe in veritate alterius propoſitionis de præſenti, ſcilicet euentus ipſius, non verò fundaretur in ipſa futuritione, quæ eſt res ſignificata per illam, ergo repugnat Aduerſariorum ſententia.

Vndecimò, iſta determinatio euentus, à qua præſcindendo à Diuina determinatione ſumeretur determinata futuritio, inquiro, vel illa ſumeretur à voluntate vt voluntas indifferens eſt indifferentia communi & alteri voluntati, vel à voluntate vt talis natura indiuidua eſt. Non primum, quia communis ea indifferentia non poteſt eſſe ratio potius determinationis ad vnum in iſto, quam ad oppoſitum in altero, ſi communis, & eadem eſt vtrobique, remanet ergo ſecundum. Sed quod ſumitur à natura indiuidua rei, non liberum, ſed naturale, & neceſſarium eſt, ergo iam euentus non liber ſed neceſſarius & naturalis eſset, & pariter futuritio, ut ferè ſuccumbit Faſsolus dub. 17. num. 412. Omitto Salmanticenſium aliorumq; noſtrorum probationes tendentes ad hoc quod aliter nec futuritio determinata eſse poteſt manente cauſa ſecunda ex ſe indeterminata, vel formalitas creata futuritionis non eſset ens per participationem à prima cauſa &c. quæ fuſiſſimè in prædictis legi poſsunt, & nos omittimus, ne aliena ſcripta repetere videremur.

Ad

Ad primum igitur nego maiorem, cum ab oppoſito omninò dicat S. Thom. q. 2. de verit. ar. 12. ad 7. *cum dicitur hoc eſt futurum, vel fuit futurum, deſignatur ordo, qui eſt in cauſis illius rei ad productionem eius.*

Ad ſecundum diſtinguo minorem, *non poteſt certificari niſi ex euentu*, propter imperfectionem creaturæ, vel cognitionis creatæ non valentis attingere diſpoſitionem primæ cauſę concedo, ex natura obiecti nego. Vnde hinc potius fit ſolum à poſteriori nobis eſse magis notum euentum, quam diſpoſitionem cauſæ, & ideo quoad nos tantum dici poſse futuritionem ab euentu ſumi, non verò ſecundum ſe.

Ad tertium retorquetur, quia ſequeretur multò minus ab omnipotentia, vel eſsentia Dei ſumi poſse rerum poſſibilitatem, quia illa præſens eſt, & res poſſibilis nequit dici præſens; diſtinguo igitur maiorem, tamquam à præſentia rei futuræ concedo, tamquam à præſentia cauſæ conſtituentis formaliter futuritionem, nego, & conceſsa minori negatur conſequentia.

Ad quartum diſtinguo maiorem, ſi cognoſceret cauſas etiam ſecundum ordinem diſpoſitionis, quam habent à decreto primæ cauſæ, concedo, ſi cognoſcat ſolum in ſe abſolute nego, & ad minorem primo modo nego, ſecundo modo concedo, & negatur conſequentia.

Ad quintum conceſsa maiori nego minorem, ad cuius primam probationē diſtinguo antecedens, non ſunt ſinonimæ, neque ſunt æquiualentes nego, ſunt tamen æquiualentes concedo, ſeu vna ſtatim conſequitur ex alia, vt ſi dicam, homo eſt corpus, homo eſt compoſitum ex materia, & forma, vna enim ſe habet vt res definita altera vt definitio cauſalis eiuſdem: ad ſecundam probationem diſtinguo antecedens, ſumendo determinationem cauſæ in recto, & rem futuram in obliquo, concedo, è contra ſumendo rem futuram in recto, & determinationem cauſæ in obliquo, nego, licet enim prius natura ſit cauſam eſse determinatam, & inde effectum eſse futurum, tamen non eſt prius quod effectus connotet determinationem cauſæ, & quod effectus futurus ſit; hoc autem ſecundo modo reponimus futuritionem effectus in determinatione cauſæ, nempe in obliquo &c. Ad tertiam probationem diſtinguo antecedens, loquendo de determinatione fallibili cauſæ ſecundæ concedo, de determinatione infallibili cauſæ primæ, vel etiam cauſæ ſecundæ, vt prædeterminatæ à prima, nego, vt diſtinguit S. Tho. q. 12. de verit. art. 10. ad 12. expreſse, & iterum in 1. periher. lect. 13.

Ad ſextum, nego maiorem quoad ſecundam partem, quia etiam futuritio ſimpliciter in ordine ad diſpoſitionem cauſæ, nō quidem fallibilem ipſius cauſæ ſecundæ, vt ibi exemplificat S. Thom. ſed infallibilem primæ deſumitur, vt explicuit alibi idem S. Thom. ſcilicet locis mox ante laudatis.

Ad ſeptimum, primò diſtinguo minorem, loquendo de diuerſis ſpeciebus in linea relationum concedo, de ipſa realitate relationis, nego, ut in cap. de Ad aliquid explicari ſolet ex S. Tho. cuius verba ibi recenſet noſter Ioannes à S. Thoma, & inde negatur conſequentia, quia hic non quæruntur diuerſæ ſpecies futuritionum, quæ profecto ſpecie diuerſæ non ſunt, ſed quæritur ſolum à quo futuritionis realitas deſumatur. Secundò diſtinguo minorem, loquendo de relatione prędicamentali concedo, tranſcendentali, ut eſt iſta, nego, tranſcendentalis enim prius conſtituitur per abſolutum, & ſolum ſecun-

dariò dicit ordinem ad terminum, ad differentiam prædicamentalis, ut vulgò notum eſt.

Ad octavum, quoad paritatem de relatiuis patet ex modo dictis, quoad id verò, quod additur, nempè S.Thom. dum in explicatione futuri incæpit à diſpoſitione cauſę, proceſſiſſe ſolum quo ad nos, non verò ex natura obiectorum ſecundum ſe, iam oppoſitum ex integro in ſecunda præſertim noſtra probatione, & ponderatione, conuincitur.

Ad nonum, quod idem afferebatur apud Ciceronem lib. de fato illis verbis, *nam, vt præterita ea vera dicimus, quorum ſuperiore tempore vera fuerunt inſtantia, ſic futura, quorum conſequenti tempore vera erunt inſtantia, ea vera dicemus.* Reſpõdetur diſtinguendo minorem, *ab euentu, qui fuit*, prçcisè, & omninò à priori, nego, ſimul à diſpoſitione permanente ad minus in cauſa prima, quæ voluit, & vult illum euentum fuiſſe, concedo, & eodem modo diſtinguitur conſequens, undè in hoc omninò errauit Cicero, ut ſuperiori lib. aduertimus, putans *ſine cauſa cauſam ferente*, vt ipſe loquitur, *& non requiſita externa cauſa, & cum ſola cauſa, quæ ipſa natura eſt, vt ſit in noſtra poteſtate res ex æterno futuras eſſe*, & ſic à Deo purè ſpeculatiuè præſciri, quod abſurdum eſt, *non effici vt futura ſint*, ut ex oppoſito præter alia loca frequentiſſimè repetit Auguſtinus in Pſal. 49. ſcilicet *effici vt futura ſint*, & conſequenter nonniſi ex diſpoſitione primæ cauſæ, quæ ſola ſemper manet, & præſens eſt, tam veritas de futuro, quam de præterito, ſemper certa eſt, & de vtraque quoad hoc dumtaxat ea paritas valet, & ab Auguſtino adhibetur, vt exponunt etiam Salmaticenſes diſp. 7. dub. 6. de ſcientia.

ARTICVLVS IV.

Quid ſit in ſtatu conditionato cauſam ſecundam liberam ſe determinare formaliter & c. vt inde inferamus quomodo id debeat reuocari in Deum.

Videtur Hieronymo Faſſolo p. p. q. 14. ar. 13. dub. 11. à num. 159. hoc eſſe ita explicandum, nempè in iſta determinatione inquantum tali includi duo, primum eſt poſitiuum, ſcilicet influxus poſitivus, & realis cauſæ, ſecundum eſt extrinſeca connotatio cauſæ liberæ, ideſt cauſæ habentis potentiam perfectè completam in actu primo ad duo oppoſita. Et in primo inquit conuenire etiam actum neceſſarium, in ſecundo vero differre, quia ab oppoſito actus neceſſarius connotat cauſam non indifferentem ad oppoſita, ſed determinatam ad unum. Ad quod ſecundum melius explicandum iterum diſtinguit, & notat, quod vnum extremum poteſt eſſe ita hoc vt non aliud dupliciter, primò prout ly *ita & c.* ſe tenet ſolum ex parte effectus, ideſt ita eſt hoc ens, ut non aliud, & ſic competit etiam actui neceſſario, & quoad hoc primum verificatur, quod ideò voluntas facit hoc, quia Deus facit hoc, non è contra; ſecundo ut ly *ita* ſe tenet ex parte cauſæ, ideſt ità cauſa ex vi intrinſeca ſuæ libertatis facit hoc, vt non aliud, cum & aliud facere poſſet, licet illud non poſſet eſſe aliud, & hoc eſt proprium cauſæ liberæ, & quoad hoc ſecundum non verificatur, quod ideò voluntas facit hoc, quia Deus faciat hoc, immò è contra quod quia voluntas ita ab intrinſeco facit hoc, vt non faciat aliud, ideò & Deus ità faciat hoc, ut non aliud, ubi ſola negatio refunditur

primò,

primò, inquit, in cauſam ſecundam. Ex quo deducit num. 163. iterum pro hoc ſecundo explicando, in quo completiſſima formalitas determinationis conſiſtit, nempè hoc quod eſt ita facere vnum vt non aliud ex vi cauſæ ab intrinſeco, ly *vt non aliud*, importare non poſitiuum, ſed negatiuum, & in hoc negatiuo compleri formalitatem determinationis,& ratione iſtius ſolum, determinationem ita eſſe à cauſa ſecunda, quod non à prima, ſeu eſſe per reſpectum ſolum ad cauſam ſecundam &c, quod, inquit, nullum eſse inconueniens, ſcilicet negationem aliquam eſse independēter à cauſa prima, licet illud primum poſitiuum totum ſit à cauſa ſecunda, & prima, immò magis à prima, quam à ſecunda. Hæc Faſſolus ibi, deducens hoc etiam ex Molina diſp. 17. ad primum, Suarez lib. 1. de ſcientia cap. 8. num. 12. (qui tamen poſteà tom. 2. de gratia lib. 3. cap. 26. ſatis id temperare videtur, nec abſolutè ſimile dictum in ſua Metaphiſica ſuſtinere) refert etiam Ariminenſem apud Capreolum in ſecundo diſt. 37. q. 1. ar. 3. ad 2. Aureoli, & nuper id amplexatur Teophylus Raynaudus in Apologia pro Valeriano cap. 7. num. 7. dicens, *non debere mirum videri, quod noſter concurſus in actum liberum ſtatuatur ratione anterior concurſu Diuino ad eumdem actum*, & refert etiam ad hoc Scotum, Ocham, Gabrielem, Capreolum, Maiorem, Almaynum, & Ruuardum. Cum tamen ſingulos iſtos, & alios Scholaſticos ſentire oppoſitum, oſtenderit ex profeſso noſter Aluarez lib. 6. reſponſ. cap. 7. per totum. Probat verò Faſsolus, quia ita proportionali modo Deus præbet concurſum cauſæ ſecundæ liberæ, ut liberè agat ita hoc, vt non aliud, quo modo præbet concurſum igni, ut ita calefaciat, vt non frigefaciat, & è contra aquæ. Sed ex hoc ſecundo verificatur quod ideo Deus concurrat cum igne ad calefactionem, non frigefactionem, quia ab igne procedit calefactio, non frigefactio, undè dicebat S. Tho. 3. contra gentes cap. 66. n. 5. *ſecunda agentia ſunt quaſi particularizantia, & determinantia actionem primi agentis*, ergo pariter ex primo verificabitur, quod ideo Deus agat ita hoc vt non aliud, quia creatura agit ita hoc ut non aliud.

Secundò, quia creata voluntas de ſe non minus eſt indeterminata, & ſecundum liberum, ad determinandum ſe ad formale malitiæ, quam ſit ad determinandum ſe ad aliquod aliud obiectum. Sed non obſtante primo determinatio, qua ſe determinat ad formale malitiæ, non refunditur in primam cauſam, vel primum liberum, ergo neque ex ſecundo refundetur determinatio, qua ſe determinat ad aliquod aliud obiectum &c.

Tertiò, vt diſcurrit idem dub. 17. num. 352. deſtruendo potiſſimum fundamentum Thomiſtarum cum Aluarez ſic arguentium, (quia ſicut ens per participationem pendet à primo Ente per eſſentiam, ita & liberum per participationem pendet à primo libero per eſſentiam, ſed ex primo nulla datur ratio entis non cauſata à primo ente, ergo ex ſecundo nulla ratio libertatis non cauſata à primo libero.) Deſtruere, inquam, conatur hunc diſcurſum Faſſolus ſic intorquendo, quia ſicut ens per participationem debet in ſe habere ſaltem rationem entis, in qua conuenit analogicè cum primo ente per eſſentiam, ita & liberum per participationem debet in ſe habere ſaltem rationem liberi, in qua conuenit analogicè cum primo libero. Sed ratio iſta analogica liberi eſt determinari à ſe ipſo ad unum oppoſitum, non verò ab alio; ergo & liberum per participationem ita debet pendere à primo libero per eſsentiã,

vt

vt tamen ſaluetur, quod à ſe ipſo, non ab alio determinetur ad vnum oppoſitorum.

Quartò, quia, hæc propoſitio vera videtur quod ſcilicet, *ſi creatura non operaretur, nec Deus ipſi cooperaretur*, vt refert Theophylus ex Auguſtino ſer. 15. de verbis Apoſtoli dicente, *ſi non eſſet operator, Deus non eſſet cooperator*, vti & Suarez loco allegato fatetur ſe in Metaphiſica conceſſiſſe, *Deum in tali modo agendi non velle eſſe operatorem, ſed cooperatorem*, ſed hinc fit aliquo modo determinationem noſtram eſſe priorem concurſu Diuino, vt volebat Faſſolus, ergo ſic eſſe concedendum eſt.

In oppoſitum tamen eſt conſenſus non ſolum omnium Thomiſtarum poſt Aluarez, verum etiam omnium omninò Scholaſticorum, quorum teſtimonia refert & expendit idem Aluarez tum lib. 1. reſponſ. cap. 1. à n. 26, tum lib. 6. reſponſ. cap. 7. per totum, & alibi, & præſertim in propoſito legi poſſunt Capreolus in 2. diſt. 37. q. 1. ar. 3. contra Ariminenſem, Complutenſes, & Io. à S. Tho. in Phiſica de concurſu Diuino, Xantes Mariales relect. 7. de ſcientia ſect. 3. in fine, & alij recentiores noſtri, ergo in iſta ſententia permanendum eſt.

Reſpondeo ſiſtendo adhuc in præallatis diſtinctionibus Faſſoli, determinationem, prout importat etiã ab intrinſeco ita facere hoc vt non aliud, primo debere cauſaliter refundi in Deum excepta deformitate malitiæ, de qua ad argumenta. Ità nos docuit S. Thom. manifeſtè in 2. diſt. 37. q. 1. art. 2. vbi altiſſima mente præuenit omnes euaſiones, quæ ab Aduerſarijs poſtea arreptę ſunt. Et primò probatur, quia ſicut Deus eſt primum agens in linea agentis vt ſic, ita eſt etiam primum in linea agentis liberi, ſeù ab intrinſeco. Sed ex primò ideo voluntas agit hoc, vt non aliud, ex parte effectus, quia Deus agit hoc, & non aliud, ex parte effectus, vt concedit Faſſolus, ergo pariter ex ſecundo ideo voluntas aget hoc, & non aliud, ex parte cauſæ liberæ, quia Deus ita agit hoc vt non aliud ex parte cauſæ liberæ, ſeù ab intrinſeco, quod negabat Faſſolus.

Secundò, quia in Deum reducendum eſt magis id, quod perfectius eſt, quã id quod eſt imperfectius. Sed ita agere hoc vt non aliud ſumendo ly *ita* ſolum ex parte *effectus*, eſt quid imperfectius, quam *ex parte cauſæ*, cum illud ſit proprium agentis neceſſarij, iſtud vero liberi, ergo ſi reducitur in Deum illud primum, debet & hoc ſecundum à fortiori reduci, ſed illud primum reducitur ut concedit Faſſolus cum alijs, ergo & hoc ſecundum contra eoſdem.

Tertiò, quia aliter ſi ſolum primum, quod eſt agentis neceſſarij, reduceretur in Deum, non verò ſecundum, quod eſt agentis liberi, iam Deus coagendo cum creatura prout ſic non ageret modo libero, ſed hoc abſonum eſt, ergo & id ex quo ſequitur. Sequela maioris probatur, quia iuxta explicationem Faſſoli agere modo libero eſt facere, *ita hoc vt non aliud*, non ex parte effectus, ſed *ab intrinſeco* ex parte cauſæ ſumpto ly *ita*. Sed iterum iuxta ſententiam Faſſoli Deus cooperando nobiſcum ad extra habet ſolum primum, non ſecundũ, ergo Deus ad extra nobiſcum cooperando prout ſic non agit modo libero; vnde oppreſſus difficultate Faſſolus n. 168. abſonam iſtam ex integro ſequelam conceſſit dicens, *cauſam ſecundam liberam, & cauſam primam non concurrere libere eadem ratione. Cauſa enim ſecunda concurrit liberè, tam voluntate libera, quam modo*

modo libero : cauſa vero prima concurrit quidem liberè voluntate ſimpliciter libera concurrendi, non modo libero, & infra peius adhuc inquit, *Diuina voluntas conſiderata vt principium concurſus generalis ad extra diri debet cauſa neceſſaria, non ſimpliciter, & quo ad ſubſtantiam, ſed ex ſuppoſitione, & quo ad modum, hoc eſt non determinans ſe Deus, nec determinans voluntatem creatam, ſed potius à voluntate creata determinatus*, hæc Faſſolus, quæ, vt verum fatear, niſi legiſſem, non credidiſſem ab eodem vulgata eſſe. Contra hanc igitur ſequelam ex iſta conceſſione extortam, ſic probo minorem, nempe id abſonum eſſe, quia quo aliquid eſt perfectius liberum, eo etiam modo liberiori agere debet. Sed Deus eſt liberum longè perfectius quam creatura etiam in agendo ad extra, vtpotè adhuc primum liberum, ergo etiam in agendo ad extra debet agere modo magis libero quam creatura, ergo abſonum omninò eſt admittere creaturam agere modo libero, idque negare de Deo. Audi Auguſtinum contra hæc in lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 2. ſic diſſerentem, *ſic homo quaſi componit cum Deo, ut partim ſibi vendicet, atque ille partem relinquat, & quod elatius eſt, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi, & in eo, quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.* Vide iterum Auguſtinum lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 10. & ſimile dictum acriter repellentem.

Quartò, probatur aſsertio noſtra deſtruendo ſimul Faſsoli explicationem, nam ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, etiam negatio eſt cauſa negationis, vt eſt axioma Philoſophi in 1. poſt. Sed affirmatio concurſus poſitiui creaturæ circa hoc extremum habet pro cauſa affirmationem concurſus Dei circa idem extremum, vt iam admittit Faſſolus, ergo & negatio concurſus creaturæ circa aliud extremum habebit pro cauſa negationem concurſus Dei circa aliud extremum. Sed hoc eſt, quod non ſolum ex parte effectus ideo creatura agat hoc quia Deus agit hoc, ſed quod etiam ex parte cauſæ, ideò creatura agat hoc, vt non aliud ab intrinſeco, quia Deus agit ita hoc vt non aliud ab intrinſeco, & conſequenter falſa eſt explicatio Faſſoli. Vnde in epiſtola 97. apud Auguſtinum Pontifex ad Concilium Carthaginenſe in hoc ſenſu dicebat, *neceſſe eſt enim, vt quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur.*

Quintò, iterum ſic impugnatur explicatio Faſsoli, immò ſuppoſitum eiuſdem, nam id, quod eſt nobiliſſimum omnium excogitabilium in actione libera vt tali, nequit eſse quid negatiuum, vbi cætera poſitiua ſunt. Sed ipſa libera determinatio in actione libera ab intrinſeco ex parte cauſæ eſt quid nobiliſſimum omnium excogitabilium in ipſa vt tali, & cætera poſitiua ſunt, ergo ipſa à fortiori poſitiua erit, non verò negatiua, vt à Faſsolo explicabatur.

Sextò, quia determinatio libera formalis actionis creatæ in nobis conuenit cum determinatione libera virtuali actionis liberæ in Deo, ſaltem analogicè intrinſece, in hoc quod ſit determinatio libera vt ſic, & conſequenter conuenit in conceptu aliquo modo intrinſeco vtrique. Sed ſi in nobis conſiſteret in ſola negatione, vel in ſola connotatione extrinſeca causæ ſecundæ creatæ, non poſſet vtrique communis esse aliquis conceptus intrinſecus analogicus, cum profectò Diuina determinatio libera, neque in negatione intrinſecè, neque in extrinſeca connotatione ad cauſam ſecundam conſiſtere poſſit. Ergo neque in nobis determinatio libera, vel in dicta negatione, vel connotatione extrinſeca, conſiſtere poterit, ut Faſſolus ſupponebat.

Septimò, quia ſicut determinatio hæc libera in nobis connotat determina-

tè

te nos vt causam liberam, ita & quælibet actio determinate connotat agens; & actio meritoria in Chriſto connotabat ſuppoſitum Chriſti. Sed non obſtante hoc secundo in qualibet adhuc actione esse *ab* agente quid intrinsecum poſitivum reale eſt, & pariter esse meritoriũ quodammodo infinitè in actione Chriſti; ergo non obſtante pariter primo esse à voluntate noſtra libera se determinante in iſta determinatione erit quid intrinsecum poſitiuum reale, & per consequens in Deum, vt primum ens, & supremum agens, iſtud adhuc reducendum erit.

Octauò, quia differentiæ intrinsecę rerum, licet negatiue explicati poſſint, poſitiuæ tamen in re sunt. Sed esse liberam formaliter adhuc in iſta determinatione eſt intrinseca ipſius differentia præ actione non libera, sed necessaria; ergo debet esse quid poſitiuum verè, licet negatiue explicari poſſit, vt à Fassolo explicabatur, & consequenter adhuc in Deum, vt primum liberum, primo reuocari debet, præter alias probationes, quas in noſtro prolixo opusculo de concursu præuio in ordine naturali aliàs edendo exarauimus, præsertim ex discursu S. Thomæ in 2. diſt. 37. quæſt. 2. ar. 2.

Nonò tamen id ſilere vlterius nequeo in præsenti, quod, ex Auguſtino, totum id, quod Deus habet præcipere homini, habet etiam eidẽ dare, ſed Deus in ordine ad bonum præcipit homini etiam hoc, quod eſt ita se determinare ad vnam partem, vt non ad aliam, scilicet ex parte mali. Ergo Deus etiam hoc ipsum, quod eſt, hominem se determinare, habet eidem homini dare, refundique & hoc ipsum in Deum vt in primam causam efficientem debet. Minor conſtat & supponitur; Maior vero colligitur ex illo Auguſtini lib. de Dono perseuerantiæ cap. 20. *Fidelis anima orat Dominum, & dicit: da quod iubes, & iube, quod vis*, & iterum, *iubet autem vt credamus, & das ipſum credere &c.* quæ priora verba scripta etiam antea ab Auguſtino in libro Confeſſionum, adeo radicitus proſternunt non tribuentes Deo, vt primæ causæ, totum boni operis, quod in nobis eſt, ut ideò maxime Pelagio displicerent, ut refert eodem cap. 20. subdens. *Quæ mea verba Pelagius Romæ, cum a quodam fratre Coepiſcopo meo fuiſſent eo præſente commemorata, ferre non potuit &c.*

Ad primum igitur diſtinguo minorem, ſi ly *ideò*, & ly *particularizantes* intelligantur in genere causæ materialis, vel finis effecti, concedo, in genere cauſæ efficientis nego. Prius enim Deus, vt primum agens, vult dare talem concursum ad talem ſpeciem actus formaliter, quam quod cauſa ſecunda ad talẽ ſpeciem concurrat, vel cooperatura ſit, licet in tali volitione Deus habeat etiam pro fine talem modum concurrendi creaturæ, vt in dicto opuſculo id latius explicatum eſt; immò retorquetur argumẽtum contra Faſſolum, quia talis ſpecies actus, ut non alterius, non ſolùm eſt quid negatiuum, vel connotatio, ſed quid intrinſecum poſitiuum, ergo pariter inde fieret actum liberum etiam quoad intrinſecum poſitivum refundi prius in cauſam ſecundam, quam in primam, quod tamen etiam Faſſolus vidit negandum eſſe.

Ad ſecundum, nego maiorem, quia immò ad formale malitiæ, vel deffectum peccati, ipſa creatura defectibilis eſt primum principium, nõ efficiens, ſed deficiens, vt abundè explicant Salmanticenſes de peccatis disp. 12. dub. 2. S. 3. ex Auguſtino lib. 12. de Ciuit. cap. 6. & 7, & S. Thom. quæſ. 24. de verit. ar. 7. & in 2. diſt. 37. q. 2. ar. 1. ad 2. & alibi.

Ad tertium nego minorem quoad illam vltimam particulam *non verò ab alio*, quia licet primumliberum, & ſecundum, in hoc conueniant, veluti genericè quod ſe determinent, differunt tamen veluti ſpecificè, quod illud ità ſe determinat, ut non determinetur ab alio principio extrinſeco, iſtud verò ità ſe determinat, ut ſimul a b alio determinetur ut ſe determinet, ſicuti explicat S. Tho. p. 2. q. 109. ar. 2. ad 1, & q. 9. ar. 4. ad 1 , & q. 3. de malo ar. 2. ad 4, & p. p. q. 105. art. 4. ad 2, & q. 83. art. 1. ad 3, & adeò expreſſa ipſius verba ſunt, ut ea conſuliſſe ſufficiat, & hanc dumtaxat præ oculis diſtinctionem habere, quod primum liberum determinare ſecundum non eſt determinare formaliter, ſed effectiuè, nempe non itaut determinatio iſtius ſolum ab illo ſit, ſed quod illud efficit, vt etiam iſtud ſe determinet, iuxtà illud Auguſtini de Correp. & gratia cap. 2. *aguntur vt agant*. Et qui id non intelligunt, aut non admittunt, ut inquit Hieronymus epiſt. ad Cteſiphontem cap. 3. *Non homines propriæ voluntatis ſed Dei potentiæ factos eſſe ſe iactant &c.*

Ad quartum diſtinguo maiorem, intelligendo illam connexionem, vel conditionalem à poſteriori, ſcilicet ab effectu ad cauſam, concedo, à priori ſcilicet à cauſa ad effectum nego, vnde Auguſtinus ibi à ſigno noſtræ operationis declarat cooperationem Dei, vt inde poſtea à cauſalitate Dei declaret depēdentiam operationis noſtræ, vti præter alia loca bene multa præſtitit q. 15. in Deuteronomium dicens, *Deum operari, hominem vero cooperari*, neque ſecundo modo poſtea, vt video, Suarez lib. 3. citato cap. 26. manifeſtè ſaltem contradicere videtur, uti fecit Theophylus &c. Itaque concludimus, & iſtam determinationem, qua creata voluntas ſe determinat, cum poſſit eſſe, & non eſſe, & ipſam à cauſa prima cauſari ut ſit, faciente Deo, ut voluntas creata velut cauſa ſecunda ſe determinet, neque huic veritati obeſſe conceptum voluntatis, ſeu determinationis liberæ. Nam hanc ipſam obiectionem opponebat Iulianus Pelagianus apud Auguſtinum lib. 5. operis imperfecti in eundem Iulianum cap. 41. dicens, *Si ergo voluntas nihil eſt aliud, quam motus animi cogente nullo, male prorſus quæritur origo rei, cuius conditio, ſi præuenitur, interijt, & perdit conditionem, ſi accepit originem.* Hæc Iulianus, ubi Auguſtinus reſpondet. *Voluntas immo, quæ non fuit & eſt, utique orta eſt. Iam tu clama contra apertiſsimam veritatem; hoc enim decet tuam vanam loquacitatem, & dic, orta eſt quidem, ſed originem non habet &c. quam negare non potes ortam eſſe, quia negare non potes non fuiße & cæpiſſe.* Et iterum cap. 42. idem Iulianus opponebat. *Cum bene voluntas definita ſit, motus animi cogente nullo, quid quæris ſuperius cauſas, quas definitio voluntatis excluſit?* Reſpondet Auguſtinus. *Quid autem vanius diffinitionibus tuis, qui propterea putas non quærendum eſſe, unde ſit voluntas, quia motus animi eſt cogente nullo? Si operatur Deus in homine volu ntatem bonam, ita utique agit, vt oriatur ab illo voluntas, cuius eſt voluntas, ſicut agit vt homo oriatur ab homine, non enim quia Deus creat hominem, ideo non homo ex homine naſcitur.* Hæc Auguſtinus omnino pro nobis. Nunc igitur his omnibus præmiſſis, ad ſingularem prætactam antea difficultatem accedendum eſt, quomodo ſcilicet Deus præcognoſcat ſuos actus executiuos conditionatè futuros in tempore (à quibus & noſtri actus conditionatè futuri dependent) ſcilicet ante, vel poſt ſuum decretum prædefinitiuum eorumdem ſuorum actuum etiam conditionatè futurorum.

QVÆSTIO QVARTA.

De modo ſingulari Zumel, Cabreræ, Nauaretis, & paucorum quorumdam probabiliter opinantium Deum prædictos actus ſuos executiuos conditionatè futuros ante decretum quodlibet etiam conditionatum agnoſcere; Vt ſic propoſitus explicetur hic modus, poſtea poſtpoſitus refellatur.

Q*Vidam diſputator catholicus non ignobilis*, dicebat Auguſtinus lib. de Dono perſeueranriæ cap. 10. *hunc Euangelij locum aliter exponit*, & recenſita diuerſa interpratatione, quam ipſe non probabat, ſubiungit, *in qua tamen ſententia docti hominis, & admodum acuti, quæ ſint adhuc meritò requirenda, quia me nunc attinet dicere, cum & ipſa nobis ad id, quod agimus, ſuffragetur*. Sic mihi præfari liceat in præſenti, dum ſingularis acuriſſimi viri ſententia Nauaretis, & Cabreræ, atque Zumelli, ab explicatione communiori diſtincta, cum ſua integra probabilitate proponenda venit, & in ea adhuc gratis permiſſa ipſa ſcientia media, à qua ſemper recedimus, refutanda eſt, vt præuidit iam diu Aluarez lib. 1. reſponſionum cap. 4. num. 7. dicens, *in hoc adhuc multum diſtant auctores huius ſententiæ, Zumel ſcilicet, & alij, à defenſoribus ſcientiæ mediæ*, & in ſolutione ad 6. *quamuis daretur*, inquit, *ſecundum aliam opinionem &c. nihil ad hæc concluderèt argumentum, ſcilicet pro ſcientia media*. Hæc immò commoda ex iſtius etiam propoſitione ſententiæ poſſumus deriuare, primum falsò imponi Thomiſticæ Scholæ in ea aliquos ab initio certam conditionatorum præſcientiam denegaſſe, vt ſcientiam mediam Molinæ cauerent, ſecundo vtique in eadem ſcientia media explodenda Zumellum, Cabreram, & alios (ab Aduerſarijs falsò relatos) conſtantiſſimè conueniſſe, tertiò non ideo decreta conditionata nuper fuiſſe introducta à Thomiſtis (vt paſſim iactant, & imponunt Aduerſi, præſertim, ante Annatum, Alarcon diſput. 4. de ſcientia cap. 6. & diſput. 5. de voluntate cap. 8.) *vt argumentis preſſi Thomiſtæ hoc aſilum obtinerent*, dum fugerent, vti & Petrus à Valle Clauſa §. 65. hoc vocat *refugium miſerorum*, cum immò ex hac prædictorum ſententia perſpicuè habeatur adhuc præciſis decretis eiſdem conditionatis robuſtiſſime Thomiſtas præcaluiſſe viam reprobandi quamcumque pro ſcientia media Molinæ explicationem. Vt hæc igitur hoc vno capite pateſiant, proponemus cum integra ſua probabilitate diſtinctam à nunc Communiori ſententia de conditionatorum præſcientia explicationem Nauaretis, Cabreræ, Zumelli, & aliorum, ut præexplorato, quid ſentirent iſti, ſingularem adhuc, licet probabilem, eorumdem in hoc propoſito explicationem communiori ſubindè Thomiſticæ in ſequenti Quæſtione præferamus. Ex conſequenti profiteor me propter dicta in hac Quæſtione nolle vmquam pro hac ſententia referri, & referenti ex aduerſo dicturos alios, ſi non ſupererim ego, quod dicebat iam Proſper ad excerpta Genuenſium reſponſ. 9. nimirum, *ſtupeo vos obiectionem*, aliter explicantium *a perſona aſſenſoris gratia non potuiſſe diſcernere, & eorum verba & ipſi, qui obiectionibus ſuis reſpondet, adaptaniſſe*. In hoc ſenſu igitur, vt ſenſim veluti in penetralia peracuta, ac reconditæ mox proponendæ ſententiæ aditum præparemus, à ſubſequentibus dubijs per gradus exordiendum eſt.

AR-

ARTICVLVS PRIMVS.

An futuritio prædicta conditionata actuum ſiue Dei ſiue creaturarum ſit conditionata ſolum obiectiue, ſubiectiue autem abſoluta, vel potius conditionata vtroque modo.

VIdetur futuritio etiam actus executiui Diuini conditionata vtroq; modo, ita vt cõditio cadat non ſolum ſuper exiſtentiam, ad quam ſit præſens futuritio, ſed etiam ſuper ipſam futuritionem, quæ eſſet, licet actu nec ipſa ſit futuritio præſens in re, eo modo pariter, quo Suarez cum alijs Prolegomeno ſecundo de ſcientia cap. 8. diſtinguit decreta conditionata duplicis generis, ſcilicet alia etiam ſubiectiue ex parte ſubiecti, alia ſolum obiectiuè ex parte obiecti conditione affecti, ibique à num. 5. in hanc fermè ſententiam de futuritione etiam ſubiectiue conditionata actus Diuini deſcendit, & approbat Eſparza q. 18. de Deo ad 1. & Hurtado diſp. 9. de ani ma §. 85. & tenentur conſequenter amplecti plerique illi, qui putant futura noſtra conditionata cognoſci in veritate obiectiua dumtaxat inuoluente actum Diuinum ſub conditione futurum, cuius futuritio per conſequens etiam ſubiectiue cõditionata eſſe debebit. Et hinc poteſt cum Suarez prima probatio deſumi; quia probabile ſaltem eſt conſenſum meum conditionatè futurum cognoſci in ſola veritate obiectiua eiuſdem, ut modo plerique Scriptores Societatis tenent. Sed in iſta veritate obiectiua conſenſus mei futuri ſub conditione includitur concurſus adminus ſimultaneus Dei ſub conditione & ipſe futurus, ſine quo conſenſus meus futurus adhuc ſub conditione eſſe non poteſt; ergo & concurſus ad minus ſimultaneus Dei erit ſub conditione futurus. Sed non futuritione conditionata dumtaxat ex parte obiecti, & ſubiectiue abſoluta, aliter ab iſta determinata iam futuritione in aliquo priori ſubiectiue abſoluta deſcẽderet velut à cauſa antecedẽte futuritio conſenſus mei conditionati, nõ minus ac in ſententia Thomiſtarum deſcendat à decreto ſubiectiue præſenti, & ſolum obiectiue conditionato (quod Schola Societatis abhorret) ergo remanet futuritionem prædictam concurſus futuri Diuini ſub conditione eſſe futuritionem non ſolum obiectiue conditionatam, & ſubiectiue abſolutam, verum etiam conditionatam ex parte ſubiecti, vel actus, ſeu ſubiectiue conditionatam, & licet varij ſint modi explicandi prædictum concurſum ſimultaneum Dei indifferenter per decretum indifferens à Deo oblatum, in ſingulis tamen (quos affert, & diſcutit noſter Ioannes à S. Tho. diſp. 5. de voluntate art. 2. à num. 3.) vrget ſemper difficultas allata ad intentum hoc, vt ibi dicta à Ioanne de S. Tho. huc adaptanti patebit.

Secundò, addi poteſt, explicari id ipſum, ſimulque probari à pari, quia ſicut eſt vera conditionalis, *ſi peteret Chriſtus exhiberet ipſi Pater legiones Angelorum*, ità eſt vera conditionalis hæc alia, ſi alter mundus poſſibilis futurus erit, tunc futurum erit immenſitatem Diuinam habituram ibi præſentiam. Sed ad ſaluandam hanc ſecundam non requiritur in immenſitate præſentia futura ſuo conditione ſolum obiectiue conditionata, immò ſufficit præſentia futura, præciſa futuritione etiam ſubiectiue conditionata, vt conſtat ex illis verbis paulùlum immutatis, ſcilicet, *futurum eſſet quod tunc in immenſitate eſſet futura præſen-*

tia &c. quæ nunc nullo modo futura eſt; ergo pariter ad ſaluandam illam primam ſufficit futuritio præciſe etiam ſubiectiue conditionata ex parte ſubiecti, ſcilicet exhibitionis in eo caſu futuræ à Patre, quæ tunc habuiſſet futuritionem ſub ea conditione acquirendam, licet nec eam habuerit futuritionem in re.

Tertiò, nam ſicuti formantur conditionales futuræ de prædicto actu executiuo Diuino, ita & de actibus noſtris conditionate futuris. Sed ad ſaluandas ſecundas, vt veras, plures dicunt ſufficere futuritionem conditionatam etiam ex parte ſubiecti, quæ ſcilicet eſſet futuritio, & non ſit, ut Cabrera, Verdù, & Riſpolis probabile reputant locis ſignatis à Faſſolo ad p. p. q. 14. ar. 13 dub. 20. n. 489. nec abſcedunt, ex referendis infrà, Zumel, & Nauarete. Ergo pariter ad ſaluandas eas primas, vt veras, ſola futuritio conditionata etiam ex parte ſubiecti ſufficiet, quæ ſcilicet eſſet futuritio, & non eſt, actus executiui Diuini ſub conditione importata, vel diſparitas in iſta ſententia aſſignanda manet.

In contrarium ex oppoſito extremo alij volunt futuritionem conditionatã etiam actus creati noſtri eſſe conditionatam ſolum obiectiue ex parte obiecti, ſubiectiue autem ex parte ſubiecti abſolutam eſſe, ut Faſſolus dub. 20. n. 489. Antonius Perez diſput. 3. de Prouid. cap. 1. Alarcon diſput. 5. de voluntate cap. 9. num. 51. & cum alijs Gonet diſput. 6. de ſcientia art. 5. §. 5. poſt tertiam probationem. Et primo probatur à Perez, nam longè diuerſa eſt hæc conditionalis ex promiſſione præſuppoſita iam facta Dei dicendo, *ſi homo peccator aget pænitentiam, gloriam habebit*, ac ſit hæc alia, *ſi Deus promiſiſſet, vel promitteret etiam Angelis lapſis, quod ſi & ipſi pænitentiam agent, gloriam habebunt, ſi pænitentiam agerent gloriam habituri eſſent*. Sed in hac ſecunda utique futuritio conditionata gloriæ Dęmonum eſſet conditionata tam obiectiue, quam ſubiectiue, & nullo modo etiam ſubiectiue abſoluta, ergo in illa prima ex ratione diſcriminis futuritio gloriæ hominum eſse debet futuritio ſubiectiue abſoluta, & ſolum obiectiue conditionata.

Secundò, vt diſcurrit Alarcon, *quia rè ipſa à parte rei* adeſt connexio actualis obiectiua inter antecedens, & conſequens conditionatum, v. gr. ſi Petrus vocetur, conſentiet. Sed iſta connexio, licet non ſit futuritio abſoluta conſenſus, eſt tamen futuritio connexa, ſeu conditionata conſenſus eiuſdem cum antecedenti conditione; ergo verè adeſt re ipſa à parte rei actualis obiectiua futuritio conditionata conſenſus.

Tertiò, vt diſcurrit Faſſolus, diuerſum eſt eſſe *futurum poſsibiliter*, & eſſe *futurum conditionatè* adhuc, cum idem poſſit eſſe ſimul poſſibiliter futurum, & poſſibiliter non futurum, non verò idem ſimul futurum conditionate, & non futurum conditionate, & rurſus hinc etiam conuerſio habitatorum Corozaim erat utique poſſibiliter futura, non tamen futura conditionate, vti erat conuerſio Tyriorum conditionate certò futura, & non ſolum poſſibiliter futura. Sed ſi futurum conditionatum etiam creatum, v. g. conſenſus meus conditionate futurus, eſset conditionatum ne dum obiectiue ex parte obiecti, verum etiam ſubiectiue ex parte ſubiecti, & nullo modo abſolute futurum, iam *conditionate futurum* tandem idem eſset, ac *poſsibiliter futurum*, vt videtur velle Cabrera ibidem impugnatus à Falsolo. Ergo futurum conditionatum etiam

creatum

creatum, etſi ſit conditionatum obiectiuè ex parte obiecti, ſubiectiue tamen ex parte ſubiecti abſolutum eſse debet, vt verè futurum eſse ſuo modo dicatur.

Quartò, addit idem Faſſolus à priori, quia hoc futurum adhuc conditionatum creatum in hoc differt à poſſibiliter futuro, quod hoc ſecundum dicitur ſolum ſecundum eſſe, quod habet in potentia indeterminata ſuæ cauſæ, at verò primum dicitur ſecundum eſſe aliquod actuale, & determinatum in ſe extra cauſas, quod verè ſaltem eſſet, ſi poneretur conditio, licet nec erit, nec ſit. Sed futurum tam obiectiue, quam ſubiectiue conditionatum, nullum diceret in ſe extra cauſas esse actuale, & determinatum, immò in ſola potentia indeterminata ſuæ cauſæ. Ergo tale futurum non proprie diceretur futurum, vt dicitur, ſed merè poſſibiliter futurum dici deberet, quod omnibus repugnaret, præter generalia argumenta Scriptorum Societatis conſueta ad probandam veritatem obiectiuam futurorum, tam abſolutorum, quam conditionatorum in ſe ipſis, quæ hic etiam adaptari poſsent, & legi poterunt iamdiù ſoluta à noſtris in prædicta materia de ſcientia, ideo omittenda in præſenti, vbi analecta colligimus, & ſolum quædam ab alijs ferè intacta diſcutimus.

Quintò tandem addit Gonet pag. 516; quia licet res conditionate futura tempore futuritionis neque habeat actualem exiſtentiam, neque eam interdum habitura ſit, dicit tamen ordinem ad illam habendam ſi poneretur conditio. Sed hic ordo præſens eſt, futuritionis tempore, vt docet S.Tho.q. 12. de verit. ar. 10. ad 2. ergo etiam res conditionate futura aliquid præſens importat tempore futuritionis.

Reſpondeo, quod ſaltem ſternendo viam ad veſtigandam penitiorem mentem Nauaretis, Cabreræ, Zumelli, & aliorum, iuxta illorum principia media ſententia inter præallatas extremas eligenda eſt, futuritionem nimirum conditionatam actus executiui Diuini futuri abſolutam vtique ſubiectiue præſentem eſse, & conditionatam obiectiue dumtaxat, at verò futuritionem conditionatam actus creati noſtri neque ſubiectiue abſolutam esse, ſed tam obiectiue, quam ſubiectiue conditionatam, adeo vt potius eſset futuritio ipſa, quam ſit. Et prima pars in Schola S. Tho. à pari de decretis ideo ſolum obiectiue conditionatis iam ferè communis, (vt videre eſt in Aluarez libr. 1. reſpons cap. 4. n. 4.) probatur ex doctrina S. Thom. q. 12. de verit. ar. 10. ad 8. ſic adaptata ab exemplo, nam ſicut cauſa ſecunda naturalis impedibilis conſiderata ſecundum ſe inclinat quandoque in euentum determinatum futurum, licet fallibiliter ſub conditione, ſi non impediatur, ità voluntas Diuina ex ſua ſuprema libertate inclinatur quandoque licet infallibiliter in aliquē euentum futurum ſub aliqua conditione, vt conſtat ex ſupra relatis ſcripturę locis pro futuritione conditionata actus executiui Diuini. Sed ex primo ea eſt futuritio ſubiectiue abſoluta (licet fallibilis de ſe) & ſolum conditionata obiectiue, ut explicat loco laudato S. Tho. dicens, *ſi Prophetia comminationis referatur ad ordinem cauſarum, quem directè reſpicit, ſic abſque omni conditione eſt, &c. ſi autem referatur ad euentum, quem reſpicit indirectè, ſic intelligenda eſt ſub conditione,* Ergo ex ſecundo pariter, vel proportione ſeruata, hæc ſecunda futuritio in Deo ſubiectiue abſoluta erit, & ſolum erit obiectiue conditionata. Secundo quia licet docente S. Tho. in 1. diſt. 46. q. 1. art. 1. ad 2. *voluntas antecedens*

dens poſsit dici conditionata, ideſt obiectiue, adhuc ſubiectiue in Deo præſens eſt ex eodem S. Thoma p. p. q. 19. & q. 23. de verit. ar. 3. ſed facilius eſt obiectiue conditionatum habere ſubiectiue abſolutam futuritionem, quam ultrò habere & abſolutam ſubiectiue præſentiam, ergo ſi illa voluntas, licet obiectiue conditionata, habet ſubiectiue abſolutam præſentiam, à fortiori actus executiuus Dei obiectiue conditionatus habere poterit abſolutam ſubiectiue futuritionem. Tertiò futuritio quæcumque creata, vt ſupra vidimus, ita à priori deſumitur à diſpoſitione cauſæ præſertim primæ, ut ea diſpoſitio cauſę primæ, à qua iſta dependet, ne dum futura, ſed præſens ſaltem ſubiectiue eſſe debeat. Sed futuritio quæcumque, vel minima actus creati noſtri etiam cōditionata nequit non dependere à priori à futuritione etiam conditionata actus executiui futuri Diuini applicantis nos ad agere (vt hæc ſententia Nauaretis, Cabreræ, & Zumelli conſentit contra Molinam, & alios) ergo ad minus dicta futuritio etiam conditionata actus executiui futuri Diuini ſub conditione ex parte obiecti debet adhuc adminus ex parte ſubiecti eſſe præſens, quod eſt eſſe futuritionem ſubiectiue abſolutam, & ſolum, ut diximus, obiectiue conditionatam. Quartò probatur ſimul, & aſſignatur diſparitas inter futuritionem conditionatam etiam actus Diuini, & creati, nam in hoc difert futuritio adhuc conditionata actus executiui Diuini, quod ab alio prædeterminante realiter non pendet, ut potè actus liberi Diuini, at verò futuritio adhuc cōditionata actus creati noſtri vt talis, vt nunc ſuppono ex dictis ſupra, ab altero ſemper prędefiniente à priori dependet. Sed ad hoc in iſta ſententia ſufficit ut prior illa futuritio ex ſeipſa adhuc ſubiectiue abſolute ſit præſens, hæc verò ſecunda adhuc ſubiectiue abſoluta non ſit, ſed eſſet, ſi Diuinus actus, qui obiectiue conditionate futurus eſt, eſſet etiam obiectiue abſolute futurus. Ergo ſic vtique poterit illa dici à Cabrera, Nauarete, Zumello, & alijs illa ſubiectiue præſens, & abſoluta futuritio, hæc vero adhuc ſubiectiue conditionata dumtaxat. Quintò demum, nam etiam futuritio conditionata eſt aliquis modus eſſendi realis, non rationis (vt rectè aduertit Herera in manuſcriptis de auxilijs dub. 1. poſt primam conclusionem) nec merè obiectiue habet eſſe in intellectu, aliter eodem modo & ens rationis habens eſſe obiectiue in intellectu, hac conditionata futuritione gaudere poſſet, quod abſonum eſt; eſt igitur ſaltem modus eſſendi realis rei ordinatæ ſaltem ſub conditione ad habere eſſe etiam in exercitio à parte rei ad differentiam entis rationis. Sed modus eſſendi realis alicui, veluti ſubiecto, conuenire debet, cum modus realis ſupponat rem; ergo vel iſte conueniet ipſi creaturæ, vel Deo, ſed non illi, cum illa non ſit adhuc realis in ſe, & nihil in ſe ſit, immò nec vmquam ſit habitura eſſe; ergo remanet adminus realiter inueniri debere intra Deum, vt intendimus nos, & colligitur hæc demonſtratio ex S. Thom. p. p. q. 16. ar. 7. ad 3.

Secunda inde pars aſſertionis in primis, vt Faſſolus fatetur & verè ſic eſt, traditur expreſſe à Cabrera in 3. p. q. 1. art. 3. diſp. 1. §. 22. à n. 339. & 359. à Verdù de ſcientia media pag. 11. & 12. Riſpolis pag. 73. conſentientibus Nauarete, & Zumello, mox infra referendis, & Eſparza quęſ. 18. de Deo ad 1. Franciſco Amico diſput. 12. de ſcientia ſect. 12. ad 4. argumentum à rationibus, & alijs ſubiungendis infra pro eadem Cabreræ ſententia, ad quam intelligendam fateor poſt diuturnam plurium annorum meditationem nullam aliam

aliam mihi ſemitam occurriſſe, cum tamen iamdiu ad eamdem perueſtigandam noſter Mariales excitaſſet relect. 3. de ſcientia ſect. 2. pag. 111. dicens, *forte ab habente plus otij me excogitabitur aliquando aliquis apertus ſenſus, in quo appareat Nauareti dictum, & ſimile Cabreræ, non eſſe adeo diſtortum, atque ab omnibus communiter reputatur*; immò in eamdem video Marialem poſteà infra ſect. 3. pag. 124. ferè inclinantem, dum ut exponat ſibi viſam difficilem Auguſtini auctoritatem, *quod nimirum futurum, quod non erit, non ſit futurum, nec præſciatur à Deo*, ad hoc vnum deuenit, & repetit *futuritionem conditionatam eſſe futuritionem tantum ſecundum quid, & potius quamdam futuritionis vmbram*, & adhuc, ſi vera eſſet ſententia Suarez, Faſſoli, & aliorum poſt ipſos, futura conditionata creata cognoſci in veritate obiectiua, ut dependente tamen à decreto Dei in ſigno poſteriori præſente, & pro illo ſigno anteriori futuro, in hac profecto ſententia adhuc creata futuritio non ſubiectiue præſens poni deberet, vt acutiſſime præuidit Vaſquez diſput. 65. nu. 23. inde deducens contra Suarez hoc modo dumtaxat *à Deo ſciri futuram futuritionem rei*, quod mirum eſt deglutiſſe, pro Suarez, Faſsolum dub. 18. n. 453. Sed audiamus, non pro mea ſententia, ſed ſolum pro dictorum noſtrorum explicatione probabilia argumenta. Nimirum in primis tum Auguſtini ſequaces reprobaturi ſcientiam mediam conditionatorum male adhibitam olim à Maſſilienſibus, tum San. Thom. diſcipuli impugnaturi eamdem ſcientiam mediam Molinæ adhuc ab abuſu nudatam, eo magis præſtare id poterunt, & hunc aſſequi finem, quo magis, vt poſſunt, extenuent, diminuantque obiectum eiuſdem ſcientiæ, ſcilicet futuritionem conditionatam, ut Auguſtinus mox referendus ad hoc propoſitum laborauit. Sed magis obiectum ſcientiæ mediæ, ſcilicet futuritio conditionata noſtrorum actuũ, extenuatur, ac diminuitur dicendo eſſe, ne dum obiectiue, verum etiam ſubiectiue conditionatam, & nullo modo ſubiectiue præſentem, vt conſtat ex ſe, & alias hic modus poſſibilis eſt, vti ad argumenta contraria patebit; ergo ad hoc niti debere videntur, tum Auguſtini, tum S. Tho. ſequaces. Ad hoc verò reſpexiſſe & olim Auguſtinum, ad huncque finem appoſite collimaſſe, apparebit expendenti hæc loca Auguſtini ſequentia, nimirum vti ad hunc ſenſum etiam Nauarete efferrebat (non ita penitus introſpectus huc uſque) videlicet Auguſtinus poſtquam abuſum ſcientiæ mediæ impugnauerat ab oppoſito experimento reuelato in ſcripturis, non afficiendi pęna, vel præmio futura opera merè conditionate præuiſa, inde abſolute etiam deſtructurus eamdem præſcientiam futurorum conditionatorum obiectiue independentium à Deo, & aliunde determinatorum extra Deum iuxta Maſſilienſes, aſſumit vtique & ſæpe repetit illius præſcientiæ conditionatę obiectum nullo modo in ſe, ideſt ſubiectiue, futurum eſſe, tum lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 14. dicens, *hoc præſciuit Deus, quod futurum erat, non quod futurum non erat*, tum lib. de anima, & eius origine cap. 12. *ipſa exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit; quomodo enim dicitur præſciri, quod non eſt futurũ?* tum alibi, præter Proſperum, & Damaſcenum. Sed hoc planè non eſt quidem negare in Deo certam præſcientiam futurorum etiam conditionatorum, vt præcognoſcibilium à Deo in ſuis actibus executiue conditionate futuris, vt infra iterum ex verbis expreſſis Auguſtini explicabo, bene tamen hoc eſt negare futurum conditionatum creatum, ut à futuritione conditionata actus

futuri

futuri Diuini diſtinctum habere futuritionem aliquam ſubiectiue abſolutam, ſolum obiectiue conditionatam, vt Perez, & Faſſolus aiebant. Ergo verè ex Auguſtino hanc illod habere negandum eſt. Vbi incidenter inſpicies, quam multi hallucinati eſſe videantur in intelligentia Nauaretis controuer. 56. §. 2. & Cabreræ in 3. p. q. 62. ar. 2. diſput. 12. §. 2. num. 29. hæc Auguſtini, & aliorum Patrum conſimilia teſtimonia afferentium, veluti omnino intenderent iſti negare in Deo certam conditionatorum præſcientiam, cum tamen negent dumtaxat modum eiuſdem terminatum videlicet (vt Suarez cum ſuis intendit) ad ipſam conditionatorum futuritionem, veluti in ſe ſubiectiue abſolutam, & conditionatam obiectiue ſolummodo; hunc modum hi refutarũt, nec male quoad hoc, indeque deinde Nauaretes expendens iſta conditionata creata futura, non niſi in futuritione actus executiui Diuini obiectiue conditionata, & ſubiectiue abſoluta, prænoſci, voluit eam vocare ſcientiam potius eminenter, quam formaliter, ideſt potius in cauſa eminente, quam in ſeipſis, in qua quæſtione de nomine quodnam quæſo abſurdum adeſt? quidnam adeo etiam à quibuſdam noſtris adeo toruis detortiſque oculis deſpiciendum?

Secundò igitur rationibus id probabiliter ſuaderi poteſt, eleuando in primis & illam, qua Cabrera vtebatur à Faſſolo deſpecta forſan, quia non ita penitus explicata; nimirum eatenus neceſſe eſſet etiam futurum conditionatum creatum includere futuritionem in ſe formaliter veluti ſubiectiue actu abſolutam, & pure obiectiue conditionatam, quatenus etiam de ipſo propoſitio conditionalis enunciata verificatur, certoque cognoſci poteſt, vt allatum eſt. Sed hæc ratio etiamſi probet habere debere adminus futuritionem extrinſecam ſubiectiuam in alio, ſcilicet in actu futuro conditionato Diuino, neutiquam tamen probat habere debere aliquam ſibi intrinſecam, veluti ſubiectiue futuritionem ſolum obiectiue conditionatam; ergo eam adhuc vere non habet. Minorem nunc probant euidenter Cabreræ diſcurſus, quia ſicuti de futuro hoc conditionato creato, quod utique poſſibile eſt etiam fieri abſolutum, & præſens, verificatur propoſitio aliqua conditionalis dicendo v. gr. *ſi Petrus rogabitur conſentiet*, ita & de impoſſibili pariter aliqua conditionalis verificatur dicendo, *ſi chimæra eſſet animal eſſet ſenſitiua, ſi Petrus eſſet Deus eſſet omnipotens*, & huiuſmodi. Sed non obſtante hoc ſecundo neceſſe non eſt illud impoſſibile in ſe aliquid ſubiectiuè intrinſecum habere debere fundans veritatẽ propoſitionis prædictæ, ſed ſufficit realitas extrinſeca ipſi, intrinſeca autem Diuinæ eſſentiæ, in qua poſſibilia præcontinentur & eis oppoſita impoſſibilia cognoſcuntur, & in hoc ſenſu communiter dici ſolet, quod conditionalis nihil ponit in eſſe. Ergo pariter non obſtante illo primo neceſſe non erit futurum conditionatum creatum includere aliquam, vel minimam, ſubiectiue intrinſecam futuritionem adhuc ſolum obiectiue conditionatam. Hæc in re eleuata eſt quadruplex Cabreræ ratiocinatio, cui in alio ſenſu intellectæ non nego Faſſolum ſatis probabiliter reſpondere, vti & poſtea fecit Mariales noſter relect. 15. de ſcientia ſect. 3. cum quo ſtat in ſenſu mox ante adducto, nec leuiter a Faſſoli reſponſionibus tactam eſſe.

Tertiò, à fortiori, nam multo quid maius requiri videtur ad verificandam propoſitionem abſolutam, quam conditionatam, cum in illa ſaltem determinatio etiam obiectiue abſolute importetur, non vero in iſta, vt concedunt omnes.

Digitized by Google

nes. Sed ad verificandam illam abſolutam, v. g. *talpa eſt cæca*, ſufficit realitas extrinſeca connotata viſionis, qua caret Talpa, non vero requiritur cæcitatem intrinſece quid reale determinatum eſſe, vndè ens reale diſtinguitur in ens, quod ſignificat veritatē propoſitionis, & in ens à parte rei ex 5. & 7. Metaphiſicorum, & latius explicat cum S. Thom. Caiet. de ente, & eſſentia; ergo à fortiori ad verificandam iſtam aliam conditionalem, *ſi Petrus vocetur conſentiet*, ſufficiet realis extrinſeca determinatio in futuritione actus futuri Diuini, non vero requireretur intrinſeca determinatio futuritionis.

Quartò ſic eleuatur & altera probatio Cabreræ, quam habet ipſe n. 339; nam futuritio creata, etiamſi à priori ex ſupradictis à diſpoſitione determinata in cauſa deſumatur, ſimul tamen ut ibi diximus deſumi ſolet ex euentu ipſo, ad quem ordinatur, ſeu ad ipſam exiſtentiam, ad quam tam poſſibilitas, quam futuritio rei ordinata eſt, etſi iſta proximius quam illa; ergo talis erit futuritio, qualis eſt exiſtentia, ad quam ordinatur futurum conditionatum creatum, v. g. dum dico, *ſi Petrus vocetur conſentiet*, profectò non eſt exiſtentia intrinſecè, quæ habenda, ſit vt in futuro abſoluto, ſed ſolum extrinſecè connotata, quæ habenda eſſet, ſeu haberetur ſuo tempore ſi illa conditio purificanda foret; ergo nec futuritio conditionata creata erit intrinſeca aliqua futuritio in ſe, quæ ſit præſens in linea futuritionis, ſed potius extrinſece realis dumtaxat, & quæ eſſet ſi conditio in eſſe ponenda foret.

Quintò, quia eo modo res futuræ habent actualem determinationem ut ſint in tempore, quo modo habent actu præſentiam in æternitate præarripiente ad ſe quamlibet temporis differentiam, cum aliàs quælibet realis actu intrinſeca determinatio ſolum ab æterno in æternitate ipſam præcontinente realis eſſe queat, non in ſe; ſed futura conditionata creata non habent actu præſentiam aliquam in æternitate, licet eam haberent, ſi & futura abſoluta eſſent, ut docet Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. num. 10. & diſput. 7. de auxilijs nu. 32. ergo nec pariter habent realem aliquam actu determinationem, licet eam haberent, ſi in futura abſoluta tranſlata fuiſſent. Non igitur futurum conditionatum creatum importat præſentem aliquam, ſeu abſolutam, ſubiectiue futuritionem, pure obiectiue conditionatam.

Sextò, quia vt mox ante expendebatur, futuritio etiam cōditionata intrinſeca eſt quidam modus realis eſſendi. Sed modus realis eſſendi conuenire nequit rei, quæ in ſe nihil ſit realiter, ergo futuritio conditionata intrinſeca nequit conuenire rei, quæ in ſe nihil realiter eſt, ſed futurum conditionatum creatum ab æterno nihil verè realiter eſt, immò neque vmquam habiturum eſt eſſe in tempore ad differentiam futuri abſoluti, ergo ipſi nequit conuenire intrinſeca adhuc futuritio conditionata.

Septimò, quia maior eſſet iſta futuritio adhuc conditionata intrinſeca iuxtà oppoſitam explicationem, quam ſit futuritio abſoluta euentus fallibilis in cauſis inferioribus conſideratis ſecundum ſe, quam explicat S. Thom. 1. contra gentes cap. 14, & qu. 12. de Verit. art. 10. & alibi, cum nempè illa etiam Metaphiſicè infallibilis eſſet, & certò cognita à Deo, non verò iſta, quæ adhuc ſolum vt fallibilis in Prophetia comminationis prædicitur, vt illud Ionæ, *Niniue ſubuertetur &c.* Sed iſta adhuc ſecunda nequit conuenire cauſæ non præexiſtenti realiter, ut omnibus notum eſt, ergo à fortiori nec illa prior con-

conuenire poterit creaturæ ſolum conditionate futuræ, quæ & numquam erit, & in æternitate præſens non eſt; remanet ergo in ſolo Deo extrinſecè realem eſſe, quidquid ſit de futuris abſolutis, quæ ſimul in æternitate præſentia ſunt realiter, conditionata verò non ſic.

Octauò, quia in hoc differt futurum conditionatum merè obiectiue à futuro conditionato etiam ſubiectiue, quod iſtud eſt proprie, & formaliter conditionatum in linea futuri, conditione ſcilicet cadente ſuper ipſam futuritionem formaliter, illud verò primum eſt conditionatum ſolum materialiter, & improprie in linea futuri, cadente conditione, non ſuper ipſam futuritionem, ſed potius ſuper exiſtentiam, ad quam eſt futuritio. Sed ſermones ſapientum decet intelligi formaliter proprie, ut ſæpe monet ex Ariſt. & Caiet. non materialiter & improprie, & conſequenter hic loqui debemus de futuro conditionato formaliter vt tali. Ergo in præſenti futurum conditionatum, de quo loqui conuenit, erit utique, ne dum obiectiue, verum etiam ſubiectiue conditionatum, ut explicatum eſt.

Nonò, quia ſicuti nullo intellectu conſiderante hæc propoſitio reuelata in ſcriptura, *ſi Tyrijs fuiſſet prædicatum fuiſſent conuerſi*, eſt vera, ita & hæc nullo intellectu conſiderante eſt vera, *homo non eſt leo*, & cætera quæcumque negatiuè etiam de rebus actu exiſtentibus enunciantur. Sed ad fundandam ſecundam veritatem realem non requiritur in obiecto propoſitionis negatiuæ intrinſeca realitas, immò ſufficit extrinſeca, vt dicunt Theologi ad p. p. q. 14. de cognitione negationum in Deo. Ergo pariter ad fundandam veritatem realem primæ non requiritur realis intrinſeca futuritio, immò extrinſeca ſatis erit.

Decimò, nam ſi quis ore proferat, & mente pure ſpeculatiua approbet hanc propoſitionem conditionalem. *Si ego eſſem Deus Turcas omnes in nihilum redigere poſſem, & vere redigerem*, iſte exprimeret futuritionē aliquam ſui actus ſub ea conditione futuri. Sed hoc non obſtante neceſſe non eſt, in hoc caſu, in hoc homine adeſſe abſolutam adhuc ſubiectiue futuritionem prædicti actus ſolum obiectiue conditionatam, aliter vix iſte de facto ab aliquo peccato in proximum abſolui valeret, ſtante de facto ſtatu oppoſito hominis, cui ſupremo carenti dominio dicta actus futuritio ſubiectiue abſoluta non licet. Ergo ſignum euidens eſt non requiri prædictam futuritionem ſubiectiue abſolutam, ſed ſatiſque obiectiue conditionatam. Et in idem redit arguendo ſic, quia probabile eſt poſſe ſine peccato approbari hanc enunciationem, *ſi vindicta non eſſet peccatum ſeu malum vellem ſumere vindictam de inimico*, vt concedit etiam cum Vaſquez p. 2. diſput. 73. cap. 5, & diſp. 116. cap. 2. Alarcon diſput. 5. de voluntate cap. 9. à num. 6. ſed ſi illa particula, *vellem*, affecta conditione importaret futuritionem ſubiectiue abſolutam conſenſus in vindictam de inimico, iam importaret poſitiuam inclinationem determinatam in vindictam, nec inde videretur poſſe à peccato excuſari, ergo probabile eſt ſaltem non importare futuritionem ſubiectiue abſolutam.

Vndecimò tandem, quia ſaltem futuritio actus affirmata ſub conditione impoſſibili de chimæra nequit eſſe realis ſubiectiue futuritio, cum chimæra nihil omnino ſit. Sed adhuc illa cognoſcitur à Deo, dicendo, *ſi chimæra eſſet agens liberum, & concurreretur à Deo, conſentiret*, vt aſſert & ex propoſito propugnat

Aria-

Ariaga diſput. 21. ſect. 7. nu. 43, ergo ex eo quod aliqua futuritio cognoſcatur à Deo, neceſſe non eſt eam eſſe realem ſubiectiue abſolutam; vt fere ſimili diſcurſu & exemplo vtebatur Nauaretes pag. 350. de contradictione efformabili etiam inter affirmationem & negationem de chimera.

Ad primum igitur primæ extremæ ſententiæ, conceſſo integro ſillogiſmo primo, minor ſubſumpta negatur, immò quo magis Suarez, tum ibi, tum antea in opuſculo de ſcientia Dei lib. 1. cap. 6. à num. 9. fatebatur hanc præcontinentiam futuri conditionati creati in futuritione conditionata actus executiui Diuini, contradicere ſuæ ſcientię mediæ (vti præuidit & Aluarez libr. 1. reſponſ. cap. 4. num. 7.) eo minus prædicta ſententia Magiſtri Nauaretis, à Cabrera poſt ea atque Zumello probabiliter defenſata, improbabilis adhuc apud Thomiſtas cenſeri poteſt, cum nempè adhuc in iſta (præſcindendo à decreto conditionato) omnino ſeruetur ſcientia conditionatorum creatorum efficaciæ dumtaxat voluntatis Diuinæ connexa, & innixa, quod ſuper omnia aduerſus Maſſilienſes olim Auguſtinus oſtendere, atq; defendere conabatur.

Ad ſecundum, paritas quidem illa quo ad aliqua valet, vt ibi aſſertur, quoad reliqua verò in hoc præſertim deficere dicenda eſt, tum quod à præſentia immenſitatis Diuinæ ad loca futuritio locorum non ſumitur, vti à præſentia diſpoſitionis determinatæ in actibus futuris executiuis Dei ad extra futuritio etiam conditionata noſtrorum actuum ſaltem ab extrinſeco, & a priori, deſumi debet, ideò non requiritur illam adhuc futuram eſſe ſubiectiue abſolutam, ut iſtam ſic eſſe adminus neceſſe eſt, tum quod inde illa quodammodo loca prius à potentia priori creatiua producta, vel producenda, ſupponit, voluntas verò Diuina coniuncta cum ſcientia ipſammet efficit etiam conditionatam futuritionem rerum, ideoque illa expectare veluti poteſt ſubiectiue ſuſpenſa connotatam locorum poſitionem, vel ſuo modo futuram, iſta verò non ſubiectiue ſuſpenſa futuritionem, vel etiam conditionatam expectare poteſt. Sed immò ſupremo dominio quamlibet, ut prima cauſa, præuenire habet, & efficere, qua ratione S. Tho. qu. 3. de Potentia ar. 17. ad 19. inquit, *quod ſicut ſe habet ſcibile ad ſcientiam noſtram, ita ſe habet ſcientia Dei ad creaturas: nam ſcientia Dei eſt cauſa creaturarum, vbi ſcibile eſt cauſa ſcientiæ noſtræ.*

Ad tertium vltrò diſparitas explicata eſt inter conditionatam futuritionē actus executiui Diuini, & actus creati noſtri, quod iſta indiſpenſabiliter pendet ab illa, illa verò prima omnium in linea futuritionis, vt ſuprema cauſa, eſſe debet, conſtat autem magis præſcientiam diſpoſitionis in cauſa præſertim prima neceſſariam eſſe etiam ad futuritionem effectus, quam quæ non ita in futuritione effectus neceſſaria eſt, vt acutiſſime prædocuit S. Thom. tum p.p. q. 16. ar. 7. ad 3. vt ſupra verba retulimus, tum q. 1. de verit. ar. 5. ad 6. dicens, *id, quod eſt futurum inquantum eſt futurum, non eſt, & ſimiliter præteritum inquantum huiuſmodi, vnde eadem eſt ratio de veritate præteriti, & futuri, ſicut & de veritate non entis, ex qua non poteſt concludi æternitas alicuius veritatis niſi primæ, vt dictum eſt.* Et idem ferè repetit quæſt. 3. de Potentia ar. 17. ad 27. & 28, addens, *quod omnia, quæ ab æterno dicuntur vera eſſe, vera ſunt vna & eadem veritate Dei, ad diuerſas tamen res in proprio eſſe futuras, & ſic ex diuerſa relatione poteſt aliqua diſtinctio in illa veritate deſignari.*

Ad primum inde ſecundæ extremę ſententiæ, prætermiſſa maiori nego mi-

norem, ſeu eiuſdem ſuppoſitum, in eo ſcilicet caſu ſignificari aliquam futuritionem etiam conditionatam gloriæ Dæmonum, nulla enim ibi futuritio ſignificatur, ſed mera connexio, & illatio, non minus *ac ſi dicamus*, inquit Sanc. Thom. p. p. qu. 25. ar. 3. ad 2. *quod Deus poteſt praua agere ſi velit &c.* præterquam quod ad ſummum adhuc in eo caſu aliūde diſparitas aſſignaretur, quod nempe ibi conditionata futuritio gloriæ eſſet pure mediata, & reflexa paſſiue fundata in altera iterum conditionata futuritione creata pœnitentię Dœmonum, quę ſola immediata in futuritione ſubiectiue abſoluta actus Diuini futuri fundata eſt, in præſenti vero ſaltem conditionata futuritio creata gloriæ hominum immediate in futuritione ſubiectiue abſoluta actus futuri Diuini fundata eſt, licet neutrobique conditionata futuritio creata ſubiectiue abſoluta foret.

Ad ſecundum ex modo dictis conceſſa maiori neganda eſt minor, quia vt ſæpe dictum eſt, connexio propoſitionis conditionatæ, vt talis, nihil neceſſario ponit in eſſe, & vt ab exemplis adductis patet, etiam de rebus impoſſibilibus enunciatur, in quibus profectò non adhuc futuritio ſubiectiue abſoluta admitti poteſt, & tales propoſitiones conditionales de futuro, inquit Mriales, *dici poſſunt de futuro potius grammaticaliter quam Theologicè, vel Philoſophicè.*

Ad tertium libenter conceſſa maiori, minoris ſequela negatur, ſiquidem adhuc in iſta præexplicata ſententia futuritio ſubiectiue etiam conditionata cōſenſus Tyriorum ſaltem extrinſece à futuritione ſubiectiue abſoluta actus futuri Diuini connotata per iſtam dici poteſt extracta adminus ſecundum quid & conditionate à ſtatu puræ poſſibilitatis ad infimum vtique ſtatum futuritionis, ad quem adhuc profectò extractus non erat conſenſus habitatorum Corozain ſub conditione etiam prædicationis Chriſti, cum illa ſupponeret futuritionem ſubiectiue abſolutam actus poſtea futuri Diuini in tempore, quo voluntatem ſub ea conditione applicaturus erat, vt coſentirent *Tyrij*, non verò iſta de incolis Corozaim.

Ad quartum, vel maior ex dictis neganda eſt, vel gratuito ſic diſtinguenda, nimirum loquendo de determinatione reali extrinſeca ipſi, cuius ſcilicet realitas ſit in ſola diſpoſitione determinata primæ cauſæ, concedo, de determinatione reali intrinſeca ipſi creatæ futuritioni, & cuius realitas quodammodo in ipſa ſit veluti ex ſe obiectiue, ut illi contendunt, nego, ſicut iam plurimis exemplis atque rationibus explicatum eſt, ad verificandas conditionales allatas de actibus noſtris ſub conditione futuris ſatis eſſe realitatem intrinſecam in cauſa, ſicut eadem etiam ſufficit ad verificandum realiter hominem ab æterno poſſibilem eſſe, non verò chimæram, & ita de alijs etiam à fortiori, quæ antea expenſa ſunt.

Ad quintum, in primis S. Thom. ibi loquebatur perſpicue ſolum de futuro abſoluto, licet fallibili in cauſis præſentibus inferioribus, non verò de futuro pure conditionato, ut loquimur nos, & legenti patebit; Attamen adhuc dato in conditionato futuro aliquem ordinem importari, videndum manet, an iſte ordo ſit intrinſece realis in ipſo futuro, vel pure realis realitate extrinſeca in alio, vt prædicti ſaltem Thomiſtæ ſupponunt, ſicut pariter ſi dicamus *chimæra ſi eſſet libera aliquando peccaret*, & hic ordo ſine dubio ſub cōditione importatur, & tamen hic ordo non eſt realis in ipſa chimera, quæ nullo modo realis eſt.

ARTICVLVS II.

An his non obſtantibus adhuc dentur decreta obiectiuè conditionata Thomiſtica approbatiua conditionatæ futuritionis actuum Diuinorum, vel vltrò etiam directè immediatè tangentia conditionatam futuritionem actuum creatorum.

C*Vm aliquid dicitur eſſe vel fieri voluntate*, vt dicebat S. Tho. par. p. q. 41. ar. 2. *dupliciter intelligi poteſt, vno modo vt ablatiuus deſignet concomitantiā tantum, ſicut poſſumus dicere, quod ego ſum homo mea voluntate, quia ſcilicet volo me eſſe hominem. Alio modo ſic quod ablatiuus importet habitudinem principij: ſicut dicitur, quod artifex operatur volu ntate, quia voluntas eſt principium operis*. Præſcindendo igitur pro nunc ab hoc ſecundo modo, nimirum an dentur decreta Diuina in ratione principij voluntarij prędefinitiui virtualiter ſaltem futuritionis conditionatę, quam habet, ſiue actus futurus Diuinus immediate, ſiue mediatè actus noſter ſub cōditione futurus, de qua difficultate in ſequētibus, primo modo dumtaxat pro explicatione eiuſdem ſententiæ Nauaretis, Cabreræ, Zumelli, & aliorum, inquiritur, an ſuppoſitis ſupradictis dentur adhuc decreta obiectiue conditionata Thomiſtica &c. ut in titulo proponitur.

Et videtur in primis nullo modo ad conditionatam futuritionem ſiue actus Diuini, ſiue humani prædicta conditionata obiectiue decreta Thomiſtica vel dari, vel poſſibilia eſſe, tum ipſi Vaſquez (inter cæteros) p. p. diſp. 67. cap. 4. & alibi, tum Molinæ diſp. 15. 17. 18. tum Alarcon diſput. 5. de voluntate cap. 8. tum Franciſco Annato, & quibuſdam alijs. Et primò ab auctoritate ſimul hęc decreta negantium, & nouitate decretorum eorumdem, probari ſolet, nam, ut loquitur Alarcon diſp. 4. de ſcientia cap. 6. *Romæ in diſputationibus coram Sacris Pontificibus circa ſcientiam mediam conſtantiſſime à Societate exterminata fuere à Diuina mente huiuſmodi decreta actu conditionata &c. & ibi Societas pleno ore vocauit ſtulta, inutilia, inepta, impoſſibilia, & non ſolum Deo indigna, ſed quæ mediocriter prudenti viro adſcribi non poſſunt*, vt poſtea repetit, ne forte eorum encomiorum aliquis obliuiſceretur, infra diſput. 5. de voluntate cap. 11. in fine dicens, *Doctores noſtri, vt impoſſibilia, vana, ſtulta, & otioſa, reſecerunt*, ſi nilibus ferè verbis, potius quam probationibus, agit nuper Annatus hæc ſcribens; *ad poſitionem iſtorum decretorum meritò mirari poſſumus, ſicut mirantur homines ad conſpectum nouorum fructuum*, vti & iamdiù hæc obiectio de nouitate fuerat præuiſa apud Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. in confirmatione tertij argumenti, *quod ſcilicet nouiter a modernis Theologis introducerentur, vt phiſicam prædeterminationem defenderent*; vidētur igitur ex his etiam velut ſuſpecta de nouitate & à contradicentium auctoritate deneganda eſſe.

Secundò, quia decretum conditionatum ſub conditione impoſſibili inutile, ſtultum, & abſurdum eſt, ac ſi quis diceret, *volo tibi dare librum ſi per aerem volaueris*, vel *ſi chimara producatur volo eam decem annis conſeruare*, vt affert iſta exempla ibidem Alarcon. Sed pariter hoc decretum conditionatum, ver. gr. *quod ſi Tyrijs, & Sidonijs Euangelium prædicaretur, illi conſenſuri eſſent*, iam erat de conditione impoſſibili prædicationis, quam Deus ſimul decreuerat dan-

dam

Digitized by Google

dam non eſſe, & conſequenter eam fieri impoſſibile erat, ergo dictum decretum conditionatum omnino impoſſibile imprudens & ſtultum erat.

Tertiò, otioſum adminus eſſet decretum conditionatum ſub ea conditione, quæ primo à decernentis voluntate liberè poſſibilis eſt, vt ſi ego ſic dicerem, *ſi voluero donabo tibi hoc munus &c.* Sed conditiones, ſub quibus fierent vel fieri poſſunt infinitæ iſtæ combinationes de rebus, iam primo pendent à ſola voluntate Dei, vt poſtea ponantur, vel non ponantur in re. Ergo otioſum omnino eſt, & imprudens, circa infinitas prædictas combinationes rerum poſſibiles ſub prædicta conditione decretum.

Quartò, quia in voluntate Diuina nullum datur decretum liberum actu exiſtens, reſpectu cuius non detur actu aliquod connotatum ad extra variabile, quod ſcilicet ita actu ſit, vt à principio potuerit non eſſe; ſed reſpectu decreti conditionati liberi Dei aſſignari non poteſt hoc connotatum, cum neq; euentus aliquando abſolute futurus ſit, neque conditio ponenda, ergo nullo modo decretum hoc conditionatum datur, vel poſſibile eſt, in voluntate Diuina.

Quintò tandem, vt videtur colligi etiam iſte diſcurſus ex Nauarete controuer. 56. §. 2. pag. 348. in decreto Dei, de concurſu ſuo futuro ſub conditione, cum nequeat conditio cadere ſupra decretum ipſum, aliter eſſet etiam ſubiectiue conditionatum, reſtat cadere conditionem ſupra concurſum Dei, qui ſcilicet ea data daretur. Sed abſonum videtur concurſum Dei ab alia extrinſeca creata conditione pendere, aliter non ab intrinſeco, vt volunt Thomiſtæ, ſed ab extrinſeco efficaciam & effectum habere diceretur; ergo nullo modo dari poteſt hoc decretum de concurſu ſuo futuro Diuino ſub conditione &c.

In oppoſitum tamen eſt communis omnium Thomiſtarum conſenſus admittentium aliqua decreta ſubiectiue abſoluta, obiectiue conditionata, vt legere eſt in Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. per totum, vbi etiam num. 11. inquit, *eadem docuiſſe Magiſtrum Lunam, Magiſtrum Nugno, Magiſtrum Nauaretem, Lectorem Ram, & Magiſtrum Ledeſmam*; inde ſecuti ſunt Nazarius, Gonzalez, Salmanticenſes, Ioannes de S. Thom. & innumeri alij recentiores, inter quos nuper Gonet diſput. 5. de ſcientia ar. 2. extendens etiam cum alijs quibuſdam prædicta decreta ad tangendam immediate futuritionem conditionatam actuum creatorum, & non ſolum mediate in futuritione conditionata actuum Diuinorum, cuius explicationis atque ſententiæ argumenta inferius Artic. 3. proferenda ſunt. Ergo ab auctoritate adminus tot Doctorum, & Patrum etiam, quos ipſi referunt, decreta iſta conditionata obiectiue admittenda ſunt.

Reſpondeo in primis iuxta commune iam placitum, ne dum Thomiſticæ Scholæ, verum & plerumque Doctorum Societatis decreta obiectiue conditionata de facto debere concedi, præſcindendo à modo, quo tangant actuum futuritionem, de quo mox. Sic neſcio qua fide Alarcon pro ſua ſententia negatiua recenſeat *Enriquez lib. vltimo de fine hominis cap. 4. num. 2. & 3*; cum ibi penitus oppoſitam ſententiam affirmatiuam protulerit dicens, *neceſſe eſt in ſigno rationis ſupponere in Deo liberam quamdam Dei conditionatam prædeſtinationem*, neſcio qua iterum fide iactet *Societatem pleno ore*, Romanæ diſputationis tempore, eadem etiam cum ſchematibus abhorruiſſe, cum de Suarez, principe

Scri-

Scriptorum Societatis (quem tunc vixiſſe, ſcripſiſſeque conſtat) ſuimet immemor idem Alarcon fateatur num. 3. *Suarez prolegomeno 2. de gratia cap. 8 latè probaſſe eſſe poſsibilia hæc decreta, & multa eſſe de facto in Deo*. Idem ſubdit de Arubale eodem cap. 8. n. 4, quem tamen ſcimus eiſdem diſputationibus interfuiſſe, earum que acta ſcripto dediſſe, relata poſteà à Gabriele Hennao, & indicata ab eodem Alarcone cap. 11. in fine, *ſeruata in ſuo Complutenſi collegio &c.* de Ruuicio non minus mox nu. 5. conſentit eamdem *ſententiam tradidiſſe*, cum quibus ideo expoſtularat anteà idem Alarcon diſp. 4. de ſcientia cap. 6. deplorans *Suarez alioſque Doctores ſuos parum feliciter* Societatis inuentum *conſecutos eſſe, non nihil ſpatij dantes hoſtibus, in quo libere poſſent aggerare tormēta, à ſuiſque imò Ciuibus per fraudem ſic aperta fuiſſe mænia, vt hoſtes vno impetu irrumpere poſſent: Manus cum hoſtibus conſerentes, & in vnam eamdemque prorſus doctrinam conſpirantes, cuius criminis reum*, addit num. 8. *in primis fuiſſe Ruuicium*, indeque n. 9. concludit, *felicius triumphum egiſſe ſuum Vaſquez, quia aperto Marte hoſtibus terrorem incuſſit*. Heu quæ ſtrages hoſtium! quæ proditiones Sociorum, quæ victoriæ, ac triumphi memorabiles Vaſquez! *cuius* immò *rationes* iterum immemor ſui idem Alarcon diſp. 5. de voluntate cap. 8. citato n. 7 confitetur *non multum vrgentes fuiſſe*. Huic ne fides Scriptori habenda erit, qui ità ſuos velut proditores traducit, noſtros velut hoſtes proſtratos inclamat, utriſque per omnia iniurius eſt, mox integræ Societati decretorum omnium conditionatorum attribuit negationem, mox eiuſdem principibus eodem tempore ſcribentibus accepta eadem fuiſſe conqueritur. Sed hæc omittamus, & præter Thannerum ad hoc referentem etiam Valentiam atque Molinam, præter Herice, & Granado, concinentes cum Suarez, audiamus Faſſolum ad q. 14. de ſcientia ar. 13. dub. 13. num. 249. iſta fatentem. *Non poni formaliter in Deo voluntatem conditionatam eſt aperte falſum, & contra communem Theologorum &c. de qua etiam voluntate conditionata* 1. *Thimot.* 2. *dicitur, qui vult omnes homines ſaluos fieri, in qua locutione, inquit ibi Ambroſius, conditio latet, ſi accedant ad eum &c.* hæc Faſſolus. Audiamus & nuper Linçæum libr. 7. Metaph. tract. 9. cap. 9. dicentem, *hæc decreta libera ſunt conditionata ex parte obiecti, & ex parte ſubiecti abſoluta, quæ tunc eſſet Deus habiturus, & qualia modo habet non pauca, quia poſſunt addere ſupra prædicta eius neceſſaria*. Audiamus & Quiros diſp. 42. de ſcientia Dei ſect. 8. nu. 3. aientem, *ego non nego dari in Deo actu decreta pure conditionalia circa omnes euentus, etiam qui numquam erunt, hoc etiam manifeſte ſentit Molina citatus ſect. 5.* idem defendit Martinonius diſp. 14. de Deo ſect. 9. per totam, verè ſoluens 8. obiectiones afferri ſolitas aduerſus conditionata decreta, adeo ut quoad hoc pro Thomiſtis laboraſſe videatur. Non ergo Societas pleno ore decreta iſta conditionata, vt Alarcon dicebat, abominata eſt. Scio autem plura ad hæc decreta probanda argumenta proferri à recitatis etiam Scriptoribus noſtris, vt præ cæteris nouiſſimè in Gonet non pauca legi poſſunt; ſed nobis hæc gemina probatio in Alarconem (ferè à prædictis intacta) ſatis erit, quia ſicut de futuris conditionatis actibus noſtris reuelantur conditionales propoſitiones in Scriptura præſupponentes ſcientiam eorum in Deo, vt illud Matt. 11. *ſi in Tyro, & Sidone &c.* ita etiam de actibus Diuinis conditionatè futuris reuelantur conditionales propoſitiones præſupponentes voluntatem eorumdem, vt illud Marci 11. *ſi dimiſeritis hominibus dimittet & vobis Pater &c.*

& Ioan.

& Ioan. 13. *ſi non lauero tibi pedes non habebis partem mecum*. Sed ex primo colligitur in Deo dari, ne dum virtualiter, ſed formaliter etiam præſcientiam ſubiectiue abſolutam, & ſolum obiectiue conditionatam noſtrorum actuum ſub conditione futurorum, vt contra Nauaretem idem etiam Alarcon arguebat, ergo ex ſecundo pariter colligere debemus in Deo voluntatem ſubiectiuè efficacem obiectiuè conditionatam, ne dum virtuali efficacia (vt ipſe aufugiens reſpondet cap. 10. n. 5.) verum & efficacia ſubiectiue abſoluta formaliter, vel ſi virtualis efficacia ſufficeret in voluntate ad ſaluandas reuelationes ſecundas, cur non ſufficeret virtualis certitudo in ſcientia ad ſaluandas alias priores? omiſſo quod ſtante ſola complacentia ſimplici ineffieaci formaliter, & ſolum virtualiter efficaci, non adhuc certa infallibilis futuritio actus ſub conditione remaneret, quod contra infallibiles præallatas reuelationes eſſet. Nec leuior altera probatio in eumdem hæc eſſe poteſt, nam ſicut ſcientia Diuina infinita attingere debet de facto omnia vera quocumque modo ſcibilia, ità & infinita voluntas eiuſdem attingere debet, & amare, omnia bona ſaltem reperta in eodem Deo, quidquid eſſet de creaturarum bonitate. Sed iam in Deo datur ex dictis hæc etiam futuritio ſubiectiue abſoluta, & obiectiue conditionata, ſuorum actuum Diuinorum executiuè ſub conditione futurorum in tempore, quæ certè quid bonum eſt, cum nullum malum in Deo ſit; ergo ſicut hinc ſcientia Diuina attingere debet etiam actus futuros noſtros conditionatos, ita & Diuina voluntas neceſſe eſt attingat & amet, ſeu approbet iſtam conditionatam futuritionem prędictorum actuum Diuinorum: iſta autem approbatio Diuinæ voluntatis, etſi ſubiectiue abſoluta eſſe poſſit, obiectiue tamen ex obiecto conditionato non niſi conditionata eſſe poteſt; vere igitur in Deo neceſſe eſt detur hæc voluntas, ſeu volitio, obiectiue conditionata, quæ decretum conditionatum nuncupatur. Circa quàm verò futuritionem conditionatam hæc decreta immediate verſentur, an ſcilicet circa futuritionem prius actuum conditionate futurorum Dei, quam creaturarum; modo remanet ſubiungendum.

Secundò igitur his ſtabilitis ſubdendum eſt prædicta decreta obiectiuè conditionata immediatè, & directè, verſari circa futuritionem conditionatam actuum Diuinorum, antequam ſubinde mediate creatorum actuum futuritionem attingant. Sic pridem docuit noſter Angelicus q. 12. de verit. art. 10. dicens, *vt dixit Damaſcenus, ea, quæ Deus prædeſtinat, non ſunt in nobis, unde & prædeſtinatio quaſi quædam Dei præparatio dicitur, hoc autem aliquis præparat, quod facturus eſt ipſe, non quod alius*, hæc prudentiſſime S. Tho. vt eadem etiam phraſi vteretur, qua frequentiſſime antea Auguſtinus vtebatur (non ita retenta, vt video, ab aliquibus, ut debebat) nimirum lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. inquit, *non de noſtra voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit, promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines, quia etſi faciant homines, quæ pertinent ad colendum Deum, ipſe facit vt illi faciant*, ideo ſubdit, *& aliena facta poteſt prædicere, atque præſcire, ſed ait Apoſtolus, potens eſt & facere, ac per hoc facta non aliena ſed ſua*, nec minus ſimilia in lib. de Dono perſeuerãtiæ cap. 17, & alibi frequẽtiſſimè perleguntur, ut in ſubſequentibus afferemus, & breuiter ratione mox ante indicata ab Auguſtino, & S. Thom. probatur, nempe eo modo decreta Diuina futuritionem obiectiuam obiectorum tangunt ordinatè vt terminum,

quo

quo modo ipſa obiecta inter ſe ordinata ſunt, ut colligitur ex eodem S. Tho. q. 23. de verit. ar. 2. ad 8. in decretis Diuinæ voluntatis admittentis dumtaxat, *antecedens & conſequens penes diuerſam comparationem eius advoluta*. Sed iam futuritio etiam conditionata actuum Diuinorum ſic ordinatur cum futuritione actuum noſtrorum, vt iſta ſubſequatur ad illam tamquam effectus ad cauſam. Ergo eodem modo & decreta voluntatis Diuinæ attingent prius immediate & directè illam futuritionem actuum Diuinorum, quam iſtam actuum creatorum, ſeu creaturæ; quæ ſane erat Auguſtini probatio illis verbis, *quia etſi faciant homines, ipſe facit vt illi faciant*, repetita omninò à S. Thoma eadem q. 12. ar. 10. ad 4. dum inquit, *meritum noſtrum & eſt ex gratia, & ex libero arbitrio, non autem ſubiacet prædeſtinationi, niſi ſecundum quod eſt ex gratia, quæ à ſolo Deo eſt; id vero quod ex noſtro libero arbitrio eſt prædeſtinationi ſubeſſe dicitur per accidens*, ideſt ratione alterius. Et confirmari poteſt ex eorumdem verbis hoc modo, nam præſcientia latius patet quam prædeſtinatio, cum illa etiam peccata formaliter attingat, non iſta (vt ſupra aduertebat etiam Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 14.) conſequenter illa in prædicando prior erit, in eſſendo poſterior, quam prædeſtinatio ſeu decretum. Sed quidquid ſit in prædicando, an Deus attingat prius ens commune Deo & creaturis, vt quidam extranei innuebant ad qu. 14. extendentes nimis obiectum formale intellectionis Diuinæ, ſicut & voluntatis ſimul ad creaturas, ſaltem in eſſendo Deus prius ſe ipſum intelligit, & vult, quam creaturas, vt omnes admittunt. Ergo pariter prædeſtinatio, ſeu approbativum decretum in eſſendo attinget prius opera Diuina futura, quam noſtra, ſiue hominum, ſiue Angelorum, quæ eſt Auguſt. probatio illis verbis, *& aliena facta poteſt præſcire, & prædicere, ſed ſua potens eſt & facere, ac per hoc facta non aliena ſed ſua*. Sed ad quid immorabor vltiò, cum omnes Thomiſtæ ex profeſſo conueniant in tract. de voluntate atque demonſtrent, volitionem Dei extendi non poſſe ad bonitatem aliquam creaturarum, niſi mediante ſola bonitate Diuina præiacta & amata. Ergo à pari hic non valebit Diuinum decretum, de quo loquimur modo, etiam conditionatum à Diuina voluntate proueniens, attingere ipſam futuritionem conditionatam actuum creaturarum, niſi prius attacta, aut approbata directe ac immediate futuritione conditionata operum Diuinorum, vti peracute viderunt, atque adnotarunt Salmanticenſes ad inſtitutum noſtrum diſput. 7. de voluntate Dei numero 42.

Poſtremò nunc inde, ut Nauaretis, Cabreræ, ac Zumelli ſententia dilucidè proponatur, & in eorum hypotheſi de negata iam ſupra intrinſeca futuritione ſubiectiue abſoluta in futuris conditionatis creatis, addendum eſt circa iſta futura conditionata creata non poſſe dari ſaltem immediate, & directe decreta aliqua ſubiectiue abſoluta & obiectiue cõditionata, vt illi intendũt. Sic planè, vt fatetur Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. *vt probabilem ſententiam defendit Zumel tom. 3. variarum diſput. ad primam partem, & p. 2. S. Thom. pag. 189. in impreſſione Pariſienſi §. ſed profectò*, & antea idem Zumel p. p. q. 14. ar. 13. diſp. 8. conclu. 3. dicebat, *reſpondent nonnulli, quod licet Deus illa conditionata, ſcilicet creata, non decreuerit abſolute, nihilominus decreuit ſub conditione; ridicula ſane reſponſio, quæ Deum imperfectum facit*, vt mox in hoc ſenſu imperfectio probabiliter aſſeretur: eodem omninò modo Cabrera tom. 1. in 3. p. q. 1. ar. 3.

diſp. 2. §. 22. n. 339. eadem ferè reſponſione recitata inquit, *ſed ſane reſponſio friuola eſt, & in Deo imperfectionem conſtituit*; demum Nauarete controuer. 56. §. 2. ex inſtituto pluribus medijs in hoc ſenſu utique decreta etiam obiectiue conditionata, vt mox refero, inſectatur, ex quibus ſplendide video plures hallucinatos in iſtorum ſenſu fuiſſe, dum Cabreram, & Zumellum alibi acriter refellentes ſcientiam mediam, immò & conditionata decreta agnoſcentes, dicunt, *notandæ in ipſis repugnantiæ culpandos eſſe*, vt loquitur Suarez proleg. 2. de ſcientia cap. 1. n. 3, *alij inconſtantes in ſua doctrina fuiſſe*, vt Faſſolus dub. 3. n. 211, alij illos inde referunt pro ſcientia media contra Thomiſtas, ex eiſq; canunt Triumphos, ut Paulus Hibernus p. 1. de ſcientia media ſect. 12. per totam, alij etiam ex noſtris Nauaretem in his velut à ſemita aberrantem deſpiciunt, vt Gonzalez diſput. 46. & alij; cum tamen non ita Aluarez etiam Nauaretis ſententiam reprobarit, immò probabiliter in noſtra Schola permittat eodem libr. 1. reſponſ. cap. 4. ad 6. dicens, *quamuis daretur ſecundum aliam opinionem, ſcilicet ex Nauarete, non eſſe formaliter in Deo, ſed ſolum eminenter, nihil concluderet argumentum contra noſtram ſententiam*. Igitur iſti in refellenda ſemper ſcientia media perſtiterunt, ſed iuxtà mox allatum ſenſum, ut iterum infrà dicetur, & Nauaretes eatenus dixit ſcientiam conditionatorum eminenter ſolum eſſe in Deo, non formaliter, quatenus conditionata noſtra cognoſci voluit, non in propria intrinſeca futuritione, ſed in extrinſeca conditionata futuritione operis Diuini futuri; & alias, vt notauit Aluarez ibidem, non negauit aliorum communiorem explicationem, quæ modo datur, ſed ſolum iſtam tamquam probabilem defendit. Sic itaque explicata in hoc ſenſu cum ſuis auctoribus iſta ſententia, audiamus nunc quantam habere poſſit probabilitatem, præſertim ex ſubtiliſſimis Nauaretis probationibus, ex quibus nos euocabimus iſtas. Nam ſicut obiectum viſus eſt coloratum actu intrinſece, & non ſolum extrinſece, vel in potentia, ita & obiectum decreti prædicti volitionis Dei circa futura eſt futurum habens actu intrinſecam aliquam futuritionem, & non ſolum extrinſecam in potentia, vel in alterius futuritione. Sed hæc futura conditionata creata habent ſolam futuritionem extrinſecam in futuritione operis futuri Diuini, non verò intrinſecam ſubiectiue aliquo modo abſolutam, ut ſuprà præmiſſum eſt, ergo ſicut viſus non poteſt verſari directe immediate circa obiectum non intrinſece coloratum actu, ita nec iſtud decretum verſari poteſt immediate circa futura iſta non habentia actu dictam intrinſecam futuritionem, licet poſtea ſicut viſus per accidens, ideſt ratione lucis, etiam tenebras quodammodo videt, ita & decretum iſtud ratione præattactæ futuritionis operum Diuinorum attingat vtique indirecte & mediate (quod *eminenter* à Nauarete dicebatur) & iſta futura conditionata creata, vbi vides ſimul præcluſam reſponſionem Goneti §. 5. ad 3, & confirmationem eiuſdem.

Secundò, nam ſicut quod non eſt abſolute futurum etiam in ſtatu abſoluto nequit eſſe motiuum morale Diuinæ voluntatis ad retribuendum præmium, aut pœnam, ut contra Semipelagianos ex ſcripturis arguebat Auguſtinus, ita quod non eſt ſaltem intrinſece in ſtatu conditionato futurum, modo mox explicato, nequit eſſe terminus adhuc directus per ſe voluntatis Diuinæ, & ſicut ex primo refellebatur abuſus ſcientiæ mediæ ab Auguſtino, ita ex ſecundo

do refellitur eadem ſcientia media quoad ſubſtantiam ab eodem Auguſtino. Sed iam iſta futura conditionata adhuc in hoc ſtatu conditionato ex dictis non habent futuritionem intrinſecam, ergo adhuc iſta in hoc ſtatu nequeunt eſſe vel terminus immediatus directus voluntatis Diuinæ, ſeu decreti Diuini.

Tertiò, quia intantum nequit dari aliquis actus Diuinæ voluntatis circa poſſibilia, ex Thomiſtis p. p. q. 19. ar. 3. inquantum in ipſis nulla datur actu bonitas exprimens ſaltem conuenientiam ad appetentem, vel finem. Sed pariter in his conditionatis creatis nulla intrinſeca bonitas adhuc futuritionis conuenientis ad appetentem, vel finem, vel opus datur, ergo nec pariter circa iſta dari poterit actus directe, ſeu immediate, Diuinæ voluntatis ſiue decreti. Immò roborari poteſt à fortiori, quia gratis admiſſo poſſe dari circa pure poſſibilia aliquem actum ſimplicis amoris ſeu complacentiæ, certum adminus eſt non poſſe dari amorem aliquem efficacem dilectionis, ſed iſtud decretum conditionatum circa futura conditionata iam eſſet actus efficax iuxta admittentes illud impertiri aliquem modum intrinſecum futuritionis, cum tamen hic modus in conditionatis creatis repugnare ſupponatur, ergo à fortiori decretum iſtud efficax circa dicta conditionata creata immediate dari non poteſt.

Quartò, quia ſicut voluntas noſtra in hoc differt ab intellectu ex 6. Metaph. tex. 8. & alibi, quod illa fertur extra ſe in obiectum ſolum vt eſt in ſe, iſte vero trahit res ad ſeipſum, ita & voluntas Diuina habet producere res in ſeipſis, vel quoad exercitium, vel ſaltem quoad futuritionem, vt rerum cauſa ex p. 1. q. 19. ar. 4. Sed ex primo voluntas noſtra non fertur in rem, quæ eſſet bona, tamen non ſit bona ſaltim apparenti aliqua bonitate, ergo pariter nec voluntas Diuina dicetur producere rem in eo ſtatu bonitatis, in quo nullam habeat bonitatem, ſed haberet, ut in propoſito. Immò à fortiori id valet ex doctrina S. Thom. p. 1. q. 19. art. 3. ad 6. quod nimirum *Diuinum ſcire neceſſariò fertur in omne ſcibile, non ſic Diuinum velle* neceſſariò omnino in omnem bonitatem volibilem ſaltem creaturarum.

Quintò, eo proportionali modo efficacia Diuini decreti ab æterno cauſat futuritionem creatam in rebus, quo actus executiuus Dei in tempore cauſat exiſtentiam. Sed non datur actus executiuus Dei in tempore cauſans ſolam exiſtentiam ſub conditione, ergo à pari nec datur decretum actu Diuinum in Deo cauſans immediate ſolam futuritionem creatam ſub conditione.

Sextò, ratio practici in voluntate Diuina, vtpotè perfectiſſima, debet ſemper perfectiſſimo modo ordinare res ad opus, non verò ſolum imperfectè. Sed ordinare ad eſſe dumtaxat ſub conditione, nulla impreſſa ſaltem intrinſeca futuritione abſoluta, cum res poſſit ordinari ad eſſe abſolute, eſt ordinare ad opus ſolum imperfectè, ergo ratio practici in Diuina voluntate non poteſt ordinare res ad eſſe ſolum ſub conditione, cum poſſit ordinare abſolute, etſi mediante futuritione ſui operis conditionata intrinſeca poſſit, emergente extrinſeca futuritione conditionata creata, approbando directe priorem, mediate etiam approbare ſequentem.

Septimò, nam adeo voluntati Diuinæ eiuſdemque actibus efficacia propria & inſeparabilis eſt, vt neque gratiam ſufficientem tribuere ſoleat ad unũ actum, quæ ad alterum priorem actum efficax ſimul ipſa non ſit, vt probat Aluarez diſp. 80. de auxilijs per totam, & ſequitur Lemos tom. 4. p. 2. tract. 3.

cap. 7. immò & ipſa voluntas antecedens in Deo qua vult omnes homines ſaluos fieri, etſi in ordine ad media ſingularia inefficax ſit, in ordine tamen ad aliqua media generalia ad finem, vt auxilia ſufficiétia tribuenda omnibus, efficax eſt, vt exponunt cum alijs Thomiſtis Salmanticenſes diſp. 9. de voluntate dub. 3. præſertim ad 3. ſed ſemel dato hoc decreto immediate tangente futuritionem creatam, nullamque ipſis futuris intrinſecam actu imprimente futuritionem, voluntas Diuina quoad iſtud purè inefficax permaneret, ergo nullo modo hoc decretum explicatum hoc modo dari poteſt.

Octauò eatenus hæc difficultas euitari valeret, quatenus ſcilicet dici poſſet imperfectionem iſtius inefficaciæ conditionati decreti ſe tenere dumtaxat ex parte obiecti voliti, non verò ex parte ſubiecti volentis, ut de voluntate antecedente dicebat appoſite S. Tho. in 1. diſt. 45. q. 1. ar. 1. *quod voluntas antecedens poteſt dici conditionata, nec tamen eſt imperfectio ex parte voluntatis Diuinæ, ſed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumſtantijs*. Sed immò ſiſtendo in exemplo eiuſdem voluntatis antecedentis, uti mox antea tactum eſt, non obſtante hac Sancti Thomæ doctrina communiter Thomiſtæ conſentiunt, eam ſaltem in ordine ad aliquos effectus in generali efficacem eſſe debere, non verò penitus in ordine ad omnia inefficacem remanere poſſe. Ergo pariter hac non obſtante doctrina neceſſe adhuc eſſet decretum iſtud ex parte obiecti conditionatum aliqua efficacia congaudens tribuere ad minus intrinſecam futuritionem ſubiectiue abſolutam futuris conditionatis creatis, quam tamen haudquaquam tribuere ad minus iuxta iſtius ſententiæ principia viſum eſt.

Nonò, nam vt acutè ac robuſte diſcurrunt etiam Salmaticenſes diſput. 3. de voluntate dub. 2. §. 3. ex D. Bernardo, S. Tho. & rationibus, quilibet actus voluntatis Diuinæ vt talis erga creaturas effectiuus ſimul eſſe debet, non verò affectiuus dumtaxat. Sed iſte actus decreti Diuini immediate *attingens* conditionata futura creata mere affectivus eſſet, ſcilicet approbativus præſuppoſitæ iam extrinſecæ futuritionis præhabitæ à futuritione conditionata operum Diuinorum, non verò vllo modo effectiuus imperțiens ipſis intrinſecam aliquam futuritionem, quæ iuxta ſupra data principia ſuperflua eſt, ergo iſte actus decreti verſantis hoc modo immediatè circa futura conditionata creata impoſſibilis videri poteſt.

Decimò, quia cauſare eſſe alterius ſolum ſub aliqua conditione eſt cauſalitas valdè imperfecta, vt exempli gratia puer hoc modo dici poſſet tracturus nauim ſub conditione, nimirum ſi non obſtaret pondus eiuſdem, ſed decretum hoc practicum Diuinæ voluntatis, quæ cauſa rerum eſt ex dictis, ſi immediate attingeret conditionata, iam cauſaret ipſam futuritionem actus conditionati dumtaxat ſub aliqua conditione, non verò adhuc eam poneret ſubiectiue abſolutam. Ergo ex omni capite iam in cauſando imperfectiſſimum eſſet, quod ſupremæ Diuinæ perfectioni repugnat, & conſequenter iſtud decretum hoc modo explicatum impoſſibile debere dici videtur: ad quem ſenſum aduocari poterit (vt aduertebat etiam Nauaretes) quod inquit Auguſtinus de Præd. Sanctorum cap. 14. *hoc præſciuit Deus quod futurum erat, non quod futurum non erat*, & lib. 1. de anima, & eius origine cap. 12. *quid, quod ipſa exinanitur omninò præſcientia ſi quod præſcitur non erit?* quaſi diceret, ſubdit Nauaretes acutè, non

præſciuit Deus practicè id, quod non erat executioni mandandum, cum omnis præſcientia practica in Deo ſit principium realis executionis. Ecce ergo manifeſtam ſententiam Auguſtini de imperfectione intrinſece annexa &c. quod denotant verba illa (exinanitur omnino præſcientia,) ac ſi diceret, tollitur omnino finis, ſeu per ſe & primarius præſcientiæ practicæ &c. Audis ſubtilem hic ac profundum Magiſtri noſtri Nauaretis diſcurſum, ac ſenſum à nobis illuſtratum hucuſque?

Vltimò inde ex eodem verbaliter ſic argui poteſt, quia *quod practicum eſt ex natura ſua, & ex altera parte non ſortitur effectum, nec habet vllam executionem operis, eſt imperfectum in linea intrinſeca practici.* Sed iſtud decretum, attingens ſcil. immediate conditionata futura, inquit, *practicum eſſet, cum non ſit præciſe circa poſſibilia, quæ ſpeculabilia ſunt, immò intueretur executionem aliquam licet conditionaliter a parte rei, vt cum ego conditionaliter indico aliquid faciendum poſita hac vel illa conditione abſque animo executionis &c. procedo tunc iuxta regulas non ſpeculationis, ſed praxis, & modo adhuc compoſitiuo non reſolutiuo; & tamen conſtat prædicto decreto nullam tunc aſsignari executionem. Ergo fit conſequens, vt intra proprios limites practici habeat imperfectionem, hancque non adnexam ab extrinſeco, ſed intrinſecam, cum ab intrinſeco illa conditio ſuſpendat quamlibet executionem.* Hucuſque Nauaretes, cuius vti non deſinam vmquam admirari acumen, ita non poſſum non quorumdam extraneorum excuſare oſcitantiam, qui legentes in ipſo non dari in Deo conditionatorum præſcientiam formaliter, ſed ſolum eminenter, ideſt non in propria futuritione intrinſeca creata, ſed in extrinſeca ſolum præexplicata Diuina, perperam intulerunt eum negauiſſe certam conditionatorum præſcientiã, cum tamen ipſe hanc eandem criminationem à ſe ipſo præcluſerit, dum pag. 356. præter alia ad inſtitutum fusè legenda in eodem, concludit. *Itaque quando dicimus quod cognitiones iſtæ conditionatæ non ſunt ponendæ formaliter in Deo, non eſt quia includant aliquam falſitatem, ſed quia ex ſe non dicunt formaliter* (Audi) *quia ex ſe non dicunt formaliter determinatam veritatem*, vt extranei ſcilicet ibi impugnati ſupponebant, & ſuprà pag. 349. poſt relata Maſcarenæ verba imponentis Thomiſtis, quod negarent certam cognitionem conditionatorum in Deo, ipſe ſtatim ne dum pro ſe ſed pro omnibus Thomiſtis his verbis occurrit, *hæc contra Thomiſtas. Sed Thomiſtæ non negant cognitionem Diuinam reſpectu futurorum conditionatorum &c. ſed negant ſcientiam mediam, quam iſte auctor accepit a recentioribus, quos impugnamus, & quorum ore loquitur.* Poteratne vel ore alieno ipſe pro ſe ipſo dilucidius occurrere? deſinant igitur impoſterum quidam extranei Nauaretem denigrare, aut afferre tamquam negantem ſcientiam certam conditionatorum in Deo, deſinant & quidam alij adeò in propoſito minoris facere Nauaretem.

Ad primum igitur Alarconij iactantis, tum integram ſuæ Societatis auctoritatem contra decreta conditionata Thomiſtica (his non obſtantibus vti iam vidimus ſuſtinenda) tum eorumdem veluti decretorum nouitatem, eaque egregijs illis titulis honeſtantis, *inepta, ſtulta*, & huiuſmodi, iuvat prius ab eodem expetere, an ſicut habens in ſe albedinem ſemper album eſt, ita certum ſit, quod approbãs in mẽte ſua aliquid ſtultum, ſtultus pariter & ipſe ſit, tunc ſubſumpto hos ſingulos è Societate approbaſſe *hæc ſtulta*, vt ipſe vocat, conditionata decreta, ſcilicet Suarez, Arubalem, Ruuicium, Thanerum, Valentiam, Granado, ac reliquos, expectandum erit an audeat in ſuos cõſocios adeo

doctos

doctos viros concedere (quod ſequeretur) ſcilicet ſingulos ſtultos eſſe: Non ego ita de Societatis Doctoribus ſentio, nec ita ſcribere auderem in illos, vt ipſe Alarcon animoſe non ſemel ſcripturit in Noſtros. Nullo igitur modo abſona ſunt, vt ex iam dictis & mox dicendis patebit, nec noua ſunt niſi apud eum, qui de Deo dicta ab antiquis Eccleſiæ Patribus & Scholaſticis cum Scripturis expendere minus attenta methodo recuſarit, & hic utique Thomiſtæ magis, quam Molinæ iactanti ſe inueniſſe nouam ſcientiam mediam, ita verba Nazianzeni conueniunt oratione 27. *aliena veſtigia etiam ſequutus ſum, & quidem veſtra, dicam enim quod res eſt, ſiquidem illius eximij Alexandri* (dicam ego Franciſci Suarez cum reliquis) *diſcipuli eſtis magni propugnatoris &c. Ergo non nouum fontem vobis rupimus, quemadmodum quem Moyſes ab Ægypto profugentibus in arenti loco demonſtrauit Exod. 17. verum abditum & obſtructum aperuimus, ut olim ſerui Iſaac Gen. 26. non puteos tantum aquæ viuæ fodientes, verum etiam à Philiſtæis obſtructos repurgantes.*

Ad ſecundum nego in primis ſuppoſitum argumenti, nimirum priora eſſe decreta rerum futurarum in ſtatu abſoluto, & inde ſubſequi poſteà iſta præſupponentia ex prioribus redditam aliquo modo ſaltem impoſſibilem conditionis poſitionem, cum immò ex oppoſito rem ſe habere iam ſupra quæſt. 1. oſtenſum ſit, vti pro ſcientia etiam conditionata reſpondet Eſparza qu. 18. ad 4. Addo tamen adhuc conditionis poſitionem impoſſibilem eſſe poſſe dupliciter, primò potentia ſolum conſequenti, ſecundo etiam antecedenti, ex qua prima impotentia dicebat S. Tho. q. 26. de veritate art. 4. ad 1. inferri, *ſolam neceſſitatem quæ apud Theologos vocatur neceſſitas immutabilitatis*, quæ conſequenter cum indifferentia ad vtrumlibet componi poteſt, hinc de prima negamus maiorem, de ſecunda verò permittimus, vt in exemplis Alarconij habetur, At in propoſito ſolùm poſt decretum adhuc de non futura poſitione conditionis fit iſta impoſſibilis ſolùm ſecundo, modo non primo, & conſequẽter adhuc decretum illud conditionatum rationabile eſt ſuaui rerum ac naturarum diſpoſitioni conueniens; cui ſaltem ſupremus Dominus ac rector Vniuerſi, etſi non alter gubernator inferior, conuenienter incumbit.

Ad tertium ex indicata poſtrema diſtinctione ſupremi rectoris Vniuerſi, aut inferioris, occurrendum eſt, iſtum vtique non incumbentem etiam naturæ generali rerum incongrue edituurum ſimilia decreta ſub conditione ponibili à ſe ipſo, at de primo non ſic, qui eamdem adhuc naturalem rerum diſpoſitionem attendens, iuxtà eam prædecernit tam varias combinationes conditionatas earum, in quibus clarius earumdem ad inuicem coordinatio conſiſtit, ut acutè nunc video iam noſtrum Ioannem à S. Tho. hanc reſponſionem præueniſſe diſput. 5. de voluntate art. 7. in fine, & haberi poteſt ex S. Tho. quæſt. 6. de veritate art. 3. ad 4. præterquam quod iuxta præadductam Nauaretis aliorumque explicationem ſuppoſita ſemel futuritione conditionata operum Diuinorum, mox in ſequenti exponenda, nec poteſt ſi vellet ſuſpendere Deus decretum approbatiuum ex hypotheſi eiuſdem, vt in ſimili S. Tho. aiebat p. p. q. 14. ar. 13. ad 2. etiam ſuppoſita futuritione rerum neceſſe eſſe, quod Deus ipſa futura prænoſcat, etſi abſolutè viſionis ſcientia de ſe libera ſit.

Ad quartum, quod æquè de promiſſione, vel reuelatione facta à Deo ſub cõditione procedit contra Vaſqez, adeout Alarcon æſtuans valdè pro extricando

do

do eodem laborer, & Suarez lib. 2. de Scientia cap. 7, indeque Granado, Arubal, & alij illud Vaſqueſij argumentum veluti inefficax reprehendant: breuior cæteris omnibus reſponſio Aluarez eſt, negando huic decreto obiectiuè conditionato non aſſignari connotatum ad extra, non quidem quod erit, ſed quod eſſet, quod tamen extrinſeca vtique realitate ſimul reale eſt, & hoc ſufficit.

Ad quintum denium attentè hæc duo ſeiungenda ſunt, alterum nimirum eſt futuritio applicationis formæ ad ſubiectum, v. g. albedinis ipſi parieti ſub conditione propoſita, v. g. *ſi paries ædificatus ſit &c.* alterum eſt futuritio effectus formalis eiuſdem propoſita ſub eadem conditione prædicta; prima vtique rationabilis eſt, ſed ſecunda ridicula & abſurda, cum ſit impoſſibile concipere formam albedinis in ſubiecto, quin abſolutè effectum formalem attribuat, albumque conſtituat. Sic proportione ſeruata in præſenti, utiutur hac ſimilitudine. Auguſtinus etiam de Correp. & gratia cap. 11. & 12, aliud eſt decernere Deum futuritionem ſui concurſus cum concurſu creaturæ ſub conditione v. g. concionantis &c. id intelligendo de futuritione applicationis concurſus, non de effectu veluti conſequente concurſum, qui eſt infallibiliter ab intrinſeco facere, vt creatura operetur; aliud eſt decernere Deum futuritionem effectus conſequentis ad dictum concurſum ſub conditione prædicta &c. Primo modo certum eſt decretum conditionatum Diuinum nullam inuoluere imperfectionem, de factoque dari in Deo, tum ex præallatis iam ſupra conditionalibus in Scriptura reuelatis de operibus Dei, tum ex illo Apocalipſis 3. *ſto ad oſtium & pulſo, ſiquis aperuerit ianuam, intrabo &c.* & rurſus ex illo Iſaiæ adaptato à Tridentino ſeſſ. 6. Canone 5. *conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, & Lucæ 13. *quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti:* Secundo verò modo rectiſſimè negabatur à Nauarete pag. 348. dicente, *ſi vero dicatur hoc ſecundum, erit turpius errare. Etenim non intuetur Deus conuerſionem alicuius infallibiliter in ſola conditione, & natura liberi arbitrij eiuſdem vt manifeſtum eſt*, nempè ab intrinſeca infallibilitate Diuinus concurſus id habet, ut faciat nos operari, & aſſentiri, vt alibi in materia de Gratia (à qua nos modo abſtinemus) latè Thomiſtæ demonſtrant, ex doctrina etiam S. Thomæ ad rem præſentem aptiſſima q. 6. de Veritate ar. 3. ad 4. & nos alibi in quibuſdam Opuſculis, inter quæ integrum unum eſt de concurſu præuio in ordine naturali, id repetemus. Applanauimus igitur hucuſque viam, vt ad poſtremum intimumque ſententiæ Nauaretis, Zumelli, ac Cabreræ placitũ capitale deueniremus. Nunc in ſequenti Articulo ſublata veluti cortina Theatri idipſum detegendum eſt, & ſpectatorum Doctorumque iudicio proponendum, non quidem vt illud tamquam probabilius ullatenus approbetur (quod ſuprà memini me præmiſiſſe) ſed ſolum vt illud propoſitum cum integris exertiſque ſuis viribus ac probabilitate poſſibili donatum, opportunius ſubindè ac validius in quinta præcipua Quæſtione poſtponatur. Sic pro nunc probabiliter ſeu problematicè referendo ſententiam prædictorum ſit ſequens Articulus.

AR-

ARTICVLVS III.

An pro ſigno priori, ante prædicta decreta conditionata, adhuc probabile ſit Diuinum Intellectum prænoſcere futuritionem conditionatam explicatam operis Diuini executiui in tempore, quid ſcilicet poſita tali, vel tali conditione voluntas ipſa Diuina operatura foret, &c.

VIdetur quod non, tum ipſi Molinæ in ſecunda editione ſuæ concordiæ q. 14. ar. 13. diſp. 52. §. *illud hoc loco*, ut expendit Quiros diſp. 52. de ſcientia ſect. 5. n. 29. tum ipſi Pallauicino lib. 8. de Deo cap. 41. tum à fortiori Becano, Eſparzæ, & alijs ſupra negantibus certam etiam horum præſcientiam in Deo, tum inde quoad propoſitum negat Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. in probationibus primæ concl. & alij cum Aluarez ſequi ſolent. Præter autem probationes reſtrictas in Aluarez, altius & fuſius adhuc iſta ſententia probari poteſt. Primò quia in eo, quod non eſt determinatum, ſed indifferens prout ſic, nequit præcognoſci aliquis actus determinatè futurus antequam determinetur, vel ſeipſum determinet, ut ſolent arguere omnes Thomiſtæ etiam de voluntate creata, & colligit id S. Tho. 3. contra gentes cap. 2. ex Auerroe ſecundo Phyſicorum. Sed voluntas Diuina in eo ſigno priori non cōcipitur determinata adhuc, immò indifferens ad volendum vel nolendum oppoſita in tali conditione, & hypotheſi, quia, ut inquit S. Tho. p. 1. q. 19. ar. 3. ad 5. *voluntas Diuina liberè ſe determinat ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam*, & conſequenter ſub tali hypotheſi ne dum in ſenſu diuiſo, ſed compoſito potens eſt adhuc velle oppoſitum. Ergo in voluntate Diuina adhuc prout ſic in illo ſigno priori nequit præcognoſci à Diuino intellectu determinatus aliquis futurus actus conditionatæ volitionis v. g. præ nolitione ſubdicta hypotheſi, vel conditione.

Secundò, quia actus proprius Dei executiuus in tempore, dato quod non pendeat in ſua veluti prædeterminatione à decreto Dei, uti pendet actus futurus creatus tamquam actus cauſæ ſecundæ à cauſalitate primæ, ſaltem & ille prærequirit etiam decretum præſens in Deo ab æterno, ne inde aduenienteali actu futuro in tempore ipſe Deus mutari dici poſſet, ut explicatum eſt ſupra q. 2. Sed iſte actus executiuus, de quo loquimur, adhuc conciperetur ut aliquo modo futurus in tempore ſaltem ſub conditione. Ergo ad hoc ut iſte actus prout ſic futurus concipiatur, præconcipi neceſſe eſt præſuppoſitum adhuc decretum Dei, quod prærequiritur, nec conſequenter adhuc à Deo in illo ſigno priori ante decretum prænoſci poteſt.

Tertiò, quia omnis propoſitio, quæ antecedenter ad omne actuale decretū liberum Diuinæ voluntatis eſt vera, habet veritatem neceſſariam abſolutè ex natura ſua, ſicut ex natura ſua vera eſt, conſequenter attingitur per ſcientiam omninò naturalem Dei, ſcilicet ſimplicis intelligentiæ, quæ fertur in omnia ea, quæ ex natura ſua vera ſunt, vt homo eſt animal rationale, Hircocervus eſt impoſſibilis &c. Sed in iſta ſententia iſta propoſitio v. g. dicendo, *ſi talis naſcatur tali loco vel tempore in talibus circumſtantijs ego Deus facturus ſum vt conuertatur ad fidem & ſaluetur*, iam eſſet vera antecedenter ad omne actuale liberum

decre-

decretum Diuinæ voluntatis, vt hæc ſententia ſupponit. Ergo in iſta ſententia dicta propoſitio haberet veritatem neceſſariam abſolutè vt obiectum ſimpliciter neceſſarium, non liberum, & attingeretur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ naturalem omninò in Deo, non verò per ſcientiam aliquo modo liberam in eodem, & uno verbo deſtrueretur libertas in actibus executiuis in tempore futuris eiuſdem voluntatis Diuinæ, ut arguit idem Aluarez n. 8. Nec valet reſponderi diſtinguendo maiorem, ſi ſit vera ante omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, & rurſus non inuoluat obiectiuè exercitium aliquod futurum liberum eiuſdem voluntatis Diuinæ, concedo, ſi ſaltem hoc ſecundum inuoluat, ut in propoſito inuoluit futurum ſub conditione exercitium liberum actus executiui, nego. Non valet, inquam, & in oppoſitum reponit Aluarez, quia etiam in iſta propoſitione, *ſi Deus voluerit ſaluare Sortem, Sortes ſaluabitur*, profectò inuoluitur actus liber futurus Dei, ſub conditione, qua afficitur. Sed hoc non obſtante hæc propoſitio eſt neceſſaria abſolutè, non libera, voluntati Dei, adeout nec Metaphyſicè oppoſitum verum eſſe poſſit, & ideò cognoſcitur per puram ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ut omnes præſertim Thomiſtæ obſeruarunt. Ergo & quæcumque alia propoſitio etiamſi inuoluat actū liberum Dei ſub conditione futurum, dummodo vera ſit ante decretum actuale in Deo, erit neceſſaria abſolutè uti mox antea dicebatur.

Quartò quia hoc, quod eſt Diuinam voluntatem eſſe determinatam ad actū executiuum ſub conditione in tempore futurum, eſt aliqua ratio realis in Deo actu, & in exercitio exiſtens, ratione cuius actu, & exercitè, dicit quaſi habitudinem potius ad futuritionem, quam non futuritionem dicti actus ſub conditione. Sed hæc ratio realis actu, & exercitè exiſtens in ipſa Diuina voluntate, non poſſet deſumi ab ipſo actu futuro ſub conditione, cum ipſe actus futurus ſit poſterior ipſa, neque apparet à quo alio priori deſumeretur, niſi detur de facto in exercitio decretum de prædicta futuritione, ergo debet dari de facto in exercitio decretum.

Quintò, omne eſſe reale, ſeu verius, modus eſſendi realis aut eſt modus eſſēdi rei in ſeipſa, aut in ſuo principio, ſed iſta determinatio Diuinæ voluntatis ad agendum potius quam non agendum aliquid ſub tali conditione non eſſet realis in ſe ipſa, cum actus ipſe non ſit præſens, ſed futurus ſub conditione. Ergo deberet eſſe realis in ſuo principio. Sed determinatio potiùs ad agendum quam non agendum nequit eſſe realis in ſuo principio, ſcilicet voluntate Diuina, niſi in eadem voluntate realiter adſit præparatio ſeu propoſitum, ſeù decretum de eodem actu futuro &c. ergo de facto tale propoſitum adeſſe debet.

Sextò, quia ſi iſta determinatio ad actum futurum &c. eſt realis in volūtate vt in principio ſaltem virtualiter elicitiuo eiuſdem, quæro aut eſt realis in voluntate ipſa, ut voluntas purè ſecundum ſe ab intrinſeco dicit ſuam eſſentiam ac prædicata quidditatiua, vel potiùs vt dicit aliquod exercitium liberum virtualiter ab ipſa procedens. Si dicatur primum ſequitur hanc determinationem eſſe eſſentialem, & conſequenter omninò neceſſariam, non verò liberam in Diuina voluntate, ideoque tollere libertatem, vt inferebatur ſuperius. Si ſecundum, ſequitur iam debere dari in Deo decretum exercitum liberum, vt hic intenditur &c. ergo nullo modo ante decretum datur vel dari poteſt in Di-

uina voluntate futuritio determinata actus proprij executiui ſub conditione in tempore futuri.

Septimò, quia ſicut actus liber in nobis pendet à noſtra volũtate ſimul cum Diuina realiter vt à cauſa, ita actus liber etiam executivus in Deo pẽdet à Diuina voluntate virtualiter vt à principio. Sed ex primo nequit dari actus, nedum actu ſubiectiue in ſe, ideſt præſens, ſed neq; etiam actu obiectiue in alio, ideſt determinatè futurus in cauſa, niſi detur ſaltem cauſa prima actu realiter cauſans eamdem futuritionem, in qua vt præparata per decretum ſit talis effectus futurus, vti ſuprà deduximus ex S.Tho. p.p q. 16. art. 7. ad 3. ergo pariter ex ſecundo nequit dari actus liber executivus in Deo, nedum actu ſubiectiue in ſe, ſed neque etiam actu obiectiue in alio, ideſt determinatè futurus in principio, niſi detur tale principium actu virtualiter influens in eamdem futuritionem, in quo principio vt præparato per decretum ſit talis actus futurus formaliter.

Octauò tandem, quia ex Ariſtotile, & S. Tho. 1. Perhier. lect. 13. in ſingularibus & futuris liberis ab intrinſeco ex ſe non eſt neceſſe affirmationem eſſe veram vel falſam, aliter tolleretur contingentia, ut probatur ibi. Sed iuxtà ſententiam iſtam in aliquo ſingulari, & futuro libero, ſcilicet actu executiuo Dei, ab intrinſeco ex ſe ante decretum daretur veritas determinata &c. ergo iſta ſententia Ariſtoteli, & S. Tho. repugnat.

In oppoſitum tamẽ eſt auctoritas præſertim trium veterum Thomiſtarum, ſcilicet Magiſtri Zumel, Cabreræ, & Nauareteis, quæ auctoritas tam parua non eſt, vt probabilem ſaltem adhuc in Schola Thomiſtarum nequeat hanc ſententiam ſuſtinere, vt ingenuè Aluarez confeſſus eſt eodem lib. 1. reſponſ. cap. 4. n. 7. poſt relatam hanc ipſam ſentẽtiam Zumel, dicens, *fateor in hoc multum diſtare auctores ſententiæ, quam impugnamus, à defenſoribus ſcientiæ mediæ &c.* hanc verò, quam nunc retulimus, & hic proponimus, eſſe, non verò alteram ullam, ſingularem dictorum trium Thomiſtarum ſententiam, ex his eorumdem verbis, quæ modo ſubijcio, conſtare poteſt. Sic enim Zumel to. variarum diſput. ad p. p. in impreſſione Pariſienſi (ut refert & Aluarez) pag. 191. habet hæc verba, *ſicut cognoſcit Deus decretum ſuæ voluntatis liberum eo ipſo quod eſt, quia comprehendit omne verum, ſic etiam cognoſcit in priori ſigno antequam libere decernat, quia ſit voliturus, quia verum eſt dicere in illo ſigno, quod eſt voliturus hoc, aut illud abſolute. Et pari modo in alio priori ſigno cognoſcit quod eſſet voliturus hoc data hac hypotheſi, v.g. ſi vellet creare hominem vellet illi dare iuſtitiam, & gratiam &c.* Similiter Cabrera 3. p. diſp. 1. §. 22. n. 345. ideò inquit futura conditionata præcognoſcere Deum, *quia intellectus Diuinus præuidit ad quid Diuina voluntas ſe determinare debuiſſet*, ut refert etiam Ledeſma putans hoc dictum Cabreræ inconſequenter ſe habere ad denegatam ab ipſo ſciẽtiam mediam, cum tamen, ut ſæpè diximus, hoc dictum ſubſiſtat cum negatione ſcientiæ mediæ fundantis præſcientiam conditionatorum, non in Diuino actu futuro, ſed in creata futuritione; Vndè ne inaduertenter videretur Cabrera hoc dictum protuliſſe, idipſum fuſius repetit poſteà in eadem 3. p. q. 18. ar. 2. diſp. 2. §. 8. vt etiam Suarez prolego. 2. de ſcientia cap. 1. n. 2. obſeruauit, & ego addo alium locũ eiuſdem Cabreræ, in eadem ſcilicet 3. p. q. 62. ar. 1. diſp. 12. §. 7. n. 290. n. 209. & n. 159. ut conſulenti patebit. Sic & Nauarete tom. 1. controuer. 56.

ſolum

ſolum in hoc ſenſu explicari poteſt, dum ex vna parte negat cognoſci futura conditionata in decreto adhuc obiectiue conditionato §. 2. per totum, ex alia parte, permittens in Deo ſcientiam certam conditionatorum, eam acriter negat inniti veritati obiectiuæ eorumdem, vel alicui alteri motiuo extra Deum, vt legere eſt in eodem §. 1. per totum contra ſcientiam mediam Societatis, ſed demum diſertis verbis hanc tradit poſteą ſuæ ſententiæ explicationem ipſemet to. poſteriori ſecundo controuer. 31. §. 8. dicens, *Itaque ſi Deus cognoſcit quod Petrus oblata tali vel tali occaſione faceret, debet neceſſario fundare talem cognitionem in concurſu ſuo etiam ſub conditione, conditionate ſcilicet in eo, quod Deus prius efficeret per ordinem ad Petrum oblata eadem occaſione*. Sic pro eadem explicatione vt probabili adhuc in ſchola Thomiſtarum legi poteſt & Riſpolus q. 1. concl. 2. ſic & Lorca p. 2. to. 1. diſpu. 4. de actibus humanis §. in 2. puncto, prætermittens decretum conditionatum, & tamen poſtea diſput. 19. de gratia §. *verum*, excludens ſcientiam mediam per efficaciam intrinſecam adiutorij Diuini. Sic Arauco in eodem ſenſu intelligitur, dum negare refertur ab Eſparza q. 18. ar. 10. cognoſci conditionata in decreto. Sic Petrus de Herera in manuſcriptis de auxilijs dub. 1. poſt ſecundam concluſionem dixiſſe refertur hæc verba, *an hæc decreta conditionata, antecedentia ſcilicet futuritionem conditionatam, admittenda ſint in Deo, adhuc eſt ſub lite. Negat ex Noſtris Magiſter Ledeſma diſp. 2. ratione 2. affirmat vero Aluarez & alij. Quæ autem opinio probabilior ſit, non vacat examinare*, licet poſteà in ſucceſſu diſputationis probabiliorem hanc ſecundam eſſe ſupponat. Sic etiam Machinon diſp. 34. ſect. 2. problematicè ſeù probabiliter defendit conditionata cognoſci, tum poſt, tum antè decretum. Sic igitur conſtat etiam pro iſta ſententia ſaltem vt probabili non paucos adfuiſſe Thomiſtas, ſingulos tamen ſemper adhuc à ſcientia media abſcedentes, vt in iſta adhuc explicatione præmonebat idem Nauarretes controu. 56 citata §. 5. *quia inquit contra ſcientiam mediam datur, quod intellectus cognoſcat dicta futura per ſubordinationem ad voluntatem Diuinam &c.* & repetit Cabrera 3. p. q. 2. art. 1. diſp. 13. §. 5. n. 40. Zumel relatus, & in hoc cõmendatus, ab Aluarez lib 1. reſponſ. cap. 4. n. 7. Machinon etiam diſp. 34. ſect. 2. immò & Suarez id vidit lib. 1. de ſcientia futurorum cap. 6. n. 10. & domum editus nuperrime Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 15. §. nouiſſime; probabilis igitur etiam in Schola Thomiſtarum contra auctores ſcientię medię iſta explicatio permitti potuit.

Reſpondeo iuxtà præmiſſa principia in hac Quæſt. vtique probabilem eſſe etiam hucuſque allatam ex pluribus noſtris Thomiſtis non ità nuperis explicationem. Et probatur primò probabiliter deſtruendo fundamentum ſententiæ oppoſitæ, quia intantum ante decretum non daretur futuritio conditionata actus executiui liberi in Diuina voluntate, inquantum non appareret à quo, vel ex quo, Diuina voluntas eſſet determinata ad talem volitionem in tali hypotheſi futuram. Sed hæc ratio non obſtat, immò ſufficit pure fore determinandam à ſe ipſa in tali circumſtantia, ſine alio determinatiuo priori, ergo de facto ante decretum dabitur talis conditionata futuritio. Minor, in qua ſola eſt difficultas, probatur, quia eo proportionali modo voluntas eſt ſe determinatiua quo modò de præſenti aliquando ſe determinat, cum eadem res ſit de præſenti, vel de futuro, ſub ſtatu ſolum diuerſo. Sed voluntas Diuina quando de præſenti ſe determinat non indiget aliquo priori etiam virtualiter deter-

minatiuo ad differentiam voluntatis creatæ, immò ſufficit à ſe ipſa determinare ſe, & ab ipſa per modum præſentis virtualiter oriri volitionem, vt docet S. Tho. p. p. q. 19. art. 3. ad 5. ergo pariter Diuina voluntas, vt de futuro ſit ſe determinatura, non indiget alio priori etiam virtualiter determinatiuo ante futuritionem eiuſdem determinationis liberæ futuræ. Confirmatur, nam vt ſupra vidimus futuritio actus ſubiectiue in ſe ſaltem à poſteriori dignoſcitur ab euentu ipſo, qui aliquando de præſenti datur. Sed in euentu ipſo, qui de facto datur, in quo ſcilicet Diuina voluntas ſe determinat, res ita ſe habet, vt ab ipſa licet in ſigno priori indifferenti ad vtrumque, nullo altero adhuc virtualiter prædeterminante priori, profluat virtualiter actus volitionis determinatę ne aliter detur proceſſus virtualis in infinitum. Ergo & in ipſa ſubiectiua futuritione actus Diuini res ita ſe habebit, vt ab ipſa licet in ſigno priori indifferenti actiuè ad vtrumlibet, adhuc nullo præſuppoſito etiam virtualiter prædeterminante, ab ipſa vt tali concipiatur proditurus determinate hic actus volitionis præ altero nolitionis & huiuſmodi. Dices fortaſſe ad minorem, in euentu de præſenti, & de facto, determinari veluti formaliter indifferentiam actiuam Diuinæ voluntatis ab ipſo actu determinato prodeunte virtualiter ab eadem eamdemque virtualiter veluti formali cauſa conſtituente in eſſe determinato volentis. Sed vim non percipit noſtræ rationis iſta reſponſio: nam antequam concipiatur actus volitionis, vt virtualiter veluti profluens paſſiue à voluntate indifferente Diuina *tamquam actus ab*, debet concipi prius ipſa eadem Diuina voluntas virtualiter quaſi effectiuè producens ex ſe vitaliter eumdem actum vt *agens qui* ſeu virtus actiua eiuſdem in actu ſecundo influens, & ille quidem vt cauſa formalis virtualiter ad voluntatem quaſi ſe habentem vt ſubiectum actuatum ſe habet, ſed ex oppoſito ipſa voluntas virtualiter vt cauſa effectiua ad eumdem vt effectum mutua quaſi cauſalitate in diuerſo genere ſe habet. Sed præallata reſponſio etſi nobis exponat primum, quomodo ſcilicet actus volitionis determinet voluntatem formaliter, non tamen adhuc exponit ſecundum quomodo ſcilicet ipſa Diuina voluntas vt virtuale effectiuum principium de ſe indifferens de ſe adhuc de præſenti influat determinatè ſine vllo virtualiter adhuc priori determinante in actum determinatum potius volitionis, quam nolitionis, ſola incipiente quoad exercitium iſta determinatione ab eadem voluntate Diuina, licet quoad ſpeciem à Diuino intellectu adinſtar noſtri virtualiter quaſi præmoueri poſſit. Ergo præallata reſponſio non ſoluit inſtantiam illam, quam anteà afferebamus, & difficultas allata ab arguentibus ab eiſdem etiam expendenda manet, & in eorumdem pariter opinione perſiſtit. Poterit igitur à voluntate Diuina etiamſi actiuè indifferenti ad vtrumque inchoari futuritio prædicta conditionata, vti inchoatur de facto quodlibet exercitium eiuſdem, & ſi ſemel id experimur in euentu determinationis de facto, cur non ita licebit à poſteriori arguendo deducere, ità etiã fore determinationem futuram in operibus illis executiuis Diuinis, quę ſemel futuritionem ex ſupradictis admittunt? Confirmatur vlterius, quia & actui executiuo futuro Diuino concedenda eſt libertas formalis perfecta non imperfecta. Sed ſi indigeret vt à principio virtuali ſemper à priori decreto prædeterminari, iam non videretur habere perfectam omninò libertatem formalem, ſed imperfectam veluti virtualem in alio, eo modo quo actus purè impe-

gatus

ratus habet ab elicito,ſeu externus ab interno. Ergo actus iſte executiuus futurus Diuinus indigere nequit vt à principio virtuali prędeterminari à decreto ut futurus ſit,etſi eo non indiget, iam in priori ſigno ante decretum præno ſci poteſt. Sanè non aliter videtur S. Tho. hanc ſibimet eamdem omninò propoſitam difficultatem diſſoluiſſe,niſi ſolutione deſumpta ex ſupremo Dominio voluntatis Diuinæ, ad quod & iſta explicatio recurrit. Audiamus difficultatem in primis à S. Tho. ſibi propoſitam an eadem cum nobis obiecta per omnia ſit. Sic ipſe in p. p. q. 19. art. 3. argumento 5. in ordine opponebat ſibi, *ab eo quod eſt ad vtrumlibet non ſequitur aliqua actio, niſi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 2. phiſ. ſi ergo voluntas Dei in aliquibus ſe habet ad vtrumlibet, ſequitur quod ab aliquo alio determinetur ad actum,* Nonne hæc eſt difficultas,quæ præſenti huic explicationi principaliter obijci ſolet,& obijcitur in præſenti? Nunc conferamus & S. Tho. ſolutionem cum noſtra. Ad 5. *dicendum*, inquit, *quod cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas Diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet* (Audis, capis hæc verba?) *determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam*. Admitto igitur vtique neceſſariam habitudinem ad hæc volita non habere, aliter indifferens actiuè non eſſet, at nego prædeterminante aliquo priori adhuc virtualiter indigere, aliter in ſua linea verè etiam *paſſiuè*, indifferens diceretur, non verò, vt loquitur S. Tho. prout *ex ſe habens neceſſitatem ſe ipſam ad volitum determinaret*.

Secundò, vt ex oppoſito magis velut è tenebra lumen emergat, ac niteat, ſic vltrò poterimus argumentari, quia intantum in voluntate creata futuritio conditionatà ſui actus, ſi à natura eiuſdem volũtatis ſecundum ſe proueniret, eſſet neceſſitas antecedens, & auferens libertatem, inquantum tunc non procederet ab ipſa, vt libera eſt, & indifferens ad oppoſita, ſed vt ex ſe determinata determinatione naturali non libera. Sed hæc ratio non procedit in voluntate Diuina, vt mox oſtendo contra oppoſitum opinantes,ergo &c.minor probatur,quia in voluntate creata,ac in creatura,quælibet determinatio proueniens à creatura ex ſe, & à ſola natura ſua,ſolùm poteſt eſſe determinatio ſequens eſſentialiter, & neceſſario ad eius prædicata quidditatiua, in quibus à libera Dei voluntate non pendet, non ſic verò determinatio libera, in qua indiget ab exteriori principio,ſcilicet Deo,determinari.Sed ab oppoſito Deus etiam quoad determinationem liberam non indiget determinari ab alio, immò purè à ſe ipſo, & à propria ſua voluntate, vt docet S.Tho.loco mox citato. Ergo in Deo etiamſi determinatio aliqua procedat ab ipſa ſola natura proprię voluntatis adhuc non erit neceſſitas abſoluta & naturalis,ſed poterit eſſe libera, & ex ſuppoſitione, vndè hanc differentiam optimè ponderauit S.Tho. in 2. diſt.25.q.1. art.1. ad 3. de voluntate creata dicens, *remanet ſibi dominium ſui actus licet non ita ſicut primo agenti*. Confirmatur, quia intantum per Thomiſtas non datur futuritio actuum creaturæ ante decretum Dei, inquantum eſt veritas per participationem indigens cauſari extrinſecè prius à veritate per eſſentiam. Sed è contra actus liber in Deo eſt aliquod verum per eſſentiam, identificatum cum Deo non indigens extrinſece cauſari, ergo reſpectu actus liberi in Deo, iam dabitur futuritio,ſaltem conditionata ante decretum &c. Confirmatur ſecũdo,quia in ordine ad veritates abſolutas in hoc differt Deus

à crea-

à creatura, quod actus ſuos proprios videt Deus ſine vlla antecedentia alterius decreti, vt abſolute præſentes in æternitate, actus verò creaturæ non videt abſolute præſentes, niſi cum antecedentia decreti, ergo pariter in ordine ad veritates conditionatas, cognoſcet Deus ſine vlla antecedentia decreti ſuos proprios actus ſaltem conditionate futuros, licet actus creaturæ nequeat cognoſcere vt futuros, niſi ex antecedentia alterius actus in Deo; antecedens probatur, quia ſi ante decretum vt præſens in Deo prærequireretur alterum decretum, iam & ante iſtud aliud, & ſic in infinitum. Sed hoc abſurdum, ergo non prærequiritur aliud decretum vt videat Deus in ſe ipſo ſuum decretum vt præſens abſolutè, licet non ſic poſſit videre actum creaturę vt abſolute præſentem in æternitate niſi præcedat decretum ſuum. Confirmatur tertiò, quia in tantum in creatura veritas propoſitionis de futuro nequit deſumi ex ſola veritate propoſitionis de præſenti, immò requiritur deſumi prius ex diſpoſitione cauſæ præparatæ ad producendum, in quantum in creatura iſta eſt veritas per participationem &c. ut inter cæteros contra Ocham in 1. diſt. 38. diſcurrunt Salmanticenſes diſp. 7. de ſcientia dub. 6. à n. 117. ſed ab oppoſito in Deo veritas futuritionis ſui actus in tempore futuri non eſt veritas per participationem, ergo prędicta veritas deſumi poterit etiam ex veritate propoſitionis de præſenti, ideſt ab euentu ipſo ante diſpoſitionem decreti in cauſa ſeu principio: Nec valet intorſio huius argumenti, quod ſcilicet hinc probaretur etiam ante decretũ cognoſci poſſe futuritionem abſolutam actus executiui Diuini, non valet, inquam, quia licet ex iſto capite id forſan non repugnaret, repugnat tamen aliundè, ſcilicet ex immutabilitate Dei, ob quam ad minus executio abſolute futura in tempore prærequirit diſpoſitionem præſentem ab æterno, vbi conditionata executio in tempore verè futura non eſt. Cõfirmatur quartò, quia ſicut cauſa ſecunda neceſſaria eſt determinata ex ſe neceſſariò ad ſuam propriam operationem, ità cauſa prima libera determinatur à ſe ipſa liberè ad operandum. Sed ex primo in cauſa ſecunda neceſſaria etiam ante prædeterminans decretum Dei attingi poteſt eius operatio vt futura, in ipſa, inquam, vt operatura non operante. Ergo pariter ex ſecundo in cauſa prima libera etiam ante aliud decretum prædeterminans poterit prius attingi operatio vt futura, in ipſa, inquam, vt operatura non vt actu operante, & ſicut illa eſt futuritio fallibilis, quia in cauſa impedibili & mutabili, ita iſta erit futuritio infallibilis, quia in cauſa inimpedibili, & immutabili. Confirmatur quintò, nam id debet concedi voluntati independenti Diuinæ de facto, quod Thomiſtæ concedunt voluntati creatæ in hypotheſi poſſibili ſi Diuina foret, quam hypotheſim adhibebat Theophylus Raynaudus allatus etiam a Gonet, ſed in hac hypotheſi Thomiſtæ concedunt quod in voluntate creata præuideri poſſet ante decretum futuritio conditionata operum, vt cum Magiſtro Baronio concedit Gonet diſp. 4. de ſcientia Dei art. 3. §. 5. per totum, ergo id totum de facto concedi debet etiam voluntati independenti Diuinæ.

Tertiò, quia in ſententia etiam Aluarez, Salmanticenſium, & aliorum, ſaltem poſt decretum Dei in cauſa ſecunda, v. g. in voluntate Antichriſti futura, cognoſcitur volitio ſua futura. Sed tunc iſta determinatio ad futuritionem prout cognita in voluntate Antichriſti non eſt realis in cauſa, vt actu in ſe ipſa determinata (cum actu in ſeipſa nõ ſit) ſed ſolum eſt realis in cauſa vt habi-

tura

Google

tura talem determinationem in ſe, ergo pariter actio ut futura poterit cognoſci in Diuina volunrate, non vt actu determinata, ſed vt habitura determinationem, & ſic per realitatem obiectiuam, non ſubiectiuam determinationis. Confirmatur, quia ſicut voluntas creata Antichriſti habet hoc quod ſit determinatura ſe ipſam ex decreto prædeterminante Dei in ſententiam Salmaticenſium, ita voluntas increata Dei habet quod ſit ſe determinatura, habet, inquam, à ſe ipſa ex natura propriæ voluntatis increatæ ac primi liberi. Sed ex primo ſtatim atque detur decretum Dei, etiamſi non detur alia actualis determinatio ſubiectiuè in voluntate creata, cognoſcitur ſtatim voluntas creata ſe determinatura. Ergo pariter ex ſecundo ſtatim atque detur propria natura voluntatis increatæ abſque eo quod detur alia actualis determinatio ſubiectiuè in ipſa, ſtatim cognoſci poterit ac dabitur hoc, quod eſt voluntatem Diuinam fore ſe determinaturam. Si reſpondeas voluntatem Diuinam à propria natura voluntatis Diuinæ ſolum habere, hoc quod eſt poſſe determinare ſe ipſam à ſe ad hoc vel illud, non vero quod ſit ſeipſam determinatura ad hoc potius quam illud. In oppoſitum reponi poteſt, tum quia hoc pacto etiam voluntas creata habet à ſua propria natura poſſe ſe ipſam determinare ad hoc vel illud, & tamen quia à ſe ipſa non habet hoc quod eſt fore ſe determinaturam à ſe, niſi prædetermínetur, ideo in hoc differt à voluntate Diuina; Ergo ſi uoluntas Diuina pariter hoc ſolum haberet quod eſt poſſe ſe determinare, non uerò fore ſe determinaturam, iam in propoſito non differret voluntas Diuina ab humana: tum quia uoluntas Diuina à ſola propria natura habet ſe de præſenti determinare, ergo pariter à propria ſola natura habet de futuro fore ſe determinaturam: tum quia de præſenti uoluntatem Diuinam ſe determinare, quæro, an hoc habeat à ſola propria natura, uel alio priori uirtualiter, hoc ſecundum non eſt aſſignabile, ergo primum, ergo pariter de futuro nõ eſt quærendum aliud, ex quo habeat fore ſe determinaturam, niſi propria natura eiuſdem voluntatis, vt dicitur de præſenti; tum quia quando poſt decretum cognoſcitur volitio futura in voluntate creata, dato quod tunc detur determinatio in voluntate Dei ſubiectiuè, tamen ſubiectiuè non datur in voluntate creata, ſed hoc non obſtante cognoſcitur prout ſic in voluntate creata præſcindendo à cognitione eiuſdem prout in decreto Dei, ergo ad cognoſcendam certò volitionem liberam non requiritur præcognoſci determinationem voluntatis vt realem ſubiectiuè in ipſa, immò ſtat ab eadem realitate ſubiectiua determinationis præſcindi, ergo ſignum eſt realitatem ſubiectiuam determinationis non eſſe neceſſariam, immò ſufficere obiectiuam realitatem eiuſdem determinationis: tum quia talis debet eſſe determinatio cauſæ in producẽdo, qualis eſt determinatio effectus in eſſe producto, ſed actus futurus habet determinationem, non qua determinatè producendus ſit, ſed qua determinatè eſſet producendus, ergo & cauſa reſpectu illius ſufficit, quod habeat determinationem, non qua de præſenti decernat, ſed qua decerneret de præſenti, & ſicut in effectu determinatio eſt realis ſolùm obiectiuè in eſſe producendi, ita in cauſa erit realis ſolum obiectiue in eſſe producturo, & ſicut demum illa eſt determinatio ſolùm futura ad eſſe, ita iſta eſt determinatio ſolum futura ad agere ſeu producere, non verò requiritur determinatio actualis per aliquem actum elicitum ſeu decretum.

Quartò

Vt enim pro nobis omnino S. Thomas loquebatur quæſt. 23. de veritate ar. 4. *Diuinum velle neceſsitatem habere ex parte ipſius volentis, & actus, indubitabiliter verum eſt, nam actio Dei eſt eius eſsentia, quam conſtat eſse æternam: Vnde hoc in quæſtione non ponitur, ſed vtrum velle ipſum neceſsitatem habeat per comparationem ad volitum, quæ quidem comparatio intelligitur, cum dicimus Deum velle hoc, vel illud &c.* En habitudo, ſeu vt alij loquuntur, terminatio actiua, qua intrinſece actio diuina libera dicitur poſſe vel attingere vel non attingere creaturas, volendo, ſeu producendo, ea ſola eſt, non vero entitas, ſeu realitas actionis diuinæ, de qua præſens explicatio procedit. Qualis autem hæc habitudo ſit, facile intelliget, qui attenderit, quod, ut loquitur S. Tho. q. 3. de Potentia ar. 17. ad 19, *ſicut ſe habet ſcibile ad ſcientiam noſtram, ita ſe habet ſcientia Dei*, (& idem à fortiori dicas de voluntate) *ad creaturas, nam ſcientia Dei eſt cauſa creaturarum, ſicut ſcibile eſt cauſa ſcientiæ noſtræ*, ut repetit etiam 1. diſt. 30. q. vnica ar. 3. ad 3. p. p. qu. 13. art. 7. & alibi ſæpe eandem adhibet ſimilitudinem. In re ſcibili autem habitudo ad ſcientiam noſtram tripliciter accipi poteſt, primo antecedenter, prout dicit eſſentiam rei in ſe, in qua habitudo fundatur; ſecundo formaliter pro ipſa habitudine menſuræ ad menſuratum, ſcilicet ſcibilis ad ſcientiam, in qua reali habitudine fundat poſtea intellectus noſter relationem rationis etiam in ſcibili ad ſcientiam, cum tamen ex 5. Metaphyſicorum ſola ſcientia referatur realiter ad ſcibile, non econuerſo; tertio demum habitudo ſumitur conſequenter pro hac eadem relatione rationis fundata in habitudine formaliter ſumpta. Igitur & habitudo terminationis actus diuinæ ſcientiæ aut volitionis ad creaturas tripliciter accipi poteſt, primo antecedenter pro eſſe, aut diuina realitate Diuini actus, ſecundo formaliter pro munere & conceptu explicito terminationis ad creaturas, tertio conſequenter pro relatione rationis fundata in prædicta formaliter habitudine, vt explicat S. Tho. in 1. diſt. 30. citata art. 3. ad 1. hac de cauſa dicens, *intellectum noſtrum non eſse vanum*, dum concipit relationem rationis &c. *quia habet aliquid reſpondens in re, quamuis non ſecundum modum, quo eſt in ratione*. Et ar. 1. ad 2. non minus explicans quomodo habitudo ſecundo modo formaliter ſumpta differat ab habitudine primo modo pure fundamentaliter antecedenter, *eſt conſiderare duo*, inquit, *ſcilicet habitudines ipſas, & illud, ſupra quod fundatur ratio habitudinis in Deo, ſicut habitudo creationis habet pro fundamento in Deo virtutem diuinam &c. Si igitur conſideretur hoc, quod habent pro fundamento in re diuina, conſtat quod per ſe dicuntur, & ab æterno conueniunt quantum ad iſtud, quia eſſentia, virtus, & operatio diuina ab æterno eſt. Si autem conſideretur ipſa habitudo, tunc per accidens*, (ſcilicet prædicabiliter, non prædicamentaliter, vt immediate ſubiungit) *de Deo dicuntur quantum ad hoc*, ſcilicet quantum ad habitudinem, quæ ſub munere explicito habitudinis ſeu terminationis ad creaturas non eſt abſolute indefectibilis, vt mox iterum explicabitur. Cum autem (ex eodem S. Tho. q. 23. de Veritate ar. 4. ad 15.) *voluntas ad volitum habeat duplicem reſpectum, primum quidem ad ipſum inquantum volitum, ſecundum vero ad idem inquantum eſt producendum in actu*, inde in hoc poſtea habitudo actus diuini immanentis in Deo ad creaturas, vt ſcitas, aut volitas, differt ab habitudine actionis Diuinæ virtualiter tranſeuntis ad creaturas vt productas ad extra, (ex eodem S. Thoma p. p. q. 13. ar. 7. ad 3.) quod illæ habitudines æternæ ſunt & neceſſariæ ex ſup-

ſuppoſitione, iſtæ vero temporales etiam dicuntur, & iuxta has ſecundas ſic explicatas actus executivus Diuinus dicitur eſſe futurus, actus autem immanens, licet quo ad prædictam habitudinem, ut talem explicite formaliter, potuiſſet non eſſe eo modo, quo fuit, & vti ex iſta ſuppoſitione æternus fuit & eſt, nullo tamen modo potuit vnquam eſse futurus, iuxta præexplicata ſuperius. Nunc iſta eadem explicatio, ſeu hypotheſis, quæ in adductis probationibus antea ſupponebatur, tum ex auctoritate Scholaſticorum, tum præſertim ex S. Thoma firmanda eſt, ne quid incongruum ſupponere videamur. Difficilius enim eſſe videtur, quod etiam habitudo actus immanentis in Deo ad creaturam volitam, v.g. ad hunc mundum volitum, ut futurus eſſet, ſecundum conceptum ſeu munus explicitum potuerit non eſſe vt talis, quam quod pura habitudo actus diuini ut virtualiter tranſeũtis ad mundũ vt productũ ad extra in tempore potuerit non eſſe ab æterno, & conſequenter quod temporaliter fuerit. Sed non obſtante ea maiori difficultate totũ illud concedendũ eſſe defendit nouiſſime noſter Magiſter Godoi ex profeſso, ſimul cum Caietano, Capreolo, Sylueſtro, & Nazario (ſic explicante Caietanum, uti & explicat Ioannes à S. Tho. diſp. 4. de volunt. ar. 4. in fine) & ante Godoi prædocuerat Arauco lib. 12. Metaph. q. 4. ar. 1. referens & Ferrarienſem, & alios, quos omnes propugnat poſtea è Societate recenter Martinonus tom. 1. diſp. 14. ſec. 4. pro eadem ſententia addenſans Fonſecam, Salam, Enriquez, Zunigam, & Zumellum, & demum Haunoldus inquit, *hanc ſententiam tam plane inualuiſſe*, referens pro eadem Antonium Perez, Eſparzam, Aldretem, & alios ex eadem Societate, ſic explicantes ac propugnantes Caietanum noſtrum. Ergo à fortiori, non obſtante minori difficultate in ſecundo, ſcilicet de habitudine actus Diuini virtualiter tranſeuntis ad creaturam ad extra, totum hoc ſecundum, quod nos intendimus, admittendum eſt. Audi modo, quam faueat prædictorum Theologorum hypotheſi S. Thomas prælaudata q. 23. de Veritate art. 4. vbi in argumento 2. hanc ſibi proponebat difficultatem, *quia hoc ipſum, quod eſt Deum velle aliquid, importat habitudinem voluntatis ad volitum; ſed hoc ipſum, quod eſt Deum velle aliquid, eſt æternum: Ergo ipſa habitudo voluntatis ad volitum eſt æterna, & neceſſaria, & nedum velle Dei eſt neceßarium ex parte ipſius volentis & actus*, (vt prædeſtinxerat S. Thom.) Et ne quis reſponderet & hanc habitudinem eſſe neceſſariam, loquendo de habitudine ad creaturas ut poſſibiles intra Deum, nõ vero loquendo de habitudine ad creaturas ut futuras poſtea ad extra. *Si diceretur*, inquit, *quod habitudo ad volitum eſt æterna & neceſſaria ſecundum quod volitum eſt in ratione exemplari, non autem ſecundum quod eſt in ſeipſo, ſiue in propria natura. Contra eſt, quia ſecundum hoc aliquid eſt volitum, quod ad ipſum refertur voluntas; ſi ergo ab æterno non refertur voluntas Dei ad volitum ſecundum quod eſt in ſe ipſo, ſed ſecundum quod eſt in ratione volendi exemplari, tunc aliquod temporale non eſſet ab æterno volitum &c. quod patet eße falſum*, En tota difficultas propoſita de habitudine ipſa formaliter ab æterno, de qua in propoſito dubitatur. Nunc audiamus quid S. Thomas reſpondeat, & an concedat ſic fuiſſe ab æterno, vt potuerit nõ eſſe, vti prædicti explicabant, præſertim Arauco & Godoi? *ad 2*, inquit, *dicendum quod illa habitudo importata eſt neceſſaria & æterna ex ſuppoſitione, non autem abſolute; & non ſolum ſecundum quod terminatur ad volitum prout eſt exemplariter in ratione volendi* (vt poſſibile amari) *ſed prout eſt temporali-*

ter

ter in propria natura, ideſt futurum & volitum, ut temporaliter ſuo tempore ad extra ſit, & paſſim in ſolutione ad ſubſequentia argumenta repetit, *habitudinem ipſam eſſe neceſſariā & æternam ſolum ex ſuppoſitione, non neceſſariam abſolute*, quod eſt, non ita eſſe, vel fuiſſe neceſſario ab æterno, quin abſolute non potuerit non eſſe, ut talis, ſcilicet ſecundum munus explicitum habitudinis, licet ſecundum implicitum, totamque realitatem incluſam, indefectibilis etiam abſolute ſit, ut latius explicat ſubtiliſſimus Godoi, ſingulas ſoluens contra hoc replicas conſulendas in ipſo. An vero hinc fiat habitudinem iſtam virtualiter intrinſece penes explicitum diſtingui ab actu neceſsariò, ut illi volunt, vel ſatis ſit diſtingui virtualiter penes explicitum extrinſece tantum (ut ego dicere mallem) non intrinſecè, de qua diſtinctione alibi in Metaphyſicis egimus, in præſenti, nec intereſt, nec expendere vacat. Sat eſt, quod ſi habitudo formalis actus diuini immanentis ſecundum conceptum explicitum habitudinis non eſt neceſſaria abſolute, immo abſolute non eſſe quodammodo potuit, à fortiori habitudo formalis actus diuini virtualiter tranſeuntis ad extra in tempore poterit ſecundum conceptum explicitum habitudinis ab æterno non eſſe, & conſequenter ratione conceptus expliciti eiuſdem habitudinis, quam exercite importat actus executivus diuinus in tempore, prout ab actu immanente prædefinitiuo ſecernitur, poterit non immerito dici hic actus executivus Dei temporalis ſeu futurus in tempore, ad differentiam illius, qui ex ſuppoſitione quod ſemel fuerit, neceſſe eſt, ut ſit ab æterno, ſemperque permaneat. Audi modo hanc differentiam inter utrumque, totumque, quod ipſi concludimus, ex S. Thoma q. 3. de Potentia art. 17. ad trigeſimum, ubi obiectio inferebat, quod, quia *Deo idem eſt dicere quod facere, ſicut dicere Dei eſt æternum, quo dicitur Verbum æternum, ita & facere, quo factus eſt mundus, æternum eſt*: Reſpondet autem S. Thomas, *quod ex parte ipſius Dei facere non importat aliquid, quod ſit aliud quam dicere: non enim actio Dei eſt accidens, ſed eius ſubſtantia: Attamen facere importat effectum actualiter exiſtentem in propria natura, quod per dicere non importatur*: Et clarius q. 6. de Veritate ar. 3. ad 9. ubi difficultas argumenti hæc erat: *quia ſi æternum coniungatur temporali contingenti, totum erit temporale & contingens, ſicut patet de creatione, quæ eſt temporalis, quæ in ſua ratione eſſentiam Dei æternam & effectum temporalem, & ſimiliter de miſſione, quæ importat effectum temporalem: Sed prædeſtinatio, quamuis importet aliquid æternum, tamen cum hoc etiam importat effectum temporalem; Ergo totum hoc, quod eſt prædeſtinatio, erit temporale & contingens, &c.* Reſpondet S. Thomas pro noſtra omnino explicatione ſic dicens: *Ad nonum dicendum, quod creatio, & miſſio, & huiuſmodi, important productionem alicuius temporalis effectus, & ideo ponunt temporalem effectum eſſe, et propter hoc oportet eſſe temporalia, quamuis in ſe aliquid æternum claudant, ſed prædeſtinatio non importat productionem alicuius effectus temporalis, ſed tantummodo ordinem ad aliquid temporale, ſicut voluntas, potentia, & huiuſmodi omnia. Et ideo quia non ponitur effectus temporalis eſſe in actu, quod eſt contingens, non oportet quod prædeſtinatio ſit temporalis vel contingens, cum ad aliquid temporale & contingens poſſit aliquid ordinari ab æterno & immutabiliter.* Hæc igitur tantum, quæ S. Thomæ eſt, & noſtra explicatio erat de actu executiuo diuino ad extra, ut importante habitudinem connexionis cum effectu temporali, quem inſeparabiliter infert ad extra, ideoque ſecundum hoc munus explicitum tempo-

talis ac futurus in tempore dicitur, ita ut cum actio diffiniatur, *actus ſecundus agentis illatiuus effectu in paſſo*, quo ad primum, quod reſpicit Deum, diuina actio tota ab æterno ſit, quo ad ſecundum vero, quod dicit habitudinem ad effectum actu poſitum ad extra, quo ad hoc ſecundum munus explicitum, ut tale, profecto ab æterno non ſit, uti nec ab æterno eſt effectus illatus ad extra, & ſicut in perſona diuina Verbi admittitur de nouo in tempore habitudo ad humanam naturam, quam terminat actu, & antea non terminabat ad extra, ſine vlla ſua intrinſeca mutatione (ex S. Tho. 3. p. q. 16. ar. 9. ad 2.) cur non ſic in actione æterna Dei admitti poterit hæc habitudo terminationis actiuæ de nouo ad creaturas ad extra in tempore, ſine vlla intrinſeca mutatione eiuſdem? eo quia & ab æterno diuina voluntas ſic voluit creaturam futuram eſſe, non ſolum vt ſic in communi, ſed tali tempore determinato, & non alio, & cõſequenter & iſta habitudo, quam exercet, actio diuina quo ad munus explicitum pro tali tempore, non alio, à diuina æterna volitione, velut à priori deſcendit, non à creatura vt effectu illato per ipſam, vt explicat idem S. Thom. quæſt. 3. de potentia ar. 17. ad 12. & p. p. q. 46. atr. 1. ad 9. & 10. & 2. contra Gentes cap. 35. ad 2, & alibi, ſicque per iſtam habitudinem *principij*, quã actio creatiua importat in priori natura in ordine ad creaturam, quam infert, & ponit ad extra, exponit idem S. Thom. formaliſſimum conceptum explicitum actus executiui diuini, cuiuſmodi creatio eſt, tum p. 1. q. 45. ar. 2. ad 2. tum ar. 3. ad 2. & alibi. Neque eſt cur proinde de iſta habitudine ſubinquiras, quid ſit? & an ſit vere in Deo à parte rei, vel non? Reſpondemus enim, quod in re iſta habitudo eſt ipſa actio æterna Dei & Deus ipſe, ſed ſecundum munus explicitum, ſcil. *eſſe id à quo effectus exercite ſit & infertur*. Vnde cum dicat ordinem ad effectum vt terminum, non ad agens vt ſubiectum, non eſt in agente proprie, ſed eſt agens ipſum vt principium effectus, ſimulque importans ſub munere explicito connexionis effectum: vt ferme reſpondet S. Thomas in primo diſt. 30. q. 1. ar. 2. ad 2. dicens, *iſta habitudo non eſt in diuina eſſentia, nec aliqua res in Deo, ſed ſecundum eſſentiam, in qua fundatur talis habitudo, & huiuſmodi conueniunt Deo ab æterno quaſi habitualiter*, ideſt habitualiter quo ad munus explicitum (non vero entitativum, ſeu implicitum) habitudinis formaliter, in qua conſequenter deinde fundamus nos relationem rationis, vt explicare proſequitur ibidem art. 3. licet nullo intellectu adhuc conſiderante, formalis iſta habitudo (quam Salmanticenſes diſput. 7. de voluntate Dei numero 58. vocant etiam *relationem rationis fundamentalem*) realis eſt realitate eiuſdem Dei, & æternæ operationis eiuſdem, ad quam in ratione *principij* correfertur relatio realis conſequens in creatura, ex eodem S. Thom. p. 1. q. 45. ar. 3. ad 2. remanet ergo accuratius ſatis expoſita hypotheſis de futuritione actus executiui diuini, quam ſupra q. 2. ar. 3. & 4, ſiue abſolutam, ſiue conditionatam, ut neceſſario admittendam ſupponebamus, quamque prællatæ hucuſque rationes pro probabilitate Sententiæ Zumelli, Nauarretis, Cabreræ, & aliorum, non immerito ſupponebant; nec aliud manet, niſi ut probabiliter eandem, quam hic tractamus, eorumdem ſententiam ex auctoritate etiã Sanctorum Patrum quodammodo comprobemus.

Sextò igitur tandem hæc Zumelli, Nauarretis, & Cabreræ poſitio ab auctoritatibus Auguſtini, & aliorum Patrum probari poteſt, nam Auguſtinus

præ-

præſertim loquens de decreto, quocumque ut ſic in communi, quo ipſe nomine *prædeſtinationis* appellat, ut noſtri Thomiſtę aduerterunt, præter plura Auguſtini loca congeſta etiam in Ianſenio lib. 9. de gratia Chriſti cap. 1. per totum, de hoc, inquam, decreto loquens Auguſtinus non ſemel innuit hoc decretum à Deo diſponi in *præſcientia*, ideſt præſuppoſita præſcientia, non quidē ſolum poſſibilium, ſed etiam operum quodammodo futurorum, *quæ ſcilicet fuerat ipſe facturus*, vt Auguſtinus loquitur in lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. & 14. ſed ea præſcientia, in qua veluti præcedente *decretum prædeſtinationis* diſponatur, alia eſſe non poteſt niſi præſcientia ſuorum actuum ſub conditione futurorum ante quodcumque decretum, cum aliàs eſſe nequeat præſcientia conditionatorum ſolum in veritate obiectiua creaturarum, vt volebant auctores ſcientiæ mediæ, ergo vere iam etiam ex Auguſtino concedi debet iſta præſcientia operum ſub conditione futurorum in Deo ante quodcumque decretum &c. Maior ſola probanda manet, pro qua audi verba Auguſtini lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 17. dicentis, *Deus dona ſua in præſcientia præparare*, & mox *prædeſtinare*, inquit, *eſt in ſua, quæ falli mutarique non poteſt, præſcientia opera ſua futura diſponere*, tum lib. de perfectione iuſtitiæ verſus finem vbi locum Apoſtoli ad Rom. 8. ſic legit, *quos ante præſciuit & prædeſtinauit*, quid clarius? nec minus clare Damaſcenus in dialogo contra Manichęos, *quæ futura ſunt* (inquit) *prænoſcit, ac pro ſua præſcientia præfinit.* Audis hic præſcientiam præuenire decretum? ita & Patres antecedentes Auguſtinum, quos ipſi Auguſtino opponebat, vel proponebat, in perſona Maſilienſium Proſper in Epiſtola ad eumdem dicens, *pene omnium par inuenitur & vna ſententia, qui propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt*, cui reſpondens Auguſtinus in lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 18. non negat plerumque eos Patres ità dixiſſe, ſed ſolùm ait eorum dictum exponendum de præſcientia ſuorum operum, non noſtrorum, *ſcilicet præſciuiſſe quid fuerat ipſe facturus*, & cap. 19. *hæc*, inquit, *ita Deum noluerant dare, vt non ignorarent eum daturum ſe eſſe præſciuiſſe*, & verè pro ſimili dicto etiam referri poſſunt viginti quatuor Patres congeſti à Theophylo in Apologia pro Valeriano cap. 9. alias apparenter nō ita conformes Auguſtini doctrinæ. Accedit in hoc ſenſu facillimè explicari poſſe, quod inquit idem Auguſtinus libr. de Prædeſtin. Sanctorum cap. 10. *quod ſcilicet prædeſtinatio ſine præſcientia non poteſt eſſe, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia*, neque enim id ſolum de præſcientia peccatorum, quæ à Deo formaliter non decernuntur, niſi permiſſiuè, non, inquam, de hac ſola hoc dictum intelligi debere ſubdebat Hieronymus allatus ac defenſatus à S. Tho. qu. 12. de verit. ar. 10. ad 3. his verbis, *non excedit præſcientia prædeſtinationem in malis ſolum, ſi prædeſtinatio ſtrictè accipiatur, ſed etiam in omnibus bonis, quæ non fiunt ſola virtute Diuina.* Nec minus in hoc ſenſu longe faciliori exponi poteſt vulgare illud dictum S. Thom. 3. p. q. 1. art. 3. *quod nimirum prædeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorum*, & q. 3. de veritate art. 6. quod *determinatio ex propoſito diuinæ voluntatis non eſt ad ea, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt*, & demum in hoc ſenſu, de pręſcientia ſaltem actuum conditionatorum noſtrorum in ſola futuritione actuum Diuinorum antecedente ſcientiam abſolutam poſtea futurorum noſtrorum actuum, intelligi facilè poteſt illud dictum Pſal. 138. *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me confortata eſt, & non potero ad eam.* Ab aucto-

ritate

ritate igitur etiam iſta explicatio ſatis comprobari poteſt.

Ad primum igitur ex allata ſolutione S. Tho. p. 1. q. 19. ar. 3. ad 5. diſtinguenda eſt maior, ſi illud indifferens non habeat ex ſe neceſſitatem, immò ſimul cum libertate contingens ſit, concedo, ſi cum libertate habeat neceſſitatem, & non ſit contingens, vt de voluntate Diuina ibi explicat S. Tho. nego; vti & iam in determinatione Diuina de præſenti illa difficultas retorta eſt in arguentes; & iterum ex S. Tho. ibidem ad 4. maior eadem diſtingui poteſt, ſi ſit indifferens ſimul indifferentia actiua & paſſiua ſuſpenſionis, vt eſt voluntas noſtra, concedo, ſi ſolum indifferentia actiua dominij, & independentiæ ab obiecto volito, nego, quia quod *Deus*, inquit S. Tho. ibi, *non ex neceſſitate velit aliquid eorum, quæ vult, non accidit ei ex defectu voluntatis, ſed ex defectu, qui competit volito ſecundum ſuam rationem, quia ſcilicet eſt tale vt ſine eo eſſe poſſit perfecta bonitas Dei &c.* ut ibidem proſequuntur explicare Ioannes de S. Tho. & alij Thomiſtæ, & repetit idem S. Tho. 1. contra gentes cap. 82. & explicant Ferrarienſis ibidem ad 4. Nauaretes q. 19. ar. 3. controuer. 5. per totam, Nazarius ar. 7. controuer. vnica ibidem, præter Suarez in relect. de libertate Diuina diſp. 1. ſect. 1. &c.

Ad ſecundum diſtinguo maiorem, loquendo de actu proprio Dei futuro in tempore abſolute, ſeu qui de facto erit, concedo, de futuro ſolum conditionatè, ſeu qui eſſet, nego, & ad minorem primo modo, nego, ſecundo modo concedo, vt patet diſparitas ex 4. noſtra probatione, & ſolum de primo requiri prædefinitionem ab æterno in Deo colligi poteſt ex S. Tho. p. 1. q. 25. art. 5. ad 1. dicente, *non poteſt eſſe quod Deus aliqua faciat, quæ non præſciuerit, & præordinauerit ſe facturum, quia ipſum facere ſubiacet præſcientiæ, & præordinationi, non ſic autem ipſum poſſe quod eſt naturale*, cum igitur de ſuo actu futuro ſolum conditionato non verificetur quod Deus *faciat*, nō requiritur quod prius Deus præordinauerit, ſed ſufficit quoad hoc reduci ad ea, quæ poteſt facere, & nunquam facturus eſt, vel facit.

Ad tertium probabilis eſt reſponſio Zumelli, quam ſequitur etiam Cabrera 3. p. q. 62. ar. 1. diſp. 12. §. 7. n. 206. dicens illam propoſitionem de futuro actu libero eſſe neceſſariam, non abſolute & ſimpliciter, ſed ſecundum quid ex ſuppoſitione futuritionis eiuſdem, ſeu verificatione euentus, & inde ſubſcribit etiam Faſſolus ad ar. 13 dub. 18. n. 451; vnde ad impugnationem ex doctrina eorumdem reſponderi poteſt diſtinguendo maiorem, etiam in iſta propoſitione, *ſi Deus voluerit ſaluare Petrum, Petrus ſaluabitur*, inuoluitur actus liber Dei, itaut tamen iſte actus liber Dei ſe habeat, vt conditio antecedens connexa neceſſario cum conſequête, concedo, itaut ſe habeat vt conſequens econtra poſitum ſub conditione non connexum neceſſariò cum ipſa nego, & conceſſa minori negatur conſequentia, & paritas, quia in propoſito econtra in iſta propoſitione, *ſi Petrus naſcatur in tali circumſtantia ego Deus facturus ſum vt baptizetur*, actus liber Dei ponitur, vt conſequens ſub conditione, & vt non connexum neceſſariò cum conditione &c, ideoque illa conditionalis attingitur per ſolam ſcientiam naturalem, non verò iſta.

Ad quartum diſtinguo maiorem, eſſet aliqua ratio realis *actu & in exercitio*, tamen in linea entis nominaliter obiectiue, & veluti per modum eſſentiæ, cōcedo, in linea entis participialiter ſubiectiuè, & per modum exiſtentiæ, nego;

primo

primo enim modo etiam eſſentia entis realis antequam exiſtat ad differentiā eſſentiæ entis rationis, quæ neque ad exiſtentiam realem ordinatur, dicitur realis, ideſt non ficta, licet non dicatur realis, ideſt exiſtens, & ſicut tunc eſſe reale obiectiuum eſſentiæ antequam exiſtat deſumi poteſt ab exiſtentia terminatiuè, ut termino ad quem, licet exiſtentia ſit poſterior ipſa, ità in propoſito etiam hoc eſſe reale obiectivum futuritionis deſumi poteſt ab exiſtentia, quam tunc haberet (ut ita dicam) de præſenti, licet exiſtentia tunc explicetur ut poſterior; quæ explicatio non ideò deſpicienda eſt, quia tradatur ab Ocham in 1. diſt. 38. q. vnica littera M, quin ut probabilis permittatur tamquam laudata à Cabrera 3. p. qu. 62. art. 1. diſp. 12. §. 7. n. 204. immò ſicut eſſe futurum eſt quædam determinatio obiectiua in ordine ad tempus ſubſequens, ità eſſe præteritum eſt quædam determinatio obiectiua in ordine ad tempus antecedens, & tamen ut hæc ſecunda realis eſſe dicatur ſufficit realitatem ſumi ab exiſtentia olim habita, & cauſa, quæ produxit, non verò ab alia determinatione præſenti cauſæ, ergo pariter ut illa prima realis ſit ſufficit ſumere realitatem ab exiſtentia habenda ſub conditione, & à cauſa, quæ productura eſſet, non ab aliqua alia determinatione præſenti cauſæ, ut paritatem hanc facit etiam Auguſtinus libr. 26. contra Fauſtum cap. 4. & rurſus, ſicut poſſibilitas alterius Mundi eſt quædam determinatio ad eſſe poſſibile, quam habet alter Mundus, & non habet Chimæra, ita futuritio iſta eſt determinatio ad exiſtentiam in tempore ſub conditione, quam non habet actus non ita futurus, & tamen ut illa prima realis dicatur ſufficit realitas obiectiua extrinſeca deſumpta etiam ab exiſtentia, quam poteſt habere, ergo pariter ut iſta ſecunda determinatio realis eſſe dicatur ſufficiet realitas extrinſeca obiectiuè deſumpta ab euentu ſub conditione futuro abſque eo, quod de præſenti detur actuale decretum prædefinitivum in Deo, licet daretur ſi abſolutè actus ille in tempore futurus eſſet &c. Ex his igitur omnibus hæc explicatio & ſolutio profectò longè probabilior eſt, quam alia doctrina, quam adhibet, & nimis extendit etiam ad futuritionem actus futuri creati Cardinalis Pallauicinus lib. 8. de Deo cap. 45. num. 339. dicens, [etſi nequeat dari ens potens gloriari quaſi non acceperit à Deo, non tamen repugnat aliquod verum, quod non ſit ens potens gloriari quaſi non acceperit à Deo, tum quia adhuc de nulla perfectione gloriaretur, tum quia hoc pertinet ad perfectionem ſummi entis, vt detur veritas quarumcumque propoſitionum etiam determinabilium à cauſis ſecundis, ut earum ſcientiam habere poſſet Deus etiam in caſu, in quo tales creaturas nollet producere, & conſequenter independenter cognoſceret ab actuali determinatione vllius principij] hæc Pallauicinus de creata etiam futuritione conditionatorum, ad quam tamen nos non ita credimus extendendam independentiam adhuc in linea veri, cum in hac linea adhuc in genere cauſæ ad minus exemplaris (præſcindendo ab efficienti) quælibet veritas creata dependeat à prima veritate, vt præter S. Tho. vidit vel ipſe Philoſophus Ethnicus in 2. Metaph. tex. 3. dicens, *vnumquodque maximè cæterorum eſt ipſum etc. vt ignis eſt calidiſsimum, nam cæteris hic caliditatis eſt cauſa. Quare & ideſt veriſsimū, quod eſt poſterioribus cauſa vt vera ſint.* Sed vide Salmāc. dub. 3.

Ad quintum diſtinguo maiorem, loquendo de eſſe reali participialiter per modū exiſtētis & ſubiectiue, concedo, nominaliter per modū eſſentię & obiectiuè,

ctiuè, nego, nam etiam poſſibilitas rerum in ſe ipſa obiectiuè realis eſt ad differentiam chimæræ, antequam, vel in ſe exiſtat, vel in ſua cauſa effectiua contineatur, cum immò ideo in cauſa contineatur res poſſibilis, & non chimæra, quia illa non habet in ſe repugnantiam terminorum vt iſta, immò in hoc differt poſſibilitas abſoluta in ſe à poſſibilitate reſpectiua ad cauſam, vt notat S. Tho. p. p. q. 25. art. 3, & à fortiori id conſtat in Deo, in quo poſſibilitas Dei vt aliquo modo negatiue, licet non poſitiue, præſcindens ab exiſtentia, profecto realis eſt, & tamen prout ſic neque eſt realis vt actu exiſtens in ſe ipſa, cum prout ſic ab exiſtentia præſcindat, neque eſt realis prout in ſua cauſa vel principio, cum Deus ſupra ſe neque habeat cauſam neque principium, reſtat ergo prout ſic dici realem ſolum obiectiue ſeu terminatiue ex termino, ad quē eſt; ita proportionaliter iſta determinatio Diuinæ voluntatis ad agendum potius quam non agendum ſub tali circumſtātia realis, dici poteſt terminatiue ab euentu &c. Vel aliter reſponderi poteſt concesso toto integro ſyllogiſmo, negando minorem ſubſumptam, tum quia ſicut poſſibilitas creaturæ dicitur etiam realis in ſua cauſa, non vt actu producente, ſed vt potente producere, ita futuritio determinata actus executiui in Deo diceretur realis in voluntate Diuina tamquam principio, nō ut actu determinante ſe ad agendum, ſed vt ſe determinatura &c; tum quia actum eſſe de præſenti virtualiter à Diuina voluntate eſt Diuinam voluntatem de præſenti virtualiter influere, vel ſe determinare ad eumdem, ergo & actum fore de futuro virtualiter ab eadem Diuina voluntate eſt eamdem de futuro fore influxuram, vel ſe determinaturam ad eumdem, tum quia tandem licet reſpectu actus executiui futuri abſolutè prærequiratur ad hoc in ſigno priori præſens reale decretum, tamen reſpectu futuri ſub conditione non prærequiritur pro illo ſigno decretum, quod ſit abſolute præſens, ſed quod pro illo ſigno præſens eſſet, ſi actus abſolutè futurus eſſe deberet, iuxta hypotheſim præcitatam, iuxta quam ſolum in *præſenti* diſcurrimus, vt iam ante monuimus.

Ad ſextum negatur maior, vt inſufficienti vtens diuiſione, tum quia pro ſigno priori, vt modo dictum eſt, ſufficit prædictam determinationem realem dici obiectiue à ſuo termino, & euentu, tum quia ſi debet dici realis etiam in ſuo principio ſatis eſt principium fore ſe determinaturum, & rurſus quod in ipſo pro illo ſigno eſſet præſens decretum, ſi euentus abſolute futurus eſſet, vt mox antea explicatum eſt.

Ad ſeptimum diſtinguo maiorem, ſi intelligatur paritas quoad aliqua, cōcedo, quo ad omnia, nego, diſparitas ad propoſitum eſt, quia futuritio etiam conditionata actus noſtri creati dependet à voluntate Diuina ſolum mediante futuritione conditionata actus executiui Diuini, quæ adminus per decretum continuo præſens approbatur, at verò iſta pendet à voluntate Diuina immediate nullo mediante prærequiſito decreto præſenti pro illo ſigno priori &c. vt hucuſque in iſta ſententia explicatum eſt, præterquamquod ex dicendis in ſequenti Articulo, etiam ad minorem reſponderi poteſt, quod licet data futuritione conditionata actus noſtri ſimul correquiratur actu præſens decretum Dei, in priori tamen ſigno & iſta cognoſcitur in futuritione conditionata actus executiui Diuini, & in decreto deinde conditionato approbatiuo futuritionis eiuſdem actus executiui Diuini ſub conditione, & in hoc ſemper

differt

differt futuritio conditionata actus, ſiue noſtri, ſiue executiui Diuini, à futuritione abſoluta eorumdem, quod ad abſolutam prærequiritur decretum, quod pro illo ſigno priori ſit præſens, ad conditionatam verò ſufficit decretum cõcomitanter approbativum, & quod pro illo ſigno priori non concipitur præſens, ſed conciperetur ſi futuritio abſoluta eſſet, datur enim & præſentia conditionata decreti, licet futuritio eiuſdem nec conditionata admittatur, vt ſupra præmiſſum eſt.

Ad octauum tandem reſpondetur diſtinguendo maiorem, loquendo de futuris non ſolum liberis ſed contingentibus, ut ibi loquitur S. Thom. dicens, *& hoc quidem dicitur quoad materiam contingentem &c.* concedo, loquendo de futuris liberis, ſed exemptis ab imperfectione contingentiæ, ut eſt in Deo, nego, contingentiam enim propriè in Deo non dari optimè præter alios explicat Bannez p. p. q. 14. & 19. hinc S. Thom. in eodem lib. 1. Perhier. lect. 14. profundè dicebat, *voluntas Diuina eſt intelligenda, vt extra ordinem entium exiſtens, & velut cauſa quædam profundens totum ens, & omnes eius differentias, ſunt autem differentia entis poſſibile & neceſſarium, & ideo ex ipſa voluntate Diuina originantur neceſſitas, & contingentia in rebus*; vides Diuinam voluntatem cauſare etiam contingentiam in rebus, ſed extrà contingentiam eſſe, & indè mox infrà ſubiungit, *omnis alia cauſa præter Deum cadit iam ſub ordine neceſſitatis vel contingentiæ, & ideo oportet quod vel ipſa cauſa poſſit deficere, vel effectus eius non ſit contingens, ſed neceſſarius; voluntas autem Diuina indeficiens eſt, & tamen non omnes effectus eius ſunt neceſſarij, ſed quidam contingentes*, conſequenter iuxtà doctrinam Ariſtotelis ibi, licet non detur determinata veritas in propoſitionibus de futuro circa creaturas liberas ſimul, & contingentes, dabitur tamen circa actum Diuinum liberum quidem, non tamen contingentem, & immutabilem, non mutabilem, undè mox ante lect. 13. de ſolis mutabilibus S. Thom. id explicabat dicens, *alio modo aliquid eſt in ſua cauſa, vt quæ habet inclinationem ad ſuum effectum, quæ tamen impediri poteſt, & ideo hoc determinatum eſt in ſua cauſa ſed mutabiliter, & ſic de hoc verè dici poteſt, hoc erit, ſed non per omnimodam certitudinem*, ergo ab oppoſito ſupponit S. Thom. quod ſi aliquod futurum liberum ſit in ſua cauſa libera immutabili, vti eſt Deus, habebit iam omnimodam certitudinem adhuc prout in cauſa ſine læſione libertatis, ſicut habet dum eſt in ſe præſens, quia vnumquodque dum eſt neceſſe eſt eſſe; non ſic autem poteſt habere certitudinem prout in cauſa ſecunda, niſi vel illa ſit neceſſaria omnino, & non mutabilis per libertatem, & contingentiam, vel ſi libera ſit, niſi eius contingentia & mutabilitas à decreto primæ cauſæ prædeterminetur. Stat ergo cum doctrina Philoſophi, & S. Tho. iſta explicatio, qua ſemel præmiſſa quoad modum cognitionis in Deo reſpectu propriorum actuum, nunc iuxta methodo Theologica (non ita, vt innuebam, ſeruata ab aliquibus) ad modum cognitionis in eodem Deo reſpectu actuum creatorum in nobis ſub conditione futurorum deſcendendum eſt, iuxtà prgallata dictorum Thomiſtarum principia, proponenda potius quam approbanda, vt ſæpè monui, vt decretoriè poſtea in ſubſequenti Quæſtione Quinta diſcutiantur, & eiſdem communior æque ac probabilior altera Thomiſtarum explicatio, his non obſtantibus, præponatur ſeu præferatur.

ARTICVLVS IV.

An actus conditionatè futuros creatos, vel noſtros, Deus immediatè ac primò cognoſcat in actu proprio diuino executiuo, vt conditionatè futuro in tempore, & ſolum poſtea ſecundariò mediatè in decreto conditionato obiectiuè.

VIdetur quod non, tum ipſi Henriquez ex Societate in lib. de vltimo fine cap. 4. de conditionata iſta *volitione prædeterminatiua* concludenti ſic, *in qua & per quam tamquam per rationem certo omnia cognoſcit Deus*, tum præter paucos Thomiſtas in ſuperiori relatos ſingulis ferè poſterioribus poſt Aluarez in Schola S. Tho. Scriptoribus repetentibus in ſolo decreto obiectiuè cõditionato cognoſci, per conſequens non primo vel immediatè in actu proprio executiuo Diuino conditionatè futuro in tempore, ut præallati dicebãt. Et primò probari ſolet ab auctoritatibus S. Tho. repetitis etiam à Gonet diſput. 6. de ſcientia media ar. 4. § 3. nimirùm p. p. q. 14. ar. 5. dicentis, *Deum alia à ſe videre non in ſe ipſis ſed in ſe ipſo*, 1. contra gentes cap. 65. ratione 5. *cognoſcendo ſe ipſum, qui eſt omnium cauſa, alia quaſi ſuos effectus cognoſcit*, in 1. diſt. 38. q. 1. art. 5. (vt retulerat antea idem Gonet diſput. 4. ar. 4. §. 2.) *Deus non ſolum vidit ordinem ſui ad rem, ex cuius poteſtate res erat futura, ſed ipſum eſſe rei intuebatur*, 1. contra gentes cap. 68. ratione 3. *cognoſcendo ſuum intelligere & velle cognoſcit omnem cogitationem & voluntatem*, ibidem ratione 4. *ſcit Deus noſtras voluntates videndo ſuam voluntatem*. 3. cont. gentes cap. 56. *ſcit omnes noſtras uoluntates per hoc quod eſt nobis cauſa uolendi*, & ſimilia paſſim teſtimonia adduci ſolent inuicta vtique & opportuna in ſcientiam mediam, omiſſis ijs, quæ maniſeſtè intelligi ſolent de ſolis futuris abſolutis, vti cum dicit in primo diſt. 39. q. 1. ar. 1. ad 5. *ſcire ſequi uoluntatem ut imperatum ab ipſa, & ideo eſſe ſuum non ſubiacet libertati uoluntatis, ſicut ſcire operatiuum creaturæ*. Ex his igitur videtur Magiſtro Gonet ac pluribus alijs euidenter euinci futura conditionata in decreto Diuinæ voluntatis obiectiuè conditionato cognoſci, ut ante omnes latè explicabat Aluarez, tum diſp. 7. de auxilijs, tum lib. 1. reſponſ. præſertim cap. 4, & ſubſequentes omnes ferè imitati ſunt.

Secundò ab auctoritate etiam Scripturarum & Patrum præſertim Auguſtini probari ſolet, ex ſcripturis quidem attribuentibus Diuinæ voluntati rerũ futuritionem ut cauſæ, & conſequenter cognitionem earum dem in illa, ut in Pſal. 134 *omnia quæcumque uoluit Dominus fecit in Cælo, & in terra*, & Iſaiæ 14. *quomodo mente tractaui ſic eueniet*, quorum primum locum adaptat Auguſtinus in Enchiridio cap. 95, & ex ſecundo Hilarius libr. 9. de Trinitate paulò poſt principium concludit, *quod Deus facere decreuit, in ſua uoluntate cognoſcit*, præſertim autem, cum D. Proſper in epiſtola ad Auguſtinum hanc ferè in terminis dubitationem propoſuiſſet, *an uniformiter præſcientia quodam ordine ſit ſubnixa propoſito*, aduerſus appoſitè ſcientiam mediam conditionatorum à Maſſilienſibus inculcatam, ad quam etiam præcludendam ſibi explicari quærebat, *an ſicut nihil eſt quorumcumque negotiorum, quod non ſcientia Diuina præſciuerit, ita nihil ſit boni, quod in noſtram participationem non Deo auctore defluxerit*, nec daretur per conſequens ſcientia illa conditionatorum ſubtracta decreto; indè Auguſti-

nus

Digitized by Google

nus reſpondens vbique decreto præſcientiam quamcumque etiam conditionatorum ſubinnixam inculcare videtur paſſim in libris de Prædeſt. & de bono perſeuerantiæ, uti ſupra iam nos aduerſus ſcientiam mediam afferebamus; præſertim verò de Prædeſt. Sanctorum cap. 9. præmittens Chriſtum præſciuiſſe, *qui & quando & quibus locis in eum fuerant credituri*, quæ futura noſtra conditionata erant, & tamen de eiſdem ſubdens, *præſciuiſſe ſed ſimul prædeſtinaſſe*, quod eſt, ut plerique accipiunt, prædecreuiſſe, cæteris verò verbis ibidem omiſſis, illa ad propoſitum omninò videntur, cum de eiſdem conditionatis diſputans ait, *prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus*, & clarius ego teſtimonium adiungo ex eodem lib. de Prędeſtin. cap. 17. dum inquit, *in prædeſtinatione Deus ſua futura facta præſciuit*, ergo ſi prædeſtinatione, immò in prædeſtinatione iſta præſciuit, cum nomine prædeſtinationis certum ſit decretum intelligi, iam iſta conditionata in decreto vtique conditionato cognoſcit.

Tertiò, hinc rationes ab eodem Magiſtro ſubduntur, eo quia iuxta ſolida S. Tho. principia creaturæ non cognoſcuntur à Deo, niſi vt effectus in eodem Deo vt cauſa, nec aliter Diuina ſcientia perfecta foret, niſi & obiecta conditionata intrà Deum attingeret ut menſurata, non extra Deum ut menſuram, & aliàs nequeunt conditionata creata cognoſci, vel in Ideis, vt contra Ægidium oſtenderat, vel in ſupercomprehenſione voluntatis creatæ, vt contra Molinam, vel in decreto ipſo futuro contra Suarez atque Fonſecam, vel in veritate obiectiua veluti extra Deum, ſeu voluntate concepta chimæricè, ac ſi Diuina foret, ut ſomniauit Theophylus, remanet igitur à ſufficienti diuiſione dumtaxat in decreto obiectiue conditionato cognoſci.

Quartò tandem vrgentius communior illa probatio adhiberi ſolet, quam olim Ledeſma noſter pag. 599. adhibebat, quia vbicumque de nouo datur aliquid reale contingens determinatum adhuc in linea futuritionis extractum à pura linea poſſibilium, debet ſimul dari aliquod extractiuum liberum reſidens in Diuina volũtate, à qua vel ex qua vt cauſa prima, & vniuerſaliſſima tota realis extractio rerum à pura poſſibilitate deſcendit, ac futuritionis determinatio, præ non futuritione & huiuſmodi, ſicut vbi in actu realiter verificatur aliquid poſſibile eſſe, etſi neque exiſtat neque futurum ſit, correquiritur actu realiter omnipotentia Diuina vt fundans illam ac cauſans poſſibilitatem. Sed iam in creatis actibus conditionate futuris ab æterno datur actu realiter aliquod reale contingens (quod non eſſe poterat) determinatum ad futuritionem ad minus conditionatam præ nulla omninò futuritione rerum merè poſſibilium, conſequenter extractum à linea purè poſſibilium. Ergo adminus correquiritur ab æterno actu realiter aliiquod extractivum liberum reſidens in Diuina voluntate, vt tribuens hoc totum ac cauſans licet quid infimum in linea futurorum. Sed ſolum decretum obiectiuè conditionatum hoc eſſe poteſt, non vero adhuc actus executivus Diuinus, qui ab æterno præſens non eſt, ſed eſt dumtaxat & ipſe ſub conditione futurus. Ergo in ſolo decreto obiectiuè conditionato iam reſtat tamquam in ſui cauſa hæc conditionata futura creata præſciri, vt ferè hoc vnico alibi latius argumento Thomiſtæ (per me quidem euidenter) oſtendunt, aliter ſi ad hoc ſolus actus executivus Diuinus ab æterno non prẹſens ſed futurus deſeruire diceretur, iam neque futuritio condi-

tionata noſtri actus ab æterno præſens eſſet, ſed futura, ſicut & eius cauſa futura foret, non præſens ab æterno, ſcilicet actus executiuus Diuinus ſub conditione futurus. His igitur omnibus concluſiſſe Thomiſtæ videntur (& ego quidem aſſentior propter alia quamplura, quæ ex proprio penu ad hoc idem in Quæſtione ſubſequenti ſubiungam) in ſolo decreto obiectiue conditionato Diuino poſſe futura iſta creata conditionata cognoſci.

In oppoſitum attamen adhuc probabilitas ſaltem explicationis aduerſæ non poſſe penitus abnegari videtur, dum & Zumel atque Cabrera, & Arauco, & alij relati ſupra, hoc non obſtante perſiſtunt in ſententia probabili (vt profitentur) negante quod Deus futura conditionata in decreto ſubiectiuè abſoluto, & obiectiue conditionato, cognoſcat, vt eorum loca excurrenti, quæ ſupra retulimus, conſtare poteſt; & Nauaretes non minus recurrens potius ad actum executiuum Dei ſub conditione futurum controu. 56. §. 1. ſic dicit, *ſi cognoſcitur actus, ſcilicet noſter, ſub conditione, etiam ſub eadem conditione cognoſcitur præmotio Diuina*, & mox infrà, *implicat enim quod aliquam actionem liberam cognoſcat Deus extra ſe niſi ſub ratione ſui proprij concurſus liberi &c.* & tom. 2. controu. 31. §. 8. apertius inquit, *in cognitione rerum ſub conditione debet Deus neceſſario incipere a concurſu conditionato ſuo &c.* Sic & Petrus Herera, vt ſupra retulimus, pro hac eadem ſententia diſtincta ab Aluarez referebat Ledeſmam adiungens, *quæ opinio ſit probabilior non vacat examinare*, & Aluarez ipſe lib. 1. reſponſ. cap. 4. in ſolutione ad 6. hanc etiam Nauaretis ſententiam vt probabilem permittebat. Sic & Iauellus noſter intelligere viſus eſt in ei attributis commentarijs ad qu. 23. de prædeſt. ut eũ interpretatur Vaſquez diſp. 91. cap. 5. Et vt alios omittam, etiam ex Societate nouiſſime Bernalius de Quiros diſp. 50. de ſcientia ſect. 3. inquit, *exiſtimaui olim defendi poſſe determinatiuum poſitiuum indiſtinctum a prædicato actionis, quam habet Deus ab æterno indentificatam ſecum*, quæ in re præſens explicatio eſt præcedentium Thomiſtarum, quam ipſe non ita verè mox appellat, *nondum natam*, & timet in Societate (*ne difficultatum ſtatim occurentium imbre ſuffocetur*) ex quo ſtatim poſtea deflectit explicans concurſum executiuum Dei cum indifferentia determinabili aduerſus iſtam explicationem Thomiſtarum. Neque aliàs iſta explicatio videtur ex eo refutanda præciſe, quod præter vnam cognoſcendi rationem in ordine ad conditionata in Deo, ſcilicet conditionatum decretum, alteram etiam diſtinctam adiungat, cum etiam Patres Salmanticenſes adiungãt præter decretum poſitiuum præſens cognoſci poſſe in ſola negatione cõtraria decreti poſitiue præſentis, ut ipſi exponunt diſp. 9. dub. 5. concluſ. 2. per totam, & inter cæteros nouiſſime ſequitur Gabriel à S. Vincentio in eumdem locum de ſcientia Dei, & aliàs iuuat Thomiſticam Scholam non vna in arce ſed pluribus ſecuris ab hoſtium iaculis præmuniri. Et iſta igitur etiam explicatio vt probabilis permitti poteſt.

Reſpondeo iuxta præmiſſa ſemel principia in hac Quæſtione, vt probabilem vtique hanc etiam explicationem permitti poſſe. Et primo à rationibus vt gradum faciamus ad auctoritates, ſic probari poteſt, quia ordinatiſſima ac maxime regulata Diuina cognitio prius attingit effectum in eo, quod eſt cauſa anterior illius, quam in eo, quod poſterius, vel mediate eumdem effectum cauſat. Sed id, quod primariò etiam ante decretum cauſat futuritionem conditiona-

ditionatam actuum noſtrorum ſub conditione futurorum, eſt ipſe actus executiuus Diuinus ſub conditione futurus antecedens decretum in priori ſigno, vt iam præmiſimus. Ergo prius attinget Diuina cognitio actuum noſtrum ſub conditione futurum in ſuo actu executiuo futuro pariter conditionato, quam in decreto deinde in ſigno poſteriori rationis ſequente approbanteque illa. Confirmo, nequit enim cognoſci actus executivus Dei conditionate futurus, quo ſcilicet ipſe ſub conditione facturus eſt vt faciamus, niſi ſimul connotata & illata attingatur futuritio noſtri actus ſub conditione futuri, quo ſcilicet ſub conditione operaturi ſumus, aliter ille non comprænenſiue cognoſceretur in eo ſigno priori, ſcilicet non omni modo, quo cognoſcibilis eſt, immò nec quidditatiue, ſcilicet non cum omni effectu inſeparabiliter connexo &c. Sed in ſigno priori ante decretum, vt probatum eſt, attingit Deus in ſeipſo ſuum actum executivum ſub conditione futurum, ergo pariter in eo ſigno priori attinget etiam in illo ſuo actu antecedente decretum actum noſtrum ſub conditione futurum inſeparabiliter ſubillatum, & à priori cauſatum ab illo. Confirmo ſecundo, nam ſicut eſſentia prius radicaliter originat etiam attributum æternitatis, quam illud proximè virtualiter fundet immutabilitas, ita pariter & actus executivus futurus Dei conditionate originat conditionatam futuritionem actus noſtri, priuſquam eam firmet decretum ſubſequens obiectiue conditionatum. Sed ex primo Deus ordinate procedens cognoſcit prius etiã attributum æternitatis in ſua eſſentia, quam in attributo immutabilitatis, licet poſtea à Thomiſtis admittatur ſimul etiam cognoſcere poſſe vnum attributum in altero, vti & ſeipſum poſtea cognoſcit in creaturis præcognitis in ſeipſo, ut alibi explicuimus cum S. Thoma, & ſuprà retulimus. Ergo pariter ex ſecundo Deus ordinate procedens prius cognoſcit actum noſtrum conditionate futurum in ſuo actu conditionate futuro &c. etſi poſteà ſimul etiam in iſto cognoſcat, quod forſan aliquibus Thomiſtarum ſufficeret, dum in decreto conditionato ſupponunt, non verò in veritate obiectiua, actus noſtros conditionatos agnoſci.

Secundò probatur præcludendo inſtantiam à pari de futuritione abſoluta; nam in hoc differt actus executivus Dei ſolum conditionate futurus ab actu executiuo eiuſdem futuro abſolutè, quod ille non prærequirit antecedens decretum, ſed ſolum prærequireret ſi futurus abſolute eſſe deberet, ſicut nec eſt ipſe abſolute futurus, ſed eſſet, at verò iſte, ſicut abſolute futurus eſt, ita abſolute decretum antecedens prærequirit & poſtulat, ne aliter in abſoluta futuritione iſtius, ante decretum, mutandus Deus in tempore conciperetur, operaturus ſcilicet aliquid abſolute quod non prædecreuiſſet fore operaturum. Sed hæc ſola differentia ſufficit, vt futura vtique abſoluta creata non poſſint à Deo præſciri in ſolo ſuo actu abſolute futuro ante decretum præſens, benè verò conditionate futura dumtaxat in actu ſuo executiuo conditionate futuro, vt diximus, ergo iam non obſtante immaginabili ab aliquo inſtantia ita à paritate deſumpta, id adhuc concedi poſſe videtur. Confirmo, nam ſicut ante futuritionem abſolutam actus noſtri creati immò & Diuini prærequiritur præcedens decretum, vt ſupra dictum eſt, ne Deus in operando mutetur, ita & ante exiſtentiam rerum abſolute futuram in tempore prærequiritur præſentia phyſica earumdem in æternitate, ne pariter Diuina ſcientia mutaretur, vt

inter

inter cæteros tractant Salmanticenſes diſp. 8. de ſcientia dub. 4. ſed non obſtante hoc ſecundo reſpectu exiſtentiæ rerum ſolum conditionate futuræ non prærequiritur præſentia in æternitate, vt explicant ijdem Salmāricenſes ibidem num. 143. & alij conueniunt. Ergo pariter non obſtante primo reſpectu eiuſdem exiſtentiæ rerum ſolum ſub conditione futuræ non prærequiritur decretum Dei, tametſi poſteà vt approbativum totius eſſe reperti in Deo, & per conſequens etiam dictæ futuritionis conditionatæ actus, tum Diuini, tum noſtri, decretum etiam concomitanter correquiratur, ſeù in poſteriori ſigno rationis ſuccedens, quod neceſſarium de præſentia phyſica in æternitate non eſt, attingente dumtaxat ea, quæ vel ſunt in Deo, vel extra aliquando abſolute erunt, non verò quæ eſſent, & in nulla temporis differentia erunt. Confirmo ſecundo, non magis repugnat actu dari futuritionem effectus, & non dari præſentem diſpoſitionem determinatam cauſæ, quam repugnet è contra dari cauſam actu influentem, & non dari vel dandam eſſe mutationem actu in effectu ipſo. Sed non obſtante hoc ſecundo, iuxtà explicationem Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. ad 4, datur ab æterno decretum obiectiue conditionatum influens actu in futuritionem conditionatam actus noſtri creati, & tamen numquam datur actu, nec danda eſt, mutatio in eodem effectu, ſed daretur ſi abſolute futurus eſſet; ergo pariter non obſtante primo dari poteſt actu in eo ſigno priori ac præcognoſci conditionata futuritio actus creati noſtri, & tamen pro illo ſigno non dari actu præſens determinatio decreti in cauſa, ſcilicet voluntate Diuina, ſed pro illo ſigno daretur ſi abſoluta hæc noſtra futuritio foret. Confirmatur tertio, quia in hoc differunt futura conditionata creata à futuris abſolutis (vt ſupra permiſimus, & ſemper ob oculos habendum eſt) quod in illis vtique datur intrinſeca veluti ſubiectiua determinatio, non verò in iſtis datur, ſed daretur, quia ſcilicet illa ne dum eſſent ſed erunt, iſta verò numquam erunt, ſed eſſent aliquando ſi poneretur conditio; ſed vbi non datur actu intrinſecè pręſens determinatio in effectu etiam in linea futuritionis eiuſdem, neque neceſſaria eſt actu pręſens determinata diſpoſitio in cauſa influens futuritionem eiuſdem, immò vt iſta daretur, & non datur, ſic & illa non datur, ſed neceſſariò daretur. Ergo in hoc different etiam conditionata futura noſtra ab abſolutis, quod ante iſta vtique prærequiritur præſens determinata diſpoſitio in cauſa, ſcilicet in Diuina volūtate, decretum etiam in eo ſigno priori, non verò ante illa pro illo ſigno priori neceſſarium id erit.

Tertiò probatur ex conſequentibus ad principia ſolita Thomiſtarum; eatenus enim ſolent probare Thomiſtæ contra Suarez eiuſque ſequaces futura etiam conditionata non præcognoſci in decreto Dei, vt ſubinde futuro, inquantum, inquiunt, decretum Dei nullo modo habere poteſt futuri rationem, vt latè videre eſt in Salmanticenſibus diſput. 7. de ſcientia dub. 6. in Ioanne de S. Tho. Gonet, & huiuſmodi, admiſſo per conſequens, quod ſi ſemel decretum illud poſſet futuri rationem habere, vtique in eo vt futuro, præſcindendo à quocumque alio, & noſtra futura conditionata præcognoſci ſic poſſent. Sed iam in propoſito ex ſupra probatis actus executiuus Dei futuri rationem etiā conditionati habet. Ergo iam penes iſta principia in hoc actu executiuo Dei vt conditionate futuro (præſcindendo à quocumque alio motiuo ſeu decreto) futura noſtra conditionata vtique præcognoſci licebit. Confirmo, nam in re

tam ardua de modo præſcientiæ futurorum in Deo (quam ſe aſſecuturum in Patria ſolum dicebat & ipſe Auguſtinus lib. 11. Confeſſionum cap. 19.) non ad vnam tantum explicationem reſtringi debemus, verum ex pluribus ea ſeligenda videtur, quę magis emollire videtur crudę adeo & ſimul ſcriptorum diſſidijs exaſperatæ difficultatis duritiem. Sed iſta explicatio ſic ſe habere videtur, vt oſtendo mox, iſta igitur probabiliter ſaltē admittenda videtur. Quæro enim ab Aluarez cęteriſque doctioribus Thomiſtarum, quam quæſo maiorem in ſcientia media Molinæ dignoſcant, effugiantque aſperitatem? profectò occurrent eam eſſe ſuppoſitam veluti independentiam in egreſſu libero conſenſus noſtri à ſuprema libertate Diuina, quam nemo adhuc decoquere potuit, vel valebit: quæro ſubinde à Molinæ patronis, quam ex aduerſo ſupponant in præſcientia abſolutorum innixa decreto prædefinitiuo duritiem? continuò reſpondebunt eam eſſe negatam conditionatorum præſcientiam ante decretum *exploratricem eorum, quæ poſtea prædeſtinatio decernit*. At vtique appoſite penitus iſta præſens explicatio iam donat prædictis Patribus Societatis conditionatorum præſcientiam etiam ante decretum, & aliàs retinet pro Thomiſtarum Schola dependentiam omninò cuiuſque egreſſus etiam conditionate futuri à ſupremo libero, ſcilicet voluntate Diuina. Iam igitur iſta dilucide ac manifeſte, ſaltem modo in hac vita poſſibili, deprædicatæ iam arduę difficultatis arduitatem exſuperat, & aliquatenus etiam diſſidentium doctorum corda componit: quid igitur prohibet, vt minimo ſaltem probabilitatis nomine baptizetur? Sane in hoc ſenſu Cardinalis Toletus in cap. 4. Lucæ n. 54. expendens ex vna parte Paulum aientem, *cum ei placuit, qui me ſegregauit, & vocauit per gratiam ſuam*, ex alià parte Chryſoſtomum hom. 65. in Matthęū apparenter fauentem phraſibus Semipelagianorum, pro concordia concludit Toletus, *ſciebat Deus quando ipſe operaturus in eis, vt obtemperarent vocanti, & tunc vocauit. Niſi ſic intelligas, doctrinam non probo &c. Totus eſt Auguſtinus in hac doctrina &c.* Nec quæſo ſtatim hic mihi aliquis moleſtus ſit opponendo eamdem pergere difficultatem Patribus Societatis in præſcientia iſta conditionatorum innixa actui futuro Diuino, ac innixa decreto præſenti prædefinitiuo & huiuſmodi. Ne, inquam, id mihi reponat, nam non negabitur ſaltem in præſenti valere, quod ſcripſit de antiquioribus ante ſe Patribus Auguſtinus in lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 18. dicens, *magis tamen fortaſſe voluerunt hoc verbo præſcientiæ vti, quam prædeſtinationis, quod & facilius intelligitur & non repugnat, imò & congruit veritati, quæ de prædeſtinatione gratiæ prædicatur.*

Quartò tandem, quod caput eſt, ab auctoritate non ſolum D. Tho. ſed Auguſtini clariſſime probari poteſt. Et quidem de mente San. Thom. nil aliud quam iſtud ea etiam ſingula teſtimonia probant, quæ in primo argumento producta ſunt, vt adaptanti patebit, præſertim verò ſe offert egregium illud dictum Angelici 1. cont. gentes cap. 68. ratione 3, vbi per omnia docere videtur, quod præſens iſta explicatio proponit, *ſicut eſſe Dei (inquit) eſt primum ac per hoc omnis eſſe cauſa, ita ſuum intelligere eſt primum ac per hoc omnis intellectualis operationis cauſa. Sicut igitur cognoſcendo ſuum eſſe cognoſcit eſſe cuiuſcumque rei, ita cognoſcendo ſuum intelligere & velle cognoſcit omnem cogitationem & voluntatē*, nempe ſicut cognoſcendo, quod ipſe cognoſcit omnia, cognoſcit etiam omnem cognitionem noſtram, & quomodo per ipſam quomodolibet aliquod ſci-

bile

bile cognituri ſumus, ita cognoſcendo quid ipſe nunc velit aut quid ad extra operaturus ſit, cognoſcit etiam quid modo volumus, & quid ab æterno quocumque modo volituri fueramus. In ſuo igitur actu etiam executiuo conditionate futuro prænoſcit & actum noſtrum pariter conditionate futurum, ex S. Tho. quæ ſola allata explicatio eſt. Dimitto cætera teſtimonia referre, ſingula enim huic vni ſimilia ſunt, & hoc vnum vlterius adiungo. Si enim ſcientia futurorum conditionatorum in Deo decretum liberum præſupponeret influxurum futuritionis ſaltem in ipſa, iam & iſta eſſet ſcientia practica, vt conſtat, tum ex libertate, tum ex influxu, & ſic daretur ſcientia practica reſpectu eorum, quæ numquam erunt, vt iſta conditionata ſe habent. Sed immò ex S. Thom. qu. 2. de verit. ar. 16. *Deus de his, quæ poteſt facere ſed ſecundum nullum tempus facit, non habet practicam ſcientiam*, ergo ex S. Thoma nequit iſta ſcientia conditionatorum numquam in tempore faciendorum præſupponere ipſum decretum, conſequenter remanet pure fundari in actu executiuo futuro conditionate ipſiuſmet Dei, vt explicatum eſt. Audiamus nunc verbis eiſdem, quibus vtitur hæc explicatio, ſæpiſſime & Auguſtinum vtentem, neque ad aliud vmquam pro motiuo præſcientiæ conditionatorum vllibi recurrentem, quam ad hanc vnam Diuini actus executiui etiam conditionate futuri præſcientiam. Volebat (vt vulgo iam notum eſt) reſpondere Auguſtinus appoſitè in lib. de Prædeſt. Sanctorum, & de Dono perſeuerantiæ, propoſitæ ſibi quæſtioni de conditionatorum præſcientia fundata à Maſſilienſibus in ſola veritate obiectiua eorumdem extra Deum, vt dilucidè Proſper ac Hilarius datis Epiſtolis ad Auguſtinum exponunt, vt ſupra retulimus. Nunc quid quæſo reſpondet? capite 10. prioris lib. ſic habet, *præſciuit*, inquit, *quæ fuerat ipſe facturus, vnde dictum eſt, fecit quæ futura ſunt*, mox infrà, *promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines*, mox, *potens eſt & facere ac per hoc facta non aliena ſed ſua.* cap. 11. *locum ipſum ſcripturæ*, inquit, *attendite & videbitis illa Deum promittere facturum ſe vt faciant, quæ iubet vt fiant.* cap. 15. *hæc ſe Deus eſſe facturum profectò præſciuit: ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sanctorum*, cap. 17. *Deus ſua futura facta præſciuit.* Inde non minus in lib. poſteriori ſequenti de Dono perſeuerantiæ cap. 17. *in ſua præſcientia*, inquit, *opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quidquam eſt, niſi prædeſtinare*, & demum cap. 18. *ſine dubio præſciuit ſi prædeſtinauit, ſed prædeſtinaſſe, hoc eſt præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus.* Hæc ſic Auguſtinus. Cur ergo non ſic ſed aliter volet nunc aliquis explicare? Profectò cui nec iſta pro ſola ſaltem huiuſce ſententiæ probabilitate ſufficiunt, nec alia ſcripta quæcumque ab alijs pro alia quacumque probabilitate ſufficient.

Ad primum igitur vno verbo reſpondemus illa omnia teſtimonia S. Thom. conuincere, quod iſta explicatio proponit, ſcilicet Deum cognoſcere etiam volitionem noſtram conditionate futuram in ſeipſo, immò in ſua ipſius vtique voluntate, & actu eiuſdem, hoc totum certum eſt. Sed an in decreto prius præſenti eiuſdem voluntatis, an in actu executiuo eiuſdem futuro conditionate, vti pro iſtius ſententiæ probabilitate explicatum eſt, ex prædictis S. Th. teſtimonijs nihil decernitur, niſi quid aliud addatur, pro quo addendo in ſequenti Quæſtione nos ex propoſito laborabimus. Adde mox præallatam explicationem, dum negat futura noſtra conditionata prænoſci primò in decre-

to; non negare tamen poſteà ſecundariò ſimul etiam cognoſci in eodem decreto eo modo, quo Deus poſtquàm ſeipſum in ſe ipſo, ac in Verbo increato cognoſcit, ſecundario ſimul deinde ſeipſum in creaturis agnoſcit, ut præmonuit S.Thom. tum q. 2. de veritate art. 2. ad 2. tum in 1. diſt. 32. q. 2. ar. 1. ad 4. dicens, *Pater in verbo videt ſeipſum & creaturas, & ſic etiam non eſt inconueniens quod per modum iſtum in creatura ſe videat, quæ ipſius Diuinæ bonitatis repræſentatiua eſt per imaginem*, de quo legendus Ioannes de S.Tho. diſp. 17. de ſcientia ar. 2. difficultate prima, Salmanticenſes diſp. 3. dub. 1. n. 7. & 8. Serra p. p. q. 14. ar. 1. & alij.

Ad ſecundũ eodem omninò modo facillima reſponſio conſtat, præter duas poſtremas Auguſtini auctoritates, quarum prima facillimè gloſſari poſſet ea gloſſa S. Thom. p. p. q. 41. art. 2. *quod cum dicitur aliquid eſſe vel fieri voluntate, dupliciter poteſt intelligi vno modo vt ablatiuus deſignet concomitantiam tantum, ſicut poſſumus dicere, ego ſum homo mea voluntate, quia ſcilicet uolo me eſſe hominem. Alio modo ſic quod ablatiuus importet habitudinem principij, ſicut dicitur quod artifex operatur voluntate, quia voluntas eſt principium operis*. Hæc S. Tho. ſic igitur dum Auguſtinus eo vtitur ablatiuo, *prædeſtinatione præſciuit &c*, idcſt decreto voluntatis, dicatur intelligi primo modo, non ſecundo, & omnia plana erunt. Sed quia ſecunda auctoritas à nobis ſolis adiuncta hanc non ſubit gloſſam, vlterius addi poſſet, tunc ibi poſteà Auguſtinum apertè loquutum eſſe de præſcientia futurorum abſolutorum, vt legenti patebit, quæ vtique, vt diximus, certum eſt in ſolo voluntatis Diuinæ decreto primitùs præcognoſci. Stat ergo dilucida omninò ex Auguſtino explicatio, aliundè iam ex alijs eiuſdem Auguſtini repetitis auctoritatibus præmunita, in quibus adhuc data quacumque oppoſita interpretatione iam ſatis ipſe explicabat nomine ſemper prędeſtinationis intellexiſſe, quod intenditur nunc, dum lib. de Dono perſeuerantiæ cap. 18. dicebat aperte, *prædeſtinaſſe eſt hoc præſciſſe, quod fuerat ipſe facturus*, & alibi inquit, *nec quidquam aliud eſt*, vt iam retulimus.

Ad tertium, vel mediocriter eruditus aſpiciet eas vtique probationes ſingulas demonſtrare contra ſcientiam mediam Societatis futura noſtra conditionata cognoſci non poſſe in aliquo extra Deum, at verò nec leuiter tangere aut impugnare prędictam explicationem aientem prænoſci vtique intra Deũ, & in actu voluntatis eiuſdem, non tamen vt præſenti ſed executiue ſub conditione futuro in linea actus pure executiui ad extra (non in linea actus immanentis ad intra, vt à Suarez ponebatur futuritio decreti, ex præmiſſis, & explicatis ſupra.) Vnde nil aliud addere ad illas neceſſe eſt, cum fere non viderint, aut præterire voluerint nuperi quidam hoc medium medians inter decretum Dei præſens & cætera omnia extranea motiua adhibita à Societate, recteque & robuſtiſſime vtique repulſa à recentibus noſtris; conſequẽter altius ad hoc excludendum vlterius motiuum intermedium in ſequenti poſtmodum Quæſtione conandum erit.

Ad quartum, quod vnum ferire videtur directe præallatam explicationem, pro quanto ab illis probabiliter ſuſtineri intenderetur, occurrerent illi non improbabiliter ſaltem (ſum enim ego, vt ſæpe monui, in communiori nunc vulgo nota noſtrorum Thomiſtarum ſententia) ex ſupra datis de conditionata futuritione creata, & facillime reſponderent diſtinguendo maiorem, loquẽ-

do de determinatione adhuc in linea futuritionis intrinſeca veluti ſubiectiuè in ſe, vti eſt futuritio abſoluta, concederent, de pura extrinſeca, quæ non eſt ſed eſſet, quomodo ſe habere diximus iſtam conditionatam, negarent; nam ad hanc ſubiungerent in Deo pro illo ſigno priori realiter dari intrinſecam vtique futuritionem obiectiuè conditionatam, ſubiectiuè abſolutam, actus executiui Diuini, vt ſupra iam late explicatum eſt. Et hæc pro ſola iſtius ſententiæ probabilitate ſint dicta. Nunc igitur decretoriè in propria ſententia, & ab inſtituto, in ſequenti Quæſtione iſta eadem explicatio cum ſententia cõmuniori poſteriorum omnium Thomiſtarum conferenda, diſcutienda, & eidem iure merito poſtponenda eſt, non obſtante quod iſta, vt diximus, parum adhuc in re à communi diſcedat, dum & iſta fatetur ſaltem ſecundariò ſemper & mediate conditionata futura cognoſci ſimul in decreto conditionato, neque aliàs explicitè Aluarez aut alter explicuiſſe videtur, aut voluiſſe, cognoſci etiam in ipſo ſolo primo & immediate. Non obſtante, inquam, hac paruitate diſſidij, quoad modum loquendi, etiam communior altera explicatio in ſequenti accuratiori opera præferenda eſt; in quo labore proſpiciet quilibet, quid ego peregerim, exertas adeo vires attribuens illuſtratæ hucuſque ſententiæ, aduerſus eamdem poſtmodum voluntario certamine luctaturus. Sed ad primum impulit toties vidiſſe in recentibus Aduerſarijs impoſitum Thomiſticæ Scholæ abnegatam antea certam conditionatorum præſcientiam in Deo, mox ſuſceptam cum decreto conditionato præſcientiam, vt fugerẽt ineluctabilem vim opponentium, vt illi aduerſarij iactabundi pervulgant, iactantes inconſtantiam deinde Nauaretis, Cabreræ, Zumelli, & aliorum inclamatam vbique in refellenda ſcientia media Molinæ. Hinc enim intueri iam licet hæc omnia toties repetita ab Aduerſis, toties ſoluta à Thomiſtis, toties iterum ad nauſeam vſque recocta, ac iterata à recentibus, detumeſcere tandem vt aqueas puerorum bullas, atque in vmbras inanes penitus euaneſcendo deſinere. Ad ſecundum vero nunc aduenientem lubentemque excitat animum veneranda apud me ſemper, & doctior vtique priſcorum Thomiſtarum canities, ob quã neq; per ſomniũ quidem cogitaui vmquã hanc menti meæ tametſi primitus non deſpiciendam, nec primo aſpectu improbabilem, deſponſare ſententiam. Propoſui, illuſtraui, ſuaque luce, ac maiori, qua potui, probabilitate donaui, vt tres illos Thomiſtas à calumnia defenderem, nunc alia communior, longeque verior (vt id ingenuè dicam) eligenda eſt, vt poſteriores ac plures doctioreſque Thomiſtæ in ſua à ſæculo obtenta iam ac defenſa glorioſis titulis poſſeſſione permaneant.

QVÆSTIO QVINTA.

De probabilitate (his non obſtantibus) longè maiori communioris explicationis Thomiſtarum & improbabilitate alterius nuperæ explicationis Ioſeph de Vita.

CVm *humanis coniecturis iuſtitiam Dei defendere vellent*, aiebat Auguſtinus lib. 1. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 22. *& ignorarent altitudinem gratiæ, fabulas improbabiles texuerunt*, ſcilicet texuerunt nexus quoſdam & quaſi catenulas ſuccedentium ſibi inuicem annulorum, quorum vno dum-

taxat

taxat infracto cadit integra conſtructa catena. Sic planè intexta ſuperius hucuſque explicatio ac catenata veluti implexis, connexiſque adinuicem ibi ſuppoſitionibus, ſi vna tantummodo earum è capitalibus anſulis, veluti totius compago catenæ, abrumpatur, continuò vt ſtridens ac pendula integra catena dilabitur. Aggredimur igitur meritò illam ſuppoſitionem, quæ in Articulo 3. præſertim ſtabiliebatur, ſcilicet Deum in ſigno priori ante decretū conditionatum cognoſcere ſuos actus executiuos in tempore conditionatè futuros, ex qua deindè poſtrema alia neceſſariò connexa deducebantur. Et cum iſtis omnibus affinis nunc videatur recentiſſima quædam altera explicatio Ioſephi de Vita ſcriptoris noſtri recentis aſſerentis Deum ſine ſcientia media præſcire conſenſum noſtræ voluntatis futurum conditionatè in ſola prædeterminatione morali intellectus noſtri adaprata per ſeriem cauſarum ſeù circumſtantiarum iunctim præparatarum à Deo, ideò ſimul vtramque in hac Quæſtione decretorio veluti calculo refellemus, ſit ergo.

ARTICVLVS PRIMVS.

An non obſtantibus omnibus adductis ſupra probabilius ſit adhuc Deum in ſigno priori ante decretum præſcire non poſſe actus ſuos executiuos conditionate futuros, nec inde per conſequens ſcire poſſe vel noſtra conditionata futura in alio quam in decreto conditionato Thomiſtico.

VIdebitur forſan alicui tanta probabilitate ſuperior ſententia à nobis illuſtrata eſſe, vt nunc deinde communis altera Thomiſtarum explicatio nobis probabilior eſſe non poſſit. Primò quia ſi ſemel futura noſtra conditionata ab æterno non habent formalem intrinſecam futuritionem adhuc obiectiuè conditionatam, ſed extrinſecè realem dumtaxat, circa illa non poſſunt decreta conditionata Thomiſtica in eo ſenſu verſari, vt illa veluti prædefiniendo determinent, & à priori influant futuritionem in illis, vt in ſecundo Articulo concl. 3. probatum eſt. Sed ita de facto conditionata noſtra futura illam intrinſecam conditionatam adhuc futuritionem non habere nonminus euidenter Articulo 1. probatum eſſe videtur, tum à ſuperfluitate prædictæ futuritionis intrinſecę, tum ex conuenientia eneruandi magis pro Auguſtino obiectum ſcientiæ conditionalis male adhibitæ à Maſſilienſibus, ergo longè probabilius erit non poſſe decreta conditionata Thomiſtica ita circa conditionata noſtra futura verſari, vt illa veluti prædefiniendo determinent, & à priori influant futuritionem in ipſis. Sed hoc admiſſo continuò ſubinfertur euidenter conditionata futura non præcognoſci in decreto Thomiſtico antecedenter prædefinitiuo, ſed ad ſummum eo concomitanter approbante præcognoſci in actu executiuo futuro Diuino; ergo longè probabilius eſſe videtur prius ante decretum, non vero primo in decreto, hæc conditionata cognoſci, vt etiam ad eumdem ſenſum afferebatur illa auctoritas Pſalmi, *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me,* ideſt ex meo præuiſo futuro conſenſu in ſtatu conditionato, *ex quo confortata eſt*, ideſt per decretum poſtea ſubſequens firmata eſt in ſtatu abſoluto, *& non potero ad eam,* ideſt ad fruſtrandam infallibilitatem eiuſdem.

Secundò, nam ſemper difficile remanebit, cur ſicuti Diuina voluntas de
præſenti in primo ſigno concipitur primariò ſe ad hunc actum volitionis præ
oppoſito nolitionis ſe determinare abſque altero prædeterminatiuo à priori
etiam virtualiter, non ſic pariter poſſit prænoſci ſe determinatura de futuro
ſaltem conditionatè, & ſicut aliàs in æternitate immutabili Dei ſatis eſt fore
futura conditionata præſentia, ſi futura abſoluta eſſent, non vere exigitur actu
præſentia eſſe, ita non ſic ſufficiat in voluntate Diuina prædeterminandos fo-
re à priori virtualiter & actus ſuos proprios conditionatè futuros, ſi futuri ab-
ſolute eſſe deberent, non verò de facto prædeterminatos eſſe, eoquod tantum
conditionate futuri ſunt, vt inter cætera latè in dicto Articulo 3. expenſum
eſt; hoc autem ſemel admiſſo iam conſtat inferri Deum in actibus executiuis
ſuis ſub conditione futuris independentibus à dicto decreto prædefinitiuo
præuiſis, ſimul etiam agnoſcere ante decretum ſimiliter noſtros per conſe-
quens actus ſub conditione futuros. Igitur conſtare videtur hoc vtique mo-
do Deum, aduerſus nunc ferè communem Thomiſtarum explicationem, præ-
noſcere actus noſtros conditionate futuros primario in actibus ſuis ſub con-
ditione futuris, non vero primario ſaltem in præſenti decreto obiectiue con-
ditionato Thomiſtico.

Tertiò, ſi id non eſſet, non adeo frequenter Auguſtinus præſertim, & S. Th.
cum ipſo explicaturi intentum modum præſcientiæ conditionatorum in Deo
recurriſſent ad ſolam præſcientiam Diuinorum operum ſub conditione futu-
rorum, immò alicubi ſaltem diſtincte magis ac manifeſte expreſſiſſent in volũ-
tatis decreto præſenti conditionato obiectiue eadem conditionata prænoſci.
Sed hoc non fecerunt, vt examinatis ſingulis teſtimonijs ipſorum à Gonet cę-
teriſque productis ad hoc intentum oſtẽdimus, nihil quoad hoc omnino con-
cludere, quinimmo ſolum priorem illũ modum explicuiſſe ſubiunximus. Igitur
ex Auguſtino & S. Th. etiam longe iam probabilius erit agnoſci adhuc futura
noſtra cõditionata à Deo in ſuis actibus ſub conditione futuris, quam quod
in decreto præſenti obiectiue conditionato Thomiſtico primario ſaltem a-
gnoſci queant, vel agnoſcantur de facto.

In oppoſitum tamen eſt, ne dum concors modo omnium Thomiſtarum au-
ctoritas, & cæterorum etiam extra Dominicanum Ordinem, qui doctrinam S.
Thom. ſequuntur, verum etiam præſertim obſtat, quod de Aluarez primitus
hanc illuſtrante ſententiã aiebat grauiſſime Caramuel in ſuo Theologia fun-
damentali fundamento primo, titulo de doctrina Auguſtini circa hanc ipſam
materiam, Theſi 6, nimirum, *Thomam fideliſsimum Auguſtini interpretem, & Tho-
mæ Didacum Aluarez exiſtimamus, quod contra Thomam eſt, Auguſtini non eſt, ſicut
nec Thomæ, quod contra Aluarez.* Hæc igitur, quæ nunc tenetur ſententia, edo-
cta ab Aluarez, à Thomiſtis poſteà ſuccedentibus acceptata, vt probabilior
adhuc ad mentem D. Tho. & Auguſtini cenſenda eſt.

Reſpondeo non obſtantibus omnibus allatis ſupra longe probabilius vide-
ri, ac eſſe, Deum ſuos actus executiuos conditionatè futuros non poſſe præ-
ſcire in ſigno anteriori ante decretum prædefinitivum eorumdem, nec conſe-
quenter in illis ante decretum præcognoſcere poſſe futura noſtra conditiona-
ta, ſed ſolum ſingula iſta primariò in decreto obiectiuè conditionato cogno-
ſcere. Ita colligitur ex S. Thoma p. p. q. 14. art. 13. vniuerſim docente futu-

rum

rum cognoſci non poſſe in cauſa indifferenti, & omnium primus, qui in propoſito prævidit atque diſcuſſit propoſitam difficultatem, ſcilicet ſapientiſſimus Magiſter Aluarez lib. 1. reſponſ. cap. 4. concl. 1. eodem modo, ac nos reſoluimus, reſoluebat, dum poſt numerum 7. poſtquam confeſſus fuerat præallatam hucuſque explicationem, *multum diſtare à defenſoribus ſcientiæ mediæ*, vti & nos diximus, tamen continuò ſubiungit, *negari tamen non poteſt multa alia argumenta, quibus efficaciter impugnatur ſcientia media, æque procedere contra prædi- ctum modum explicandi &c.* idemque fere repetit Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 15. §. *nouiſſimè*, & fuſius tt. 6. c. 6. eam ſententiam, quam fuiſſe fatetur Zumelis, Nauarretis, & Cabreræ, impugnans vt minus probabilem, licet à ſcientia media remotam. Immo (quod valde miror, & laudo) in hoc nobis conſentit etiam Chriſtophorus Haunoldus è Societate pag. 53. §. 9. per totum contra Derchenium & Aldrerem, ab eodem relatos, inferens in eorum ſententia non ſeruari libertatem in Deo. Et vere ſic eſt. Nam exordiendo ab illo, quod vrget ibidem Aluarez n. 8. *nimirum quod inde fieret actum futurum Dei non eſſe liberum ſed naturalem omnino ac neceſſarium*, ſic poſſumus ratiocinari, illudq; adaptare robuſtius hoc modo. Id, quod ante actum exercitum ex natura ſua veluti ex eſſentia rei eſt determinatum ad futurum eſſe, iam eſt neceſſariò futurum. Sed actus iſte veluti indiuidualis futuræ volitionis Dei ante decretum exercitum, v. g. volitionis conuerſiuæ Petri, prę nolitione oppoſita, eſſet ante actum exercitum ex natura ſua indiuiduali, veluti ab eſſentia indiuiduali eiuſdem determinatus ad futurum eſſe, ergo eſſet neceſſariò futurus adeſſe, nec conſequenter amplius liber eſſet, quod contra fidem eſt, & rationem. Maior ex terminis conſtat, ſiquidem quod connectitur cum natura alicuius ac veluti eſſentia eiuſdem, aliter eſſe non poteſt, & eſt impoſſibile non eſſe, aliter eſſentiæ rerum variabiles eſſent. Sed quod aliter eſſe non poteſt, & eſt impoſſibile non eſſe, iam eſt neceſſarium eſſe, vel futurum eſſe, vt patet arguendo in modalibus à negatione impoſſibilis non eſſe ad neceſſarium eſſe; ergo id, quod cum natura rei veluti eſsentia eiuſdem connectitur, eſt necesſarium eſse vel futurum eſse; conſtat igitur maior. Minor verò principalis probatur, quia quod in indiuiduo vt tale eſt determinatum ad aliquid, & non habet aliunde hanc determinationem veluti ab extrinſeco ut cauſa vel principio à priori, necesſe eſt eam determinationem habere tantummodo à natura ſua indiuiduali & eſſentia. Sed iſte actus indiuidualis futuræ volitionis Diuinę conuerſiuę Petri ante actum exercitum volitionis iam non haberet iſtam determinationem aliunde veluti ab extrinſeco vt cauſa vel principio à priori, vt iſti dicunt negantes hanc haberi à decreto prę exiſtente exercito Dei. Ergo neceſse eſset per ſufficientem diuiſionem habere eamdem à natura ſua indiuiduali & eſsentia. Pręuideo, fateor, quid reſponſuri oppoſiti ſint, ſcilicet negando minorem principalem, & ad hanc vltimam probationem eiuſdem conceſsa maiori negando iterum minorem, quia licet hic actus indiuidualis futurę volitionis conuerſiuę Petri non haberet hanc ſuam determinationem velut à principio virtualiter extrinſeco à decreto præexiſtente de facto, & exercito, eam tamen haberet à voluntate ipſa Diuina virtualiter *influxura* (licet tunc adhuc non influente exercite) actiue in eumdem actum, quę cum libere & indifferenter actiue *influxura* ſit, & ipſe actus erupturus ab illa influente habens iſtam de-

termi-

terminationem eam habet non à natura ſua & eſsentia, ſed aliundè ab extrinſeco modo explicato. Sic video vtique ſatis ſubtiliter euaſuros eſse. Sed arripio hoc ipſum vltimum de voluntate Diuina *influxura* actiue in eumdem actum indiuidualiter erupturum ab ipſa, & ſic reſtauro vim argumenti. Id, quod ante actum exercitum à natura ſua indiuiduali veluti ab eſsentia ſua eſt determinatum ad iſtam determinationem, quæ dicitur *influxurum eſſe* in actum erupturum, iam eſt neceſsario *influxurum* non liberè, ſed uoluntas ipſa Diuina ſic concepta ante præexiſtens decretum exercitum ut *influxura* determinate in hunc actum erupturum, iam ante actum exercitum à ſola natura ſua veluti ab eſſentia ſua determinata eſſet adhuc ad iſtam determinationem, quæ dicitur *influxuram* eſse, cum nempe id ab extrinſeco veluti à principio à priori à nullo præexiſtente decreto exercito id haberet, vt iſti dicunt, nec aliàs aliunde eam haberet exercire; ergo iam ſaltem ipſa voluntas Diuina ſic concepta vt *influxura* eſſet neceſſariò *influxura*, non libere. Vnde non valet intorſio contra nos de determinatione *influentis exercite*, quam pariter Diuina voluntas à ſe ipſa ſola omnino primario habet ante aliud præcedens exercitium (ne detur proceſsus in infinitum) & tamen eam libere habet, vt certum eſt. Non valet, inquam, ſi attendatur vis illius particulæ appoſitæ à nobis, *ante actum exercitum*, vt acutiſſimè iamdiu præuidit & monuit vel ſolo lumine naturali Ariſtoteles in 1. perhier. cap. 8. & S. Tho. ibidem lect. 13. in hac materia contingenti vel libera magnum diſcrimen eſse inter propoſitionem particularem de præſenti, vel etiam de præterito ex vna parte, & de futura ex alia, *quod ſcilicet*, inquit, *in propoſitionibus de præſenti, & de præterito neceſse eſt, quod affirmatio vel negatio determinate ſit vera vel falſa, ſed in ſingularibus, & futuris, eſt quadam diſſimilitudo &c*; nempè vt pergit poſteà idem Ariſtoteles lect. 15. apud S. Tho. explicate hanc differentiam in propoſitionibus de præſenti etiam in materia contingenti ac libera, *neceſse eſt*, inquit, *id, quod eſt quando eſt, eſse, & id quod non eſt, quando non eſt, non eſse, licet non ſit neceſse omne quod eſt eſse, aut omne quod non eſt non eſse*, vbi S. Tho. opportuniſſimè pro noſtra hac in præſenti differentia ſubdit, *primum enim ſignificat neceſſitatem ex ſuppoſitione, ſecundum autem neceſſitatem abſolutam*. En igitur ad intorſionem iam exhibitam ex integro diſparitatem, quod ſi Diuina volũtas libera à ſe omnino ante omne decretum liberum exercitum determinate *influxura* eſſet, iam per propoſitionem de futuro in materia libera ex ſui natura haberet vtique *neceſſitatem abſolutam*; At verò ex eo quod per propoſitionem *de præſenti* in eadem materia libera ſub ipſo exercitio libero, ac decreto libere exercito, à ſe determinata ſit, & *influens actu* determinatè, non ſequitur habere, *niſi neceſſitatem ex ſuppoſitione, per quam vnumquodque dum eſt neceſſe eſt eſse*. Hæc ſanè certa ſunt, his certe obniti nil aliud eſt, quam philoſophiæ principijs ac rationis lumini repugnare. Stat ergo ſolida noſtra probatio adducta, & nos ſub eodem rationis lumine cum Ariſtotele ſimul; & S. Thom. ibidem lect. 13. ſic progrediamur.

Secundo, quia id, quod in quocumque ſigno anteriori ſignabili etiam ante proceſſiones neceſsarias in Deo, & actus naturales eiuſdem, immò ante Deum ipſum (ſi ita apprehendere licet) determinate verum eſt, profecto eſſe non poteſt niſi neceſſario verum, eo modo, quo hominem eſſe animal rationale & cætera quæcumque neceſsaria, & æternæ veritatis etiam in ſigno anteriori, ante-

antequam explicitè actus neceſsarij in Deo apprehẽdãtur, vel ipſemet Deus explicetur, adhuc neceſsario & determinate vera ſunt, quidquid ſit de eorum poſtea realizatione extrinſeca, vt ita dicam, in eſsentia Dei. Sed ſi ſemel hæc propoſitio ante actum exercitum in Deo determinatè vera foret, *voluntas Diuina volitura eſt*, ſeu influxura in hunc actum volitionis conuerſiuæ *Petri etiam ſubſcendione &c.* iam eadem ratione iſta determinate vera fuiſset in quolibet ſigno anteriori ſignabili etiam ante quoſcumque actus neceſsarios in Deo apprehendibiles ſaltem explicite in eodem; ergo hæc propoſitio eſset neceſsario vera, non libera, vt mox antea inferebatur. Maior ſatis explicata & probata eſt ab exemplo neceſsariorum, pro minori verò lege integrum textum Philoſophi in eodem primo perhier. cap. 8. in quo ex profeſso ab Ariſtotele ibi probatur, tum illis verbis lect. 14. apud S. Thom. *Nihil enim prohibet in milleſimum annum hunc quidem dicere futurum eſſe, illum vero non dicere &c*, vti repetebat & Cicero lib. de fato dicens, *an hoc falſum potuiſset eſſe, ſi eſset ſexcentis ſeculis ante dictum?* tum robuſtius lect. 13. iterum apud S. Tho. his verbis, *eadem ratio videtur eſſe in propinquo & in remoto, ergo ſi ante vnum diem*, dicamus nos, ſi ante vnum inſtans vel ſignum &c. *verum fuit dicere, quod hoc erit, ſequitur quod ſemper fuit verum dicere de quolibet eorum, quæ facta ſunt, quod erit*, ex hoc autem aperte ſequi hæc omnia neceſsaria eſſe, vt in maiori noſtra aſſumebatur, audi id ibidem probantem his verbis, *ſi autem ſemper eſt verum dicere de futuro, quod erit, non poteſt hoc non eſſe, vel non futurum eſſe, cuius conſequentiæ ratio patet. Quia iſta duo ſunt incompoſsibilia, quod aliquid vere dicatur eſſe, & quod non ſit, cum hoc includatur in ſignificatione veri vel falſi, quod dicitur. Si ergo ponitur verum eſſe id quod dicitur de futuro, non poteſt eſſe quin illud ſit futurum. Sed quod non poteſt non fieri idem ſignificat cum eo, quod eſt impoſsibile non fieri, & quod eſt impoſsibile non fieri, idem ſignificat cum eo, quod eſt neceſſe fieri vt in 2. perhier. plenius dicetur Sequitur ergo ex præmiſsis quod omnia, quæ futura ſunt, eſset neceſſe fieri, et quod nihil ſit ad vtrumlibet &c.* Hæc ibi, quæ ſi demonſtratiua non ſunt, neſcio quæ alia demonſtratiua poterunt appellari. Accedit his, quod hac ratione conuicti illi, qui ſic poſuerunt determinationem futuri ante actum exercitum euentus, vel ante diſpoſitionem præſentem ſaltem in cauſa prima, attenta præciſe veritate propoſitionum de futuro etiam in hac materia contingenti vel libera, conſequenter de facto admiſerunt omnia ſic neceſsario euenire, ut non ſit poſſibile aliter fieri: audi, & liberabo nunc fidem meam, audi Ciceronem eodem lib. de fato de Diodoro ſic atteſtantem, *ille enim*, inquit, *id ſolum fieri poſſe dicit, quod aut ſit verum, aut futurum ſit verum, & quidquid futurum ſit, id dicit fieri neceſſe eſſe*, quod eiſdem omninò verbis retulit ex Boetio, & obſeruauit poſteà San. Thom. 1. Perhier. lect. 14. dicens, *quidam dixere futura ſumi ſecundum euentum, ſicut Diodorus dixit illud eſſe impoſsibile, quod numquam erit, neceſsarium vero quod ſemper erat*, quam poſtea ibidem S. Thom. explicationem futuri refellit dicens, *eſſe a poſteriori*, vt mox vrgebimus iterum inde ſumentes aliam probationem ad inſtitutum: Omitto aliam rationem adhibitam ad aliud propoſitum (ſimile tamen noſtro) à Gonet diſp. 4. de ſcientia noſtrorum actuum futurorum ſub conditione art. 4 S. 4. repetitam ab ipſo diſput. 6. art. 6. S. 8, nimirum quod veritas ſubſequens ad oppoſitionem contradictoriam eſt veritas neceſsaria, vtpote fundata in illo principio maxime omnium neceſsario, *quodlibet eſt vel non eſt*, ſic

autem hæc veritas de futuro ſubſequitur iuxta Aduerſarios ad oppoſitionem contradictoriam, ſecundum quam alterutra pars vera eſse debet, ergo &c. omitto, inquam, quia inde fieret eodem omnino modo neque veritatem propoſitionum de præſenti in hac materia contingenti vel libera ſubſequi poſse ad eamdem oppoſitionem contradictoriam, vel ſi ſubſequeretur fore omnia neceſsaria, non contingentia vel libera, quorum tamen primum apertè contradicit Ariſtoteli, & S. Thom. 1. Perhier. lect. 13. ſecundum vero lumini naturæ ac fidei contrarium eſt, nō igitur ſimilis ratiocinatio ſubſiſtit, ideo diximus omittendam, niſi ad mox ante propoſita reducatur aut reuocetur.

Tertiò igitur præcipua probatio noſtra deſumitur ex eodem S. Thom. eadem lect. 13. poſt recitatam Diodori opinionem cum Boetio ſubdentis, *ſed hæc prima diſtinctio eſt a poſteriori &c.* quæ eſt doctrina ſupra à nobis ſtabilita de forma, à qua ſumatur futuritio rei: Et illa doctrina nunc ad inſtitutum hoc noſtrum validiſſimè adaptanda venit. Nam ſicut actus liber noſter creatus volitivus exoritur realiter ab aliqua in nobis intrinſeca cauſa realiter cauſante ipſum, ita proportione ſeruata & actus volitivus Diuinus liber exoritur virtualiter ab aliquo principio à priori influente in eumdem. Sed ex primo, vt ſupra vidimus ex profeſso, futuritio, ſiue abſoluta, ſiue conditionata actus creati liberi noſtri, licet à poſteriori deſumi poſſit ab euentu obiectiuo aliquādo ponendo in re ſaltem ſub conditione, à priori tamen deſumi debet ab aliqua diſpoſitione præſenti in cauſa, vt ibi ſatis demonſtratum eſt, nec in præſenti repetere neceſse eſt. Ergo ex ſecundo proportionaliter etiam futuritio ſiue abſoluta ſiue conditionata actus liberi Diuini, licet à poſteriori veluti deſumi poſſit ab euentú obiectiuo aliquando ponendo ſaltem ſub conditione, à priori tamen deſumi neceſse eſt ab aliqua diſpoſitione præſenti in ſuo principio influxiuo. Sed hæc præſens diſpoſitio in dicto principio virtualiter influxiuo ſcilicet voluntate Diuina alia eſse non poteſt quam preſens decretum liberum exercitum ſaltem obiectiue conditionatum. Ergo ab iſto ſolum neceſse eſt ſumi prædictam futuritionem ſiue abſolutam, ſiue conditionatā adhuc actus liberi executiui Diuini: hæc pariter illis ſuppoſitis, quæ ſupra probauimus, vere apud nos demonſtratiua probatio eſt, & ſpero cæteris placituram. Confirmari poteſt hæc paritas, nam ſicut nullus actus liber creatus poteſt habere aliquam rationem realem aliquo modo actu exercitam contradiſtinctam contra eſſe entis rationis merè obiectiuè in intellectu, quam non habuerit à voluntate Diuina actu influente in eamdem vt cauſa ſuprema libera, ita neque actus liber increatus executivus Dei poteſt habere aliquam rationem realem aliquo modo actu exercitam contradiſtinctam contra eſſe entis rationis merè obiectiuè in intellectu, quam non habeat ab eadem Diuina voluntate actu influente in eamdem, vt principio ſaltem virtuali ſupremo libero, aliter daretur effectus vel quaſi effectus aliquo modo in actu exercito abſque ſua cauſa vel principio aliquo modo in actu influente. Sed iam iſte actus executivus Diuinus, vt abſolutè vel conditionate futurus, habet ut talis aliquam rationem realem aliquo modo actu exercitam contradiſtinctam contra eſſe entis rationis mere obiectiue in intellectu, vt ſupra ſatis etiam iuxta opponentium ſententiam Quæſt. 4. Art. 2. probatum eſt. Ergo iſtam habere non poteſt, prout ſic, abſque voluntate Diuina actu quodammodo influente, vt

prin-

principio ſaltem virtuali ſupremo libero. Sed non poteſt eſſe influens in propoſito aliquo modo exercitè, niſi per decretum præſens liberum ſaltem obiectiue conditionatum, non verò ſolum per futurum obiectiue euentum, in quo ſolum *influxura* dicitur, non actu vllo modo exercite influens pro tunc formaliter; ergo iam ante dictam futuritionem ſiue abſolutam ſiue conditionatam actus executiui Diuini neceſſe eſt prænoſcere decretum exercitum liberum ſaltem obiectiue conditionatum, vt volebat ſapientiſſimus Aluarez, qui vtique, quo magis à ſtudioſis teritur, eo ſemper magis in hac materia admirabilis omnium Thomiſtarum princeps in eadem materia facile apparebit, & ſimul incidenter liqueſcet, quomodo auctores ſcientiæ mediæ eam fundantes in veritate obiectiua extra decretum, vt ſeruent, prout ſibi videtur, hominis libertatem, eamdem potius ſimul ac Dei eneruare videantur.

Quartò, principaliter adhuc aliunde prædictorum ſuppoſitio oppugnari poteſt, quia obiectum ut liberè productum vel producendum in actu, vt tale, præſupponitur prius libere volitum, vt inde liberè producatur. Sed iuxta ſententiam, quam impugnamus, iam concipi, concedique poſſet obiectum vt libere producendum in actu ſaltem ſub conditione, quod non eſſet eodem modo prius liberè volitum ſub conditione; ergo ſententia, quam impugnamus, ſubſiſtere nequit. Audi hunc fermè diſcurſum ex D. Thoma deprompt um quæſt. 23. de Veritate Art 4. ad 15. aiente: *Voluntas ad volitum habet duplicem reſpectum; primum quidem ad ipſum inquantum volitum eſt; ſecundum vero habet ad idem inquantum producendum in actu; & hic* (Nota quæſo) *& hic reſpectus ſecundus præſupponit primum: primo enim intelligimus voluntatem velle aliquid, deinde ex hoc ipſo, quod vult, aliud intelligimus, quod producat ipſum in rerum natura &c.* Quid clarius? quid opportunius ad inſtitutum hoc noſtrum? Ex quo etiam incidenter remanet improbata ſententia Arrubalis, Torres, & Herice, explicantium libertatem actus prædefinitiui diuini per connotatam libertatem actus executiui ad extra, cum tamen, ut ſupra vidimus q. 2. ar. 1. & 2, & probat etiam ex vrgentibus Scripturæ teſtimonijs noſter Io. à S. Thoma diſp. 4. de voluntate Dei ar. 3. in fine, potius libertas actus executiui præſupponat libertatem actus prædefinitiui immanentis ab æterno, ab eaque originaliter deſumatur, vt tradit iterum S. Thomas p. 1. q. 46. ar. 1. ad 9. & 10, & 2. contra Gentes cap. 35. ad 2, & q. 3. de potentia ar. 17. ad 4, & 12. dicens: *Dicitur Deus incipere agere ratione noui effectus, qui ab æterna actione conſequitur ſecundum diſpoſitionem* (Nota) *ſecundum diſpoſitionem voluntatis, quæ intelligitur quaſi actionis principium in ordine ad effectum*. Hæc S. Thomas, ex quibus etiam præadducta mox noſtra probatio roborari ſic poteſt. Eo ordine proportionali dumtaxat actus executivus Diuinus concipi poteſt de futuro egreſſurus, ſiue abſolute, ſiue ſub conditione, virtualiter à voluntate Diuina, quo ordine concipitur de præſenti poſteà virtualiter egrediens ab eadem, ſiue abſolute, ſiue ſub conditione. Sed de præſenti profecto concipitur egrediens virtualiter ab ipſa, ſiue abſolute, ſiue ſub conditione, dumtaxat ex præſuppoſitione virtuali alterius actus omninò immanentis in Deo, ſcilicet decreti, vt aliqui etiam ex contrarijs admittent, & mox contra id negantes oſtendam. Ergo eodem ordine concipi debet, vt de futuro egreſſurus, ſiue abſolute, ſiue ſub conditione, dumtaxat ex præſuppoſitione virtuali alterius actus omninò immanentis in Deo, ſcilicet

decreti adminus conditionati obiectiuè præſentis. Maior conſtat ex eo, quia eadẽ eſt res, quę anteà fuit in ſtatu futuritionis, & poſteà ponitur in ſtatu exiſtentiæ præſentis, & conſequenter eodem ordine cum ſuis principijs influentibus vel influxuris connexa eſt. Minor verò, ſi vmquam ab aliquo negaretur, euidentiſſimè ſic demonſtratur, nam eo modo proportione ſeruata concipimus in Deo ſe habere actum illum executivum ponentem rem ad extra comparatiuè ad decreta definitiua immanentia ab æterno, quomodo in nobis ſe habet actus externus & tranſiens (etiamſi liber) imperatus ab interiori omnino immanenti. Sed in nobis concipi nequit hic actus exterior tranſiens imperatus, ſaltem vt liber, niſi vt præſupponens ac ſequens actum interiorem prius liberum immanentem, à quo dirigitur, & imperatur, eoque remoto non libere ſed ſtolide more brutorum ſeu delirantium operari aliquis diceretur; ergo proportione ſeruata etiam in Deo concipi nequit actus ille executiuus virtualiter tranſiens ad extra niſi vt ſupponens & virtualiter ſequens actum interiorem veluti prius liberum omnino formaliter immanentem; non poterit igitur iſte adhuc concipi vt de futuro egreſſurus non præſuppoſita prædefinitione illius, vt dicebamus. Confirmatur iterum, quia etiam circa futura noſtra conditionata ſaltem mediate eſt poſſibilis, & conſequenter admitti debet, aliquis actus immanens exercite liber Diuinæ voluntatis. Sed iuxta oppoſitam explicationem non admitteretur, ergo ea explicatio repugnat. Minor probatur, nam iuxta illam explicationem ſuppoſita ſolum futuritione conditionata actus executiui Diuini ſubſequeretur actus complacentiæ approbativus directe huius futuritionis, & indirecte ſeu mediate futuri conditionati creati, vt ſupra explicatum eſt. Sed hic actus complacentiæ, ità ſubſequens, iam ex ſuppoſitione futuritionis conditionatæ actus executiui Diuini neceſſarius eſt, non potens non eſſe in Deo, qui ſcilicet nequit non approbare omnia, quæ ſua ſunt. Ergo ſi præter iſtum nullus alter datur actus immanens in voluntate Diuina circa futura conditionata noſtra, iam nullus circa iſta dabitur actus immanens exercite liber in Deo, quod mox antea inferri intendebatur. Omitto tres alias, ab his diſtinctas, probationes videndas in Lemos cap. 6. citato, qui illis ſolis contentus fuit, & nos addidimus iſtas.

Quintò tandem hinc facile erit integram hanc communiorem explicationem Thomiſtarum ex probatis ſimul & explicatis hucuſque dilucidè etiam ab auctoritatibus Auguſtini & S. Tho. ſic breuiter comprobare. Nàm in primis, uti pro oppoſita explicatione fuſiſſimè afferebamus, ambo ij Doctores Eccleſiæ conueniebant in hoc, quod Deus futura noſtra conditionata prænoſcat in ſuis actibus executiuis ſub condit ione futuris. Sed iſti actus, vt mox oſtenſum eſt, nequeunt à Deo cognoſci vt futuri adhuc ſub conditione, niſi in præſuppoſito decreto exercito ſaltem obiectiue conditionato. Ergo de primo ad vltimum nequeunt (vt docebat Aluarez profundiſſime) prænoſci hæc noſtra condinata futura, niſi in eodem decreto libero Dei exercito ſubiectiue de præſenti, & ſolum obiectiue conditionato, per conſequens tantum abeſt eas auctoritates adductas ſupra pro illa explicatione contraire huic communiori explicationi Thomiſtarum, quod immò vlterius muniunt ac ſtabiliunt eamdem. Confirmo, nam generaliter de futuris vt ſic abſtrahendo à futuris

abſo-

abſolute, vel ſolum ſub conditione, tam Auguſtinus quam S. Tho. ſæpiſſime repetunt cognoſci ſolum, vel cognoſcibilia eſſe, ex præſuppoſitione exercita volitionis in Deo. Sed hæc præſuppoſitio exercita volitionis in Deo aliud eſſe non poteſt, niſi decretum exercitum, abſolutum quidem etiam obiectiuè pro abſolutis, conditionatum verò obiectiue pro conditionatis. Ergo ex Auguſtino & S. Thom. non erunt cognoſcibilia futura vt ſic, ſiue abſoluta, ſiue conditionata, niſi ex præſuppoſitione decreti exerciti, ſiue etiam obiectiue abſoluti, ſiue ſaltem obiectiue conditionati, vt Thomiſtæ nunc volunt. Major, quæ ſola indiget probatione, probatur afferendo dilucidas auctoritates amborum; Auguſtinus quidem lib. 26. contra Fauſtum cap. 4. ſic manifeſte de futuris vt ſic vniuerſim verba habens, de quolibet, ſcilicet futuro, de quo poterat interrogari, ſub quo & futurum conditionatum palàm continetur, ideo de hoc ſe non poſſe certo reſpondere fatetur dicens, *ideo neſcio, quia quid habeat de hac re voluntas Dei, me latet, illud me tamen non latet ſine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet*, ac ſi diceret, vos, qui à me petitis, quid ego facerem ſi in tali, vel tali circumſtantia collocarer, quid alter ille, quid demum futurum ſit aut eſſet, Audite, qænam in me futura eſſet volitio, ignoro, eam tamen futuram fore certus ſum, quam fore futuram *voluntas Dei habet*, ideſt prædecreuit, vti & vulgò quilibet de hoc ipſo interrogatus ſolet vel naturali lumine reſpondere, *facerem quod Deus vellet, ſeu quod Deus vult*. Nonne iſta naturalis vox eſt atteſtatio naturæ de recognito in Deo decreto conditionato obiectiue? Vti in ſimili arguebat olim Tertullianus lib. de teſtimonio animæ dicens, *hæc teſtimonia tanto vera, quanto ſimplicia, tanto ſimplicia, quanto vulgaria, tanto vulgaria, quanto communia, tanto communia, quanto naturalia, tanto naturalia, quanto Diuina; Magiſtra enim natura, anima diſcipula, quidquid aut illa docuerit, aut iſte didicerit, à Deo traditum eſt ipſius Magiſtræ Magiſtro.* Accedit indè poſt iſta facta euidentior ea altera Auguſtini auctoritas lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 17. loquentis de decreto Diuinæ voluntatis ſub nomine prædeſtinationis his verbis, *in qua*, inquit, *prædeſtinatione Deus ſua futura facta præſciuit*, & cap. 10. *prædeſtinatione Deus præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus*, vnde & epiſt. 47. ad Valentinum ex ſcriptura conuincit Deum dici ea omnia facere, & conſequenter decernere, quæ præſcit eſſe futura, & quoad hoc præſcientiam coincidere cum voluntate; in decreto igitur Deus futuros ſuos actus tam abſolutos quam conditionatos ex Auguſtino prænoſcit. Nec poterat vtique ab Auguſtini explicatione diſcedere perpetuus ſemper commentator ac defenſor eiuſdem San. Tho. Aquinas, qui immò q. 16. de malo ar. 7. generale illud pro nobis principium præmiſit, *quod cognoſcere futura in cauſa ſua nihil aliud eſt quam cognoſcere præſentem*, notetur hoc verbum, *præſentem inclinationem cauſæ ad effectum*, vt repetit etiam q. 2. de veritate ar. 12, ſub qua maiori ſubſumpſit poſtea 1. contra gentes cap. 68. ratione 2. 3. & 4, & alibi frequentiſſime, Deum cognoſcere in ſeipſo, vel ſua voluntate tamquam *in cauſa & voluntates noſtras*, ſcilicet volitiones futuras. Sequitur igitur euidenter ex S. Tho. futuras noſtras volitiones cognoſcere Deum, *cognoſcendo præſentem inclinationem ſuæ voluntatis* ad illas. Sed *præſens iſta inclinatio voluntatis Diuinæ*, in ordine ad prædicta, non poteſt eſſe niſi præſens decretum eiuſdem, non verò ſolus actus executiuus futurus, præſens, inquam, decretum eiuſdem requiritur vel abſolutum ad abſo-

luta, vel obiectiue conditionatum ad conditionata futura. Ergo ex S. Thom. etiam in ſolo decreto præſenti vel abſoluto vel conditionato cognoſcit Deus ſiue abſoluta ſiue conditionata futura. Vnde in 1. Sent. diſ. 39. q. p. ar. 1. ad 5. vniuerſim aiebat, *ſcire in Deo ſequitur voluntatem, ut imperatum ab ipſa, eſſe autem non, & ideo eſſe ſuum non ſubiacet libertati voluntatis, ſicut ſcire operatiuum creatura.* Confirmatur, nam 3. p. q. 1. ar. 3. inquirens, *an ſi Adam non peccaſſet filius Dei carnem fuiſſet aſſumpturus*, in corpore articuli aſſumit id ſciri non poſſe, vtpotè pendens à libertate voluntatis Diuinæ, niſi per reuelationem exhibitam in ſcripturis. Subſumo, ſed exhibita ſeu exercita reuelatio alicuius euentus in ſcripturis præſupponit etiam exercitum decretum in Deo de illo euentu. Ergo S. Thom. ſupponit nec illam conditionalem de actu executiuo futuro Diuino ſciri potuiſſe, niſi ex præſuppoſito exercito decreto Dei, vt explicat iterum S. Tho. q. 6. de Verit. art. 3. ad 4. & ut Thomiſtæ volunt. Quis igitur dicat iſtam Thomiſtarum communem explicationem longè probabiliorem allata altera explicatione non eſſe? quis non videt hinc meritò Cabreram, & Zumel, cum probabilitate illius, vt probabiliorem iſtam tandem amplexatos eſſe, vt poſteriores noſtri Thomiſtæ ſignatis eorumdem locis, ac verbis, obſeruauerunt? quis dubitabit de mente Hereræ, qui paſſim poſt ſupra relata verba, in referendo ſententiã aliorum, in concluſionibus ipſe, & ad argumenta tenaciſſime conditionatis decretis adhæſit? quis tandem non vidit Aluarez ſimul, Lorcam, Nauaretem, ac cæteros, pro hac ipſa ſententia expendentem? ſicuti & poſteà Ioannes de S. Tho. eorumdem loca perpendit, de quibus lis nobis ab Aduerſarijs intentabatur, adeout mirer Bernalium Quiros vbi ſupra dixiſſe Ioannem de S. Tho. in eo S. (*plures auctores pro Thomiſtis referuntur*) nonniſi decem attuliſſe, cum ibi ſolum de Negatis nobis ſub dubio ab Aduerſarijs, non verò de omnibus defendentibus noſtram ſententiam, Ioannes à S. Tho. loqueretur.

Ad primum igitur, gratis admiſſa ea explicatione futuritionis conditionatæ, quæ in minori ſupponitur, nego adhuc quod in maiori aſſumitur, nimirum non poſſe decreta conditionata obiectiue Thomiſtica prædefinire futura cõditionata creata, immo nego ſuppoſitum eiuſdem maioris, quod ſcilicet iſta decreta prædefinitiua futurorum conditionatorum creatorum neceſſario debeant circa ipſa immediatè verſari, quia immò poterunt immediatè virtualiter prædefinire futuritionem conditionatam intrinſecam actus executiui Diuini, & in ipſa mediate ſolum ac ſecundario prædefinire etiam futuritionem extrinſecam illam futuri conditionati creati; vnde S. Tho. in 1. ad Anibaldum diſt. 37. q. vnica art. 4. inquit, *voluntate Dei non ſolum res in eſſe producuntur, ſed ipſa etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminauit*, & in cap. de Diuinis nominibus ait, *prædeterminauit omnia*, & repetit eadem verba quodlibeto 12. art. 4. opuſ. 1. cap. 16. in 1. ad Timotheum lect. 2. cap. 2. & alibi; & aliàs inepta eſt iuxta præallata ea expoſitio Pſalmi, *mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, cum eum locum immo Auguſtinus 11. conf. cap. 19. pro nobis ſic expoſuerit, *quis nam ille modus, quo vides futura, nimis longe eſt modus iſte ab acie mea: inualuit ex me, & non potero ad illum, potero autem ex te, cum dederis tu dulce lumen oculorum meorum &c.* velut diceret, *ex me mirabilis facta eſt ſcientia tua*, ideſt ex ignorantia mea, nõ valente illum modum attingere, admirabilitas tuæ præſcien-

Digitized by Google

ſcientiæ manifeſtata eſt. Vide ergo quam facile obiectio, in ea adhuc ſuppoſitione, ſoluatur, etſi non pauci illam ſuppoſitionem fortaſſe negaturi ſint, quorum intererit noſtris probabilibus ſaltem pro illa motiuis occurrere.

Ad ſecundum negatur maior, nam quo ad primum, cur poſſit de præſenti Diuina voluntas primario per decretum eſſe ſe determinans ſine alio prærequiſito decreto, non ſic vero primo ſe determinatura ad actum executivum ſine præcedentia decreti, iam vidimus ex propoſito diſparitatem in probatione ſecunda, quę repetenda non eſt; & quoad ſecundum exemplum in eadem maiori productum de æternitate dumtaxat ſub conditione præcontinente futura conditionata, nō de præſenti vllo modo, magna diſparitas conſtat, quod præcontinentia æternitatis non facit ipſa futura, immò iam facta à decreto voluntatis ſupponit, hoc verò decretum non ea ſupponit, ſed facit, ideò iſtud ſemper de præſenti requiritur, illa verò non ſic; neque actus executivus Diuinus in tempore ut primariò futurus præſupponit eam de præſenti præcontinentiam, vti præſupponit ex dictis neceſſariò præſentem aliam immanentem voluntatis actionem in Deo, & ità de alijs differentijs, quæ vnicuique ex prætactis probationibus noſtris ſe offerre valebunt.

Ad tertium iam vidimus etiam Auguſtinum ac S. Thom. non ſemel meminiſſe decreti, & vbi aliàs ad præſcientiam actuum executiuorum in Deo recurrebant, cum & iſta ex probatis ſupponat decretum ipſum, in quo ijdem actus executiui Diuini ſciuntur, per illum recurſum non excludunt hanc Thomiſtarum pro decreto ſententiam, quinimmò magis ex conſequenti confirmant. Remanet ergo concludendum adeò firmas eſſe Thomiſtarum doctrinas, vt ſi quis legat ex integro eaſque intelligat, facile videre poſſit nullam ſupereſſe difficultatem, quæ ex eiſdem principijs non facile deijci proſterniq; poſſit, adeo ut de noſtris Maioribus etiam liceat ferè nobis repetere in hac materia Auguſtiniana Thomiſtica, quod olim Gelaſius Papa in Epiſtola ad Honorium Dalmatiæ Primatem pro eiuſdem Auguſtini doctrina ſcribebat, *O ſi ſtuderent*, inquit, *aduerſus eos maiorum noſtrorum libros reſponſaque cognoſcere, illis modis omnibus cerneretur, nihil eſſe prorſus, quod ab iſtis non fuerit ventilatum & ab illis magnifica veritate contritum*, vt nihilominus in ſubſequenti diſcuſſione recentis alterius abſurdæ nimis explicationis Ioſeph de Vita patebit, cuius vt anteà ſpecimen proponatur, hic iuvat prius tumultuariam obſcuramque eiuſdem operis methodum ſtatim ob oculos exhibere.

Prodijt enim anno 1666. Panormi liber inſcriptus hoc titulo. Fratris Ioſeph. de Vita Siculi Ordinis Prædicatorum &c. *de proprio & per ſe principio peccati*, eiuſque compendio ità reſtricta explicatio ſe habet. Vbi Doctores Societatis ex vna parte ponunt concurſum Dei præuenientem in illuſtratione intellectus non efficaci de ſe ab intrinſeco ad conſenſum voluntatis, ſed ab extrinſeco ex præuiſione conſenſus in ſtatu conditionato; Thomiſtæ ex alia parte conſtituunt in motione præuia ſimul immediata in voluntatem & de ſui natura efficaci ab intrinſeco; Medius inter vtroſque Vita, contra ſecundos ponit in ſola appræhenſione intellectus abſque vlla motione immediata in volūtatem liberè conſentientem, ex profeſſo refellens, concurſum phiſicum præuium Thomiſticum, tum à num. marginali 32. vſque ad 44. p. p. tum in 2. p. diſput. 2. per totam. Contra primos vero num. 1116, & num. 1118. collo-

cat

cat in apprehenſione intellectus, de ſe tamen ab intrinſeco efficaci neceſſitate phiſica determinante voluntatem ad conſenſum exercitum, vti habet etiã 2. p. diſput. 1. per totam, ex quo & in p. 1. ſcientiam mediam veluti ad hoc inutilem, immò & contrariam Tridentino canoni, impugnat à num. marginali 44. vſque ad num. 129. ſic contra vtroſque inficiatur omnino & concurſum ſimultaneum Dei immediatum in entitatem materialem peccati n. 91. & n. 1899. contra vtroſque ſe ſtare pronuncians detecta fronte num. 821. etiamſi præexplicatam intellectus apprehenſionem permittat appellari *prædeterminationem phiſicam* num. 1895. *non tamen*, inquit, *in ſenſu Thomiſtarum* num. 1116. verum vt ſeruet conſenſum voluntatis inde ineuitabiliter ſecutum adhuc liberum permanere, ad tria effugia extra ordinem in diuerſis locis ſui libri recurrit. Primo ad hoc, quod dicta apprehenſio prædeterminans ſimul tempore eſt acceptata & non abiecta à libero voluntatis concurſu coexiſtente ipſi (nu. 1547. & 1567.) at quia in priori natura alibi præſupponit eam apprehenſionem vt iſtius cauſam anteire (num. 1529.) ideo ſecundo recurrit ad actum priorem naturalem voluntatis, ſcilicet amorem finis, ex quo moueatur intellectus ad iudicandũ de medijs in ordine ad finem (n. 1563.) *V*erum quia & actus iſte prior voluntatis neceſſarius eſt, nõ liber, nec aliàs mouet ad media niſi in communi, ideo recurrit ad hoc, quod intellectus ipſe in propria linea ſe determinet ad vnum medium ſeu agibile præ alio, & inde originet liberam electionem in voluntate (num. 1555. & num. 1465.) ſed quia nec ipſe intellectus vtpote indifferens vt talis ad hoc vel illud, ideo nec ipſe poteſt in ſua linea ſe primo de ſe determinare ad hoc præ alio (niſi in ordine ad mala) ideo tandem recurrit ad Deum extrinſece ipſum determinantem ad hoc obiectum per cauſarum occurrentium ſeu obiectorum combinationem ac cumulum (nu. 1205.) ſaltem in ordine ad bonum, cum aliàs in ordine ad malum etiam materialiter opinetur à ſolo intellectu primo incipere determinationem, vt exponit *p. p.* §. 5. & ita demum per illam ſolam præparatam à Deo cauſarum & circumſtantiarum congeriem in ordine ad intellectus noſtri iudicium opinatur ſeruari omnino infallibilitatem prouidentiæ Diuinæ, quoad cauſas etiam liberas, integra diſput. 4. partis ſecundæ. Sic explicata ſua ſingulari ſententia veluti media inter Patres Societatis atque Thomiſtas, in libri excurſu cõtra primos iniurius eſt, dum num. 2161. Faſſolum velut *delirantem* traducit; num. 1921. Suareſio *Stoicorum fatum* imponit, & alijs locis mox ante relatis ſcientiam mediam expungens non leuiter in prædictos Patres excurrit. Nec minus contra ſecundos, ſcilicet Thomiſtas, inuehitur, dum præter integram diſputationem ſecundam partis ſecundæ debachantem ex integro in concurſum præuiũ Thomiſticum, inter cæteros etiam Proceres noſtros *Ioannem de S. Th.* nu. 583. irridens, inquit, *tamquam D. Tho. internuncium à pluribus fuiſſe receptum*, num. 165. & 153. *inconſequentias Aluarez, & repugnantias manifeſtas* ſe detegere profitetur, & num. 597. iterum ſtomacabundus accuſat *ſaltum argumenti Aluarez*, inferentis ex illo principio Commentatoris, *ab eo quod eſt ad vtrumlibet vt tali nihil ſequitur*, cauſam ſecundam creatam indifferẽtem indigere per concurſum præuium in ipſam prædeterminari à Deo, cum tamen accuſator iſte cæterorum poſtmodum immemor ſui & ipſe num. 1203. ex eodem principio fateatur intellectum indifferentem ad plura iudicia indigere prædeterminatione ſal-

tem

æ Diuina per obiectorum ac cauſarum congeriem in ordine ad bonum. Hæc itaque noua iſtius Scriptoris obſcuri explicatio eſt, nunc ex propoſito, non in ordine ſupernaturali & gratiæ, ſed naturali & concurſus generalis Dei ad noſtrum hoc inſtitutum de ſcientia conditionatorum diſcutienda in hunc modum.

ARTICVLVS II.

An ſaltem in ſtatu conditionato ita præuideatur conſenſus voluntatis noſtræ à Deo, vt per ſolam apprehenſionem intellectus determinata ab eodem, ſcilicet per præparatam cauſarum obiectorumque congeriem in ordine ad bonum, ſine alio quocumque concurſu voluntas noſtra phyſice prædeterminata, agnoſcatur.

VIdetur ipſi Ioſeph de Vita, quod ſic. Primò nam ex S. Tho. 3. contra gentes cap. 10. ita comparatur homo peccans ad Deum ſicut tibia obliqua ad animal, vel hominem ambulantem, nam inquit S. Thom. *ſicut quidquid eſt de motu in claudicatione eſt ex virtute motiua hominis vel animalis, quidquid autem de deffectu à tibia ſola eſt vt deficit ab opportunitate mobilitatis à virtute motiua*, ob ſuam ſcilicet obliquitatem, ita & in actione libera peccatoris, *quod eſt ibi de actione reducitur in Deum tamquam in cauſam, quod autem eſt ibi de inordinatione vel deformitate non habet pro cauſa Deum ſed liberum arbitrium*, ob ſuam ſcilicet defectibilitatem exortam ex eo, quod ex nihilo eſt, vt explicat ibidem etiam Ferrarienſis, & Aluarez diſp. 24. de auxiliis, & fuſius Salmanticenſes tom. 1. tract. 4. diſput. 10. dub. 7. §. 5. Sed ſi homo poſſet in vſu tibiæ impedire claudicationem ſequentem ad obliquitatem ipſius, & tamen nollet eam impedire, & ſimul vellet eadem vti ad entitatem motus, profectò, inquit Vita, tunc etiam ipſa claudicatio in voluntatem hominis refundi poſſet. Ergo à pari ſi Deus in uſu humanæ voluntatis poſſet (vt dicunt Thomiſtæ prædicti) impedire inordinationem & deformitatem peccati ſequentem ad eius defectibilitatem, & tamen nollet eam impedire, & ſimul vellet ea vti ad entitatē actus iudicij, tunc etiam ipſa inordinatio & deformitas peccati refundenda eſſet in voluntatem eiuſdem. Sed iuxta Aluarez, Salmanticenſes, noſtroſque Thomiſtas, ponentes voluntatem noſtram præuideri à Deo phyſicè prædeterminatam per concurſum phyſicum præuium in voluntatem, ita omninò operatur Deus, vt applicanti patebit, cum dicant nullatenus ab aliqua cauſa ſecunda poſſe impediri eam præmotionem &c. ergo iuxta iſtos & nos, etiam inordinatio & deformitas peccati eſſet refundenda in Diuinam voluntatem, & decretum eiuſdem, quod hæreticum eſt: remanet igitur non ita præuideri deberi vt phyſice prędeterminatam per concurſum illum phyſicum prępuium in voluntatem, ſed ſolum per illam apprehenſionem intellectus, vtique poſteà phyſicè quodammodo, ſed mediatè, applicantem voluntatem ipſam ad bonum, modificabilem verò ſeu determinabilem à ſolo ipſo creato intellectu in ordine ad mala, vt explicat Vita §. 5. per totum. Et hoc eſt argumentum, quod Vita repetitis verbis exaggerat p. 1. §. 4. à num. marginali 32. ad 34.

Secundò, quia vbi intellectus hominis poteſt ſaltem ad mala primo ſe ipſo poſt voluntatis amorem in finem erga media ſe determinare ad hoc medium

præ

præ altero, ſicque ipſe ſolus in ordine ad mala determinare voluntatem, ia
neceſſarius non eſt & ſuperfluit alter concurſus prævius phyſice prædeterm
nans voluntatem adhuc ad ſubſtantiam actus inuentam in peccato. Sed ita
facto intellectus in homine ſe habet in ordine ſaltem ad malum, ergo ſupe
fluit alter concurſus &c. minorem docere videtur S. Thom. quando in q. 2
de verit. art. 6. inquit, *indeterminatio voluntatis ex duobus contingit, ſcilicet ex i
determinatione circa obiectum in his, quæ ſunt ad finẽ, & iterum ex indeterminatione a
prehenſionis, quæ poteſt eſſe recta & non recta*, vnde concludit in fine, *vbi non pot
eſſe deffectus in apprehendendo & conferendo, non poteſt eſſe voluntas mali*, & q. 16. c
malo ar. 5. dicens, *non poteſt voluntas tendere in malum, niſi ex hoc quod malum a
prehenditur ſub ratione boni, quod pertinet ad deffectum intellectus vel rationis, vn
cauſatur libertas arbitrij*, quod fuſius repetit q. 24. de verit. ar. 8. & 3. contr
gentes cap. 10. dicens, *cum igitur voluntas tendit in actum mota ab apprehenſio
rationis repræſentantis ſibi proprium, bonum ſequitur debita actio, cum autem volunt
in actionem prorumpit ad apprehenſionem apprehenſiuæ ſenſualis vel ipſius rationis a
quod aliud bonum repræſentantis à proprio bono diuerſum, ſequitur in actione voluntat
peccatum*, & plura alia ibidem proſequitur ex his explicans in ſpeciali indiſp
ſitionem voluntatis, de qua in generali dixerat, quod *agens ſecundum deficit
agendo dum ita contingit ipſum ab ordine primi agentis deflecti*, & quod *cum aliqu
eſt in debita diſpoſitione ad recipiendam motionem primi agentis, conſequitur actio perf
cta intentionem primi mouentis, ſed ſi non ſit in debita diſpoſitione & aptitudine ad re
piendam motionem primi mouentis, ſequitur actio imperfecta*. (Hæc à S. 5. ad 1
p. 1. à Vita referuntur, & pergit 2. p. diſp. 2. S. 3.) quia idem S. Tho. q. 1.
virtutibus ar. 9. dicebat, *quia vis appetitiua ſe habet ad vtrumlibet non tendit
vnum, niſi ſecundum quod à ratione determinatur in illud*, vti dixerat etiam 3. co
tra gentes cap. 10. & q. 3. de malo a. 3. ad 5. 9. metaph. lect. 4. & in 2. diſt. 2
q. vnica art. 1. dicit, *inde eſt, quod iudicium de actione propria eſt ſolum in habentib
intellectum, quaſi in poteſtate eorum conſtitutum ſit eligere hanc actionem vel illan
vnde & Dominium ſui actus habere dicuntur*, vt habet etiam in locis mox ante a
latis, & q. 24. de verit. ar. 1, & in 2. diſt. 28. q. 1. ar. 1. & alibi, ex quibus V
ta deducit paſſim in diſp. 2. partis ſecundæ, ſuperfluere aliam motionem pr
determinantem immediatè phyſicè voluntatem, immò eam huic dominio r
pugnare, cum non prouenirct ipſa à determinatione ſibi connaturali rationi
ſed pure ab extrinſeco, vt in inanimatis vel brutis. Ergo ſaltem in ordine a
mala homo à ſolo ſuo iudicio rationis primo ſe ipſum determinat, vt argu
Vita uſque ad S. 7. & iterum S. 22.

Tertio, quia ex 8. phyſ. hic ordo ſeruari debet in cauſis, ut primum non m
ueat vltimum niſi mediante intermedio, vt manus non niſi mediante bacul
quo exemplo vtitur etiam S. Tho. ad inſtitutum p. 2. q. 2. art. 2. 1. cont. ge
tes cap. 13. 3. cont gentes cap. 73. in lib. de cauſis propoſitione prima, op
15. cap. 14. & alibi. Sed inter Deum & voluntatem creatam mediat iudici
rationis; ergo ſi Deus etiam ad bona moueret voluntatem motione immed
ta, ſcilicet per formam veluti naturalem, non mediante iudicio rationis ta
quam forma apprehenſa, iam Deus non ſeruaret præfixum ordinem in cau
& *ſaltaret, vt ſaltum faciunt* Aluarez & alij Thomiſtæ in ſuis diſcurſibus, vt
te exaggerat Vita diſput. 2. p. 2. à S. 7.

Quartò, ad idem, quia ex S. Thom. 3. cont. gentes cap. 67 *à Deo applicantur virtutes operatiuæ ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animæ*, & 9. Metaph. lect. 3. *cum non ſit procedere in infinitum, oportet eſſe aliquod principium extrinſecum ſuperius homine, quod ipſum moueat ad conſiliandum, & hoc non eſt aliud quam Deus*, & alibi ſæpè id repetit etiam ex Ariſtotele in cap. de bona fortuna. Sed ſi Deus determinaret immediate phyſicè voluntatem etiam in ordine ad bona, non mediante ſola apprehenſione intellectus, hoc non ſaluaretur, ergo &c.

Quintò, quia ex S. Tho. q. 6. de malo ar. vnico & p. 2. q. 9. ar. 3. voluntas ita ex amore naturali finis indito à Deo ſe mouet liberè ad media, vt eo ſuppoſito imperium intellectus, ne dum moraliter (vt ſupponit Suarez lib. 3. de gratia cap. 44.) verum etiam phyſicè applicet, ne dum ad ſpecificationem (quod habet moraliter intellectus de ſe) verum etiam ad exercitium ipſam voluntatem (quod habet phyſicè intellectus ex efficacia, & amore prædicto voluntatis in finem) vt late arguit Vita à §. 23. vſque ad 24; admittens etiam numero 1116. illud imperium dici poſſe *prædeterminationem phyſicam*, & huic principio ſtabiliendo ex S. Tho. p. 2. q. 17. art. 5. ad 1. & alibi incumbit integra eiuſdem Vitæ diſp. 3. in qua quia pro fitetur ſe diſputare, non cum aliquo Thomiſtarum, ſed cum extraneis, ideo non credimus immorandum. Solum inde ſubſumitur minor, ſed ſtante hoc iudicio practico phyſicè prædeterminante voluntatem ſuperfluit alia phyſica prædeterminatio immediata in voluntatem aſtructa à recentioribus Thomiſtis, ergo vere iſta admittenda non eſt, immò in ea apprehenſione intellectus inſiſtendum eſt.

Sextò tandem, nam Sanc. Thom. volens explicare infallibilitatem Diuinæ prouidentiæ etiam circa cauſas liberas ad nil aliud recurrere videtur quam ad ipſum cumulum cauſarum ſeu circumſtantiarum ſimul adunatarum ad hoc, vt eo cumulo mediante infallibiliter intellectus creatus aliàs indifferens determinetur extrinſecè ab ipſo Deo, & à ſe ipſo intrinſecè, ad iudicium practicum determinans inde phyſicè voluntatem ex dictis. Sed hoc & nihil aliud videtur eſſe explicatio iſtius Scriptoris, ergo iſtius ſcriptoris explicatio verè S. Tho. erit. Maior, de qua ſola dubitari poſſe videtur, probatur ab ipſo Vita diſp. 4. à §. 2. difuſiſſimè ferè vſque in finem operis, ex S. Tho. in compendio Theologiæ p. p. cap. 140. dicente, *ſi hoc per prouidentiam hominis fieri poteſt ex causa, quæ deficere poteſt, ſic ferat auxilium, vt interdum indeficienter ſequatur effectus, ſicut patet in Medico ſanante & in vineæ cultore contra ſterilitatem vitis adhibente remedium, multo magis hoc ex ſapientia Diuinæ diſpoſitionis contingit, vt quamuis cauſæ contingentes deficere poſſint, tamen quibuſdam adminiculis adhibitis, indeficienter ſequatur effectus, quod eius contingentiam non tollit*. Idem habet in 1. diſt. 40. q. vnica ar. 2. in corpore, & iterum ad 2. dicens, *ita per cauſas contingentes aliquid faciendum ordinat, vt cauſæ contingentiam non tollat, ſed ex alijs concurrentibus cauſis defectum cauſæ contingentis impedit, & per hunc modum prædeſtinatio certitudinem habet ad effectum, & tamen libero arbitrio nulla neceſſitas imponitur.* Iterum q. 6. de veritate ar. 3. *ſicut*, inquit, *ex concurſu multarum cauſarum & deficere poſſibilium peruenitur ad vnum effectum &c, ita eſt etiam in prædeſtinatione; liberum enim arbitrium deficere poteſt a ſalute, tamen in eo, quem Deus prædeſtinat, tot adminicula præparat, quod vel non cadat, vel ſi cadat reſurgat*. Et in 1. diſt.

47. q. 1. ar. 1. ad 3, & iterum ar. 2. ad 1. & p. p. q. 19. art. 6. ad 3, intendens ſoluere eamdem ſemper difficultatem, quomodo ſtante cauſa ſecunda contingente ſiet infallibilitas prouidentiæ, numquam, inquit Vita, recurrit San. Thomas ad prædeterminationem illam phyſicam Aluarez, ſed ſolum ad hoc quod etiam concurſus ipſi cauſarum impedibilium, vel impedientium, ſubiacent ordini primæ cauſæ Diuinæ. Ex S. Thom. igitur huius Scriptoris intentum, ſeù explicatio deduci poſſe videtur.

In oppoſitum tamen eſt, *quod iſtius ſententiæ alios nec meminiſſe* fatetur ipſe Vita num. marginali 1211, nec re vera alios vmquam eam approbauiſſe, etſi agnouiſſe, conſtat ex Suarez lib. 5. de gratia cap. 44. & ex alijs mox referendis, neque vel ipſe Ioannes Vincentius Aſturicenſis, qui apud Ledeſmam ar. 1. de auxilijs concl. 1. ferè ſolus ex noſtris prædeterminationem in ſola excitatione intellectus ponebat, vmquam vel ipſe dixit hanc phyſicè influere ſeu determinare voluntatem ſine indigentia alterius concurſus phyſici ſaltem ſimultanei in eamdem, vt iſte modo commentus eſt, præter plura alia abſurda diſcrimina, quæ iſte ſolus nullius ductus auctoritate Doctoris, nullius Scholæ cohibitus reuerentia, ſoli ſuæ innixus in D. Thom. interpretandi licentiæ animosè nimis hæc, & ſimilia, introducere non formidauit. Ergo vel ex hoc titulo ſolum explicatio prædicta in re tam graui torque cribrata diſſidijs permittenda non eſt.

Reſpondeo, nihil in præſenti dicendo de ordine ſupernaturali gratiæ, ſed ſolum de concurſu in ordine naturali loquendo, vti & Vita tractauit, & alij pertractant, præallatam Vitæ ſententiam meritò his argumentis reprobandam eſſe. Primò, nam licet ad deformitatem formalem peccati poſſit cauſa ſecunda libera ſe habere, vt primo ſe determinans, veluti cauſa prima deficiens, repugnat tamen ad entitatem materialem actus adhuc peccaminoſi, inquantum actus poſitiuus eſt, ſe habere vt primo ſe determinantem, ac veluti cauſam primam efficientem actum, aliter non omne ens inquantum ens & in actu formaliter reduceretur in primum ens & primum actum, nec omnis effectus creatus inquantum effectus, & ne dum deffectus formaliter, reduceretur in primum efficiens. Sed in allata ſententia, aſſerente in ordine ad mala hominem per intellectum ac voluntatem determinare concurſum Dei intellectui indifferenter propoſitum, determinare, inquam, ne dum ad deformitatem verum etiam ad entitatem materialem operationis, ad quam ideò negat iſta ſententia vllo modo influere Deum, iam cauſa ſecunda ſe haberet etiam ad entitatem materialem peccati vt primo ſe determinans, ergo præallata ſententia repugnat; & in idem redit axioma illud toties inculcatum ac ſtabilitum à Vita 2. p. diſput. 1. per totam, ſcilicet ab indifferenti vt tali non poſſe procedere actum determinatum, homo enim in hoc caſu adhuc indifferens eſt ad volendam entitatem materialem peccati, vel nolendam eamdem; non ergo prout ſic ab eodem determinata entitas materialis prouenire poteſt. Et ideò S. Tho. in 2. diſt. 37. q. 2. ar. 2. contra quamlibet euaſionem ſententiæ oppoſitæ ſic inferebat, *quamuis per illam euitaretur quod voluntas creata non eſſet primũ ens ſimpliciter, non tamen vitari poſſet, quin eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod prius agens non reduceretur tamquam in cauſam.* Occurret Vita, ex eo in hoc caſu determinari, quod negatiuè homo delertus à Diuina prædeterminatione ad

bonum,

bonum, in malum oppoſitũ cadat conſequens ſit, non quidem influente Deo, ſed permittente, vt fusè conatur explicare Vita diſp. 4. §. 10. & p. 1. §. 15. credens id ſe colligere ex S. Tho. lect. 7. in caput primum ad Rom. indeque impugnans Salmanticenſes, alioſque Thomiſtas aliter explicantes. Sed contra eſt, quia ut optime præuiderunt hæc effugia & præcluſerunt Salmanticenſes diſp. 10. de voluntate Dei dub. 7. §. 1, etſi mox allata doctrina vera ſit in ordine ad deformitatem peccati formaliter, in ordine tamen ad materiale peccati inquantum ens eſt vel actus eſt, poſitiue etiam in Deum nedum permiſſiue reducendum eſt, ex teſtimonijs Auguſtini, & S.Tho. relatis ab eiſdem; neque incontrarium allata teſtimonia à Vita procedunt, niſi de primo, non vero de ſecundo, vt conſulenti patebit; & de primo quidem id explicat vltrò idem Auguſtinus lib. 2. operis imperfecti contra Iulianum fol. 215. & Proſper ad obiectiones Vincentianas cap. 13, & ad obiecta Gallorum cap. 3, de ſecundo autem vt diſtincto à primo idem Auguſtinus generaliter lib. de Corrept. & gratia cap. 11. dicebat, *liberum arbitrium ad malum ſufficit, ad bonum autem nihil eſt niſi adiuuetur ab omnipotenti bono*, & in hoc ſenſu etiam S. Tho. in 2. diſt. 39. q. 1. art. 1. inquirens, *Vtrum a voluntate poſsit eſſe peccatum*, in corpore loquens de primo inquit, *quod ipſa voluntas determinate exeat in hunc actum, vel in illum non eſt ab alio determinate*, (ſic enim legitur textus non vt corrumpit textum Petrus à S. Ioſeph. in opuſ. de concurſu Dei legens, *ab alio determinante*, vt latius expendit iſtam auctoritatem Gonet diſput. 8. de Prouidentia a. 4. §. 2.) & ideo licet non pauci ex Noſtris admittant malitiam formalem in genere cauſæ materialis præcedere motionem Dei ad materiale peccati, è contra tamen in genere efficientis hanc illam præcedere neceſſe eſt, ut probat Aluarez lib. 3. reſponſionum cap. 6. præſertim ad primum, & nouiſſime poteſt videri Gonet to. 3. diſput. 5. art. 6. §. 1. cum Ioanne de S. Thom. & alijs. Sed iuxta allatam ſententiam ac ſolutionem, nedum in ordine ad formale, verum etiam in ordine ad materiale peccati cauſa ſecunda creata ſe ſola primo determinaret ſeipſam, non vero eiuſdem determinatio in primam cauſam reduceretur, ergo allata ſententia ac ſolutio adhuc admittenda non eſt. Confirmatur primo, quia ſaltem in ordine ad mala ipſe Vita ex eo deducit volũtatem etiam ad materiale ſe determinare, quia Deus paratus eſt de ſe determinare ad bonum, ſi ille audiat, & quia non audit, non determinat. Sed hic ipſe diſcurſus fuit etiam abutentium ſcientia media, vt legitur in Caſſiano collatione 3. cap. 21. his verbis, *hoc teſtimonium apertiſſimè liberum demõſtrat arbitrium, quod dicitur ſi Populus meus audiſſet me, & non audiuit, populus meus vocem meam. Cum enim dicit ſi audiſſet, oſtendit in poteſtate illius fuiſſe &c.* ergo in re Vita incidere quoad mala etiam in abuſum ſcientiæ mediæ cum Maſſilienſibus videri poteſt. Confirmatur ſecundo, quia adhuc in ordine ad mala prouidentia ſeu præſcientia Dei certo preſcire debet, non ſolum hominem talem in tali circumſtantia peccaturum, verum etiam tale ſpecifice immo & indiuidualiter peccatum in tali indiuiduali intentione patraturum, aliter quoad hoc ignoranter, & à caſu Diuina prouidentia procederet. Sed iuxta Vitæ explicationem recurrentem ad ſolum decretum denegatiuum impedimenti peccati per gratiam, etſi certò poſſet præſcire Deus talem peccaturum, vtpotè non impedito peccato per gratiam, cum tamen iſte ex ſe iuxtà Vitam ad materiale peccati determinaret ſe-

ipſum, incertum Deo remaneret, ad quam ſpeciem, & gradum in indiuiduo peccati foret ſe determinaturus. Ergo hæc Vitæ explicatio certitudini adhuc Diuinæ prouidentiæ repugnat. Confirmatur tertiò ad hominem contra eumdem, nam iſte profitetur ſe non admittere ſcientiam mediam conditionatorum futurorum ante decretum. Sed ſi ſemel voluntas noſtra de ſe primò ſe determinat ad actum ſaltem materialem peccati independenter à Deo, iam quoad hoc in ſigno priori ante decretum Dei præuideri poterit iſte actus determinate vt actus futurus eiuſdem ſub conditione ſaltem ſi non impediatur à Deo, quod eſt admittere in re ſcientiam mediam, vt rectè quo ad hoc præuidit & intorſit in ita opinantes Faſſolus p. p. q. 14. art. 13. dub. 17. puncto 5. num. 382. cum Aureolo, & Carthagena, neque id negauit ei reſpondens Marialeſ. relect. 8. ſect. 3. in fine. Ergo hic auctor in ſua poſitione ſibi contradicit.

Secundò, quia erroneum eſt negare concurſum Dei ſaltem ſimultaneum etiam in actum voluntatis peccantis, vt actus eſt, aliter eum annichilare non poſſet, etiamſi vellet, ſicuti præter noſtros late diſcurrunt tum in Theologicis Suarez lib. 3. de gratia cap. 25. indè monens, *omnes damnare ſententiam Durandi &c. quam in Origene damnat & S. Tho. 3. cont. gentes cap. 89. &c.* tum in Philoſophicis Ouiedo controuer. 10. Phyſicæ puncto 1. S. 4. per totum inde aduertens proſcriptam eſſe Ludouici à Dola *diſputationem de modo coniunctionis concurſus Dei & creaturæ ad actus liberos ordinis naturæ præſertim ad actus prauos aduerſus prædeterminantium & aſſertorum ſcientiæ mediæ opiniones*; in qua eumdem ſimultaneum concurſum inficiabatur. Sed eodem omninò modo & iſte ſaltem ad *actus prauos* materialiter ſumptos negat concurſum etiam *ſimultaneum* Dei tum nu. 91. dicens, *concurſum ſimultaneum infra ex principijs S. D. demonſtrabimus contradictionem implicare*, tum nu. 1899. concludens, *Suarez male & contra S. D. mentem intermiſcere concurſum ſuum ſimultaneum &c.* & vel ex ſolo titulo libri prædamnati Ludouici Dolæ haberi poteſt, & illum cum iſto in eadem penitus explicatione conuenire, ergo vt erronea & iſta ſententia proſcribenda eſt, & in hoc ſenſu vtique S. Th. in 2. diſt. 37. q. 2. ar. 2. & iterum ar. 1. ad Annibaldum aiebat, *hæreticum eſſe aſſerere aliquod ens inquantum ens non eſſe à Deo nec ſolum fidei eſſe contrarium ſed etiam rationi naturali.* Occurret fortaſſe aliquis pro Vita, eum negaſſe vtique concurſum ſimultaneum in actum voluntatis peccantis adhuc materialiter ſumptum, tamen loquendo de concurſu immediato, qualem nos ponimus, non vero de mediato mediante ſcilicet apprehenſione intellectus, quam præmouet, tranſeunte ſubindè etiam ad ſimultaneè concurrendum cum voluntate. Sed ita reſpondens, ne dum inconſequenter ad Vitæ principia diſcurreret, verum etiam falſo adhuc nimis ſuppoſito adhæreret; nam neque in intellectus apprehenſionem Vita concedit præuium concurſum intrinſecè ipſum prædeterminantem adhuc ad bonum, etſi extrinſecam præparationem veluti obiectiuam cauſarum adunationem admittat, & dato quod eum admitteret, dum ſic mediante poſtea apprehenſione intellectus extenderetur atque tranſiret in voluntatem, ſicut illa apprehenſio per Vitam etiam *phyſicè prædeterminat* voluntatem, ita & iſte concurſus Dei *phyſicè prædeterminaret* eamdem, quod tamen Vita vbique refugit confiteri, non igitur præallata reſponſio conſequenter ad Vitæ principia diſcurreret, ſurſus & falſo

prin-

principio adhæret, nam licet in actum effectumque creatum acceptum ſolum penes gradus inferiores ſub ente contentos poſſit Deus mediante alia cauſa ſecunda creata concurrere, in eum tamen acceptum penes communem atque formalē rationem ipſius eſſe vt eſſe vt ſic, nulla adhuc mediante cauſa ſecunda creata ſed ſolus ipſe immediatè vt prima cauſa tamquā in ſibi proprijſſimum effectum concurrere poteſt, vt late & ex profeſſo, tum rationibus, tum auctoritatibus robuſtiſſime demonſtrauit noſter Ledeſma q. 10. de perfectionibus Diuinis ferè per totam. Sed etiam in actu voluntatis peccantis præter inferiores gradus ſub ente contētos datur & eſſe ut eſſe formaliter vt ſic, quo primo de potentia in actum & extrà cauſas conſtitui dicitur. Ergo etiam ad actū voluntatis peccantis etſi penes gradus inferiores ſub ente contentos poſſit concurrere Deus mediante creata apprehenſione intellectus, ad eumdem tamen acceptum penes eſſe, ut eſſe formaliter, adhuc immediatè idem ſaltem ſimultaneè concurrere debet, & conſequenter, meritò, negare in eumdem ſaltem concurſum ſimultaneum adhuc immediatum, erroneum vti adduximus ex S. Tho. iure merito reputatur.

Tertiò, quia iuxta Vitā adhuc eo proportionali modo Deus ageret in volūtatem mediante ſolo intellectu in ordine etiam ſupernaturali gratiæ, quo agit mediante ſolo intellectu in voluntatem in ordine naturali naturæ. Sed in hoc ſecundo iam præter ipſam apprehenſionem intellectus nullus à Vita admittitur adhuc ſimultaneus immediatus concurſus in voluntatem in ſententia Vitæ; ergo in primo pariter iuxta Vitam præter gratiam excitantem in intellectu nulla alia gratia actualis adiuuans immediate in voluntatem admitteretur; hoc autem in omnium ſententia erroneum adminus eſt, vt late ex Tridentino aliiſque Cōcilijs & Patribus etiam poſt noſtrum Aluarez oſtendit ex profeſſo Suarez lib. 3. de Gratia cap. 13, & nos ad primam ſecundæ q. 111. latè hanc & conſimiles diuiſiónes gratiæ actualis probatas dedimus & explicatas; quæ nunc potius ſupponendæ ſunt ex communi conſenſu quo ad inſtitutum præſens, quam ſuperuacaneè repetendæ. Abſurda igitur iterum etiam ex hoc capite iſta ſententia cenſenda eſt. Solum indè roborari poteſt diſcurſus, quia ſaltem in actum voluntatis ſupernaturalem adminus ſimultaneè Deum immediatè per virtutem eleuantem, & concurſum pariter ſupernaturalem concurrere debere certum eſt, aliter ille actus ſupernaturalis eſſe non poſſet. Sed hic actus poteſt etiam aliquando ex prauo fine operantis ex parte ipſius peccaminoſus eſſe, vt cum quis celebrat ob auaritiā, vel ad alium prauum finem pœnitentem abſoluit. Ergo in hoc caſu ſaltem cogitur Vita omninò concedere Deum immediate ad minus ſimultaneè influere etiam in entitatem materialē actus peccaminoſi, quod ille adeo refugiebat.

Quartò, loquendo adhuc in ordine ad bonum, ſic dicta ſententia reprobari poteſt, nam Diuina prædeſtinatio, ac præſcientia gaudere debet non ſola certitudine quadam morali euentus, verum etiam infallibilitate Metaphyſica eiuſdem. Sed ſtante ea ſola coadunatione cauſarum veluti ex parte obiecti mouentis intellectum hominis, licet moraliter certo poſſet præuideri intellectus ipſius aſſenſus, & ex aſſenſu etiam conſenſus voluntatis, adminus tamen infallibilitas Metaphyſica non haberetur, vt rectè præter noſtros iam præuiderunt ex profeſſo aduerſus iſtam Vitæ explicationem tum Suarez in opuſ. de

auxi-

auxilijs lib. 3. cap. 10. à n. 5. & iterum lib. 5. de gratia cap. 8, tum Fonſeca lib. 6. Metaphyſicæ cap. 2. q. 4. ſect. 9. poſt 5. rationem, tum alijs omiſſis nuper Ariaga diſp. 20. de ſcientia Dei ſect. 2. n. 19. ergo iam ea ſola coadunatio cauſarum veluti ex parte obiecti ad certitudinem infallibilem prouidentiæ Diuinæ non ſufficit, vt iſte auctor præſupponit diſp. 4. per totam. Scio Eſparzam q. 34. de Deo vno ar. 2. in oppoſitum opinatum eſſe, nimirum finitam adhuc vertibilitatem intellectus ex parte obiecti, exhauriri poſſe & tolli totaliter per cumulum circumſtantiarum augmentabilem ſincathegorematicè in infinitum à Deo, atque adhibere eamdem auctoritatem S. Tho. quam & Vita recenſet, ſcilicet q. 6. de verit. art. 3. cui addi poteſt apparentior altera S. Tho. auctoriras 3. cont. Gentiles cap. 23, de anima cælorum in quorumdam philoſophorum opinione dicentis, *ſicut natura determinatur ad vnum per ſuam virtutem, ita illius voluntas determinatur ad vnum per ſuam ſapientiam, qua voluntas dirigitur infallibiliter ad vnum finem*. Sed verè falſum eſt Eſparzæ ſuppoſitum, ſcilicet in intellectu crearo, qui eſt in omnia fieri, ex 3. de anima, non ineſſe quamdam pariter infinitatem in potentia, vt alibi nos demonſtrauimus in Metaphyſica, nec iſta per conſequens terminabilis eſt, niſi augmentum in infinitum in potentia ad actum ſimul reduceretur; infallibilitas vero ibi aſſerta à S. Tho. ex *ſapientia &c.* ſi ibi ſermo ſit de Deo iuxtà quoſdam philoſophos animante cælos, à nobis admittitur, quod ſcilicet ex Sapientia id eſt prouidentia eiuſdem Diuini intellectus infallibilitas prouenire poſſit, ſi verò de ſubſtantia creata Angelica ſermo ſit, tunc vel de ipſa non præcisè ſecundum ſe, ſed addita ſimul diſpoſitione infallibili ſupremæ cauſæ Diuinæ, illa infallibilitas accipienda eſt, vti inde Thomiſtæ deducunt in cauſis etiam ſecundis creatis vt prædeterminatis à prima certò poſſe futura cognoſci, vel demū adhuc diſcrimen inter intellectum in Angelo voluntatem prædeterminantem ac in homine facillimum offerreretur, nimirum in illo ex inflexibilitate ſemel emergentis iudicij irreuocabilem eſſe poſſe, & infallibilem poſtea etiam voluntatis conſenſum, non vero hic, vt de ſe conſtat. Permanet igitur adhuc his non obſtantibus firma præadducta probatio.

Quintò, quia ſtante adhuc quolibet iudicio vltimo practico imperante in intellectu ſeruari debet, formalis libertas, & indifferentia actiua ad oppoſita in voluntate, vt colligi poteſt, tum ex Trid. ſeſſ. 6. canone 4. & 5. tum ex eo quod immo voluntati attribuit Apoſtolus *captiuare intellectum in obſequium fidei &c.* Sed iuxtà iſtam explicationem reducentem totam prædeterminationem, qua homo liberè ſe determinat, in ſolum iudicium intellectus, quo poſito neceſſe ſit voluntatem conſentire, vt tractat Vita diſp. 3. per totam, non ſeruatur deinde in voluntate formalis prædicta libertas & actiua indifferentia ad oppoſira, ergo iſta explicatio defendi vere non poteſt. Ad duo video Vitam effugere, nempè ad amorem finis in voluntate præſuppoſitum ante intellectus iudicium ſe determinantis ad vnum medium præ alio, vel ad hoc quod eo iudicio ſtante adhuc concomitanter voluntas acceptet ipſum, non illud abijciat. Sed amor in primis ille finis cum indifferens ſit adhuc ad vnum medium præ alio dici nequit ſufficiens determinatio exercita, qua voluntas ad vnum potius medium quàm ad alterum ipſa formaliter, vt debet, ſe determinare dicatur, in acceptatione autem illa concomitante, nunc peto, an cum ad iſtam

adhuc

adhuc acceptationem voluntas de ſe indifferens ſupponatur ac libera, an, inquam, ad eam ipſa primò exercitè quo ad exercitium ſe determinet, vel à Deo primo determinetur, vel iterum à iudicio intellectus. Si primum iam etiam in ordine ad bonum ipſa voluntas primum ſe determinans eſſet, quod neque Vita hucuſque auſus eſt in ordine ad eadem bona concedere. Si ſecundum habemus intentum de prædeterminatione Dei in voluntatem contra Vitam. Si tertium demum redit iterum argumentum, vt adaptanti patebit; nulla igitur in re reſponſio eſt, & ſolum, vt Vita ſolet, dum argumentis arctatur, ad prolixas verborum ambages dicta ſolutio recurrit. Permanendum igitur eſt in doctrina S. Thom. p. 1. q. 82. ar. 4. & alibi, vt latè expendit ad inſtitutum Aluarez 1. 2. diſput. 45, quo ad ſpecificationem ex parte obiecti vtique primo intellectum mouere voluntatem, at vero quo ad exercitium ex parte actus è contra voluntatem omnino mouere intellectum, vt cæteri omnes Noſtri Thomiſtæ ab iſto perperam teruntij facti proſequuti ſunt, ſeruantes inde longe melius libertatem formalem in voluntate, quæ ex dicta intellectus neceſſitate apud Vitam læderetur, ſicut præuidit etiam Nemeſius in lib. de homine cap. 35. ideò dicens, *ſi neceſſariò appetitus ſequitur, certè etiam fato fiunt, quæ appetitum ſequuntur, etiamſi a nobis fiant, & natura noſtra, & appetitu, & iudicio*, & Plotinus Æneade 3. lib. 2. cap. 7. *& immaginationes*, inquit, *cauſas antecedentes ſequentur & impetus immaginationes comitabuntur arbitrijque libertae nomen erit inane*. Et demum D. Bernardus in lib. de gratia & libero arb. ab initio ait ex oppoſito contra Vitam, *habet ſanè voluntas quocumque ſe voluerit rationem comitem & quodammodo pediſſequam*.

Sextò, nam vt alibi ex profeſſo diſcutio ſupra lib. 1. qu. 3. per totam, etiam damnationes Vniuerſitatis inſignis Pariſienſis (quoaduſque vel reuocatæ fuerint ab ipſa Vniuerſitate, uel in contrarium doctrina oppoſita approbata non ſit ab aliquo Eccleſiæ decreto) maximi ſemper ponderis habendæ ſunt, ex cap. ad abolendum de Hæreticis. Sed appoſite inter propoſitiones velut erroneas damnatas Pariſijs hæ contra Vitæ explicationem manifeſtè leguntur, ſub titulo *errores de voluntate ſiue libero arb.* nu. 3. *item ſi ratio recta, & voluntas recta. Error eſt, quia eſt contra gloſſam Auguſtini ſuper illud Pſal. concupiſcit anima mea deſiderare &c. & quia ſec unum hoc ad rectitudinem voluntatis gratia non eſſet neceſſaria, ſed ſolum ſcientia, qui fuit error Pelagij apud Auguſtinum lib. de gratia & lib. arb. cap.* 10. inde n. 10. *item quod poſt concluſionem factam de aliquo faciendo voluntas non manet libera &c.* n. 15. *item quod voluntas neceſſariò proſequitur, quod firmiter creditum eſt ratione, & quod non poteſt abſtinere ab eo, quod ratio dictat, & hæc neceſſitatio non eſt coactio ſed natura voluntatis*. hæc ibi. Et ne quis credat vnquam dictam damnationem, vt tangere poſſet hanc explicationem Vitæ, quam ipſe falsò imponit S. Tho., fuiſſe poſteà reuocatam, aduertat iſte Ioannem de Neapoli, & cum ipſo Grauinam in opuſ. de doct. Auguſtini, & S. Tho. ar. 3. ad 4. & 6. concedere eas propoſitiones Pariſijs fuiſſe ritè damnatas, quoad hoc, & aliter reſpondere pro nobis hoc modo, *imponitur S. D. quod ſola ſcientia oppoſitorum ſit cauſa libertatis, nam etſi dixerit S. Thom. multis in locis libertatem fundari in indifferentia iudicij rationis, loquutus eſt de libertate radicaliter, quæ eſt in intellectu, formalis vero libertas eſt in voluntate, unde vtrumque comprehendit Philoſophus, cum definiuit liberum arbitrium eſſe facultatem intellectus & voluntatis*,

&c.

& vtramque exegit S.D. vnam radicaliter, alteram formaliter, vbi Pariſienſes damnant negantes formalem libertatem. Quid euidentius contra Vitam, & contra præpoſtera eiuſdem commenta in S. Thomã, afferri poteſt? Vitæ igitur explicatio vt damnata olim velut erronea repudianda eſt, dum & ipſe inter cætera n. 1332. profitetur, *imperio rationis voluntatem ipſam nullam habere potentiam reſiſtendi*, & in dub. integro à num. 1333. id defenſandum aſſumit.

Septimò, nam euidentius adhuc ibidem iſtæ aliæ tamquam erroneæ propoſitiones damnatæ leguntur ſub eodem titulo nu. 7. item, *quod ceßantibus impedimentis appetitus neceßariò mouetur ab appetibili. Error eſt de intellectiuo*, ſub titulo, *Errores de neceſsitate euentus rerum*, num. 1. *quod nihil euenit contingenter, conſiderando omnes cauſas, error, quia concurſus cauſarum eſt de definitione caſualis lib. 5. de conſolatione* nu. 2. item, *quod ex diuerſitate locorum acquiruntur neceſsitates euentuum*. Sed in prioribus propoſitionibus manifeſtè conuenit explicatio Vitæ de infallibilitate prouidentiæ erga euentus ex ſola combinatione cauſarum ab eodem explicata eodem modo diſput. 4. per totam, & in poſtrema conuenit omninò exemplum eiuſdem num. marginali 2133. occiſionis alicuius fiendæ per latrones exiſtentes propè fontem ſub conditione futuræ, ſi ille ad fontem accederet, *quod ſcilicet iſti eum occiderent ex ipſa natura cauſarum*, inquit & n. ox ante, *non eſſet id ex aliquo ſpeciali decreto exiſtente in Deo circa tale conditionatum ſed ex ipſa natura rerum exiſtentium in loco, inquantum illi eſsent in loco fontis, & iſte iret ad locum fontis &c*, Vndè ſicut poſitis alterantibus naturalibus ſucceſſiuè vno poſt aliud, ſubdit, *conſecutio ſucceſsiua alterationum eſſet neceſſaria ratione naturæ cauſarum ita ordinatarum, Sic in propoſito &c, quod iſtud*, ſcilicet occiſio alicuius, *ſic venientis ad fontem eueniret infallibiliter vel illud, haberetur ex ipſa natura cauſarum*, iuxtà quem ſenſum non veretur num. marginali 2081. concedere *fatum*, vti verè ex mox allata eiuſdem explicatione *fatalis ea* Stoicorum neceſſitas ſubinfertur explicata à S. Tho. 1. Perhier. lect. 14. *quod poneretur in quadam ſerie ſeu commixtione cauſarum &c. quarum etſi vna per ſe non ſufficeret, multa ad hoc conuenientes acciperent rationem vnius cauſæ ſufficientis*, & quam demùm mirum eſt eumdem Vitam inconſequentiùs longè num. 1921. ipſi Suarez impoſuiſſe. Nec iuuat Vitam profiteri, ac repetere, cum neceſſitate prædicta ſe componere adhuc libertatem noſtram, nam, vt inquit Boetius lib. 3. comment. in lib. de interpret. ſecundæ editionis n. 37. *etiam Stoici hoc modo ſignificationem liberi arbitrij permutantes, neceſsitatem, & id quod in nobis eſt, coniungere impoſsibiliter & copulare contendebant*. Omninò igitur hæc Vitæ explicatio reprobanda videtur.

Octauò, nam in eadem damnatione Pariſienſi ſub eodem *titulo errores de voluntate ſiue libero arbitrio* hæc alia in ordine 11. damnabatur, *item quod voluntas hominis neceſsitatur per ſuam cognitionem ſicut appetitus bruti per ſuam etc.* Sed huius omninò damnatæ propoſitionis verba repetit Vita in ſua prædicta explicatione, dum n. marginali 1115. inquit, *appetitus animalis bruti ſeu etiam actus voluntatis indeliberatus non differt a libero in modo, quo ſequitur ad formam apprehenſam, ſed in modo cognitionis, ſeu apprehenſionis &c.* ergo apertiſſimè & in terminis hæc Vitæ explicatio pridem damnata eſt, cum aliàs nec Manichæi negauerint diuerſam cognitionem in brutis & hominibus, vt eruditè aduertit noſter Sibilla lib. 4. cap. 2, vbi pariter refert & Vincentium Lenim Ianſeniſtam (qui

nega-

negabat indifferentiam libertatis cum ſuo Ianſenio) ad hoc pariter ſolum recurrentem diſcrimen, *quod in nobis iudicium intellectus de agendis à ſe iudicat non verò brutum*, vti ad hoc pariter ſolum diſcrimen & Vita ipſe recurrit n. marginali 1998, & tamen hoc non ſufficere idem Sibilla probauerat lib. 2. cap. 8. ergo ex hoc capite iterum vt Manichæiſmi, & Ianſeniſmi, aliquo modo ſuſpecta hæc explicatio omnino repellenda videtur .

Nonò, euidentius de Ianſeniſmo oſtendi poteſt, nam cui deficit aliquid tribuens virtutem etiam in actu primo impoſſibilis remanet executio operis , licet non ſic cui deficit tantum aliquid purè applicans ad actum ſecundum. Sed iuxtà Vitam, ſecunda parte diſput. 2. §. 8. per totum, concurſus Dei nedum applicat ad actum ſecundum (vt alij Thomiſtæ volunt , & nouiſſimè videri poſſunt Gonet tom. 4. diſput. 6. art. 7. §. 6. per totum , Mariales releſt. 9. de ſcientia ſect. 3. per totam , & alij) verum etiam in ſententia Vitæ tribuit *virtutem* in actu primo; ergo voluntati omittenti executionem præcepti carentique dicto Diuino concurſu, vt ille concedit , iam erit vere impoſſibilis obſeruatio præcepti : hæc autem eſt directè prima propoſitio Ianſenij ab Innocentio X. & Alexandro VII. condemnata . igitur prædicta explicatio , vti à Thomiſtis recedit, ita labitur in Ianſeniſmum . Confirmo, nam tertia pariter propoſitio Ianſenij erat, *ad merendum & demerendum etc. ſufficere libertatem à coactione*, ſed pariter ad hanc libertatem ſolam Vita recurrere videtur, dum diſp. 4. §. 6. per totum, refundit neceſſitatem liberè operandi in cauſa libera in ſolam *negationem impedientium*, & n. marginali 1980. *omne* , inquit , *quod habet cauſam, ſequitur ex neceſſitate ad cauſam, ideſt ad id, quod non eſt impeditum &c.* ergo iteru m in cauſa libera ſolam libertatem *à coactione impedientium* recognoſcit , non vero in voluntate indifferentiam . Non proſequor latius fundamenta iſta , quia diſſertatiunculam incidenter in Vitam ſcribo, non librum, indicans forſan cęteris fontes , ex quibus abundantiores eiuſdem operis Vitæ haurire poterunt impugnationes .

Decimò tandem, nam iuxtà Vitę principia etiam in Deo primum, à quo virtualiter Diuina voluntas determinaretur quoad exercitium , eſſet ipſe intellectus Diuinus, vt idem Vita fatetur, & explicare conatur diſpu. 3. §. 7. dub. 3. per totum . Sed hoc abſurdum eſſe videtur & longe certius eſt adhuc in Deo quoad exercitium voluntatem Diuinam primo à ſe ipſa determinari , ut loca S. Thomæ expendunt in hoc ſenſu , & ſequuntur Nazarius p. 1. q. 19. art. 7. controu. vnica notabili 3. Nauaretes ibidem controuer. 5. & antea to. 1 .controuer. 56. §. 1. concluſione 5. refellens expreſſe præuiſam oppoſitam in hoc puncto Vitæ ſententiam, item Capreolus in 1. diſt. 45. q. 1. ar. 2. ad 5. Ferrarienſis 2. cònt. gentes cap. 26. (quos duos poſtremos mirum eſt Vitam perperam in ſua ſenſa dettahere) & præter alios Thomiſtas communiter prædocuit id etiam Suarez in releſt. de lib. Diuinæ voluntatis diſp. 1. ſect. 1. cum Henrico quodlib. 8. q. 1. & in ſumma ar. 36. q. 4. dicente , *oppoſitam explicationem repugnare Diuinæ libertati* , vt ibi Suarez poſt noſtros ex profeſſo demonſtrat, & ſequutus eſt poſtea Ruiz diſput. 7. de voluntate Dei ſect. 6, & denum hæc longe probabilior apparebit doctrina attente expendenti loca S. Thom. etiam à Vita relata , eaque conferenti cum eiuſdem Vitæ explicatione contraria . Ex hoc igitur cap. etiam hæc Vitæ explicatio denuò arcenda eſt .

Ad primum igitur, quod exemplum magis S. Tho. quam Thomiſtarum, velllicare videbatur, facillimè reſpondemus, quod adhuc ſiſtendo in eodē exemplo, ſi caſus eſſet, quod homo potens impedire claudicationem conſequentem ad tibiæ obliquitatem, motu quidem tibiæ vti vellet, & aliàs permittere claudicationem ad purè manifeſtandam in aliquo ſaltem caſu connaturalem eius defectibilitatem, non indè fieret illum hominem cum motu vitali, quem vellet, velle etiam poſitiuè (& non ſolum permiſſiue) eamdem claudicationem, ſic à fortiori Deus potens impedire defectum culpæ conſequentem ad defectibilitatem arbitrij, ſi velit vti motu eiuſdem, & tamen permittere defectum ad purè manifeſtandam aliquando ſaltem connaturalem eius deffectibilitatem (ex quo & eius iuſtitiæ vindicatiuæ attributum manifeſtum fiat) non inde fit Deum cum motu vitali arbitrij, quem vult, velle etiam poſitiue (& non ſolum permiſſiue) deffectum eumdem; tametſi valde magnum diſcrimen adſit inter hominem illum in eo caſu, & Deum in noſtro, quod Deum vt prouiſorem vniuerſalem omnium diſponere conuenit *ſuauiter* omnia connaturaliter ad naturas rerum, & ne dum *fortiter* iuxta ſuam ſolam omnipotentiam, & conſequēter rerum etiam deffectus admittere conueniens eſt, non ſic agens particulare vt homo ille eſſet &c. poterat igitur Vita & ſine dubio debebat magis attente legere Thomiſtas noſtros, & didiciſſet nullo modo repugnare Deum influere in materiale peccati abſque eo, quod influat in formale, vt inter cæteros nuper proſequuntur Gonet diſp. 8. de prouid. art. 5. §. 4. 5. & 6. & ſequentibus Mariales relect. 6. de ſcientia ſect. 6. per totam, & relect. 8. per totam, præueniens etiam pag. 258. Vitę explicationem, eamque vocans, *nouum modum etc.* & ſaltem quoad concurſum ſimultaneum integra etiam Schola Societatis cōſentit, immo & quo ad decretum Dei æternum etiam Vita immemor ſui, vel inconſequenter, vel inuitus, relabitur tandem in eamdem doctrinam p. 1. §. 16. in fine pag. 71. vt legenti patebit.

Ad ſecundum, præter allata, adeſt S. Thom. p. 2. q. 75. ar. 1. ex oppoſito dicens, *deffectum ordinis in actu prouenire ex deffectu directionis in voluntate*, debet igitur concordari hoc dictum S. Thom. cum adductis à Vita, ex doctrina eiuſdem S. Tho. p. p. q. 82. ar. 4. & p. 2. q. 17. de Imperio ar. 1. ad 1. & alibi ſæpiſſime, nimirum quoad ſpecificationem ex parte obiecti determinationem vtique prouenire ex intellectu, at verò quo ad exercitium ſeu ex parte actus prouenire primò à voluntate, & cum aliàs ad entitatem adhuc actus peccati nequeat ipſa voluntas eſſe primò determinans ſe, neceſſe eſt eamdem quoad hanc entitatem actus refundere in Deum, ne admittatur proceſſus in infinitum inter intellectum hominis ac voluntatem, vt manifeſte diſcurrit idem S. Thom. 9. Metaph. lect. 3. & cum Ariſtotele, p. 2. q. 109. art. 2. ad 1. & alibi frequentiſſime. Solum ergo ex illis adglomeratis à Vita S. Tho. auctoritatibus (quas miror ego aliquos admiratos eſſe, cum in tabula Bergomenſis obuiæ ſint) habetur ſolum id, quod dicebat idem S. Tho. q. 24. de verit. art. 2. *quod totius libertatis radix eſt in ratione conſtituta*, formalis tamen in voluntate ſola eſt, adeout adnotante Gonzalez ad p. p. qu. 19. hinc Deus ſi vellet alio modo mouere volūtatem, ac modo moueat, nempe ſi imprimeret aliquid in actu primo in petitivum potentiæ ad oppoſitum, vbi nunc ſolum applicat in actum ſecundum, tunc neceſſitaret vtique voluntatem neceſſitate exordiente non in

intel-

intellectu ſed voluntate ipſa, etſi poſtea ad iſtam inſeparabiliter conſequeretur ablatio indifferentiæ iudicij in intellectu, quod ſolum volunt plerumque Thomiſtæ docentes non poſſe neceſſitari voluntatem ſtante indifferentia iudicij, non vero intendunt reuocare in ſolam indifferentiam iudicii voluntatis libertatem, ut falſo inter cæteros non diſtinguens primum à ſecundo ſupponit Theophylus Raynaudus in ſua morali diſciplina diſt. 2. q. 3. ar. 2.

Ad tertium conceſſa maiori diſtinguitur minor, *inter Deum & voluntatem mediat intellectus*, quoad influxum in actum penes gradus inferiores veluti ſpecificos contentos ſub ente, concedo, quoad gradum formaliſſimum & vniuerſaliſſimum ipſius entis & eſſe vt eſſe, nego, hoc enim ſecundum immediatè Deus nullaque mediante altera cauſa in omnibus & ſingulis tamquam ſibi proprium effectum attingit, vnde inquit S. Tho. p. 1. q. 45. ar. 5. *inter omnes effectus vniuerſaliſsimum eſt ipſum eſſe, & ideò oportet quod ſit proprius effectus primæ & vniuerſaliſsimæ cauſæ, quæ Deus eſt*, vt repetit 3. contr. gentes cap. 66. q. 3. de potentia ar. 5. q. 7. de potentia ar. 2. q. 5. de verit. ar. 9. ad 7. immò hinc q. 3. de potentia ar. 8. ad 18. actione quadam veluti creatiua ſolius Dei propria & immediata produci ſupponit dicens, *eſſe dicitur per creationem, inquantum omnis cauſa ſecunda dans eſſe hoc habet quatenus agit in virtute primæ cauſæ*. Immò hinc par. p. q. 19. ar. 8. ad 3. adeò ex ſola vniuerſalitate maxima virtutis Diuinæ ſoli Deo propria infert ſaluari in nobis actum & modum agendi liberum, vt talis mouendi modus vniuerſaliſſimus nequeat vel mediate per virtutem aliquam alteri participari, aliter ea illatio S. Thom. non ſaluaretur, vt alibi de concurſu præuio in ordine naturali ex propoſito explicamus.

Ad quartum mirum eſt Vitam noluiſſe agnoſcere, prręter extrinſecam combinationem cauſarum à Deo vtiq; præparatam, noluiſſe, inquam, vlterius agnoſcere eam motionem Dei intrinſecam rebus applicatiuam virtutum earum ad actum ſecundum, quam manifeſtiſſime agnouit & docuit S. Tho. q. 3. de potentia art. 7. aſſimilans ipſam *motioni agentis principalis in inſtrumentis*, per quam ſcilicet, ut idem S. Tho. repetit q. 5. de potentia ar. 1. 3. cont. gent. cap. 66. ratione 4. & q. 14. de verit. art. 5. *agentia ſecunda attingunt eſſe in virtute primi agentis &c.* aliud eſt igitur concedere primum, vt fecit S. Thom. in locis adductis ab arguente, aliud eſt excludere ſecundum, quod numquam S. Tho. præſtitit, immo oppoſitum luculenter edocuit iterum p. 1. q. 105. ar. 4. dicens, *Deus mouet voluntatem non ſolum per modum obiecti ſed etiam interius inclinando*, & rurſus q. 7. de malo ar. 3. *motus voluntatis directè* (audiat Vita hoc verbum quod idem eſt ac immediate) *directè procedit à voluntate & à Deo, qui eſt voluntatis cauſa, qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcumque voluerit*. Non ita profectò diceret de motione indirecta mediante propoſitione obiecti, quæ & Dęmoni communis quodammodo eſt, vt notat idē S.D. q. 3. de malo a. 3. vide Lemos to. 1. p. 2. tr. 4. c. 19. & to. 2. tr. 1. c. 9. & x.

Ad quintum miror iterum Vitam noluiſſe poſt illa loca S. Thom. præpoſterè à ſe intellecta de efficacia imperij reuocata tantummodo in intellectum, attentius vel ſincerius expendere hæc alia loca S. Tho. ex oppoſito, in quibus imperij efficaciam voluntati attribuit ſimul cum indifferenti actiua poteſtate ad obſequendum iudicio rationis, nimirum q. 22. de verit. art. 15. vbi inquit, *electio eſt vltima acceptio, qua aliquid accipitur ad proſequendum, quod quidem non*

eſt rationis, ſed voluntatis, nam quamtumcumque ratio unum alteri præfert nondum eſt vnum alteri præacceptatum ad operandum, quoad uſque voluntas inclinetur in vnum magie quam in aliud, non enim voluntae de neceſſitate ſequitur rationem, quod repetit q. 25. de verit. ar. 1, immò q. 24. de verit. ar. 6. addit hinc, *quod potentia, qua liberè iudicamue, non intelligitur illa, qua iudicamus ſimpliciter, quod eſt rationis, ſea quæ facit libertatem in iudicando, quod eſt voluntatie.* Cur ergo noluit Vita cum Thomiſtis agnoſcere, immo cum S. Tho. imperium quoad ſubſtantiam vti que intellectus eſſe, quoad efficaciam verò eſſe voluntatis? quia, vt inquit idem S. Tho. p. 2. q. 17. ar. 1. *primum mouene in actibus animæ ad exercitium actus eſt voluntas &c. Vnde relinquitur quod imperare ſit actus rationie præſuppoſito actu voluntatis, in cuius virtute mouet per imperium ad exercitium actus &c.* Poreratne capientibus verba S. Tho. ſplendidius ſuam manifeſtare doctrinam? Fateor aut in præſenti cœcum eſſe, qul id non videat, aut ſurdum eſſe, qui id non audiat.

Ad ſextum tandem, vel ſermo eſt de combinatione cauſarum pure extrinſecarum veluti mouentium moraliter excludendo intrinſecam phyſicam motionem Dei, vel de illis non excludendo iſtam. Primo modo iam diximus inde haberi non poſſe certitudinem Metaphyſicam, ſeu infallibilitatem euentus, ſed ſolam moralem certitudinem, vt plane ante nos docuit idem S. Tho. q. 8. de verit. ar. 12. contra Vitam his verbis, *cum effectus in cauſis ſe habentibus ad vtrumlibet nullo modo cognoſci poſſint per ſe acceptis, ſi adiungantur cauſæ illæ, quæ cauſas ad vtrumlibet ſe habentes inclinant magis ad vnum quam ad aliud, poteſt aliqua certitudo coniecturalis haberi de prædictis effectibus &c. omnes tamen huiuſmodi effectus qualeſcumque ſint eorum cauſa proxima in cauſa prima omnes ſunt determinati, quæ ſua præſcientia omnia intuetur & ſua prouidentia omnibus modum imponit.* Secundo autem modo dumtaxat, vt etiam ibidem ſtatim cum Auguſtino ſubiungit ab illis verbis, *etſi tamen ſi Dei altiore iudicio non ſunt diſcreti &c.* dicendum eſt infallibiliter à Deo euentum cognoſci poſſe, ſcilicet nõ excludendo, immò includendo, intrinſecam motionem Dei, quam perſpicuè in eiſdem locis congeſtis à Vita S. Tho. incluſit, dum in eodem 1. Sent. diſt. 40. q. vnica art. 2. explicans *ea adminicula &c.* inquit, *vt puta interceſſiones Sanctorum, exhortationes, & gratiæ dona, quæ ſimul omnia collecta* (perpendat accuratius Vita) *certum ordinem habent ad conſecutionem ſalutis &c.* pariter eadem q. 6. de verit. relata à Vita art. 3. *ſicut*, inquit, *exhortationes & ſuffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem.* En noſtra appoſite expoſitio, quam ex integro (poſtquam eam ſcripſeram) gaudeo me nunc legere poſteà in ſapientiſſimo noſtro Magiſtro Ioanne à S. Tho. diſput. 5. de Voluntate Dei ar. 5. ad 2. confirmationem primi argumenti in fine, & in Mariales releċt. 16. de ſcientia ſect. 6. vbi eamdem omnino S. Tho. auctoritatem ex q. 6. de verit. contra ſe obiectam afferebant, eodemque modo, vti nos mox expendimus, expendebant, vti & anteà idem Mariales releċt. 3. de ſcientia ſect. 2. pag. 116, & releċt. 6. pag. 166. & pag. 199. in hoc ſenſu facile componit cum præſcientia innixa propoſito alibi tradita ab Auguſtino alteram difficilem eiuſdem Auguſtini auctoritatem in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. dicentis, *apparet habere quoſdam in ipſo ingenio Diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant,* & demum ad hunc ſenſum nobis occurrit elegantiſſima eiuſdem

Augu-

Auguſtini explicatio circa prædictam cauſarum congeriem ſeu ſeriem præparatam à Deo ſine excluſione intrinſecæ motionis Dei, dum & ipſe in homilia 13. quinquaginta homiliarum aiebat, *hoc tibi dicit Deus tuus. Regebam te mihi, ſeruabam te mihi. Vt adulterium non committeres, ſuaſor deffuit; vt ſuaſor deeſſet, ego feci: locus & tempus deffuit; & vt hæc deeſſent, ego feci. Affuit ſuaſor, non deffuit tempus: ut non conſentires, ego feci; agnoſcere ergo gratiam eius, cui debes, quod non admiſiſti.* Agnoſcat ergo & Vita concurſum Dei, cui omnes adhuc combinatæ cauſę quocumque modo, quoad id, quod entitatis & actus in earum operationibus adeſt, totũ debent, vt totum habent entitatis ab illo. Et demum melius diſcat proprium & per ſe principiũ peccati ex doctrina Lemos to. 3. tr. 4. c. 19, vbi præuenit pleraſq; difficultates, quibus Vita idem ſuccubuit. Et hęc de nupera iſta apud me nimis abſona Dominicani ſcriptoris explicatione breuiter dicenda occurrerunt, ex cuius abſcedente à reliquis noſtræ Scholæ auctoribus interpterarione doctrinæ Angelici Præceptoris, Si quis vnquam nos redargueret, ut in ſimili præſtiterunt Paulus Leonardus p. 1. ſect. 12. & Faſſolus p. p. q. 14. ar. 13. dub. 17. quibus cum Soto in 4. Senten. pag. 2154. occurrebat Mariales relect. 6. ſect. 1. per totum, immo vti reipſa de extracto quodam ex eodem libro Vitæ præſtiterunt nuper quidam nobis aduerſi in Gallijs repercuſſi à Carolo ab Aſſumptione Carmelita Excalceato in ſuo Tryumpho Thomiſtarum opuſ. 3. cap. 5. & 6. ſub nomine *Philalethis*, denuo ibidem ſoluente aliam ex eiuſdem libro Vitæ obiectionem, ſi, inquam, denuo aliquis occaſionem arriperet exprobrandi Thomiſticæ Scholæ incertam quandoque apud ſuos intelligentiam doctrinæ Angelici Præceptoris, occurreret, credo, idem Angelicus pro hoc vno ſingulari ſcriptore eiſdem fere verbis, quibus Auguſtinus Epiſtola 46. ad Valentinum conſimili omninò obiectioni de quodam Monacho Adrumentino ſuoque diſcipulo occurrebat dicens; *aut non intelligit librum meum, aut forte ipſe non intelligitur, quando difficillimam quæſtionem & paucis intelligibilem ſoluere atque enodare conatus eſt. Ipſa eſt enim quæſtio, vt homines non intelligentes putarent Apoſtolum Paulum dicere, faciamus mala, vt veniant bona. Vnde Apoſtolus Petrus in 2. epiſtola ſua inquit, quapropter cariſſimi hæc expectantes ſatagite apud eum reperiri in pace &c. ſicut & dilectiſſimus frater noſter Paulus ſecundum eam, quæ data eſt ei, ſapientiam, ſcripſit vobis, ut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædã difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles homines peruertunt, ſicut & cæteras ſcripturas, ad proprium ſuum interitum &c.* Hæc ille, quæ ſatis etiam dictæ criminationi occurrere poſſent, & ſatis hæc noſtra hucuſque pro Auguſtiniana Thomiſtica conditionatorum præſcientia operoſa ſatis lucubratione conſcripta ſufficerent, niſi præter hæc adhue recentioris è Societate Scriptoris Orthegæ repetitæ obiectiones, aduerſus præſtabilitam mox Thomiſtarum Sententiam, aliam ſubſequentem Quæſtionem operis poſtremam adiungere, vel inuitos adiungere, prouocarent.

QVÆ-

QVÆSTIO SEXTA.

Pro Corollario ex præmiſsis compendioſe reſpondens ad nuperas obiectiones Orthegæ contra præſtabilitam præſcientiam etiam conditionatorum innixam propoſito iuxta S. S. Auguſtini & Thomæ principia.

IAm manum ſubduxeram tabulæ, opuſque hoc noſtrum pro reuiſione, ac inde pro impreſſione, dabatur, cum in manus aduenit nouiſſimum opus P. Chriſtophori de Orrhega Lugduni editum anno 1671. in primo tomo præſertim (*de Deo vno*) condenſans, aut repetens obiectiones plures (ne iurgia dicam) in ſcholam noſtram Auguſtini & ne dum S. Thomæ ſequacem, (ut ex præmiſſis hucuſque haberi poteſt) quas licet accuratiori ordine, ſi Orthegæ volumen antea vidiſſemus, non omiſiſſemus explodere, quia tamen & temporis penuria vrget, & ex præſtabilitis iam ſemel principijs velut conſectarie & iſtæ ſolvuntur, ideo ſat eſſe putauimus compendio vti, fonteſque dumtaxat leui adminus digito indicare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Obiectiones Orthegæ circa Thomiſticam conditionatorum præſcientiam afferuntur breuiter & diſſoluuntur.

OBijcit 1. controuerſia 2. de ſcientia diſp. 5. quæſt. 2. Certamine 2. per totum, contra noſtrum Matthęum Riſpolis, & Io. de S. Thoma, quod dicant, *nullam vnquam dubitationem fuiſſe Dominicanis cum Ieſuitis aut controuerſiam de hoc puncto, an Deus ſimpliciter cognoſcat iſta obiecta conditionata futura? ſed an Deus cognoſcat illa certo & infallibiliter ante decretum ſuum*, oppoſitum huius dicti (quod & nos aſſeruimus ſupra, libro hoc 7. q. 1. ar. 3.) ſic ipſe probare contendit, tum quia Ledeſma & Nauarrete Dominicani, & Cabrera Hieronymianus, qui ſupponuntur Thomiſtæ, noluerunt pro conditionatorum præſcientia admittere decreta obiectiue conditionata, & cum profecto neque in præſentia æternitatis, vt futura abſoluta, cognoſci hæc futura conditionata aſſerere potuerint, nec ſcientiam mediam admiſerint, quam improbabant, remanet à ſufficienti diuiſione iſtos non conceſſiſſe Deo certam aliquam, ſed ſolum obiectiue probabilem, conditionatorum cognitionem, præter Cabezudo & Ripam, qui licet expreſſe decreta obiectiua conditionata non reprobent, neque eorundem tamen alicubi meminerunt; tum quia Salmanticenſes Excalceati tract. 3. de ſcientia diſp. 8. dub. 2. id aperte teſtantur his verbis. *Prima Sententia aſſerit, quod iuxta Scripturam Sacram Deus non cognoſcit prædicta certitudine futura conditionata, de quibus loquimur. Ita Ledeſma lib. de auxilijs diſp. 2. fol. 582. & alij ex iunioribus Thomiſtis*, & de Nauarrete nominatim pariter id atteſtatur noſter Gonzalez diſp. 44. ſect. 2. num. 12. (præter Zumellum tom. 1. variarum in p. 1. dub. 5. repetentem, *Alios Theologos putaſſe Deum non cognoſcere futura conditionata*, quos tamen Thomiſtas eſſe non dicit.) Immo (quod maius eſt, addoque ego pro Orthega eodem) & Lemos noſter tom. 1. 2. p. tract. 5. cap.

21. ſa-

21. fatetur & ipſe Ledeſmam cum Zumello , & Cabrera , *certam conditionatorum futurorum cognitionem in Deo negauiſse , & illa cognoſci in decreto inficiatum eſse ,* præter Cabezudo , Ripam, & Blaſium Verdù , quos ſaltem concedit , *in impugnanda ſcientia media non fecisſe mentionem diuini decreti , in quo cognoſcantur ,* tum quia (vt pergit Orthega) idem ipſe Ioannes à San. Thoma eodem loco p. 1. diſp. 20. art. 1. velut ſibi contradicens ſubiungit ſtatim , *quod aliqui ex antiquis Thomiſtis non admittebant huiuſmodi decreta in Deo dari de facto ſaltem pro omnibus , quæ circa iſta conditionata fieri & multiplicari poſsunt in infinitum, ſed quæ dantur, ſolum ſunt circa aliquas veritates, quæ ad præſentem prouidentiam Dei ſpectant ; ſed neque hoc eſse ita certum , quin poſsint aliqua ſcripturæ loca exponi in ſenſu probabili ſine talibus decretis conditionatorum .* Ergo iam concedit Ioa. à S. Thoma *aliquos ex antiquis Thomiſtis,* qui decreta conditionata hoc modo non admittebant, conſequenter hoc modo negauiſſe Deo certam conditionatorum cognitionem, tum quia tandem primi illi, impugnatores ſententiæ Molinæ, inde præcipue impugnauerunt conditionatorum ſcientiam , *quod Semipelagianorum doctrina eſset, ideoque ad Inquiſitionis tribunal & Sedem Apoſtolicam detulerunt.* Sed hoc imprudenter nimis egiſſent , ſi in eo dumtaxat reprehendiſſent , quod pro iſta conditionatorum ſcientia recuſaret admittere decretum , *cum & tot Catholici ſapienteſque Theologi doctis laudatiſque ſcriptis contra Caluiniſtas & Lutheranos docerent, nullum futurum contingens & liberum à decreto Dei illud efficaciter decernente in ſui exiſtentia pendere, & nota eſset ſententia Patrum , & Magiſtri ſenten. & S. Thomæ docentium præſcientiam futuri abſolute latius præfinitione, Deique decreto, ac prædeſtinatione patere . Igitur ſcientia ipſa de conditionatis contingentibus , nihil de ea cogitantibus doctis illis viris ac primum in ſolis Semipelagianis eam legentibus &c. in cauſa fuit, ut turbarentur , ac fidei , & prædeterminationis ſuæ phyſicæ zelo, eam auerſarentur . Ergo, cum conſtet, tam ex veterum Thomiſtarum teſtimonijs propriis, aliorum Thomiſtarum etiam relationibus , quam ex Scholæ Thomiſticæ principijs , & litis cum noſtris conteſtatione , primos illos Dominicanos rei Scholaſticæ proceres ſcientiam conditionatorum contingentium Deo denegaſse &c. viderit Lector , an foliorum ſolum ſonitus , inaniſque umbra (vt Ioannes à S. Thoma aiebat) eſset in hoc triumphum de aduerſarijs à noſtris tubicinari ſeu conclamari .* Hactenus Orthega in noſtros .

Reſpondeo tamen iam nos ſatis ſupra oſtendiſſe q. 1. huius 7. libri Art. 3. etiam Ledeſmam, Cabreram, Zumellum, Nauarretem, & huiuſmodi alios (de quibus hic iterum dubitat, & noſtram Scholam accuſat) ſignatis locis conceſſiſſe certam etiam obiectiue cognitionem futurorum conditionatorum in Deo, præter priorem alteram obiectiue probabilem, vti & Io. à S. Thoma eorumdem verba diſp. 20. ar. 1. ex propoſito referebat, & expendebat, vbi etiam ex Cabezudo (quem Lemos aiebat *de Diuino decreto nihil clare dicere, videri tamen aliquando illud decretum ſupponere*) exſcribit hæc verba eiuſdem ad q. 62. de Sacramentis art. 5. dubio 2. *omnia futura conditionata, quæ non accipiuntur in vi conſequentiæ & illatiuè, ſed per quandam concomitantiam, non cadunt in ſcientia Dei, prout antecedunt decretum liberum Diuinæ voluntatis volentis bonum , aut permittentis malum .* Præter adiunctam aliam probationem à Io. de S. Tho. ex Congregatione 33. & 34. *quod ſupponebatur quod illa conditionata futura certo cognoſcebantur , & inquirebatur, an ante vel poſt decretum cognoſcerentur certo, & quod oportebat adhoc tertium venire,* ſcilicet ad idipſum, quod *tertium punctum fuiſſe* ſub articulo pro-

poſito

Digitized by Google

poſito diſputando de præſcientia conditionatorum fatetur etiam è manuſcriptis Artubalis, e Societate Ripalda diſp. 113. ſec. 12, & licet Orthega effugiat aiendo, *hiſtoriam huius authoris apocripham eſſe &c.* ſat eſt tamen pro noſtri Io. à S. Thomæ veracitate ac probatione, etiam Ripaldam laudato mox loco ex eiuſdem Arrubalis manuſcriptis confeſſum eſſe adminus, *Theologum Dominicanum facile Vaſtidæ conceſsiſſe, Deum certo & infallibiliter, & non ſolum coniecturaliter, præſcire futura conditionata*, & conſequenter ibidem non de hoc, ſed de alio puncto diſputatum eſſe, vt Io. à S. Thoma referebat. Illi ergo Thomiſtæ, qui primitus exorta Molinæ ac ſociorum ſententia (quod Deus certo futura conditionata præſciret ab intrinſeco ſine aliquo extrinſeco prædeterminatiuo Diuino) ab initio dicebant fututa conditionata contingentia ſolum coniecturaliter ſeu probabiliter obiectiue cognoſci à Deo, eo modo id de eiſdem conditionatis aſſeruerunt, quo modo de eiſdem aduerſarij loquebantur, ſcilicet ab intrinſeco &c. vti Ledeſma ab Orthega citatus intelligit de auxilijs folio 579. col. 2. ſicque verum dixerunt, neque hactenus adhuc hanc antiquorum ſententiam recentiores Thomiſtæ deſeruerunt (vt ſupra & nos ipſi tutati ſumus q. 1 art. 2.) cum quo ſtat ſimul loquendo de eiſdem conditionatis alio modo conſideratis, ſcilicet per dependentiam ab extrinſeco motiuo prædeterminante in Deo, neque illos antiquos Thomiſtas negauiſſe eorundem conditionatorum cognitionem certam in Deo, vt Io. à S. Thoma intendebat, & nos eadem qu. 1. ar. 3. latius proſequuti ſumus.

Ad primum ergo motiuum Orthegæ in contrarium, gratis admiſſo aſſumpto (quod falſum eſſe de Zumello, Cabezudo & alijs non negantibus vniuerſim decretum obiectiue conditionatum oſtendebat ibidem Io. a S. Thoma) adhuc ſequela negatur, vt enim ex propoſito vidimus q. 4. huius libri pro eiſdem, illi vtique probabiliter poterant negatis adhuc quoad aliqua conditionata decretis obiectiue conditionatis ſuſtinere certam in Deo cognitionem omnium conditionatorum iuxta ſua principia (abſcedendo ſemper à ſcientia media) ſcilicet in futuritione cõditionata, non quidem decreti, ſed actus executiui futuri, quo Deus in tempore ſub conditione facturus eſſet, vt aliquid fieret, vt late ibidem explicatum eſt, in hypotheſi ſententiæ eorundem. Quia tamen, vt poſtea ſubiunximus quæſt. 5. longe probabilius eſt, nec iſtam futuritionem conditionatam actus Diuini executiui in tempore à Deo certo præcognoſci poſſe ante decretum ſuum ſubiectiue præſens, ideò poſtea in hac probabiliori aliorum Thomiſtarum ſententia (non in illa probabili prædictorum illorum) vtique illatiue arguendo per conſequentias illatas ab aliquibus deduci potuit vel ſupponi, quod ſi illi negabant ſcientiam mediam, & ſimul non neceſſaria dicerent decreta obiectiue conditionata, viderentur ex conſequenti debere concedere ſolam cognitionem obiectiue probabilem conditionatorum contingentium in Deo.

Ad ſecundum inde motiuum ex teſtimonio deſumptum, tum Salmanticenſium, tum etiam Lemos, & aliorum huiuſmodi, ex modo dictis facillimè reſpondemus, hos vtique poſteriores Thomiſtas in hypotheſi ſua, quod negata ſcientia media, & negatis ſimul decretis obiectiue conditionatis, nequeant futura conditionata cognoſci, niſi obiectiue coniecturaliter ſeu probabiliter, propterea intuliſſe vel ſuppoſuiſſe anteriores quoſdam alios negantes cum

ſcientia media etiam decreta circa aliqua conditionata ſaltem conceſſiſſe, dumtaxat cognitionem conditionatorum in Deo obiectiue probabilem, cum quo ſtat abſolute illos in ſua illa altera hypotheſi ſatis probabili explicata ſuperius q. 4. hoc non obſtante potuiſſe, & à ſcientia media recedere, & in futuritione conditionata actus executiui Diuini in tempore futuri ſuſtinere præcognoſci certò actus omnes noſtros conditionatè futuros.

Ad tertium motiuum pro abſoluendo Ioanne à S. Thoma à ſibi imputata contradictione ſufficeret illos antiquos Thomiſtas conceſſiſſe certam cognitionem, vti & decreta, circa futura conditionata ſaltem, vel reuelata in ſcriptura, vel ſpectantia ad præſentem prouidentiam, negauiſſe vero circa alia cōditionata non ſic ſe habentia, ſeu pertinentia etiam ad ordinem rerum poſſibilium, *in quo* (inquit ſtatim ibidem poſt recitata verba idem Io. à S. Thoma) *non eſt multum immorandum, cum non fuerit vnquam hoc punctum controuerſiæ de ſcientia media*, vt repetit etiam ar. 2. eiuſdem diſputationis vigeſimæ verſu *Alterum quod ſupponimus &c.* & fuſius circa finem eiuſdem articuli 2. verſu. *ad ſecundam probationem de infinitis decretis &c.* Attamen iuxta mox explicata à nobis, nec indiget auctor hic ſapientiſſimus hac ſolutione, cum bene ſtet *in ſenſu probabili aliqua Scripturæ loca exponi poſſe ſine talibus decretis cōditionatorum*, idest in probabili hypotheſi, quod certo adhuc cognoſci queant actus noſtri conditionate futuri in futuritione conditionata actus executiui Diuini, vt præuidit & Lemos tom. 1. tract. 5. cap. 22. ſic referens, *dicunt quod hoc modo illa futura certo cognoſcuntur à Deo per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quia per illam Deus ſuam voluntatem comprehendit, in qua comprehenſione certo cognoſcit in quam partem ſua voluntas eſſet inclinatura, ſi talis conditio apponeretur &c*; & licet ibidem ſubiungat oppoſitum eſſe probabilius (vti & nos quæſtione 5. art. 1. probauimus) ſat eſt tamen eiſdem (quos ibidem *ex S. Thomæ diſcipulis eſſe*, dicebat) hanc hypotheſim probabilem viſam eſſe, vt probabiliter adhuc procedentes, & a ſcientia media recederent, & certam ſimul omnium conditionatorum cognitionem in Deo ſuſtinerent; in eoque ſimul vnanimes omnes Thomiſtæ omnino conuenirent, nullo modo futura conditionata noſtra contingentia ab intrinſeco ſumpta de ſe certo cognoſci poſſe (vt aduerſarij volebant) ſed ſolum ut determinata ab extrinſeco motiuo Diuino, ſiue poſtea hoc eſſet intrinſeca futuritio conditionata actus executiui Diuini in tempore (vt probabiliter pauci illi dicebant) ſiue decretum obiectiue conditionatum, vt probabilius Lemos & Aluarez ceterique deinde ex ſolidiori S. Thomę & aliorum Doctorum doctrina id colligentes ſedulo decreuerunt.

Ad quartum motiuum, licet non noſtri fuerint *primi illi impugnatores ſcientiæ mediæ*, ſed Louanienſes & Duaceni, vt ſupra probauimus lib. 6. q. 5. ar. 2. nu. 17, prætermiſſa tamen maiori, negatur *imprudenter nimis egiſſe eos, qui ab initio de ſcientia media dubitarunt, an Semipelagianis affinis eſſet*, ob negatum prædeterminatiuum primum motiuum in Deo, ex quo conſequi videbatur, vnam voluntatem præ altera poſſe ſe ab alia diſcernere per ſe ipſam, inchoareque primum initium exercitæ vocationis, & huiuſmodi quædam alia conſectaria ſequi, quæ certum erat Semipelagianis principia communia fuiſſe, vti & nunc Thomiſtæ repetunt, & nos ſupra lib. 6. q. 2. ar. 2. abunde ſatis aſſerebamus, nec verum eſt ſcientiam mediam à noſtris nullibi antea lectam eſſe, cum ab

initio Orbis incępiſſe, & in Chryſippo & alijs perdurauiſſe, eadē à nobis qu. ar. 1. monſtratum ſit, nec minus falſum eſt, & ante Molinam plures alios Catholicos contra Lutherum, & Caluinum negauiſſe decreta Diuina etiam circa futura abſoluta, cum immo & modo Societatis Theologi, etiamſi Dei decreta negent circa futura conditionata, ea tamē circa abſolutè futura concedāt. Euaneſcunt igitur ſingulæ quo ad hoc Orthegæ obiectiones, adeo vt videas, Lector, quam merito Ioannes à S. Thom. conqueſtus ſit de Alarcone è Societate, qui omnium primus, ante Petrum à S. Ioſeph & alios quoſdam cum Molina ſentientes, diſp. 4. cap. 4. num. 4. inconſtantiæ in hoc Scholam noſtram criminabatur, atque triumphum ſuæ Scholæ canebat, & quam falſo Orthega in præſenti concludat: *Certè noſtri præ modeſtia ſua nihil horum præſtiterunt &c. non defuere tamen ex alijs,* (ſcilicet Petrus à S. Ioſeph, quem ſtatim citat, non videas Alarcone poſteriorem) *qui hanc noſtrorum de hac in re aduerſarijs non inani foliorum ſonitu, ſed fauſtis acclamationibus victoriam celebrauerint.* Hæc ille, quæ ex dictis refutata manent.

Obijcit ſecundò idem Orthega ab auctoritate Theologorum pro ſententiâ Molinæ, & contra Thomiſticam præſcientiā noſtram propoſito innixam, tum in eadem controu. 2. diſp. 6. q. 1. Certamine 1, tum fuſius con. 3. diſp. 1. q. 4. ferme per totum, tum q. 5. certamine 3. per integrum, tum iterum quæſt. 6. per bene quinque certamina, exaggerando vbique ferè hæc repetita motiua, tum quia antiqui pleriquc Scholaſtici ante Molinam, ne dum extranei, ſed noſtri ignota habuerunt decreta obiectione conditionata, in quibus poſt Bannez, & Aluarez, ſubſequentes noſtri contra Molinam aſſeruerunt conditionata futura cognoſci, adeo ut Aluarez ipſe videatur Orthegæ idipſum fateri, dum lib. 1. Reſponſionum cap. 5. num. 26. inquit. *Scholaſtici antiqui nihil omnino de ſcientia ſub conditione diſputarunt, aut meminerunt: vnde non mirum, quod nullam fecerint mentionem Diuini decreti conditionati, in quo infallibilitas futurorum conditionatorum innititur,* tum quia ex Dominicanis, præter Io. Vincentium Franciſcum de Hrauio, & Gonzalez (qui licet præmotionem phyſicam negent, præmotionem tamen moralem ab intrinſeco efficacem aſtruant contra ſcientiam mediam) plurimi alij Thomiſtæ negarunt concurſum præuium Dei in voluntatem, quos numerat diſp. 1. q. 5. certam. 3. num. 3. & 12, adeo ut poſtea q. 6. certam. 5. non dubitet ſe habere pro ſuis, *ex Thomiſtica Schola & Dominicana non minus quadraginta quatuor* (omiſſis quæ de Schola Thomiſtica inter ſuos velut ſinceriori, quam inter noſtros, effundit exſcripta è proſcripto libro Pauli Hiberni, q. 5. certam. 4. de quibus vide ſcripta ſuperius à nobis lib. 2. q. vltima art. 1. & 2.) tum quia, vt late ex eodem damnato libro tranſcribit per totam quæſtionem quartam, tempore Romanæ diſputationis contra Molinam excitatæ plerçque Orbis litterarij Academiæ votis aut epiſtolis Molinæ Sententiæ, ne Romæ damnaretur, ſuffragatæ ſunt, tum quia, vt habet eadem cont. 3. diſp. 1. q. 4. certam. 3. ante num. 4, *longe maior approbatio eſt accuſatum abſolui*, vt contigit Romæ ſententiæ Molinæ, quæ de Semipelagianiſmo accuſabatur, *quam non damnari non accuſatum*, vti Thomiſtica nec accuſata tunc fuerat, nec inde damnata de Caluiniſmo, præter alia vaniora, quæ habet eodem certam. 3. num. 1. contra quædam verba Ledeſmæ ex teſtimonio Cardinalis Madrutij recitata, quem Ledeſmam alibi pro ſuis etiam re-

ferebat &c. tum quia, vt animoſius addit quæſtione 3. in fine de diſputatione & cenſura prohibita à Paulo V. in alterutram ſententiam alterutrius Scholæ, *cum id*, inquit, *vtriuſque opinionis doctoribus, quouſque aliter de hac re à Sede Apoſtolica ſtatueretur, ſolummodo prohibitum ſit, atque his Pontificijs decretis*, ſcilicet Innocentij X. & Alexandri VII. aduerſus Ianſenium, vt mox præmiſerat, *præfato examine, & diſputationibus præmiſſis de prædefinitionibus Thomiſticis prædeterminatiuis, ac prædeterminationibus phyſicis, ſeu auxilijs de ſeſe efficacibus actum videatur, forſan alicui, non omnino abſre, prohibitionem illam*, ſcilicet Pauli V. prænominatam ab eodem, *pro noſtræ ſententiæ, ideſt Societatis Doctoribus, ceſſaſſe videbitur*, hæc interpres egregius pro ſuis, & contra noſtros hucuſque.

Reſpondeo tamen mirum eſſe hunc, & huiuſmodi alios, pro Molina contendere ſcientiam mediam Molinæ de infallibilitate & præſciencia futurorum conditionatorum ab intrinſeco ſine aliquo extrinſeco prædeterminatiuo, ſeu motiuo in Deo, antiquorum Scholaſticorum fuiſſe, & ante Molinam, tantamque ex alijs Theologis auctoritatem præhabuiſſe, dum immo Molina in Antuerpienſi ſui operis editione conceptis verbis confeſſus eſt, ignotam Auguſtino, à ſeque primum inuentam fuiſſe, ac inter alia ad quæſtionem 23. art. 4. & 5. diſp. 1. membro vltimo de eadem ſua ſcientia media ſic ſcripſit, *hæc à nemine, quem viderim, hucuſque tradita eſt*, idque ferme ſimiliter confeſſi ſunt Fonſeca q. 6. Metaphyſ. ſect. 6. & Vaſquez p. 1. q. 14. diſp. 67. in fine, adeo ut mirum iterum ſit Orthegam eundem, vt iſta effugeret, vel deluderet potius imperitiores, reſpondere controu. 2. diſp. 6. q. 1. certam. 5. num. 8. *Molinam dixiſſe ſolum non fuiſſe ab Auguſtino omnia eius ſcientiæ mediæ fundamenta & circumſtantias explicatas, Fonſecamque & Vaſquez ſolum aſſeruiſſe de nomine ſcientiæ mediæ inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ & viſionis, agnitum priſcis non fuiſſe.* Hæc ipſe Orthega, qui ſi eadem fide recenſeat exaggerata teſtimonia Doctorum pro ſuis, qua fide manifeſta hæc in contrarium Molinæ, Fonſecæ, & Vaſquez verba adulterat ac ſubuertit (vt à nobis ſupra etiam recitata lib. 6. q. 1. art. 1. legenti patebit, ſimul & Fonſecam & Vaſquez ibidem, qui de quæſtione de re, & nedum de nomine diſputabant) poterit æquus Lector iudicare, quam minus eidem tot minus nota & manuſcripta tantum teſtimonia referenti, olimque damnata in proſcripto Pauli Hiberni opere, fidendum ſit. Nec ſane huic ſcriptori novum eſt damnatos libros in auctoritatem adducere (cuius vitij inculpabat ipſe Io. à S. Th. noſtrum, & ſapientiſſimos Patres Salmanticenſes Excalceatos, tum pag. 227, tum 469, & alibi) dum immo inter venerandos, vt laudat ipſe, Doctores noſtræ Scholæ in re præſenti contrarios, repetitis vicibus numerat nominatim, nedum Ludouicum Dolam pag. 497, cuius erroneum librum omnes ſciunt damnatum eſſe, vel Ferdinandum alibi ſæpe, cuius pariter opus iam ſuo tempore proſcriptum referebat Lemos to. 1. pag. 129, vel Paulum Hibernum paſſim, & alios huiuſmodi furfuris libros, verum etiam, quod mirabilius eſt, pag. 452, velut Auguſtiniani Scriptoris recenſet ac laudat infame opuſculum inſcriptum, *Religio beſtiarum*, tanquam ex recenti vulgata Bibliotheca neſciret, cuiuſnam verè illud opus extiterit, ne adeo probroſum fœtum Sanctiſſimæ Auguſtinianorum Religioni contra nos Auguſtini ſequaces per repetitam calumniam affingeret. Sed hæc prætereamus, & illa ſimul, quæ habet pag. 483. contra nos velut præſumentes (de quo lib. 2.

quæſt. vltima art. 1. ad poſtremum reſpondimus) *ſtramineam tunicam albam, & nigrum pallium, & bardo cucullum ad interpretandum S. Thomam claues intelligentiæ donare*. Ad rem veniamus, eiuſque motiua ſoluamus.

Ad primum ergo: hæc ſunt noſtri Aluarez verba (non vt truncat fraudolenter obijciens) *vt multi ex defenſoribus ſcientiæ mediæ cap. 1. num. 24. allegati fatentur, Scholaſtici antiqui nihil omnino de hac ſcientia ſub condition: diſputauerunt aut meminerunt: Vnde non mirum, quod nullam fecerint mentionem decreti Diuini conditionati* (en ad hominem arguit ex aduerſariorum relatione: addit tamen cõtinuo.) *Nihilominus ex his, quæ docent de ſcientia Dei abſoluta comparatione futurorum abſolutorum &c. colligitur per euidentem conſequentiam, quod ſicut antecedenter ad liberum decretum &c. nullus actus liber eſt certa ſcientia cognoſcibilis vel futurus abſolute, ita proportionaliter niſi præſupponatur in Deo decretum conditionatum ex parte obiecti voliti &c. non eſt ſcibile etiam à Deo quiſnam actus determinatus ſit futurus ex hypotheſi prædicta*, vt repetit hanc rationem & Lemos tom. 1. par. 2. tract. 5. cap. 34. & vterque ſimul ibidem ſignatis locis, exſcriptiſque verbis, oſtendunt eos omnes Scholaſticos, ne dum noſtros, ſed extraneos ante Molinam, & plures poſt ipſum, (quos aduerſarij pro ſe referebant) noſtræ immo Sententiæ ſuffragatos eſſe, iterumque ſingulos excurrit Lemos tom. 4. p. 2. tract. 4. cap. 33. & 34. & alibi, & repetunt fuſius Salmanticenſes Excalceati tom. 6. tract. 14. diſp. 7. dub. 4. adeo vt Orthega, ſi huius contrarium oſtendere voluiſſet, debuiſſet non repetere tantum reſcripta ex Suarez aut alijs oppoſita nobis Scholaſticorum loca, ſed iam datas à prædictis noſtris reſponſiones impetere, & eorundem pro nobis expenſiones impugnare, præter alias reſponſiones, quas mox ſubiungimus ad Accademiarum teſtimonia adoptandas & hic.

Ad ſecundum de quibuſdam noſtris velut negantibus concurſum præuium, iam diù reſpondit ex profeſſo idem Lemos tom. 3. tract. 1. cap. 15. & ſequentibus vſque ad 19. oſtendens ſingulos, qui ab aduerſarijs referuntur, falsò afferri, nulloſque eorum vere & in re concurſum præuium Thomiſticum negauiſſe, vt quoad hoc neque nobis in præſenti vlterius laborandum ſit, neque Orthegæ, ſi ſoluta tantum repetere poterat, eadem repetenda fuiſſent, dum plane nil aliud de recenti addit, niſi quoſdam vel fictos, vel certe impreſſis libris ignotos, *vt Auguſtinum Ruſsum Panormitanum & Patrem Foreſtum eiuſdem ſocium*, & alios pleroſque, quos loco præcipuo, quo de hac re agit, congeſſit, ſcilicet pag. 482. num. 12. Præter hæc tamen, non inutile erit hic admonere Lectorem, aliud eſſe ſic ponere concurſum præuium, vt Deus prius natura, quam cauſa ſecunda, actum attingat, & velut eliciat ipſam creaturæ operationem, aliud, vt prius influat in cauſam ipſam ſecundam, efficiatque vt cauſa ſecunda operetur, p: falſum eſt vt Caietanus ritè diſtinxit p. 1. q. 19. ar. 8. verſus finem, & primo modo negat ibi, & bene Caietanus concurſum præuium non vero ſecundo modo. Rurſus hoc ſecundo modo adhuc dupliciter concurſus præuius poni poteſt, primo, vt qualitas quædam, ſecundo vt motio virtuoſa, vt pariter Caietanus vocat, & primo modo adhuc negarunt aliqui noſtri Thomiſtæ concurſum præuium (ex S. Thoma q. 3. de potentia art. 7. ad 7.) non vero ſecundo modo. Iterum hoc ſecundo modo dupliciter adhuc, vno modo, ita vt concurſus præuius ſpectet completiue intrinſecè ad lineam actus primi veluti tribuens complete intrinſece poſſe in actu primo, alio modo vt

dicatur

dicatur ſolum extrinſecum complementum actus primi, intrinſecè vero reductiue ſaltem ſit de linea actus ſecundi, vt fieri actiuum operationis, primo modo vtique deſtruere videretur rationem gratię ſufficientis, in hocque aberrauit Ianſenius, vt norat etiam Annatus in informatione pag. 40. non vero ſecundo modo, ideoque primo modo noſtri Thomiſtę negauerunt concurſum præuium, non vero ſecundo modo. Rurſus hoc ſecundo modo adhuc dupliciter, vno modo vt præcisè eſt motio cauſę prioris, vt ſit ad agendum vt ſic, alio modo vt eſt motio cauſę vniuerſaliſſimę, ne dum ad agere, ſed ad talem etiam modum agendi ſcilicet libere, primo modo adhuc aberrauit Caluinus, vt ſupra vidimus q. 3. ar. 2, ideoque ſic pręciſe ſumptum concurſum pręuium quidam Thomiſtæ negauerunt, non vero ſecundo modo. Demum hoc ſecundo modo aliud eſt quoad quæſtionem de nomine negare hanc realem pręmotionem debere dici prædeterminationem phyſicam, aliud quo ad rem ſic ſignificatam realem &c. Primo modo aliqui negauerunt, non ſecundo. Vide ergo, quot modis aliqui (quos iactat Orthega, ne dum ex noſtris, verum etiam ex extraneis) negare potuerint concurſum pręuium, & tamen ritè acceptum, ut accipiunt Thomiſtę, nemo profectò ex noſtris Thomiſtis vnquam negarit eundem, etiam admiſſo gratis, quod Orthega in referendo ſit verax, quem ſane Lectorem deludere ſtuduiſſe ex hoc vno conuincitur, quod ne dum controu. 3. diſp. 1. q. 6. cert. 5. num. 5. noſtrum Martinez à Prado ſupponit negauiſſe prędeterminationes, cuius tot edita opera huius falſitatem conuincunt, verum & eadem contr. 3. diſp. 1. q. 5. certam. 3. ante num. 4. ſic habet. *Et Magiſter Lemos, alter ſcilicet phyſicarum prædeterminationum Dominicanus Romæ Propugnator, eas nihilominus contra S. Thomam eſſe publicè ibi docuiſſe fertur.* Hęc ab Orthega ſcripta de Lemos, (cuius iam extabant ſcripta in Bibliotheca Vaticana, & modo leguntur impreſſa, in quibus, nedum per tranſennam vbique integro opere phyſicam prędeterminationem ſupponit, verum & tom. 3. tractatum primum per totum & ex propoſito de defenſione *concurſus præuij* inſcriptum habet) hęc, inquam, ab Orthega ſcripta non credidiſſem, niſi legiſſem, vel niſi adminus ſimul antea audiuiſſem (vt iſte id vertit in Lemos de abiurata phyſica prędeterminatione, quod Prado & alij de Vaſtida, abdicante iam à ſe propugnatam Romę ſcientiam mediam retulerunt, neque Ouiedo inficiari potuit) ita & alios in Scholis detorquere conatos eſſe in eundem Lemos noſtrum Pontificiam obiurgationem de falſo relato Auguſtini textu, quam planè Valentię contigiſſe ſciebant. Sic dolus vincat an virtus aliquibus in cura non eſt.

Ad tertium, licet ea omnia Accademiarum, & huiuſmodi teſtimonia primitus à Paulo Hiberno vulgata, & nunc ab Orthega tranſcripta, in damnatione eiuſdem libri proſcripta ſimul vt falſa vel de falſitate ſuſpecta videri queant, adeout ſi Orthega legiſſet ad hęc omnia reſponſiones, immò retorſiones pro nobis in noſtro Lemos tom. 1. 2. p. tract. 5. cap. 35. & tomo 4. p. 2. tract. 4. cap. 34. num. 600. vel iſta repetere dimiſiſſet, vel potiora ſaltem reponere debuiſſet. Quidquid tamen ſit de veritate ſuppoſiti, audiat quot reſponſiones facillimè pręſto ſunt, quas ſimul ad primum motiuum de Scholaſticis adhibere licebit. Primo, ſi verum eſt, vt mox ante cum ſuis contendebat Orthega, tempore diſputationis Romanæ ſuppoſitum, ſeu potius ab aduerſarijs effictum

fuiſ-

fuiſſe rumorem in Orbem litterarium, Dominicanos tunc in hoc fuiſſe ſcientiæ mediæ Molinæ aduerſatos, quod Molina contenderet conditionatorum etiam contingentium futurorum præſcientiam in Deo certam admittendam eſſe, Dominicani vero dumtaxat obiectiue probabilem concederent, certamque negarẽt, Profeſſores illi Vniuerſitatum, alijque exaggerati Doctores, quos ſuffragatos eſſe Molinæ ſupponit Orthega, nil aliud inde approbaſſent, quam quod in re (vt vidimus, non obſtante ſuppoſito falſo rumore prædicto) & Dominicani noſtri tunc concedebant, denuoque concedunt, ſcilicet certam conditionatorum præſcientiam, nec aliquid inde ex eiſdem contra nos inferri valebit; quod idem à fortiori de Scholaſticis Molina prioribus, quos falſo pro ſe condenſat Orthega, repetendum eſt. Secundo gratis adhuc admiſſo prædictos patrocinatos Molinæ fuiſſe, etiam quatenus certam conditionatorum præſcientiam independenter à decreto obiectiue conditionato intendebat (in quo vtique in re eidem tunc noſtri contrarij erant) quis ſcit, an ijdem Profeſſores alijque recitati Doctores, ſic admitterent ſine decreto præſcientiã cõditionatorum, vt eam tamen adhuc aliunde ex futuritione conditionata actus executiui Diuini in tempore regularent? vti opinatos eſſe tunc temporis & quoſdam noſtros iam ſupra vidimus quæſtione 4. huius libri, abſque eo, quod ſcientia media daretur. Tertio permiſſo iterum eoſdem illos Profeſſores cenſuiſſe à cenſura immunem atque probabilem etiam ſcientiam mediam vt talem, independenter à quocunque extrinſeco motiuo in Deo, numquid non potuerunt illam opinari probabiliter ſine cenſura defenſabilem, & tamen agnoſcere ſimul noſtram probabiliorem eſſe? vti reſpondet & Lemos loco laudato de Saguntina Vniuerſitate *duos Doctores ſolos ſubſcribentes* pro Molina, *licet Molinæ propoſitiones excuſare nitentes, illas tamen non approbaſſe:* vnde in hoc ſenſu ex tot quæſitis Vniuerſitatum patrocinijs, quæ Orthega conglomerat, habetur potius, vt certum, quam iuſtè à Molinæ propugnatoribus Romæ deferenda in eiuſdem Sententiam Pontificia cenſura tunc timeretur. Quarto tandem dato, & non conceſſo, tot illas in Orbe Chriſtiano Vniuerſitates approbauiſſe ſcientiam mediam, vt à Molina defendebatur (quem ſuo nomine nuncupabant) etiam vt probabiliorem, inquiro, cur ergo eam vt à Molina per ſupercomprehenſionem, & non alio modo, defenſam ijdem poſtea Societatis Theologi dereliquerunt, recurrentes ad obiectiuam veritatem, aut alios explicandi modos, (quos numero ſeptem agnoſcit idem Orthega inter ſuos con. 2. diſp. 7. q. 3. cer. 3.) improbata modo communiter explicatione Molinæ? Inquiro rurſus, cur de libro Molinæ iuſſa eſt integra ac prolixa periodus pro ſua ſcientia media irreuerentior in Auguſtinum expungi, ſi ex tot iactatis teſtimonijs præſumebatur nihil in Molinæ Opere ſpongia indigens inueniri. Ad quid ergo (& ſi vera ea ſuppoſita omnia teſtimonia eſſent, quæ Lemos falſa eſse monſtrabat cap. 35. citato per totum) ad quid iuvarent adhuc pro probabilitate maiori præſentis pro ſcientia media explicationis, de qua explicatione nil ibi, ſed ſolum de alia Molinæ, præſuppoſita teſtimonia procedebant?

Ad quartum, niſi reſponſionis modeſtia me detineret, audacia ſane argumenti ad alia quædam reponenda me prouocaret: Sed breuis eſto reſponſio, nunquam de Thomiſtarum ſententia dubitatum eſse, an in hac re aliquid cõ-

tra fidem doceret (niſi ab his, vt ſupra vidimus ex Ripalda, qui vt ſe defenderent, alios poſtea vel contra conſcientiam accuſare cœperunt) ideoque nec fuiſſe pro examine Apoſtolicæ Sedi delatam, vti à Louanienſibus & Duacenis primum (non à noſtris) altera Molinæ delata fuit, ideoque eo potiori iure noſtra commendabilis eſt, quod nec examine indiguiſſe reputata fuit, & cum Auguſtino ſimul Thomæ *tutiſsima inconcuſſaque dogmata* (vt ſummus Pontifex Alexander VII. poſt Ianſeniſmi etiam damnationem decreuit) *noui præconij commendatione non indigere* iudicata ſunt.

Ad quintum tandem, licet ad alios ſuperiores iudices potius, quam ad nos, ſpectet, de imprudenti (ne quid amplius dicam) Orthegæ iudicio iudicare, non difficilè tamen hoc ipſum reprobari poteſt, tum quia poſt eas adhuc Innocentij, & Alexandri pontificias definitiones in Ianſeniſmum, ob præexplicata diſcrimina (vt vidimus quæſtione 4. libri 6.) diſtinctam noſtram, cum S. Thoma ſententiam *inconcuſſam* remanſiſſe editis etiam ab Apoſtolica Sede reſcriptis declaratum eſt, tum quia non minus (ne dicam, magis) noſtra ſententia recedit à Caluiniſmo ſimul ac Ianſeniſmo, vt ibidem vidimus, quam aduerſariorum ſententia conetur abſcedere à Semipelagianiſmo, ex ſupra perpenſis lib. 6. q. 2. Sed non obſtante, quod ne dum à tempore D Auguſtini vſque ad ſubſequentia tot ſæcula, verum etiam à tempore Innocentij aut Alexandri VII, ſemper licuerit impugnare Semipelagianiſmum, non concedunt adhuc aduerſarij ceſſauiſſe Pauli V. prohibitionem, ne Molinæ præſcientia cum cenſuræ nota impugnetur, Ergo à fortiori non obſtante, quod ſolum à tempore Innocentij X. aut Alexandri VII. licuerit impugnare cum nota cenſuræ Ianſeniſmum, inſipienter aliquis arbitratur, ceſſauiſſe eandem Pauli V. prohibitionem, ne Thomiſtica noſtra præſcientia cum nota cenſuræ impugnaretur, tum quia demum, vt dixi, de noſtra ſaltem (vti de aduerſa) nunquam Apoſtolica Sedes dubitauit, aut cenſuit eam examine indigere &c. Sed quia, his non obſtantibus, audet Orthega, ne dum opinari ſic licitum eſſe, noſtram cum cenſura improbare ſententiam, verum etiam reipſa eandem in ſubſequentibus criminatur, ideo & de hoc ipſo in ſequenti obiectiones eiuſdem audiendæ ſunt.

ARTICVLVS II.

Orthegæ obiectiones ſoluuntur.
De confuſo nobiſcum Caluiniſmo aut Ianſeniſmo.

I*Nnumera Caluini & aſſeclarum teſtimonia* (inquit Orthega contr. 2. diſp. 7. q. 3. certamine 4. num. 4.) *ſuum de prædefinitionibus errorem tradentium, tuentiumque, adeo terminis Thomiſtarum pro ſuis prædefinitionibus explicandis ac tuendis conſona ſunt, vt mirum ſit Catholicos Patres,* ſcilicet Dominicanos, *certe animo, forſan & ſententia, adeo voce ſaltem tenus, illorum erroribus conuenire.* Sic profuſus iſte noſtræ Scholæ encomiaſtes, vti & fere repetit cont. 3. diſp. 1, q. 3. certam. 3. num. 5. de hæreſi Caluini & Thomiſtarum explicatione dicens, *in hactenus aſſignatis explicationibus nullum vtriuſque diſcrimen ſubſiſtere videtur,* & certamine 5. num. 1. (quod impudentius eſt) poſt recitatam (vt repetit etiam pag. 459.) ex Wiclefo, Luthero, & Caluino hanc plane hæreticam propoſitionem, *omnia*

de

de neceſsitate abſoluta eueniunt, non veretur per ſupremam calumniam, nec verecundatur ſubiungere, *hanc eandem eſſe ſuam fatentur Thomiſtæ*, inde poſtmodum num. 5. non mirus nos cum Ianſeniſmo confundens, poſt exſcripta diplomata in quinque Ianſenij propoſitiones, *hæ vero*, inquit, *Pontificiæ definitiones & ſingulæ, Thomiſticas æque atque Lutheranas & Caluinianas prædefinitiones damnare videntur*, ideoque in fine eiuſdem certaminis, *his Pontificijs*, ait, & concludit, *definitionibus præfato examine & diſputationibus præmiſsis*, ſcilicet circa Ianſenium, *de prædefinitionibus Thomiſticis prædeterminatiuis, & phyſicis prædeterminationibus, ſeu auxilijs de ſeſe efficacibus, actum videtur*, repetitque ſimilia pagina immediate ſequenti 460. & 442. & 589, & paſſim alibi, adeo frequenter, vt immunia tot iurgia potius quam argumenta & me tæderet exſcribere, & te forſan, Lector, nimis puderet audire.

Obijcit tamen 1. contra Thomiſticas prædefinitiones, ab initio controu. 3. (vt ad has ſuas tam impudentes, calumniaque plenas, cenſurarum notas imperitum, improuidumve Lectorem deduceret aut implanaret) tum quia hominem & ab initio fuiſſe & nunc eſſe arbitrij liberi cum poteſtate abſolute indifferenti ad vtramque contradictionis & contrarietatis partem, conueniunt ſcripturæ, quas congerit q. 1. certam. 2, 3, 4, & 5, ſimul & Patres, quos exſcribit q. 2. Certamine 1. 2. & præſertim tertio, vbi refert Patres excludentes *neceſsitatem abſolutam ad vnum*, tum quia ſecundo, ex Patribus recitatis certamine 4. *neceſsitas natura præcedens libertati repugnat*, quam Anſelmus etiam cum alijs Patribus *neceſsitatem abſolutam* vocat ſeu ſimpliciter talem. Sed, vt ſubſumit certamine 5, prædefinitio Thomiſtica importat neceſſitatem natura antecedétem operationem noſtram, non conſequentem ad ipſam. Ergo repugnat libertati, cui & prędictę hęreſes repugnabant, tum quia tertio, vt ibidē proſequitur num. 12. & 14, ſicut prædefinitio Thomiſtica dicitur à Thomiſtis habere ſimul pro termino vel effectu connexo operationem noſtram, ita & fatum ſaltem Catholicum (quod ſimul à Patribus improbatum eſſe ſupponit Orthega) habebat pro termino vel effectu operationes noſtras, & ſicut hinc modo Thomiſtæ reſpondent non omnem neceſſitatem natura antecedentem (excipiendo ſcilicet eam, quæ ſic habeat pro termino operationem noſtram) deſtruere libertatem, ita & *de ſua neceſsitate fatali Ethnici reſpondere potuiſſent*. Sed hoc non obſtante Patres, tum Ethnicum, tum *Catholicum fatum*, improbauerunt ex ratione vniuerſali *neceſsitatis antecèdentis vt ſic*, quæ à noſtra operatione dependens non ſit, ſeu quæ non ſit *neceſsitas conſequens*, Ergo pariter non obſtante explicatione, aut reſponſione Thomiſtarum, prædefinitio Thomiſtica reprobata ex Patribus manet, velut deſtruens cum Caluino & Ianſenio libertatem, ad quam argumenti vim reducuntur alibi inferius repetita ab eodem q. 7. per multiplicata verborum Sophiſmata, quæ toties à noſtris enodata ſunt; tum quia 4. ſi dicatur hæreticos non in antecedente aſſumpto, ſed in illatione & conſequentia errauiſſe, neſcientes rite adhibere eam diſtinctionem ſenſus compoſiti & diuiſi, obſtat, quod immo hoc eſt Thomiſtas inconſequēter philoſophari, nec in re veritatem defendere, vnde, vt refert ipſe Ortega pag. 444. in re præſenti Lutherani & Caluiniſtæ prouerbij loco iactare feruntur, *ſe quidem meliores Dominicanis prædefinitoribus & prædeterminatoribus philoſophos eſſe, etſi Dominicani forte ſint Theologis ſuis præſtantiores*, & hac de cauſa velut

agno-

Digitized by Google

agnoſcens hanc inconſequentiam Ioannes Vincentius Dominicanus (vt ſubdit pag. 445.) teſte Ledeſma art. 14. aiebat, *quod diſtinctio ſenſus compoſiti & diuiſi in hac parte leuiſſima eſt, tota enim conſiſtit in verbis*, vti & contra eandem diſtinctionem confundens noſtros cum praua explicatione Caluini idem Orthega proſequitur infra pag. 507; tum quinto, quia nedum *inter Thomiſticas ſolutiones* (vt ipſe loquitur pag. 442.) *prima eſt &c. ſolam libertatem à coactione definitam eſſe contra Caluinum*, non à neceſſitate, cum tamen; vt probat, etiam Caluinus *libertatem à coactione conceſſerit*, verum & hæretici ipſi Caluiniſtæ fatentur ſe cum Thomiſtis conuenire in hac parte, vt ipſe Orthega eadem diſp. 1. q. 3. certam. 3. recitata iam ab Annato teſtimonia reſcribit, tum 6. demũ, quia (vt arguit pag. 459.) ex definitionibus Innocentij X. & Alexandri VII, libertas correquiſita ad merendum aut demerendum etiam in hoc ſtatu naturæ lapſæ debeat eſſe libertas, nedum *à coactione*, verum etiam *à neceſſitate*, ideſt immunis à neceſſitate vt ſic, & negans exinde quamcunque neceſſitatem, & ne dum aliquam, non vero aliam, ſicut immunitas à vectigalibus negat ſubiectionem ne dum ad hoc vectigal vel illud, ſed ad omnia vectigalia vt ſic. Sed libertas Thomiſtica iam ſubiecta neceſſitati antecedenti prædefinitionis & prædeterminationis Diuinæ, non eſt immunis ab omni neceſſitate ſed ſolum ab hac vel illa, Ergo, *& ſi aliæ plures neceſſitates ad operandum diuerſæ à neceſſitate coactionis aſſignari & intelligi poſſint, ſi vel ab vna illarum non ſit libertas, libertas abſolute a neceſſitate non erit*, nec vere libertas erit.

Reſpondeo diffusè adeò nos lib. 6. q. 3. & 4. aſſignauiſſe diſcrimina inter Thomiſtarum ſententiam ex vna parte, & Caluinianum errorem aut Ianſenianum ex alia, ibique calumnias, quæ olim omnino eædem à Iuliano Pelagiano Sanctiſſimo Patriarchæ Auguſtino imponebantur in hac ipſa re de affinitate cum Manichæis, vti & modo nobis ſimili omnino modo, ex eiſdemque principijs denuo nunc imputantur, tam manifeſte ex eodem ſemper Auguſtino, eiuſdemque verbis, penitus profligaſſe, vt in præſenti ſat ſit breuiſſime ſolum ad repetita Orthegæ obiecta per ordinem reſpondere.

Ad primum ergo, ab Orthega petendum eſt, contra quos ſcribere ibidem intenderit? an contra hæreticos Caluiniſtas, (ſeu Ianſeniſtas cum Caluino damnatos ſeu Lutheranos Caluino priores) an potius contra Thomiſtas? Si primum, cur in primo certaminum titulo ea verba præfixit? *Non licent prædefinitiones Thomiſtica per Scripturam ſacrã*, vti & repetit circa Patres in titulo quæſtionis 2. Certamine 1. Si ſecundum, quinam vnquam fuerunt Thomiſtæ, vel ſunt, qui vel negauerint, *hominem eſſe liberi arbitrij cum poteſtate abſolute indifferenti ad vtrumque*, aut aſſeruerint, ex diuinis prædefinitionibus, *neceſſitatem abſolutam in rebus*? Ad quid ergo, dum ſe in Thomiſtas inſcribere titulum profitetur, per bene duodecim integra folia, aut aerem verberat, aut imitatus eſt illos, qui (vt Lucianus olim in Hermotimo irridebat) *ſarmentorum ſiue ſtipularum faſciculos ſibi proponunt, impetuntque telis, deinde ambitioſè gloriantur ſe homines armatos in vera pugna vicisse? Si hoc diſputare*, vt Auguſt. in Iulianum aiebat, *& non potius delirare eſt*, licebit & nobis integra volumina condere oſtendentia ex ſcripturis, Patribus, & Concilijs, Semipelagianorum hæreſim reprobandam eſſe, addito tantum in titulo, *non licet per Scripturas &c. conditionatorum præſcientia non mouetur propoſitio*. Erit ne hoc de ſcientia media referre triumphos; vel

potius à prudentioribus promereri cachinnos? Sic planè implentur & verbis paginæ & Bibliothecæ libris, ſed veritate vacui Lectores abſcedunt, aut implanati fraudibus dimittuntur.

Ad ſecundum, vt ſemel id dicam, nec denuo infra repetendum ſit, quadruplex aut etiam quintuplex neceſſitas eſt, prima eſt coactionis, quæ etiam à neceſſitate ſpecifice ſumpta ſecerni poteſt; ſecunda eſt neceſſitas naturalis, qualis eſt in Cæli natura ad motum, in nobis ad mortem, & huiuſmodi; tertia eſt neceſſitas ſpontaneitatis, qualis eſt in amore Beatorum erga Deum clare viſum, & in appetitu Brutorum erga obiectum connaturale aut delectabile ſine indifferentia propoſitum, ibi quidem ex perfectione, hic vero ex imperfectione præſertim propoſitionis obiecti, vnde illa dicitur etiam neceſſitas voluntatis ſeu voluntarij, non liberi, hæc vero appellatur etiam neceſſitas inſtinctus naturæ ſeu naturalis, & iſtæ ſingulæ tres neceſſitates dicuntur ſine dubio neceſſitates abſolutæ & ſimpliciter tales, & non ſolum ſecundum quid ſeu conditionatæ & ex ſola ſuppoſitione. Quarta demum eſt neceſſitas infallibilitatis, ſeu conſequentiæ, quæ etiam dicitur neceſſitas ſecundum quid, conditionata, & ex ſuppoſitione, quomodo etiam in aduerſariorum ſententia ſuppoſito, quod Deus ponat in ſtatu abſoluto voluntatem Petri ſub tali vocatione congrua, hoc modo neceſſe eſt infallibiliter Petrum conſentire & conuerti. Adde, ſi placet, & aliam intermediam inter hanc quartam, & tertiam (fientque quinque numero, & ne dum quatuor, neceſſitates) qua ſcil. ex Gonzalez cum alijs noſtris, exteriſque pluribus, ſaltem de potentia abſoluta, præſuppoſita adhuc indifferentia iudicij, Deus poſſet imprimere voluntati qualitatem quãdam coarctantem in actu primo indifferentiam actiuam eiuſdem, vt ita in actu primo etiam determinaretur ad poſſe eligere & actu eligere vnam partem, vt neque in actu primo remaneret actiue potens ad eligendam aliam partem (licet ex conſequenti deinde remanere non poſſet ſimul, ſed auferri actualis indifferentia iudicij, in quo ſenſu Gonzalez alios noſtros caſum negantes interpretatur) tunc iſta neceſſitas ſane non eſſet ſola quarta neceſſitas infallibilitatis, ſed longe reſtrictior & arctior, & dici poſſet neceſſitas coarctationis impedientis etiam in actu primo ad oppoſitum, & vere adhuc neceſſitas abſoluta foret, eſſetque media inter tertiam & quartam, vt dicebamus, & ſic adæquate iam quinque neceſſitates in propoſito ſunt. Hac ſuppoſita diſtinctione faciliime reſpondemus ad exaggerata teſtimonia Patrum, omnes quatuor vtique neceſsitates priores, quæ ſimpliciter antecedentes ſunt, & abſolutæ, repugnare libertati, vt de prima verbatim habetur ex eorundem verbis apud Orthegam exſcriptis, de ſecunda, inter alios, expreſſe ex Lactantio & Anſelmo, quos Orthega refert, & ex Auguſtino ſimul 5. de Ciuit. cap. 10. explicantibus antecedentem neceſsitatem ab exemplo motus in Cœlis, aut mortis in nobis, de tertia videri poſſunt exſcripti Patres ſimul & Scholaſtici apud noſtrum Sebilla lib. 1. in Ianſenium, & de quarta ex conuenientia cum prædictis in neceſsitate abſoluta colligitur: Quintam vero, quæ ſecundum quid dicitur, nec iuxta alios Patres excludi, nec iuxta Anſelmum, quem aduerſarij præ alijs inculcant, ex profeſſo oſtendit Lemos (vt Aluarez lib. 4. reſp. cap. 4. per totum, cæteroſque Thomiſtas omittam) in tomo 1. par. 2. tract. 3. à cap. 18. vſque ad 21. vbi præſertim cap. 20. poſt

enu-

enucleata pro nobis omnino Anſelmi verba concludit ſic de poſtrema neceſſitate ex efficacia voluntatis Diuinæ volentis nos libere agere, *hanc Anſelmus conſtituit antecedentem, ſeu præcedentem, neceſsitatem reſpectu noſtræ liberæ volitionis, quæ oritur ex diuina priori voluntate: & hanc dicit non tollere libertatem noſtram, ſed illam cauſare. Verum eſt iſtam antecedentem ſuppoſitionem eſſe antecedentem neceſsitatem ſecundum quid, & reſpectu noſtræ liberæ operationis tantum, nam abſolutè & ſimpliciter conſequens eſt primam Diuinam libertatem; qua ratione S. Anſelmus non nominat illam inter ſuppoſitiones abſolute antecedentes, ſed poteſt reduci ad ſuppoſitionem conſequentem*, quia videlicer, vt poſtmodum ſubdit, *ſuppoſitio hæc antecedens Diuinæ voluntatis includit tanquam effectum noſtram libertatem*, ſeu volitionem liberam per Diuinã præmotionem, quæ eſt fieri actuale activum noſtræ volitionis liberæ, vt ipſe probat ex S. Thoma q. 6. de Veritate ar. 2. ad 7. & ar. 3. ad 6. & tuetur Aluarez vbi ſupra, & nos ſupra lib. 6. q. 3. ar. 2. num. 8. latius explicabamus, & tandem ſubodoratus eſt poſt tot obiectiones & Orthega pag. 522. num. 11, vbi eandem laudans reſponſionem vix duo verba in aduerſum potius quam argumenta reponit.

In forma igitur diſtinguo maiorem propoſitionem ſecundi motiui, *neceſsitas natura præcedens repugnat libertati, ex Patribus, &c.* ſcilicet quæ eſt neceſsitas præcedens ſimpliciter talis, quales ſunt illæ quatuor priores, quæ dicuntur etiam neceſsitates abſolutæ, concedo, *neceſsitas præcedens*, ſolum ſecundum quid talis, & quæ reductiue ex dictis, ſeu æquiualenter, dici poteſt neceſsitas conſequens, nego, & ad minorem 1. modo, nego, 2. modo concedo, & negatur conſequentia. Vide Lemos tract. 3. citata vbi à cap. 9. præuenit omnia teſtimonia Patrum nunc repetita ab Orthega.

Ad tertium motivum ſcire cuperem quodnam ſit illud *fatum Catholicum*, quod non obſtante, quod Catholicum ſit, fuerit à Patribus reprobatum? hæc enim duo inuicem repugnare videntur. Vtique ſcio Auguſtinum lib. 5. de Ciuitate cap. 8. dixiſſe: *Qui non aſtrorum conſtitutionem &c. ſed omnium connexionem, ſeriemque cauſarum, qua fit omne, quod fit, fati nomine appellant, non multum cum eis de verbis controuerſia laborandum atque certandum eſt*, indeque rem ipſam per hoc fatum Catholicum exponens cap. 9. ſequenti ſubdit: *Quapropter & voluntates noſtræ tantum valent, quantum Deus eas valere voluit, atque præſciuit, & ideo quidquid volent*, (Nota conſequentiam illatam ex efficacia Diuinæ voluntatis) *& ideo quidquid volent, certiſsimè volent, & quod facturæ ſunt ipſa, omnino facturæ ſunt, quia volituras atque facturas ille præſciuit, cuius præſcientia falli non poteſt.* Hæc Auguſtinus, reuocans rem ſignificatam per nomen (licet non ita vſurpandum) Catholici fati, ad vere Catholicam explicationem, quæ in re & Thomiſtarum eſt, per dependentiam à decreto Diuinæ voluntatis coniuncto cum ſcientia, ſine læſione libertatis in nobis, vti quo adhoc & Viues ibidem, antequam hæc controuerſia inter Thomiſtas, & aduerſarios exoriretur, & antequam etiam Lutherum, vel Caluinus erumperet, ſic intellexit præcitata pro nobis Auguſtini verba ſic habens in Commentario. *Quod ſi indignum videtur à fluxa, caducaque rerum natura ſempiternam ſcientiam generari, dicamus à prouidentia voluntateque Dei cognitionem eius proficiſci, voluntatemque ſtatuere quid futurum ſit, ſcientiam, quia voluntas ſtatuerit, noſce.* Inde hoc totum nullo modo lædere ſed fouere libertatem, proſequitur explicare idem Auguſtinus cap. 10. ſubſe-

Digitized by Google

quenti iuxta mox explicatam etiam à nobis neceſsitatem præcedentem ſo-lum ſecundum quid talem, hæc ſubdens, *Vnde nec ea neceſsitas formidanda eſt, quam formidando Stoici laborauerunt &c. Si illa definitur eſſe neceſsitas, ſecundum quam dicimus neceſſe eſſe, vt ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis*, vti plane neceſſe eſt, vt noſtra libera volitio dependens à prima voluntate libera producatur libere per nos ipſos & ſit. Vbinam, quæſo, hanc Auguſtini explicationem (quam S. Thomas proſequutus eſt) alij Sancti Patres ſub nomine etiam *Catholici* fati reprobauerunt, licet neque in hoc ſenſu fati nomen adhibendum eſſe cap. 8. idem Auguſtinus aduerteret? In forma igitur quo ad rem ſignificatam per nomen fati *Catholici* pertranſacta Maiori, nego Minorem, quo ad fatum vero Ethnicorum, nego ſecundam partem Maioris ex differentia aſsignata ibidem ab Auguſtino cap. 7. & 8. inter Ethnicum fatum, & Catholicum, & à S. Thoma p. 1. q. 116. ar. 1. *quia*, inquit, *ſolus Deus poteſt voluntatem immutare, & per conſequens ordinatio humanorum actuum, quorum principium eſt voluntas, ſoli Deo attribui poteſt*, & hinc rurſus, vt addit ar. 3. ex vniuerſalitate cauſalitatis ſolius Diuinæ ad agere & modum agendi; *fatum ſecundum quod ſubeſt Diuinæ prouidentiæ immobilitatem ſortitur, non quidem abſolutæ neceſsitatis, ſed conditionatæ*, non ſic de fato ab Ethnicis poſito, vt ibidem præmittit, *ponentibus diſpoſitionem cauſarum ſecundum ſe neceſſariam*, in quo S. Thomæ magis fidendum eſt, quam Iulio Sirenio Brixienſi, quem pro aliena Ethnicorũ interpretatione refert Orthega pag. 457, & 520, de quo nos ſupra egimus lib. 6. q. 2. art. 1. immò ſi Ethnici hoc modo ſe explicuiſſent, vt de fato Catholico Auguſtinus explicabat, neque à Patribus amplius quo ad hoc impugnati fuiſſent: de neceſsitate autem antecedente, ad 2. reſponſum eſt.

Ad quartum iam libro 6. quæſt. 3. art. 2. numero 7. oſtendimus eum Lemos ne dum in illatione vel conſequentia, verum etiam in antecedente aſſumpto Caluinum, eiuſque ſectarios errauiſſe, & dato adhuc ex antecedente vero falſam intuliſſe conſequentiam (vt alij reſpondent, & conſtat etiam ex veris Scripturarum teſtimonijs non ſemel & perperam ſuas falſiſsimas hæreſes collegiſſe) ſatis eadem quæſt. 3. art. 3. ad 1 Bailio ſimiliter nos criminanti reſpondimus, unde gratis admiſſa parœmia illa (quam *an ſit verum* inter hæreticos auditam eſſe, ſe hæſitare vel Orthega fatetur) quid aliud inferreretur, niſi tum ſolita Etherodoxorum pertinacia in ſuſtinendis ut bonis ſuis conſequentijs, quibus contra Catholicos, peſsime licet, e Scripturis etiam iactant ſua dogmata deriuari, tum ſincera ſaltem eorundem confeſſio, quod Thomiſticæ concluſiones eorundem hæreticorum Dogmatibus contrariæ ſint? quod ſui immemor poſtea idem Orthega, in 5. motiuo, ſoluendo mox, ſibimet contradicendo deſtruere conatus eſt. Quod vero noſter Io. Vincentius reprobauiſſe dicatur diſtinctionem noſtrã de ſenſu compoſito & diuiſo, palam eſt eum repudiaſſe ſolum ſiniſtram abſurdamque eiuſdem diſtinctionis explicationem à Caluino confictam, non vero antiquam atque Thomiſticam aliam explicationem, quam à priori illa, ex noſtris ipſis id aduertentibus, longe diſtinctam eſſe probauimus eadem q. 3. ar. 2. num. 5, & idem ipſe Vincentius de ſua illa motione morali efficaci ab intrinſeco in hoc recto ſenſu adhibere propterea cogebatur, ſolumque in hoc ſenſu ſemper adhibuere Thomiſtæ (vt ibi ſigna-

tis locis oſtendimus) quidquid fingat in aduerſum Orthega pag. 507 & 445, (ſibi mox contradicens, iterum pagina immediate ſequenti 446.); licet enim quandoque & aliqui noſtri permittant eum præmotione Diuina ad aſſenſum, eſſe in ſenſu compoſito incomponibilem diſſenſum contrarium, ſupponunt tamen ſemper ex explicatis à ſeipſis ibidem, hanc repugnantiam in præmotione exiſtentem in ordine ad diſſenſum, non immediatam eſſe, ſed mediatam tantum, mediante ſcilicet conſenſu vt effectu, cuius præmotio actiuum fieri actuale eſt, vt laudato loco explicuimus, & tandem agnoſcit, nec ita repellit, iterum vel ſui immemor vel ſibi repugnans & Orthega ipſe pag 522. num. 11.

Ad quintum de recitata *inter Thomiſticas ſolutiones* ea, quæ & Caluini & Ianſenii eſt, ſcilicet, *ſolam libertatem à coactione ſufficere*, mirarer tam immanem, tam palam falſam in nos calumniam vel cadere in mentem hominis docti, & alioquin adeo Sacræ Religioni obſtricti, vel ſuggerente Diabolo potuiſſe, niſi & de tot alijs tam falſo impoſitis antea conuictus eſſet; Cedo enim Thomiſtas, qui per hanc vnquam reſponſionem ſe à Caluino diſtinguere conati ſint? Bene ſcio, inter tot alios id reprobantes vbique, ex profeſſo Alexandrum Sebilla noſtrum, ex hoc etiam aliiſque pluribus repuliſſe per bene quinque libros de hac ipſa re Ianſenij errorem, & lib. 5. præſertim cap. 25. demonſtraſſe in hac re Ianſenium perſonatum Caluinum eſſe, & cap. 26. eiuſdem Ianſenij conatus, in ſe purgando à Caluiniſmo, omnium optimè proſtrauiſſe, vti & Annatus poſtea è Societate in integro opere inſcripto, *Ianſenius à Thomiſtis condemnatus*, ſignatis Thomiſtarum locis, exſcriptiſque teſtimonijs proſequutus eſt, quibus addi poteſt, & Lemos longe ante Ianſenium ſcribens, & tamen tom. 2. tract. 5. cap. 12. per totum hanc à radice proſternens eiuſdem Ianſenij errorem. Quod vero (vt hæretici ſolent, ne comitibus carere penitus videantur) Caluiniſtarum aliqui eniſi ſint in eandem foueam, pro ſolatio ſuo, Thomiſtarum vti & quorundam aliorum Catholicorum cum Auguſtino alijſque Patribus placita aduocare, poterat ad ea omnia teſtimonia eorundem in Annato congeſta Orthega videre diſertas & validas reſponſiones in noſtro Magiſtro Goneto tom. 2. poſt diſputationem ſextam, in Apologia Thomiſtarum art. 5. per totum, aut præter Baronium noſtrum, in ſapientiſſimis Patribus Salmanticenſibus Excalceatis tom. 6. tract. 14. de gratia, diſp. 7. dub. 4. §. 11. per integrum, vt ſi Orthega nil aliud haberet, quam iam ſoluta repetere, nec fruſtrà, nec repetere eadem aut ex Annato tranſcribere debuiſſet.

Ad ſextum demum, cum & ipſe Orthega cum ſuis admittat iam ſtante vocatione congrua in ſtatu abſoluto adeſſe neceſſitatem infallibilem, & conſequentiæ ad conſenſum, ab eodem petendum manet quomodo hanc ſuam obiectionem ſolueret; & cum ſane reſpondere cogatur diſtinguendo illam Maiorem, *requiritur libertas immunis ne dum à coactione verum etiam ab omni neceſſitate*, ſcilicet ab omni neceſsitate, quæ ſit neceſsitas ſimpliciter talis, concedo, quæ ſit neceſsitas ſolum ſecundum quid, Nego, ſic pariter habeat à nobis hanc reſponſionem, vt enim vidimus ad ſecundum, neque neceſsitas infallibilitatis & conſequentię, quam nos ponimus, eſt niſi neceſsitas ſecundum quid, conditionata, & equiualenter neceſsitas conſequens ex explicatis ibidem cum Aluarez, Lemos, & alijs noſtris.

Obijcit

Obijcit deinde ſecundo idem Orthega contendens nos ponendo prædefinitionem ad materiale peccati, omnino cum Caluino, eiuſdemque ſectarijs, conuenire, tum quia primo (vt arguit con. 3. diſp. 2. quæſt. 3. certam. 1.) etiam Caluinus locis ibi citatis reprehendit eos, *qui in Deum fremant, & ſcelerum culpam contra Deum regerant*, ſeu, vt alibi ait, *qui ſuis peccatis ſocium Deum homini adſcribant, vel illo modo ſecum inuoluant ad partem culpæ ſuſtinendam*, vnde ipſe Caluinus ex aduerſo concludit, *etiamſi rerum omnium prima cauſa ſit voluntas Dei, peccati tamen eum eſſe auctorem nego*, vti & Theodorus Beza inficiatur, *vel Deum eſſe auctorem peccati, ſiue delectari iniquitate, aut etiam velle iniquitatem, aut homines male agendo obedire Deo, aut quatenus male agant, facere quod Deus vult, ac proinde eſſe hominē extra culpam*, & Zuinglius ait, *idem facinus quatenus Dei authoris, motoris, impulſoris, opus, crimen non eſt, quatenus autem hominis crimen eſt*, idemque fere Melanchthon habet. Ergo iam etiam Caluinus, & alij cum ſuis aſſeclis, diſtinguebant inter materiale, & formale peccati, vt primo ſolummodo Dei eſſet, non ſecundo modo, ergo, ſi nil aliud dicunt Thomiſtæ, iam plane cum Caluino in hæreſi Caluini per Tridentinum ſeſſ. 6. canon. 5. & 6. damnata conueniunt, tum quia 2. (vt pergit Orthega qu. 4. certam. 2.) inter ſolutiones Thomiſtarum, vt ipſe ſupponit, & iſta eſt, *Deo nullam eſſe legem impoſitam*, ideoque ipſi non imputari peccatum, & ſimul ea altera reſponſio adeſt, *honeſtari influxum Dei ex fine honeſto, ad quem Deus dicitur ſcelera noſtra cauſare*. Sed tam primam, quam ſecundam ex his etiam duabus reſponſionibus manifeſtiſsime Caluinus, ac Zuinglius adhibebant, vt ipſe de vtroque ibidem loca ſignat, & verba tranſcribit, ergo iterum adhuc Thomiſtæ omnino in hac re cum Caluino aſſeclisque Caluini conueniunt, præter aliam ſolutionem de *ſola libertate a coactione*, quam nobis iterum imputat num. 9, & iam mox ante refutauimus, aliamq; de præſcientia voluntatis noſtræ defecturæ, vt primæ cauſa in deficiendo, quam examinat num. 7. ibidem, & fuſius con. 3. diſp. 1. q. 7. certamine 8. & 10, quam tamen eo modo non percipit, quo nos *ipſi cum alijs* noſtris explicuimus lib. 6. q. 2. art. 2. num. 35. poſt quæ omnia concludit in præſenti num. 9. *Ex hactenus dictis liquet quam imperceptibili diſcrimine Dominicani Thomiſtæ* (qui ita ſentiunt de prædefinitione ad materiale peccati, qui omnes profecto ſunt; vt denuo Patres Salmanticenſes oſtendunt, contra falſam Orthegæ citationem quorundam in oppoſitum q. 1. certam. 2.) *quam imperceptibili diſcrimine a Caluinianis & quandoque à Lutheranis hæc doceant, & ab oppoſitionibus vtriſque communibus vindicent.*

Reſpondetur his non obſtantibus ſatis eſse Lectorem remittere, ne dum ad Gonetum & Salmanticenſes vbi ſupra, cæteroſque omnes noſtros cum Lemos & Aluarez hæc plane omnia argumenta clariſsime & robuſtiſsime diſsoluentes, ac proſternentes, verum etiam ad ea, quæ nos ipſi diſcuſsimus lib. 6. quæſt. 3. art. 2. numero *Quarto* per totum, atque ex ibi dictis vel Lectori nouitio in re Theologica reſponſiones, quas modo ſubiungimus, ſine dubio clareſcent.

Ad primum enim, præter mutata valde à ſuis quibuſdam Caluiniſtis mollioribus in poſterioribus editionibus Caluini opera, vt ibidem ex Dualio Doctore Sorbonico referebamus, aliud adhuc eſt affirmare Deum eſſe, ne dum permiſſiue, ſed effectiue auctorem cauſamque peccati etiam formaliter, aliud

eſt

eſt peius aſſerere peccatum formaliter vltro ſic Deo imputari, vt & ipſe peccare dicatur, & ipſe nec nolit voluntate ſigni ſeu præcepti malitiam peccati, itaut & ipſe peccans Deus pœnam ſuſtinere deberet, & vt demum homines ſic moti à Deo peccantes, obediant potius Deo, quam Deum offendant, iuſteque proinde de Deo conqueri poſſint, ſi nolit & Deus peccati auctor ſuſtinere pœnam peccati, ipſi vero ob peccata perpetrata puniantur. Hoc ſecundo modo vtique concedimus & Caluinum, & à fortiori eiuſdem aſſeclas ab Orthega relatos, hæc omnia poſteriora negauiſſe, vt ex eorum recitatis verbis habetur, & nihil aliud, vt riè præuidit & Lemos tom. 1. p. 1. tract. 2. cap. 2. poſt medium. Primo autem modo non negauerunt vnquam, ſed palam affirmauerunt, effectiue Deum eſſe auctorem peccati etiam formaliter (vt eo loco recitatis eorundem teſtimonijs oſtendimus) & nunquam vere quo ad primam (vt Thomiſtæ diſtinguunt) inter materiale & formale peccati diſtinguere, vel ſciuere, vel voluere, vnde præallata omnia ab Orthega euaneſcunt, conſtatque Orthegam minus attente legiſse Caluiniſtarum ſenſus, vti & minus recte percepit ſenſum Epiſtolæ Proſperi ad Auguſtinum circa ea verba de Maſsilienſibus, *retractatis de hac re priorum opinionibus*, ea capiens pag. 320, *ac retractatis Pelagianorum erroribus*, cum tamen ſenſum eſſe de perueſtigatis aliorum Patrum antiquiorum ſententijs, vt Auguſtino repugnarent, iam ſupra lib. 5. q. 3. ar. 5. ad 2. ex Auguſtino & Proſpero (Annato etiam conſentiente) oſtenderimus, contra Alarconem, Ouiedo, & Ariagam. Et tamen ſaltem Orthega eorundem Semipelagianorum dogmata penitius callere debuiſſet, dum totus, quantus eſt, pro vindicandis eorumdem Ducibus laborauit, tom. 2. controu. 7. diſp. 3. q. 2. certam. 2. per totum, vbi, nedum abſoluit audacter à nota erroris Semipelagiani omnes libros Caſsiani, & Fauſti Reghienſis, & Gennadij Maſſilienſis, verum etiam tuetur hæc eiuſdem Gennadij verba contra Proſperum impugnatorem operum Caſsiani ſub nomine Collatoris, ſcilicet, *quæ Caſsiani erant Eccleſiæ Dei ſalutaria, illum, nempe Proſperum, infamauiſſe vt noxia*: tuetur, inquam, in re & Orthega dicens, *Proſperum de præconcepto contra Caſsianum iudicio ſtatuendo ſolummodo curauiſse*, atque in audacem hunc ſenſum (quod dirius eſt) detrahere idem Orthega conatur D. Antoninum noſtrum 2. p. hiſtoriæ titulo 10. cap. 10. tanquam *Gennadij hanc de Proſpero querelam approbantem expreſſe*, vt Orthega loquitur, eo quod, vt idem refert, *aſſeruerit Caſsianum à Proſpero curſiue & ſuperficialiter lectum eſſe*. Et tamen (audi, Lector, impoſturam & hic Antonino affrictam) Antoninus ibi, vt conſulenti patebit, non id aſſerit vnquam, ſed refert tantum ex alijs, atque vt iam exploſum, *ex approbatione doctrinæ Proſperi per Eccleſiam*, quam ibidem commemorat, ex conſequenti ſupponit. Poſtquam enim dixerat, *numerari inter apocrypha, diſt. 15. Cap. S. Romana, Opuſcula Caſsiani Preſbiteri Galliarum*, & rationem ſimul addiderat, *quia Proſper, cuius doctrina approbata eſt ab Eccleſia in eodem cap. S. Romana, & poſt eum etiam Caſsiodorus, arguunt Caſsianum aſſerentes eum non Catholicè ſcripſiſſe de libero arbitrio & gratia, pluſque attribuiſſe libero arbitrio, & minus gratiæ &c.* poſt hæc, inquam, in ſua ſententia ab Antonino præmiſſa, pergit de ſententia ſolum aliorum, qui forſan etiam ex eo decepti erant, quod (vt fusè retulimus lib. 5. q. 3. ar. 5. ad 2.) tres antiquitus ac ſucceſſiue longe ante Antonini ætatem conati erant expurgata edere Caſsiani opera, non vt modo iterum extant,

& ſic in horum deceptorum ſententia ſic referendo tantum Antoninus pergit: *In quo tamen aliqui,* (Nota id recitari, non aſſeri, vel approbari) *aliqui, vt Dominus dea. Dominici &c. excuſant Caſsianum dicentes dicta eius poſſe ſaluari, ſi ſanè & maturè intelligantur, & non eo modo, quo Proſper, & alij* (nota & de alijs potius, quam de D. Proſpero, ſubſequentia verba ioterpretari valere) *& alij ea exponunt nimis curſiue & ſuperficialiter intelligentes*. Hæc tantum in iſtorum ſententia Antoninus, non ſua, qui immo in ſua ſententia præmiſerat, *numerari inter apocrypha opera Caſsiani, diſt.* 15, Cap. S. Romana, & ibidem *Proſperi doctrinam approbatam eſſe ab Eccleſia*, & ex conſequenti præcluſam & iſtam excuſationem Caſſiani, & dehoneſtationem Proſperi ſupponebat. Sed iam de his ſatis improuidis defenſoribus, nedum Caſſiani, ſed Fauſti atque Gennadij egimus abunde ſupra eodem lib. 5. q. 3. ar. 5. per totum, vbi & verba attulimus (inter tot cætera) Theophyli quoque Raynaudi ex eadem Societate damnantis recentiorum iſtorum conatus, qui pro abſoluendo Caſſiano Maſſilienſi Sanctum Proſperum accuſare ac infamare non timent, non erubeſcunt, & alios Catholicos poſtea de affinitate cum Caluiniſmo condemnaot.

Ad ſecundum hic iterum cedo Thomiſtas, qui prætermiſſa (vt prætermiſerunt hæretici) ea S. Thomæ diſtinctione cęterorumque Doctorum inter materiale & formale peccati, prima illa altera aut ſecunda vnquam hæreticorum reſponſione vſi, contentiuè fuerint? Sanè ex noſtris neminem vnquam nuncupare licebit, bene ex aduerſis nobis Orthegæque cognitis recenſebo vno ictu quamplures, præindicatos etiam à Lemos tom. 2. tract. 1. Cap. 33. qui nedum in Caluiniſtarum reſponſione, ſed in verbali eiuſdem Caluini blaſphemia hæreſique damnata de hac ipſa materia conuenerunt, quos vel referre nec quidem ipſe auderem, niſi Orthegæ ipſe, qui hanc nobis econtra immanem calumniam ingerebat aut affingebat, nitidis, clariſque verbis antea retuliſset, nempe in hac eadem cont. 3. diſp. 2. q. 4. certam. 3. numero 8. ſic habens. *Sanè* (nec dubitat quidem) *Sanè diſtinctionis huius ignorationi, aduertentiane, quam par eſſet, minore audio Recentiores aliquos ex noſtris.* (Audi nec vnum dicit, ſed plures, neque in Prouincia vna, ſed pluribus) *ex noſtris Caſtellanis & Toletanos incautè lapſos: vt admiſerint*, horret animus audire, *vt admiſerint Deum concurſu ſimultaneo* (*quem ſolum admittunt*) *non ſolum ad materiale peccati qua materiale* (quod adhuc noſtri ſaltem quatenus materiale refugiunt) *ſed ad formale ipſum*, Proh ſcelus! Proh pudor! *ſed ad formale ipſum peccati phyſice concurrere*. Quid audimus? quid legimus? nec auditum vellem, ne dicam ſcriptum, typiſque vulgatum. Sed parcamus huic prodenti ſuos, calumnianti que noſtros, nobiſque cum Auguſtino lib. 6. in Iuliaoum cap. vlt. reſpondere obtrectanti pro temporis ſaltem breuitate ſufficiat. *Ad omnia me tibi reſpondiſſe, & omnia refelliſſe, quibus diſputaſti, puto quod perſpicis, ſi pertinax non ſis*: nunc vero ſolum, quomodo ipſe noſtris, aut Thomiſtarum præcipuæ vnique tantum probationi reſpondeas, videamus.

ARTICVLVS III.

An Orthega, non dicam omnes, ſed ſolum præcipuam, vnamue adminus Thomiſtarum probationem rite diſſoluerit.

PRoduxerat noſter Io. à S. Thoma, inter alia tot plura, argummentum quoddam aduerſus ſcientiam mediam, quod, vt ille dicebat, *aduerſarios acriter mordet, iacitque telorum imbrem*, vt refert ex eodem hæc verba idem Orthega cont. 2. diſp. 6. q. 1. certam. 11. num. 3. contra quæ tamen; nec ininiria alicui eiuſdem, verba, ſolumque alludentia illi de S. Thoma Eccleſiaſticæ phraſi, *tanquam imbres emiſit eloquia ſapientiæ ſuæ*, nunc, quæſo, audiamus, quæ iactabunda ibidem, atque deſpicabunda pro meliori ſua reſponſione Orthega ſubiungat. *Cæterum*, inquit, *in eo illud ſolum ſpeciale eſt, quod ex ignoratione noſtræ, & ſuæ communis doctrinæ, de ſimultate concurſus Diuini cum noſtris voluntatibus, totum procedat. Miraculi vero inſtar erit, adeo edentulum diſcurſum non mordere quidem, ſed vel mordicare. Telorum imbrem eſſe fateor, cum è mentis ſolum nebulis gignatur: ſed ſi imbris tela ſint, quis aquea fore neſciat, & frigida, & ad quorum vmbram, vt dux alter aiebat, abſque vllo æſtu pugnemus? niſi ad noſtræ doctrinæ Solares radios totus imber ille euaneſcat.* Sic Orthega, & Eccleſiaſticam contemnens phraſim, & nimium de ſua doctrina præſumens, nec minus alibi paſſim eiuſdẽ ſapientiſsimi noſtri Ioan. à S. Thoma, ſimul & Salmanticenſium Patrum, argumenta deſpicatur, appellans *diſcalceatas vtique non calceatas rationes*, vel *nimium calceatas hiſtorias*, vt pag. 469. & alibi, quos etiam Patres Excalceatos Salmanticenſes, ac Complutenſes (cum non diſcrepent inuicem) pag. 496. vehementiſsime dehoneſtat, velut *per vim*, ab vno eorum, & *metu potius ſui Prouincialis, quam ſtudio, ad Thomiſticam doctrinam pertractos*, eo quod idem Prouincialis, *ſpe ex Dominicanis Patribus concepta &c. omni arte & potentia doctrinam Societatis a ſua Prouincia eliminare conatus ſit. Speramus autem*, (concludit) *eoſdem intellectuali hac tyrannide liberos, libertatem & ſuam, & noſtram, cum ſuis antiquioribus Doctoribus Bacchone, Waldenſi, & inſignioribus reliquis, defenſuros*, Sed has velut Mileſias fabulas cum iam grauiter refutarit *Harpocrates Carmelitanus*, nos, obſecro, tranſeamus cum venia, tum in hos Religioſiſsimos Patres æque ac Sapientiſsimos, tum in noſtrum Io. à S. Thoma, cæteroſque, conuitia, & de rationibus, quas adeo deſpicit, inſpiciamus.

Neque hic in animo eſt, aut temporis circumſtantia permittit, vel eam vrgere probationem Thomiſticam, quam lib. 6. q. 2. art. 3. num. 28. ſexdecim ab hinc annis elapſis me adhibuiſſe Mediolani afferebam, videoque nunc in Orthega contr. 2. diſp. 8. q. 6. per totam ea difficultate vexatos adeo & Societatis Theologos viſos eſſe, vt acri exorta contentione inter ipſos, quidam pro verificatiuo ſcientiæ mediæ confeſsi ſint, nonniſi ſufficere aliquod motiuum in Deo, non vero determinationem ex obiectis ipſis deſumi debere, vt Antonius Perez & Gaſpar de Ribadineira voluerunt, recitati ab eodem Orthega ibidem certam. 1. num. 6, quæ erat etiam eorum Patrum mecum diſputantium Mediolani ſententia, alij determinationẽ præſcientiæ ex ipſis obiectis deſumendam maluerunt, vt cum alijs inclinat Orthega priorem ſenten-

tiam vehementer explodens, eodem fere motiuo, quo ad hominem impugnabam & ipſe, ſed vix poſtea certam. 5. à priorum illorum motiuis ſe expedit, quæ in re ſunt argumenta Thomiſtica euincentia non poſſe creatorem & primam cauſam, aut primum liberum, à creatura, à ſecunda cauſa, & ſecundo libero determinari.

Neque rurſus nunc cogitamus expendere latius Thomiſticam aliam probationem ibidem à nobis indicatam breuiſſimè num. 34. quod ſi Deus haberet decretum indifferens concurrendi ad id, ad quod voluntas creata ſe ipſam determinet vt ſic, ex æquo ſequeretur Deum decernere ſe concurſurum ſiue ad bonum ſiue ad malum, ſicque eodem modo quo adhoc influere in actum bonum, ac malum, qua difficultate non minus tam valide aduerſarij torquentur, vt ne dum hac ipſa commoti, ac oneri ſuccumbentes Caſtellani illi & Toletani Patres deflexi ſint in præcitatam Caluini blaſphemiam, de concurſu Dei etiam *ad formale peccati*, vt narrat Orthega pag. 615. nu. 8. verum etiam Orthega ipſe contr. 3. diſp. 2. q. 4. cer. 4, & q. 5. per tria certamina, & q. 6. 6. per duo iterum certamina, & diſp. 3. q. 2. per totam, poſt improbatas quorundam aliorum ſuorum euaſiones, eaſque quam plures, vix ipſe inueniat quod placeat.

Nolumus etiam eam noſtrorũ adhibere rationem late à Goneto inter alios expoſitam, quod niſi Deus prædecreuiſſet etiam conditionatam actus noſtri futuritionem, hæc futuritio diuinæ ipſi prouidentiæ velut à caſu occurreret, & ante eiuſdem occurſum ignoranti velut modo Deus procedere cogeretur, quam abſurditatem mirum eſt recenter Orthegam vel ſuccumbendo argumento concedere, vel deuorando aſpernari, dum contr. 3. de decreto &c. diſp. 1. q. 1. certam. 5. in fine num. 9. pag. 408. iſta habet, *oportet, vt poſita Dei voluntate & prædeſtinationis diſpoſitionis de noſtris operibus, vlterior noſtræ voluntatis & poteſtatis indifferentia arbitrij noſtri ad ipſa, eorumque oppoſita, libera, & contingens determinatio, expectanda ſit, vt contingenter & caſu* (quid audio de Deo !) *& caſu Dei voluntati & prædeſtinationi ſuppoſitis adiungatur, vt opera noſtra de facto eueniant potius quam oppoſita, ſicque contingenter Deo occurrant, vt ipſe iſta inuenire dicatur*. Has nouas fruges indifferentia decreta, per quæ Orthega ſuam præſcientiam regulabat, pepererunt: hæ nouæ merces ex hoc nouo litterario orbe deportatæ ſunt.

Nec volumus adhuc illud à ſigno adhibere argumentum, quod pleræque, & fere omnes, quæ contra nos obiectiones nunc proferuntur, fuerunt olim ab Auguſtini Osoribus in Auguſtinum eundem inclamatæ, atque dilucide ab eodem Auguſtino ſolutæ, vt fuſe oſtendimus lib. 6. q. 2. ar. 3. per totum, cum videamus Orthegam, hoc non obſtante, eaſdem denuo reponere contra nos con. 3. diſp. 1. q. 2. certam. 5. & 7. certam. 12. & q. 8. certam. 2. nec quidem quid dicit his locis, quo modo diuerſo ab hæreticis illis prioribus in Catholicam Auguſtini doctrinam opponerentur. Hæc omnia, cæteraque, dimitto, quæ ſupra adhibuimus argumenta vſque ad numero 35. vbi ſupra, vbi additis alijs pluribus ab alijs noſtris adhibitis (vt ſummariè ibidem poſt noſtras probationes indicabamus) vix minora, quam centum, argumenta Thomiſtica numerari queant.

Vna tamen hoc loco probatione tantum, contentus ero (cum ſane veritas

etiam

etiam paucis contenta ſit) ea ſcilicet, quam S. Thomas ſuis diſcipulis velut jure hæreditario reliquit, tum quæſt. 3. de malo art. 2. tum alibi ſepe, tum præſertim in 2. diſt. 37. q. 2. ar. 2, quamque etiam ex noſtris oppoſitam ſibi proponit Orthega pag. 614. num. 6, & pag. 547. con. 3. diſp. 1. q. 7. certam. 14. num. 7. & alibi. Placet autem non alijs verbis afferre, quam San. Thomæ laudato poſteriori loco, vbi appoſitè quærit in titulo *Vtrum actio peccati inquantum actio ſit à Deo*, & propoſitis prius cōtra ſe quinque pro negatiua argumentis, quæ in re ſunt illæ eędem obiectiones omnino, quas & non alias modo Orthega exaggerat, ac repetit contra nos eadem contr. 3. diſp. 2. q. 5. per totam, (eaſque poſtea proſternit S. Thomas ibidem.) *Reſpondeo*, inquit, *quod circa hanc quæſtionem tanguntur a Magiſtro duæ opiniones. Vna quarum dicit omnes actus inquantum actus ſunt, ex Deo eſſe; ſed inquantum deformitatem habēt, à Deo non ſunt, ſed ab homine vel diabolo; & horum rationes ſupra diſt. 31. Magiſter proſecutus eſt. Alia opinio dicebat actus peccatorum nullo modo, nec etiam inquantū actus ſunt, à Deo eſſe, & hæc opinio tangitur in præſenti diſtinctione 37, quam opinionem ad præſens nulli vel pauci tenent, quia propinquiſſima eſt errori duplici. Primo, quia ex ea, videtur ſequi, quod ſint plura prima principia* (vt Manichæi delirabant) *hoc enim eſt de ratione primi principij, vt agere poſſit ſine auxilio prioris agentis* (nota, non inquit, concomitantis, ſed *prioris agentis*, vt ne dum ſimultaneus, *ſed præuius* concurſus neceſſarius ſit) *ſine auxilio prioris agentis & influentia eius; vnde ſi voluntas humana actionem aliquam poſſet producere, cuius actor* (nota iterum actorem ad agendum idem eſſe ac præmototem cauſæ vt agat, inquantum agere eſt) *cuius actor Deus non eſſet, voluntas humana rationem primi principij haberet*. Hæc S. Thomæ probatio eſt repetita à Thomiſtis. Audiamus, quid diſſimulato nomine S. Thomæ Orthega reſpondeat, ſoleantque alij reſpondere cum ipſo. *Reſpondeo*, inquit, *primatum cauſæ primæ noſtrarum operationum concurſu ſimultaneo Dei cum voluntate, ſicuti & cum reliquis cauſis ſecundis, ſaluari &c.* At ſicut diſſimulauit Orthega præallatum diſcurſum S. Thomæ eſſe, ita & magis diſſimulat hanc ſuam reſponſionem in re à S. Thoma præcitari ac refelli, dum poſt ſua præallata verba immediatè S. Thomas ſic pergit: *Quamuis ſoluere hoc nitantur dicentes, quod voluntas & ſi per ſe poſſit actionem producere ſine influentia prioris agentis* (nota ſemper ly *prioris agentis*, coagentem enim Deum nec illi negabant, vt exiſtere etiam actionis velut entis creati à primo ente ſimul eſſet, atque in eſſendo conſeruaretur, ideoque ſubdebant) *non tamen habet à ſe, ſed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principij*. En in re Orthegæ reſponſionem. *Sed hoc* (replicat S. Thomas, & pergit ibidem) *Sed hoc videtur inconueniens, vt quod a ſe eſſe non habet, a ſe agere poſſit &c.* (ideſt à ſe primò inchoare actionem, vt poſtea ſolum cooperetur Deus, conſeruando eandem in eſſe.) *Et quamuis per hanc reſponſionem euitaretur, quod non eſſet primum ſimpliciter; non tamen poſſet vitari, quin eſſet primum agens*, (ideſt primum incipiens actionem ſuam) *ſi eius actio in aliquod prius agens* (ideſt quod prius incipiat actionem) *non reduceretur ſicut in cauſam*. Vnde in ſolutione ad 3. in hoc ſenſu de Deo, nedum cooperante cum agimus, verum etiam prius agente vt agamus, ſubdit, *vtrumque agenti influit & vt agat, & vt bene agat*, ſcilicet in bonis operationibus, in malis autem, non quidem *quoad defectum cauſa eſt*, vt male agat, ſed *quantū ad eſſentiam actionis, quæ eſt actus ab, eſt cauſa*, ideſt *influit, vt agat* præciſè vt agere eſt, ideque, vt

addit ad 5, *in actione deformitati coniuncta hoc, quod eſt actionis*, (& conſequenter etiam vt eſt actus ab agente, ſeu vt ab agente egreditur, inquantum agente, non deficiente) *hoc quod eſt actionis facit, & quod deformitatis non facit.* Hæc pura & ſancta, & profundiſſima ſimul ac veraciſsima S. Thomæ, ac Thomiſtarũ Theologia eſt; hæc ea probatio, quæ nec plane hucuſque ab Orthega ſoluta eſt. Immo quid de ſolutione dico? dum immo Orthega in nulla alia tandem ſolutione tueri ſe ſciuit, quam fatendo ſe victum eadem difficultate, atque admittendo ſequelam, quam deducendo ad abſurdum *errori propinquiſsimum* S. Thomas inferebat, ſcilicet agens creatum, *non eſſe quidem primum ſimpliciter, eſſe tamen primum agens.*

Videbor alicui forſan his verbis falſo id adeo erroneum Orthegæ, cum quo rem agimus, imputare. Sed liberabunt fidem meam ſequentia eiuſdem verba repetita non ſemel, ſcilicet cont. 3. diſp. 1. q. 7. certamine eodem 14. vbi præcitatam ſuam reſponſionem etiam num. 2. tradiderat, poſtmodum nu. 6. ſic habet, *Reſpectu noſtræ liberæ voluntatis in actu primo formale eius*, ſcilicet voluntatis, *exercitium liberum immediatum & primarium eſt, gaudetque ideo libertate noſtra primaria*; Inde qu. 8. certam. 1. per totum ferme nos id negantes impugnat exordiens num. 1. his verbis. *Sit impugnatio ex ipſa natura arbitrij & voluntatis noſtræ, quam mobilem ab alio ſolum intentionaliter, ſeu per obiecti propoſitionem, phyſice vero à ſe ipſa tantum mobilem ſemper iudicaui*, vti & Arabs ille Maomethanus Auicenna, aberrando dicebat, Deum creaſſe primam intelligentiam, creatam tamen ipſam, ac cæteras in operando non pendere à Deo, vt cauſa efficiente, ſed finali tantum, mouente moraliter, quod directe vt erroneam reprobauit S. Thomas, tum in Summa contra Gentiles, tum in ſumma Theologica p. p. q. 105. ar. 4. & 5. ex propoſito probans Deum mouere, nedum *omnem intellectum*, quod eſt mouere moraliter, verum etiam *omnem voluntatem*, quod eſt mouere etiam phyſice eandem, vt à morali intellectus motione diſtinguitur. Sed proſequamur ex Orthega in hanc rem audire clariora. Controuerſia eadem 3. diſp. 1. q. 1. certamine 2. nu. 3. ne dum id aſſerit, ſed, quod dirius eſt, vult aſſeri à Patribus, *rationem ſcilicet imaginis in nobis conſtitui penes arbitrij noſtri poteſtatem, eligendi, agendi ue, quæ velimus, quæ ſcilicet noſtri iuris & poteſtatis ſimus, ſicuti Deus, in voluntatis noſtræ liberis operationibus, nullius poteſtati, & dominio ſubiectis.* Quæſo te Lector, an te audire modo non putes ea ſuperbiſsima primi peccantis Angeli verba? *Similis ero altiſsimo*, vti in hoc ſenſu eadem verba ab Angelo illo intellecta fuiſſe exponit S. Thomas p. 1. q. 63. ar. 3. & 22. qu. 163. ar. 2. cum Anſelmo de caſu diaboli, & cum alijs Patribus, ideoque pugnauit noſter Angelicus vbique contra has totius ſuperbiæ voces, vt Michael alter, illis eiſdem Michaelis vocibus: *quis vt Deus?* præſertim, vt alia loca dimittam, in eodem ſecundo libro Sententiarum diſt. 25. qu. 1. ar. 2. ad 3. planè abſoluens ab imputata falſitate per Orthegam & Patres, dicens: *remanet homini dominium ſui actus, licet non ita ſicut primo agenti.* Et tamen (quis crediderit?) truculentius adhuc & inſidioſius Orthega etiam noſtrum Angelicum, qui in debellando hunc errorem vere Michaelem vbique imitatus erat, in tumorem eundem Luciferi detorquere, ac detorto collo deflectere conatus eſt, eadem controuerſia 3. diſput. 1. q. 1. certam. 4. num. 6. hæc referens ex eodem S. Thoma verba p. 2. q. 16. ar. 1. *Vnde manifeſtum eſt,*

quod

quod Vti proximè & principaliter eſt voluntatis tanquam primo mouentis, rationis tanquam dirigentis, ſed aliarum potentiarum tanquam exequentium, poſt quæ verba velut de capta præda triumphans exultat ſubdens continuo Orthega. *Ecce primus ad vſum rerum motor libertas arbitrij noſtri eſt, ac proinde Deus anterior & prior vſus rerum præfinitor & determinator, iuxta S. Thomam, eſſe nequit, quia nihil primo prior* (ſeu *prius*, vt melius in Latina lingua loqueretur) *eſſe nequit, cum nihil primo prior in eodem genere, & linea eſſe poſsit*: hæcne monſtra, quæ peperiſti tu ſolus, obſtetricantem S. Thomam (qui eadem, vt vidimus, præfocauit) habitura eſſe ſperare licuit aut comminiſci? Eſtne idem dicere adhuc in homine *voluntatem eſſe tanquam primo mouentem*, & vltrò abſolute aſſerere, *eſſe primum mouens, primum agens*, immo & *immobile phyſice ab alio?* Eſt ne idem adhuc hæc verba proferre, vel abſolute, vel etiam comparatiue in ordine ad Deum, vt tu peſſime loquebaris, & dicere ſolum voluntatem, non abſolute vllo modo, ſed comparatiue tantum ad alias potentias in homine, *primo mouentem* eſſe, vt toto illo articulo idem Angelicus declarabat? Cur ergo (repeteret nunc San. Thomas cum Auguſtino lib. 5. in Iulianum operis imperfecti cap. 64) *ſic illa verba mea relictis alijs putaſti eſſe ponenda, vt tanquam in ſolitudine, defendente nullo, latrocinanter inuaderes?*

Verum minus id adhuc fortaſſe malum videretur, niſi Orthega obfirmatè in ſua illa aſſertione perſiſtens (quam immo erroneam, vt vidimus, S. Thomas appellabat) non ſolum voluiſſet voluntatem noſtram etiam comparatiue ad Deum primum mouens, primumque agens eſſe, *ſicut Deus*, vt antea loquebatur, verum vlterius addidiſſet (quod peius eſt) & primum agens omnipotens Diuinum ſubijcere ſuam omnipotentiam eidem voluntati creatæ, vt primo agenti, velut, ne dum æquali cum Deo, ſed vltro ſuperiori eodem reſpectu actiuitatem primi agentis increati Diuini. Dubitabit & hic ſtatim, qui iſta leget, ni per calumniam afficta ſint: ſed audiat, Lector, hæc verba eiuſdem, & iudicet. Controuerſia 3. de decreto &c. diſp. 2. q. 4. certam. 3. num. 6. ſic in ſua hypotheſi decretum indifferens, quo Deus iuxta ipſum decernit ſe daturum concurſum in operationes liberas voluntatis creatæ, non prædeterminantem, ſed indifferentem, per hæc verba in perſona Dei declarat. *Decerno concurrere ad actionem etiam prauam, vel eius oppoſitam, vel non concurrere ad illam, pro libito voluntatis creatæ; id eſt meam illi omnipotentiam ad concurrendum, vel non concurrendum, extrinſecus præparo, ſubdoque* (Nota hæc, quæſo, Lector) *ſubdoque, vt eam vtatur creata voluntas, non ſecus atque habitibus infuſis, quos ad actus ſupernaturales ipſi inhærentes immitto.* Et, ne ſperares, aut crederes, incaute hæc ipſi verba decidiſſe, mox certam. 4. ſequenti num. 6. *Deus*, inquit, *decreto &c. illam ſcilicet actiuitatem omnipotentiæ ſuæ applicat ac ſubdit arbitrio voluntatis creatæ &c. & hac cum ea ſibi applicita atque arbitrio ſuo ſubdita, actiuitate omnipotentiæ vtitur &c.* mox num. 7. *ſuæ omnipotentiæ actiuitatem, & virtutem actiuam, creatæ voluntatis arbitrio ac liberæ determinationi Deo ſubdente &c.* mox num. 9. nominat iterum *ſubiectionem diuinæ actiuitatis arbitrio creatæ voluntatis &c.* mox num. 12. idem repetit, & ne longior ſim, fuſius iterum diſp. 3. q. 2. certam. 1. nu. 5. & certam. 2. num. 1. & demum certam. 3. (quod tomum terminat) num. 4. concludit his verbis. *Deus voluntatis ſuæ, quod idem eſt, omnipotentia ſua, actiuam eius extra virtutem quo ad vſum applicat creatæ voluntati, vt ea ſicut habitu ipſi in-*

fuſo

Digitized by Google

fuſo vtatur, vt diximus, nec concurſum ſuum aliter voluntate ſua proſequi, ac præparare debet, aut poteſt. Oh primum agens diuinum! Oh, Deum omnipotentem! quem è ſimbolo credimus, nec adeo debilem ſanè, nec vllo modo creaturæ ſubiectum, vt vocibus inauditis, turbidiſque ſenſibus, hic comminiſcitur. Non patitur, vel locus, vel tempus, in præſenti repetere, quæ ſupra in ſic concipientes aut aſtruentes voluntatem creatam in ſe determinando, vt *primam cauſam*, vel *primum principium*, ex Auguſtino, S. Thoma, Hieronymo, & alijs Patribus, exſcribebantur, lib. 6. q. 2. ar. 1. ab initio, & q. 3. art. 2. num. 10. & 11. per torum. Sat eſt hoc loco repetere ea ſola Auguſtini verba lib. 3. in Iulianum operis imperfecti cap. 105. *Vos inimici, & defenſores, liberum arbitrium defendendo perimitis, quod ad ſuos reuocari limites omnipotentis, & veri defenſoris bonitate non vultis.* Legeram & ipſe fateor, emanatum ab Innocentio XI. diuina prouidentia regnante diploma, exſcriptum etiam in Patribus Excalceatis Salmanricenſibus tom. 6. trac. 14. diſp. 7. dub. 4. ante num. 157. quod præaudire nunc expedit, & ita ſe habet.

Feria 5. die 23. Nouembris 1679.

IN Congregatione Generali S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico Montis Quirinalis, coram Sanctiſsimo D. N. D. Innocentio Papa XI, ac Eminentiſſimis DD. S. R. E. Cardinalibus in Vniuerſa Republica Chriſtiana, aduerſus hæreticam prauitatem, Inquiſitoribus Generalibus à S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Cum ſupradictis Eminentiſſimis & Reuerendiſsimis DD. delatæ fuerint duæ propoſitiones (ſcilicet. Deus donat nobis omnipotentiam ſuam, vt ea vtamur; ſicut aliquis donat alteri villam vel librum; & Deus ſubijcit nobis ſuam omnipotentiam;) eorundem iuſſu per Theologos ad id ſpecialiter deputatos diligenter examinatæ fuerunt, quorum votis auditis, & re Sanctiſſimo Domino noſtro relata, & coram Sua Sanctitate propoſita vna cum votis ipſorum Eminentiſſimorum & Reuerendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, Sanctitas Sua decreuit, & mandauit, vt ambæ propoſitiones omnino prohiberentur, ſicut eas præſenti decreto damnat & prohibet vt temerarias, vt minimum, & nouas, mandatque ne quiſquam deinceps, cuiuſcunque ſit gradus, Ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, ſiue ſcriptis, aut etiam oretenus docere, vel aſſerere, ſub pœnis & cenſuris in indice librorum prohibitorum contentis, alijſque Sanctitati Suæ bene viſis.

Loco ✠ Sigilli.

Franc. Riccardus S. Rom. & Vniuerſ. Inquiſ. Not.

Die 2. Decembris 1679. Supradictum Decretum affixum & publicatum fuit ad valuas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, Palatij S. Officij, & in alijs locis ſolitis, & conſuetis Vrbis, per me Franciſcum Perinum SS. D. N. D. Papæ, & Sanctiſs. Inquiſitionis Curſorem.

Hæc

Hæc omnia, vt dicebam, iam olim legeram, ſtatim ac vulgata ſunt, ſed, fateor, ignorabam, quinam illi fuiſſent, qui adeo *temerarias ac nouas propoſitiones*, non dicam impreſſis operibus, aut ſcriptis domeſticis, ſed vel verbis edocerent, aut mente conciperent, vbi modo, non gaudeo quidem, ſed doleo, ex noua mihi Lectione huius Orteghę voluminis id cum admiratione, & commiſeratione ſimul in dehoneſtatam ab ipſo eidem, alijſque quibuſdam communem, hypo theſim, innotuiſſe. Si in hoc itaque (patere mitioribus verbis me te adloqui, Orthega, qui integram Scholam noſtram, vt Ianſenianam & Caluinianam, atro citer adeo calumniabaris) ſi in hoc tuo, quod ſelegiſti ſupremum, ſententia tua (ne tuorum dicam) aſylo repoſita, vt vnam tantum, ex tot noſtris, aggredientem probationem euaderes, tuta eſſe præſumitur, de eadem, vel de tuo ſaltem tot vndequaque hiſtoriarum, damnatorumque ſcriptorum, & repetitarum toties obiectionum volumine, iam actum eſt. Iam plane cogeris à nobis modo ſimul patienter audire & ea ſapientiſſimi, præcipuique Doctoris Eccleſiæ (quem vbique vt vnum de populo, cum cæterorum turma in recitandorum elencho locare ſoles) ſcilicet Auguſtini verba in Iulianum lib. 6. prioris operis cap. vltimo: *Falleris, Iuliane, miſerabiliter falleris: vel etiam deteſtabiliter falleris. Quando animoſitatem, qua teneris, viceris, tunc veritatem poteris tenere, qua vinceris*; dum ſanè pro præcipua ratione noſtra, qua præmiſſa hucuſque de ſententia noſtra firmantur, & contra vnicam, quam, reprobatis tuorum cæteris, ſolutionem amplexabaris, (vt tandem claudam cum notiſſimis Auguſtini verbis (*Iam Reſcripta venerunt, cauſa finita eſt*, finiſque hic ſimul ſit huius noſtri Operis, quod totum, & quoad omnia, ne dum correctioni Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, verum etiam vel cæterorum Sapientum hominum iudicio, ingenua, pronaque voluntate ſubijcimus: Sicque Deo ſit gloria, Chriſto Ieſu, B. Virgini, Patriarchæ Auguſtino, & noſtro Angelico Præceptori ſit laus, & venia mihi.

Finis Libri Septimi, & totius Operis in tres Tomos diſtributi.

I N D E X
R E R V M N O T A B I L I V M,
T O M I T E R T I I

Numerus paginam, Littera A. B. C. initium, medium, & finem paginæ indicant.

A

Adrumetum.

IN Cœnobio Adrumentino primùm orta Prædeſtinianorum hæreſis. 275. C.

In eo binæ factiones, & quæ. 276. a

Æternitas.

Præcontinentia æternitatis non facit futura, ſed facta ſupponit. 427. a

Alarcon.

Expetitur de quibuſdam minùs rectè perpenſis. 385. c

Alexander Sibille; vide Sibille.

Aluarez.

Ord. Præd. optimè dixit verba quædam & eſſe Arborei, & non Auguſtini. 209. b

Sæpius in opere laudatus, in materia de auxilijs facilè Princeps Thomiſtarum. 423. a

Ammonius.

Negauit decretum prædefinitiuum Dei in ſtatu conditionato. 166. b

Angeli.

Aſcendentes, & deſcendentes per ſcalam Iacob quid myſticè indigitauerint. 322. a

Annatus.

Soc. Ieſu contra Ianſenium edidit librum inſcriptum Ianſenius à Thomiſtis gratiæ efficacis defenſoribus condemnatus. 265. c

In libro de libertate incoacta concludit Ianſenij, & Thomiſtarum diuerſiſſima eſſe principia. 266. a

Plures adducit differentias inter eos. ibid.

Approbatio.

Non quælibet Eccleſiæ approbatio operum alicuius Sancti in particulari eſt definitiua, & ſi aliqua peculiari in materia poſſit eſſe talis. 5. a

Aliam, & aliam diſcuſſionem requirunt variæ approbationes. 6. b

Quæ fuerit approbatio tot operum SS. P. P. in Concilio ſub Gelaſio. ib.

Sub approbatione generali alicuius communis, & ſingula particularia comprehenſa ſub illo cenſentur approbata. 26. b

D. Auguſtinus.

Eius opera licet inſignitæ ab Eccleſia approbatione, non tamen vniuerſim ſunt de fide, ed ſex rationibus ſtabilitur. 5. b

Qui doctrinæ eius de Prædeſtinatione repugnauerint. 11. a

Hæretici quantum ſæuiant in eum. 20. a

Plures alij ab illis tela ſumunt, quibus aptatur ſententia D. Proſperi. ib. c

Si quid eius in tali materia P. P. vel Eccleſiæ auctoritati obſtare videatur, quid agendum. 21. b

Ipſe ingenium Synodi Africanæ. 22. a

Chronologicè texitur hiſtoria de eius ſcriptis contra Pelagianos, & Semipelagianos. ib. b

Plura ex eius operibus Leo Magnus, & alij Pontifices inſeruerunt in ſuis epiſtolis. 29. c

Eius doctrinam ſequatur Eccleſia Romana, & ex ea contritæ ſunt hæreſes. 36. a

Varia eius encomia ex Inſignioribus. 39. a

Dirigit Concilia Generalia non vt cauſa principalis, ſed inſtrumentalis. 40. b

Ab impoſitis, obſcuritate, negligentia, inconſtantia, & antilogia eximitur. 41. c

Argumentis Pelagianorum, & Iuliani, plenè reſpondit. 42. c

Quid illis dicendum, qui ſudent proferre ab ipſo gratiam non eſſe rectè defenſam. 43. a

Non excellit cancellos veritatis, & probabilitatis, quomodo. 47. b

Aliter, & aliter ſe geſſit diſputans cum Manichæis, & Pelagianis. 49. a

Quàm benè contra imponentes quod ipſe nō ſenſit. 50. a

Quo in ſenſu ſuburbium dixit doctrinam eius P. Turcus Generalis Ord. Præd. 52. a

Ab Hilario recipit, & eidem reſcribit epiſtolas. 113. a

Futurorum conditionatorum præſcientia ſecundum ipſum innititur propoſito Diuinæ voluntatis. 142. b

Circa hoc ipſe egit quod prius D. Paulus, & D. D. Ambroſius, & Cyprianus. 147. a

Contra irriſores ſuę explicationis quid reponat. 150. a

Sub Auguſtinianę ſequelę pallio hoſtium Auguſtini cineres inflammantur. 153. c

Quo pacto legentibus ſe ſubijciat. 158. b

Subdolè Maſſilienſes deducebant eum admiſiſſe ſcientiam non innixam propoſito. 171. c

Cuinam parti concedenda vera eius doctrinæ intelligentia, ſacra hiſtoria de iudicio Salomonis aperitur. 194. b

Quæ contra eius doctrinam agglomerant aliqui ab eo ſunt præoccupata & ſoluta. 195. a

Ante Epiſcopatum quid ſenſerit, quod retractauit, hinc perperam à nonnullis pro ſuo placito ex eo tales adducuntur auctoritates. 205. a. 209. a

Ex eo explicantur verba illa D. Pauli: Non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei. 206. b

Robuſtiſſimę eius reſponſiones contra obiectiones Iuliani. 239. a

Afferuntur eius reſponſiones, quibus ei obijciebatur eum ſentire cum Manichęis. 255. a

Qua occaſione ſcripſerit libros de Gratia, & Libero arbitrio. 277. b

Qua pariter occaſione ſcripſerit epiſtolam 47. & librum de Correptione, & Gratia. 278. a

Quam reuerenter de eo locutus ſit Arnobius iunior. 279. a

Quorumdam eius verborum vera explicatio. 300. c

Et ſi dixerit Deum pręſciuiſſe quid fuerat ipſe facturus, nunquam tamen dixit: Deum pręſciuiſſe quid fuerat ipſe prędeſtinaturus: quid inde non admittendum. 341. b

I N D E X.

Qualis ex eo concedi debet præſcientis operum ſub conditione futurorum in Deo ante quodcumque decretum. 403. a

B

Bail.

PRo pœnitentiarius Pariſienſis Thomiſtarum doctrinam de Phyſica præmotione cum Calviniſtis, & alijs damnatis confundit. 210. c

Verum D.D. Auguſtini, & Thomæ ſententia decem, & ſeptem rationibus vindicatur. 213. c. ſeq.

Eiuſdem obiecta diſſoluuntur. 251. c. ſeq.

Sui immemor dicit quod *D. Thomas non erat tum eis, ſicut nec ignorauit Caluinus.* 214. b

Iterum ſui immemor. 217. b

Auctoritates D. Th. adducuntur, quas benè aduertere debuiſſet, antequam Thomiſtarum ſcholam cum lupanaribus Caluini confunderet. 240.

Eos laudat, quos minimè certe laudaſſet, ni ſui fuiſſet immemor, vel ſuas voces ignoraſſet. 245. c

Ignorauit Commentaria D. Th. in Magiſtrum ſententiarum non in Tractatus, ſed per diſtinctiones fuiſſe diſtributa. 247. a

Hinc cum ſit minus verſatus in Thomiſtica Theologia in eius caput refunduntur verba, quæ ipſe in alios Theologos intorquebat. ib. b

Totam rationem gratuiti in exercita prædeſtinatione vnius hominis præ alio in ſolâ gratiâ creationis refundere videtur, & recitãtur eiuſdẽ verba. 248. c. ſe.

Quorum etiam fuerit hic error. 249. c

Tutatus eſt Fauſti Semipelagiani libros eſſe catholicos. 250. a

Minus reuerenter ſcripſit de D. Auguſtino. ib. b

Perperam interpretatur diploma Alexandri VII. ib. c.

Non ſemel minus reuerenter de Apoſtolica Sede, & Pontificibus. ib.

Pluribus in eum quæſitis eius prima obiectio diluitur. 252. a

In eum dialecticam iactantem aptatur ſententia D. Auguſtini in Iulianum. ib.

Agit ipſe cum Thomiſtis D. Aug. diſcipulis ac olim fecit Iulianus cum D. Auguſtino. 254. c

Ex hoc quod hariolatur ſeculum proximum contra Thomiſtas maiori lumine colluſtrandum in his arguitur contra ipſum. 257. b

Quam perperam carpit diſtinctionem de ſenſu compoſito, & diuiſo, cum fateatur eam admiſſam, & adhibitam in Tridentino Concilio à P.P. 259. a

Sententia D. Auguſtini in Iulianum ſeriò admonetur. ib. c

Ei conceditur quod pauci quidam minus periti eam diſtinctionem, dum explicare contendunt, ſmagis obſcurant, & affertur exemplum. 259. c. ſeq.

Diſſoluuntur ea, quæ obijcit Thomiſtis ex Campanella. 263. a

Fatetur doctrinam D. Aug. à Ianſenio non benè intellectam, & à mente D. Th. aberraſſe. 268. c

Bannez.

Ord. Præd. obſequentiſſimus fuit erga D. Auguſtinum, nec vnquam admiſit eum aberraſſe, vt admiſiſſe accuſatur. 48. b

C

Cabrera.

EIus ſententia de futuris conditionatis latius exponitur, & vt probabilis illuſtratur. 366. ſeq.

Nec ſibi repugnat, nec inconſtans fuit, & perperam pro ſcientia media adducitur. 382. a

Caluiniſtæ, Caluinus.

Caluinus qualiter P.P. receperit. 49. d

Caluiniſtæ conueniunt cum Manichæis in negandâ indifferentia libertatis. 209. a

Eius doctrina de prædeſtinatione nec à ſuis potuit tolerari; & quid circa hoc egerint Bernenſes, Tigurini, & Hollandi. 212. c

Thomiſtarum doctrinam ſibi contrariam dixit Caluinus, hinc contra Bail. 213. c

Conuenit in vno, diſcrepat in alio à Luthero circa liberã hominis indifferentiã ad bonũ, & malũ. 216. a

Libertatem à neceſſitate abſoluta deridet. 217. a

Vult quod Deus, & homo conueniant in volendo, & cauſando malitiam, & ſolum differant in modo ordinandi ad finem. 220. a

Eius inſtitutiones nunquam recuſæ quin aliquid momenti ſit mutatum. 221. c

Latè, & dilucidè adducuntur diſcrimina inter modum, quo ipſe vſurpauit diſtinctionem de ſenſu cõpoſito, & diuiſo, & quo ſolẽt vti Thomiſtę. 222. b

Reijciens diſtinctionem de neceſſitate conſequentię, & conſequentis, omnem Dialecticæ artem deſtruere viſus eſt. 225. a

Conſiderauit motionem phyſicam materialiter ſolũ vt ens eſt, non verò formaliter vt motio ad noſtrum agere eſt, quæ plurimum inter ſe differunt. 228. a

Diuinam motionem accepit vt efficaciter mouentem, ſed nõ omnipotẽter, aliter accipiũt Thomiſtę. 232. b

Conſiderauit Dei motionem ad inſtar motionis cauſæ particularis mouentis, ideoque neceſſitantis. 233. a

In ſtatu innocentiæ non agnouit neceſſitatem gratiæ ab intrinſeco efficacis. 234.

Neceſſitatem conſequentiæ procul à ſenſu D. D. Auguſtini, & Thomæ vſurpauit. 240. b

Non pauci ex Caluiniſtis prolapſi ſunt in Semipelagianiſmum, vt Arminiani &c. 261. b

Non ſemel ex antecedenti vero conſequentiam inferunt falſam. 458. c

Caramuel.

Scripſit cur Ianſeniani non debeant accenſeri Thomiſtis. 265. b

Cuius ſcholæ ſit illa gratia ſufficiens, quam Ianſenius deridet. ib.

Eius doctrina de cognitione diuina futurorum conditionatorum non admittitur. 298. a

Caſſianus.

Quis fuerit, quid docuerit. 22. c

Medium ſe conſtituit inter Pelagium, & D. Auguſtinum. 23. a

Qui eum immunem fecerint ab errore Semipelagianorum, & eorum rationes. 61. b

Hæreſim vulgarium Semipelagianorum conatus eſt temperare. 71. c

Teſtimonia, quę probabilẽ ſuadẽt eius ſanctitatẽ. 91. a

Eius Collationes quomodo diuiſę, quib⁹ dicatę. 100. b

Eius error de dono ſpeciali perſonali. 119. c

Argumenta quibus ſuadebatur eius immunitas à Semipelagianiſmo. 128

Eius [illegible] laudanda, ac legenda quo pacto Hieronymus [illegible]iebat de Origene. 130. a

Cui ex Collationibus ſuis de eius mẽte inſiſtẽdũ. 131. c

Doctrina non Perſona inuenitur ab Eccleſia damnata. 132. c

Eum ante obitum reſipuiſſe pluribus ſuadetur. 133. a. ſeq.

Catharinus.

Soti cenſura de libellis ipſius de prædeſtinatione. ib.

Cauſa.

Secunda libera ad deformitatem formalẽ peccati poteſt

Digitized by Google

ſeſt ſe habere vt primò ſe determinans, repugnat tamen talem ſe habere ad entitatem materialẽ actus etiã peccaminoſi: quid inde contra de Vita. 432.b

Centuriatores Magdeburgenſes.

Plures falsò carpunt ex P.P. & à quo confutati. 7.b

Chemnitius.

Hæreticus in actibus prauijs ad iuſtificationem ex adiutorio indeclinabili Dei vult nos agere neceſſariò, in actibus ſubſequentibus liberè. 80.a

Cheremon.

Quomodo obierit, eius nomen apud Latinenſes in litanijs reponitur. 93.c

Chronologia.

Qui in hoc genere ſcribendi Principes. 117.a

In græca hiſtoria ante Olympiades omnia confuſa. ib.

Non ſolum proficua, ſed & neceſſaria Chriſtianæ Religioni. ib.b

Chryſippus.

Scientiam mediam conditionatorũ tutatus eſt. 165.a

Vtitur exemplo protruſi cylindri. ib.

Qui dixerint eum pugnantia dicere, & cur. 166.a

Chryſoſtomus.

Eum à qualibet ſuſpicione Semipelagiani erroris expertem qui propugnauerint, quos & ſequitur Auctor. 118.a

Qualiter explicanda veniant aliqua eius teſtimonia. ib.c

D. Auguſtinus eum eximit ab omni labe. 119.c

Cicero.

Eius diſcurſus de futurorum præſcientia. 149.a

Scientiam mediam commemorauit. 162.a

Celeberrimam D. Auguſtini diſtinctionem, prædicauit. 163.a

Futurorum præſcientiam ſine decreto euidentiſſimè ponit. 164.a

Quo io ſenſu ex D. Auguſtino ipſe negauerit præſcientiam. ib.

Cœleſtinus Pontifex.

Approbauit nedum priores, ſed & poſteriores D. Auguſtini libros. 25.a

Quod & pluribus rationibus ſtabilitur. ib.

Et poſteriora capita eſſe eiuſdem epiſtolæ propugnator. 27.a

Et ſi eis Proſper non fuerit vſus non ideo neganda ex ſimili, & ratione oſtenditur. 31.b.

Quid in eis non ità clarè expreſſum ac ideò Proſper eis non vſus. 32.a

Alijs in locis opportune ea adhibuit. ib.b.c

Quo anno epiſtolam illam ediderit. 34.c

Concurſus.

Simultaneus Dei ad actus prauos materialiter ſumptos à quo negatur, quæ poſitio refellitur. 434.a

Præuius nunquam negatur à Thomiſtis, & eiuſdem diſtinctiones ex Caietano. 440.c

Congruitas.

Quotuplex, & quæ. Hinc explicantur verba Apoſtoli, & earumdem explicatio ex D. Th. 206.c

Crimen, & Criminari.

Non ſemel in mitiorẽ ſenſum recipitur à Latinis. 123.a

D. Cyrillus.

Quo ſenſu de eo dixerit Concilium Chalcedonenſe, elogium quoddam. 10.b

D

Decamps.

Stephanus Decamps Societ. Ieſu dicit nullos infenſiores doctrinæ Ianſenij Dominicanis. 266.a

Decretum.

A Dei decreto haberi operis perfectionem, ſeu futuritionem in ſtatu abſoluto oſtenditur, nec inde formidantur inconuenientia, quod pariter dicendum in ſtatu conditionato. 150.b

Non inducit deſperationem, immò tutiores viuimus. 197.b

Per illud nihil potẽtiæ in actu primo derogatur. 198.a

Allata abſurda diſſipantur. 200.a

Nullo modo poteſt auferre rationem futuri liberi. 412.c

Decretum conditionatum.

Qui negent vel dari, vel poſſibilia eſſe in Deo decreta obiectiuè conditionata approbatiua conditionatæ futuritionis rerum Diuinorum. 377.b

Qui verò ea ponant. 378.b

Cuius nutet fides in his. ib.c

Et de ſuis vanè conquerantur. 379.a

Prædicta decreta obiectiuè conditionata quæ immediatè, & quæ mediatè attingant. 380.c

Decretum Dei approbatiuũ quæ prius attingat. 381.b

Deſiderium.

Diligentia, & deuotio cum eo coincidunt. 77.c

Deus.

Ex ſumma eius efficacia, & vniuerſalitate cauſalitatis quam bene ex D. Th. contra Caluinum. 233.b

Quod Deus donet nobis ſuam omnipotentiam vt ea vtamur, ſicut quis donat villam, vel librum, & ſic Deus ſubijcit nobis ſuam omnipotentiam, ſunt propoſitiones damnatæ. 234.c

Eſt verè cauſa quod à noſtra voluntate volitio libera ſuboriatur. 240.b

Præter actum liberum executiuum actiuè in tempore datur in Deo ab æterno formaliter intrinſecè ipſa prædefinitio libera vt talis prædefiniens actum liberum ... in tempore executiuum, quod pluribus rationibus firmatur. 323.c

Qui aſſeruerit poſſe euenire quod Deus de nouo in tempore velit aliquid, quod ſe voliturum ab æterno non decreuit. 326.b

Oppoſitum ſtabilitur pluribus rationibus. ib. ſeq.

Actus liber Dei executiuus in tempore poteſt habere rationem futuri abſoluti, & hoc quinque rationibus oſtenditur. 329.c

Formale intrinſecum conſtitutiuum actus æterni liberi Diuini quoad explicitum in terminando potuit non eſſe. 330.c

Aliquis actus liber Dei executiuus in tempore poteſt habere rationem futuri conditionati ab æterno, quod ex ſcriptura, & ratione oſtenditur. 333.c

Nequit eſſe futura actio creaturæ in tempore quin in tempore futura ſit actio executiua Dei, quid inde. 334.a

Actus prædefinitiuus Dei ab æterno nullo modo virtualiter cum fundamento in re poteſt habere rationem futuri quod duodecim rationibus ſtabilitur. 336.c

Quis minus ſcientem ſui, quam noſtri, Deum facere videatur. 341.b

Deum certò cognoſcere ſuos actus in tempore conditionatè futuros pluribus rationibus ſtabilitur. 346.a

Qua ex ignorantia aliqui poſuerint Deum veluti ex fato neceſſitari. 347.c
Deus actus ſuos futuros abſolutè in tempore præſcit in ſuo decreto prædefinitiuo eorumdem ab æterno. 349.a
Deum facere futura nil aliud eſt quam eorum cauſas præparare ex D. Auguſt. 357.a
Determinatio cauſæ ſecundæ liberę primò debet cauſaliter refundi in Deum, excepta deformitate malitiæ, quod nouem rationibus ſtabilitur. 362.b
Quod Deus habet præcipere homini habet etiam eidem dare, quid inde. 364.b
Actus voluntatis Dei vt talis erga creaturas effectiuus ſimul eſſe debet, nō verò affectiuus dumtaxat. 384.b
Quomodò non præſciuit practicè Deus quod non erat executioni mandandum. 385.a
Non intuetur conuerſionem alicuius infallibiliter in ſola conditione, & natura liberi arbitrij. 387.c
Ratio præcipua, propter quam ante actus executiuos in tempore prærequiratur in Deo ab æterno decretum, eſt etiam eius immutabilitas. 396.a
Qualis ſit eius habitudo ad creaturas. 399.a
Idem eſt ei dicere quod facere. 401.b
Contingentia propriè in eo non datur. 407.a
In quo differat actus executiuus Dei ſolum conditionatè futurus ab actu executiuo eiuſdem futuro abſolutè. 411.c
Quomodò de his, quæ poteſt facere, ſed ſecundum nullum tempus facit, non habeat ſcientiam practicam. 414.a
Prædeſtinatione Deus præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus. 425.c
Scire in Deo ſequitur voluntatem vt imperatum ab ipſa, eſſe autem non. 426.a
Cum ſit prouiſor vniuerſalis quid ei conueniat quod agenti particulari minimè conuenit. 440.b
Deus immediatè, nulla altera cauſa mediante, in omnibus, & ſingulis tanquam ſibi proprium effectum attingit eſſe vt eſſe. 441.a

Diſtinctio.

Celeberrima illa diſtinctio de ſenſu compoſito, & diuiſo elucidatur. 222.a
A Caluino perperam vſurpata, ab aliquibus non benè intellecta, à Thomiſt. quomodo explicata. 223.b
Quid de ea Driedo. 224.c

Dolor.

De infirmitate non ponit in numero cum deſiderio ſanitatis: ille reſpicit terminum à quo, iſtud terminum ad quem. 77.c

Dominicani. Plura verbo Thomiſtæ.

Quonam pacto doctrinę D. D. Auguſtini, & Thomę adhęreant. 49.c
Obiectas in eorum ſcholam Caluiniſmi, vel Ianſeniſmi calumnias, verbis D. Proſperi diluunt. 50.b
Exploditur impoſtura Diatribiſtę quod patrocinium procurauerint Ianſenianis, & oppoſitum euidentiſſimè conuincitur. ib. c. ſeq.

E

Eraſmus.

QVid effutiat de Prędicatoribus, & Auguſtinianis. 2.b

Eucherius.

Lugdunenſis Epiſcopus impulit Caſſianum ad ſcribendum Collationes, ſibi dicatas ab eodem excepit. Laudibus ab eo cumulatur. Eaſdē Collationes contraxit, hinc quid poſſe inferri videatur. 115.b
Senior Hilario Lugdunenſi Epiſcopo. ib.c

F

Fatum.

SEu decreta prouidentiæ Dei, quæ auferrent libertatem, & contingentiam qui defenderint. 162.b
Fati nomine quid intelligerent Aliqui. 163.a
Omnia fatali neceſſitate euenire, qui ſenſerint poſt Chriſti aduentum. 167.a

Fauſtus.

A quibus eximatur à Semipelagianiſmo, & eorum rationes. 63.a
Quid ſentiendum de eius ſanctitate, vel probitate. 92.a
Adducta iam argumenta ſoluuntur. 134.c
Quid moderni ſcriptores laudatiſſimi de eo ſcripſerint, & quid ab antiquis temporibus ſenſerit Eccleſia de ipſo. 135.a
In Synodo Arelatenſi ei vtique commiſſum ordinare damnationem hęreſis Prędeſtinatianę, at quid non inde poſſit inferri. 136.b
Nomen Diui, vel Sancti in inſcriptione eius operis delendum iubetur. 137.a

Futuritio.

Conditionata importat totū id imperfectionis quod importat futuritio abſoluta, & vlterius addit propriam imperfectionem, & hęc qualis, & quid ex hoc non admittendum. 341.a
Abſoluta, quæ ab aliquibus ponitur in decreto Diuino, qualis ſit. ib.
Etiam in abſolutis debet ſumi formaliter à diſpoſitione cauſę prius, & potius quàm ab euentu, idque vndecim rationibus ſtabilitur. 352.a
Si ſumeretur ab euentu quę ſequerentur abſurda. 357.b
Quę diſparitas inter futuritionem conditionatam actus diuini, & creati. 370.b
In hoc Nauarretis, Cabrerę, & Zumel ſententia vndecim argumentis vt probabilis explicatur. ib. ſeq.
Futuritio conditionata actus ſiue noſtri, ſiue executiui Diuini, in quo differat à futuritione abſoluta eorumdem. 407.a.412.b

Futura.

Ex prędefinitione ſine lęſione contingentię, & libertatis docuit primus D. Petrus. 167.a
Qui de eis pręſcientiam admiſerint, at ſine cauſalitate, & decreto. 168.a
Duplex acceptio Futuri 343.c

Futura conditionata.

Cognitio infallibilis conditionatorum in Deo eſt conditionata obiectiuè non ſubiectiuè. 301.a
Futura conditionata ſaltem contingentia præſciuntur prius quam abſoluta, idem probabiliter de quibuſdam ſaltem neceſſarijs. 304.a
Eorum ſcientiam qui reducant ad ſcientiam viſionis, qui ad intermediam, & qui ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. 310.a
Thomiſtæ omnes talem ſcientiam liberam ſupponunt etiam ex parte ſubiecti. In hoc verò duplex modus procedendi, quem ſequitur Auctor, ſeptem rationibus [illegible]. 311.b
D[illegible] conditionato importari aliquem ordinem, quid videndum maneat. 376.c

G

Gennadius.

Qui eum à Semipelagianis eximant. 64.a
Communior de eo ſententia. 138.a
Quid ipſe de operibus Caſſiani. Quæ Euagrio tribuerit. Rufinum D. Hieronymo ante poſuit. Illum laudauit, hunc accuſauit. ib.b.c

Nom

I N D E X.

Non ſcripſit per ignorantiam facti. 139. a
Audita ab eo damnatione operum Caſſiani, & Fauſti conceditur forſan reſipuiſſe ab eorum laudibus. 140. a

Gloſſa.

Quædam Gratiani exceſſit quidem in aſſertione circa doctrinam in generali attamen in peculiari materia iuxta explicatos gradus veriſſima eſt. 37. b

Gratia.

Extrema ſententia ſupponens nunquam hominem vel minimum bonum actum ex obiecto naturali elicere de facto repellitur. 119. a
De actu naturali initiante, ſeù diſponente remotè ad gratiam quid ſenſerint antiqui Scholaſtici. 129. a
Vnica gloſſa eximuntur ab errore. ib. b
Licet aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam, nec promereri, nec acquirere poſſit, poteſt tamen de ſe ſeipſum impedire, ne recipiat. 189. c
Niſi homines Dei gratiæ defuerint, Deus ſicut cœpit opus bonum ità perficiet. 190. a
Aperitur differentia inter modum, quo Deus eſt cauſa per ſe quod conſentiamus gratiæ excitanti, & operemur bonum, & quo permittit nos diſſentire gratiæ non impertiendo prædeterminationem ad bonum. ib.
Nullam in ordine ad ſalutem Caluinus admiſit gratiā in intellectu propriè excitantem moraliter cum indifferentia iudicij, e contra Defenſores gratiæ efficacis. 226. c. 227. a

H

Habitudo.

Quæ differentia inter habitudinem actus Diuini immanentis in Deo ad creaturas vt ſcitas, vel volitas, & habitudinem actionis Diuinæ tranſeūtis ad creaturas vt productus ad extra. 399. c. 400. a
An talis habitudo ſit neceſſaria. ib. ſeq.
Quomodo diſtinguatur ab actu neceſſario. 401. a
An ſit verè in Deo à parte rei. 402. b

Hæreſis.

Iuxta diſtinctionem, quæ adducitur, qui eximantur ab hæreſi. 33. b. c
Pelagiana, & Semipelagiana quàm iteratis vicibus damnata. 35. a

Hilarius.

Arelatenſis Epiſcopus à quibus inter Semipelagianos detrudatur. 59. b
Quibus rationibus iſte alius videatur ab illo Hilario ſcriptore epiſtolæ ad D. Aug. 60. a
In Epiſtola Celeſtini ad Epiſcopos Galliæ non nominatur, quid inde eliciendum. 101. c
A Semipelagianorum labe eum immunem certa eius ſcripta conuincunt. 102. c
Eius humilitatis monumenta. 103. b
Supremæ eius voces qualem demonſtrent. ib.
Non à ſæculo, ſed à Lerinenſi Cœnobio aſſumptus fuit ad Epiſcopatum Arelatenſem, quid inde inferatur. 104. b
Nunquam Maſſiliæ Epiſcopus. Patriam n... Arelate, hinc infertur intentum. ib. c
Ille ipſe eſt, qui ad Auguſtinum ſcripſit ſeipſum purgans à ſuſpicione Maſſilienſis erroris. 106. c
Nec alter eſt inducendus Hilarius in propoſito. 108. a
Quo tempore Sedem Epiſcopalem conſcenderit. 109. c
Quo anno Synodo Rhegienſi ſubſcripſerit, & alia de eo. 110. a
Plurium aliorū exemplo ad Africæ deſertos contendit. In Aug. Cœnobio diuinis inſtruitur, & alia. 112. a

Honoratus.

Quo anno ætatis ſuæ obierit, cuius Patriæ, Familiæ, & alia. 110. c. 111. ſeq.

I

Ianſenius.

Quo exceſſu peccet vtendo doctrina D. Auguſtini. 49. c
Iuſtiſſimè damnatus etiam propter ſecundam partem ſuæ quartæ propoſitionis, quidquid eſſet de prima parte. 84. c
Qualis obierit. 88. a
An in eo fuerit ignorantia veri ſenſus Apoſtolicæ definitionis. 94. a
Ab erroribus eius longè diſtant Thomiſtæ. 264. ſeq.
Quando eum impugnarunt Thomiſtæ. 266. b
Qua nota librum Aluarez de Auxilijs poſtillauerit. 267. b
Præcipua eius dogmata eadem cū damnatis Baij. ib. c
Phyſicam prædeterminationem apertiſſimè impugnat. 268. c
Tota origo errorum eius qualis, & per quam ex oppoſito à ſchola Thomiſtarum ſeparetur. 269. a. b
Ab vtraque ſchola Thomiſt. ſcil. & Societatis, aliquid ſe ſumere ipſe ſaſſus eſt. 270. a
Signantur loca, in quibus D. Th. aduerſatur quinque eius damnatis propoſitionibus. ib. b
In re conuenit, & ipſe aliqualiter ſe conuenire concedit, cum Caluino. 272. b

Ignorantia.

Inuincibilis non eſt vbi adeſt error ex obſtinatione, & pertinacia. 86. a
Nec in eo, qui ſubdolè, & non ingenuè operatur. ib.
Craſſam, & affectatam excuſare ab hæreſi qui aſſeruerint. 88. b
Veri ſenſus Apoſtolicæ definitionis poteſt quandoque cadere etiam in aliquos viros doctos. 91. a

Indifferentia.

Actiua, & paſſiua ſuſpenſionis, & actiua dominij, & independentiæ ab obiecto, cuius illa ſit, & iſta. 404. a

Ioannes à S. Thoma.

Ord. Præd. ſæpius in opere laudatus, ab imputata contradictione eximitur. 447. a

Ioſeph de Vita.

Ord. Præd. eius opus in compendium redactum legentibus ſubijcitur. 427. c
Singulare eiuſdem placitum decem rationibus reprobatur. 432. ſeq.
Obiectiones, quæ pro illo ſtare poſſent, diſſoluuntur. 440. a

Iulianus.

Vtique inter Pelagianos numerandus, potuit nihilominus conſentire cum Semipelagianis circa peccatum originale. 68. a
Extrinſecè inchoauit Semipelagianam, dum Pelagianam hæreſim intrinſecè terminauit. 71. a
Expreſsè vſus eſt contra D. Auguſtinum erronea Ciceronis Philoſophia de libertate. 238. c
Pluribus & Sacræ Scripturæ teſtimonijs, & eiuſmet Auguſtini verbis conatus eſt euincere, eum cum Manichæis ſentire. 253. a

L

Lerinum.

Inſula vna ex Stœchadibus, ſeries Abbatum Monachorum in ea degentium recenſetur. 100. c. 101. a

I N D E X.

Liberum arbitrium.

Arbitrij libertatem in quo poſuerint aliqui ex Neotericis. 225.a
Non excludit influentiam ſuperioris cauſę, à qua eſt ei eſſe, & operari. 235.a
Qui deſtruant liberum arbitrium ex teſtimonio Academię Duacenſis. ib.c
Idem ex D.D. Auguſtino, & Hieronymo. 236.a
Apud Caluinum nomen inane. 237.b.

Libertas.

Circa negatam hominis libertatem quot fuerint abſurdi errores. 215.c
Circa hanc in quo conueniat, & in quo diſcrepet Lutherus à Caluino. 216 a
Ab hereticis relicta in homine ſolummodo libertas ad actiones politicas, & œconomicas, & ad iuſtitiam ciuilem, & eam admittunt in actionibus illis, quę ſpectant ſolam diuinam iuſtitiam. ib.b.227.a
Adducuntur plures D. Auguſt. auctoritates quibus demonſtratur eſſe in homine libertatem indifferentē ad benè, vel malè agendū, & quomodo. 218.219
Liberum ſolum ab extrinſeco ex parte mutabilitatis in obiecto non eſt propriè liberum, ſed contingens. 317.c
Cui per ſe primò conueniat libertas, & cui ſecundario. 318.c
Abſurdum eſt pręuideri prius libertatem aliquam formalem ex parte creaturę, quàm ex parte Dei. 320.a
Radix libertatis eſt in ratione originaliter conſtituta. 440.c

Lutherus.

Irri ſorijs titulis Thomiſtas dehoneſtat. 214.c

M

Macedo.

ORd. Min. dat teſtimonium quonam pacto ortum ſit, & diſputatum placitum, de quo diſputatur: quid plures illius Inſtituti ſenſerint, & cui fuerint quędam adiuncta, quę fauent illi placito. 53.a
Laudat obſequium Societ. Ieſu in Auguſtinum, & quoad ſingulare placitum excuſat. 55.b
Malè tulit quod in turbam Semipelagianorum conijciantur Vincentius Lirinenſis, & Hilarius Arelatenſis. 64.b.c

Marcus Antonius de Dominis.

Apoſtata à fide catholica antea Archiepiſcopus Spalatenſis Saluiani auctoritate, qua abutitur, cunctos Germanię Proteſtantes, & Anglię ab hęreſi formali liberare contendit. 89.b

Manichæi.

Et Caluiniſtę in neganda libertatis indifferentia conueniunt. 209.c

Maſſilia: Maſſilienſes.

In ea celebris erat Doctorum Vniuerſitas. 22.c
A quo animum arripuerint inſurgendi contra D. Auguſt. 23.b
Ante ipſos alij in Semipelagianiſmi errores ſunt prolapſi. 73.b
Error Semipelagianorum dictus Maſſilienſium, quia etſi ibi ortum non habuit, ibi ſaltem adoleuit. 74.b
Intra limites dubitationum de ſenſu Apoſtolicarum definitionum ſe forſan aliqui continuerunt. 89.c. 90.a

Pelagium ritè damnatum fuiſſe ſentiebant. 131.c
Quæ differentia inter eos poſt epiſtolam Cœleſtini, & Semi-Arianos poſt Concilium Nicænum. 140.c
Quid ſentirent de futuris conditionatis. 142.b
Malè dicebant: Niſi præſcientia explorauerit, prędeſtinatio nihil decernit. 168.c
Subdolè inferebant D. Auguſtinum conceſſiſſe ſcientiam non innixam propoſito. 171.c
Cur adeò abhorruerint diſtinctionem de adiutorio quo, & ſine quo. 173.c
Ex doctrina D. Auguſtini dixerunt plura ſequi abſurda, quæ recenſentur, & ex eiuſdem doctrina diſſipantur. 196.c. ſeq.

Meritum.

Noſtrum & eſt ex gratia, & ex libero arbitrio, tamen ſubiacet prædeſtinationi. 381.a

Molina.

An quæ de eius doctrina aſſerunt aliqui vera ſint. 52. a. ſeq.
Sui operis cenſores qui fuere indulgentiſſimi. ib.b
Qui alij fuerint eidem aduerſantes. ib. c. 53.a
Quos P.P. in Semipelagianiſmum detrudat. 56.b

Motio.

Phyſica Dei malè à Caluino conſiderata. 228.a
Ad quæſtionem de motione Dei quomodo compoſſibilis cum diſſenſu, quid dicendum. 229.a
A Caluino non accipitur vt proueniens à cauſa omnipotente. 230.c
Quo in abſurdo conſentit & Ianſenius. 231.b

N

Nauarretes.

ORd. Præd. cuius ſententia de ſcientia conditionatorum latius explicatur, & vt probabilis declaratur. 366. ſeq.
Semper ſcientiam mediam repudiauit. 382.b
Egregium eiuſdem acumen commendatur, & quorundam oſcitantia refellitur. 385.b

Neceſſarium.

In neceſſarijs eſt prior connexio abſoluta quàm conditionata, quo in ſenſu verificetur. 307.
Aliquid non eſt neceſſarium, quia ſemper erit, ſed potius ideò ſemper erit, quia eſt neceſſarium. 352.c

Neceſſitas.

Conſequentis diſtinctionem & conſequentiæ deſtruit Caluinus. 225.a
Eius plures diſtinctiones explanantur. 456.a

Noris.

Henricus Noris Auguſtinianus laudatus pro D. Auguſtino defenſo. 42.b
Exactiſſimè diſſoluit obiectiones contendentes exceſſiſſe D. Auguſtinum lineas veritatis, & probabili-[illegible] 47.b
[illegible]monium de diſputationibus coram Clemente VIII. 53.b
Librum Gennadij de Eccleſiaſticis dogmatibus à Semipelagianiſmo defendit. 64.a
Vincentium Lerinenſem à materiali horum labe non eximit, in quo quid ſentiendum oſtēditur. 96.a.ſeq.
Nec Hilarium Arelatenſem ab eadem abſoluit, & in hoc quid ſentiendum. 101. ſeq.
Eucherium ab illa iuſtiſſimè abſoluit. 103.a
A profunda antiquitatis eruditione laudatus. 109.a

Omni-

I N D E X:

O

Omnipotentia.

QVod Deus donat nobis ſuam omnipotentiam, vt ea vtamur, ſicut aliquis donat villam, vel librum, & Deus ſubijcit nobis ſuam omnipotentiam, ſunt propoſitiones damnatæ. 161. c
Ex ea quid ſequatur, quod noluit, vel omiſit attendere Caluinus. 232. a

Opinio.

Aliqua probabilis, & probabilior ſucceſſu temporis improbabilis poteſt deuenire, & afferuntur exempla. 9. c
In Concilio Lateranenſi V. cautum eſt, ne Profeſſores ſine refutatione permitterent eas opiniones Philoſophorum, quæ Fidei veritatibus minus congruerent. 211. b

Ordo.

Executiuus quotuplex, & qui: hinc planiſſime fiunt S.S. P.P. auctoritates, quæ contra placitum Thomiſtarum poſſunt afferri. 202. b
Quibus pleriſque & Aduerſarij reſpondere tenentur. ib.

Origenes.

Origo fuit erroris Pelagiani. 268. a

Orthega.

Eius obiectiones contra placitum Thomiſt. diſſoluuntur. 444. b.
Ex Auctore proſcripto plura iam diluta ſcribit. 448. c
Plura malè ab eo addita refelluntur. 449. a
Malè Auguſtiniano Scriptori affingit damnatum libellum. ib. c
Vt quædam effugiat quæ afferat pro Molina. ib.
Aluarez ij verba truncat. 450. a
Quæ apertiſſimè falſa attribuat ipſis Martinez, & Lemos. 451. b
Vniuerſitatum patrocinia quæ conglomerat pro ſcientia media quid oſtendant. 452. c
Quid Thomiſtis affingat. 453. c. ſeq.
Expoſtulatur & ſuis conuincitur reſponſis. 455. c
Malè poſuit Fatum aliquod Catholicum, & tamen reprobatum à P. P. non enim hæc duo cohærent. 457. c
Quàm immeritò quædam Thomiſtis imponat. 459. a
Quæ abſona referat de ſuis Auctoribus circa Diuinum concurſum. 462. b
Aliud abſonum eiuſdem aſſertum. 464. b
Aliud pariter. 466. a. b
Bina eius aſſerta à Sacra Congregatione fuerunt damnata, & affertur Decretum. 468. b

P

Pariſienſis Vniuerſitas.

EX pluribus erroribus ab ea damnatis, qui & recenſentur, reprobatur quoddam ſingulare placitum. 437. c

S.S. Patres.

Qua approbatione eorum operum vniuerſim approbata ſint ab Eccleſia. 5. b
Quotuplex eſt modus eorum, quæ in illorum operibus leguntur, & qualem aſſenſum quodlibet eorum requirat. 7. c
Quid de ipſis ſenſerit Quinta Synodus generalis. 8. a
Eorum aſſerta vndè recipiant auctoritatem. 9. a
Caluinus, & ſui ſimiles auctoritates P.P. quomodo recipiant. 20. b
Plures recenſentur, qui ab aliquibus cum Semipelagianis confunduntur. 56. b. c. 57
Non litigantibus Pelagianis ſecurius locuti ſunt P. P. nec tamen aliquid contrarium his, quæ in propoſito docuit D. Auguſtinus, ſcripſerunt. 201. c
Alij P. P. cum Præſcientiam nominarunt, non excluſerunt prædefinitiuum decretum immò ſubintellexerunt. ib.
Cum dixerunt noſtrum eſt incipere, & velle, quomodo explicandum. 202. a
Quam prædeterminationē excludere intendebant. ib. b

Pelagiani. Pelagius.

Hæreticus, qui fuerint præcipui eius errores. 65. b
In quibus à Semipelagianis differant. 67. a. b
Nomine Pelagianorum Semipelagianos intellexit D. Th. & quomodo. 68. c. 97. c
Poſt Cæleſtini tempora nemo auſus eſt pro hæreſi Pelagiana ſcripta emittere, inde quid eliciatur. 98. b
A Semipelagianis commiſerationem, & ſubſidia petuut. 139. c
Quæ verba Auguſtini maximè Pelagio diſplicerent 364. c.

Pertinacia.

Quæ abſoluat ab hæreſi formali, & quæ non. 94. a

D. Petrus Apoſtolus.

Quid reſponderit difficultati propoſitæ à Simone Mago de Diuina Præſcientia. 144. c

Petrus de Riuo.

Eius articuli ſunt damnati. 192. a
An Louanienſes conceſſerint illam minorem, de qua ibi, vel diſtinguendam reliquerint diſſimctrone maioris. 193. b
Affertur ad propoſitum Arnobij ſententia. 194. a

Poſſibilitas.

In quo differat poſſibilitas abſoluta in ſe à poſſibilitate reſpectiua ad cauſam. ib.

Prædeſtinatio.

Sine Præſcientia eſſe non poteſt, benè e contra. 403. c

Prædeſtiniani.

Horum hæreſis apud quos exorta. 119. c
Qui negauerint hanc hæreſim vnquam extitiſſe, & eorum rationes. 275. b
Alij potioris auctoritatis eam agnoſcunt, & afferuntur locus, tempus, & occaſio originis eiuſdem. ibi. c. 276. a
In genererali Concilio Arauſicano damnata hæc hæreſis. 279. c
Ante allata argumenta diſſoluuntur. 280. c. ſeq.

Præ-

INDEX:

Prædeterminatio.

Duplex quam repodient, & quam recipuant integri Thomiſtæ. 238. a

Cur aliqui magis vſi ſint verbo Præſcieotiæ quàm Prędeterminationis ex D. Auguſtino. 413. c

Illa, qua homo liberè ſe determinat, ſi reducatur in ſolum iudicium intellectus, quid abſurdi ſequatur. 436. c

Præſcientia.

Rationes, quibus aliqui ſuadere nitebaotur minimè expedire de ea diſſerere. 144. a. ſeq.

Oppoſitum nouem rationibus ſtabilitur. 146. b. ſeq.

Et ſi fortè noo indiſcriminatim de ea diſſerendum, placitum tamen D. Auguſtini magis conſonum eſt veritati: & ad id aptatur hiſtoria. 157. a

Qui voluerint ante euentũ nihil præſciri à Deo. 163. b

Futurorum præſcientia ſine decreto ponitur à Cicerone. 164. a. b

Pręſciẽtia conditionatorũ ex doctrina Platonis. 166. c

Thomiſtarum aſſertum circa conditionatorum præſcientiam triginta, & ſex rationibus ſuadetur. 171. ad 194.

Quas opponunt contra præſcientiam inniaam decreto obiectiones, ferè omnes ſunt præoccupatæ, & ſolutę à D. Auguſtino, quod latè oſtenditur. 195. ſeq.

Abſurda omnia, quæ io nos Aduerſarij intorquent, in eos pariter poſſunt intorqueri. 199. b

Hanc grauiſſimam quæſtionem qui reuocauerint ad quæſtionem de nomine. 300. b

Vix vllum argumentum proferunt recentiores in hac materia, quod ab Ethnicis non fuerit excogitatum, & referuntur loca. 301. b

Vſus gratiæ præſcitos non eſt ratio collationis gratię, niſi ſecundum rationem cauſæ finalis ex D. Thom. quid inde eliciatur. 304. b

Quæ diſparitas inter Præſcientiam, & Creationem. 328. c

Modus Præſcieotię futurorum in Deo adeò ardua res, vt D. Aug. ſe ſolum in Patria aſſecuturum in Patria dicebat, ac ideò quid. 415. a

Præſcientia Diuina, & Prædeſtinatio gaudere debent non ſola quadam certitudine morali euentus, verum etiam infallibilitate Metaphyſica eiuſdem, quid inde. 435. c

Prioritas.

Sola prioritas à quò non ſufficit ad faciendum foturũ. 337. a

Propoſitio.

Ad propoſitionem conditionalem reducitur omnis cauſalis ex D. Th. quid inde. 305. a

Qua diſtinctio inter propoſitiones ſignificantes ſolum connexionem neceſſariam terminorum ſpectantem ad lineam eſſentiæ, & ſignificantes aliquid etiam ſpectans ad lineam exiſtentiæ. 306. a

Propoſitio conditionalis eſt vna, quià vnum ſignificat, & noo quià ſignificat plura, quæ ſola coniunctione ſunt vnum. 307. c

Propoſitio conditionalis importans ſolam illationem conſequentiæ, & alia importans concomitantiam conſequentis. 341. c

In propoſitione conditionali de præſenti, aut conditio ſe tenet ex parte actus, aut ex parte obiecti, applicatur ad intentum. 342. b

Quid maius requiri videtur ad verificaodam propoſitionem abſolutam quàm conditionatam. 372. c

Conoexio propoſitionis conditionatæ vt talis nihil ponit in eſſe, & tales propoſitiones conditionales de futuro tales dici poſſunt potius grammaticaliter, quàm theologicè, vel philoſophicè. 376. a

In materia contingenti, vel libera, quodnam diſcrimen ioter propoſitionem particularem de præſenti, vel etiam de præterito, & de futuro ex alia parte. 420. b

D. Proſper.

Quàm cautus, & fidiſſimus D. Aug. propugnator. 27. b

Et ſi ab ipſo decem illa capita epiſtolę Cœleſtini fuerint exarata, quid non inde deducendum. 28. c

Fuit miniſter Sedis Apoſtolicę. 29. a

Et ſi non vtatur verbis illorum capitulorum qoid non inferendum, à ſimili demonſtratur, & ratione. 31. b

Quędam eius verba, quę plurimum faciuot ad rem controuerſam, expenduntur, & cui potius aptanda diligentius perpenditur. 104. a. 105. a

Conſtat fuiſſe Epiſcopum, at non de loco, & tempore. 126. c

Maximæ ſemper fuit auctoritatis poſt D. Aug. inter eos, qui contra Semipelagianos ſcripſerunt. 128. c

Minus ſolidè aliqui ex eius verbis volunt Maſſilienſes ferè omnes errorem abdicaſſe. 132. a. b

In Chronico honorificam mentionem fecit de Caſſiano, quid inde deducendum. 133. c. 134. a

Prouidentia.

Ex ea non ſequitur quod omnes effectus ſint neceſſarij, ſed neceſſarium eſt quod ſint contingenter, vel ex neceſſitate. 149. c

Q

Quiros, ſeù Bernalius.

MAlè aſſerit Thomiſtas ab aduerſaria Schola didiciſſe, quę profert. 294. c

R

Roffenſis.

ENarrat quanta Lutherus iaculatus ſit in D. Th. & Thomiſtas, opprobria. 215. a

S

Saluianus.

DVo obſtant, ne de eo fiat ſuſpicio quod ipſe peroraucrit pro vindicandis maſſilienſibus ab hęreſi ſaltem formali. 88. c. 89. ſeq.

Sanctus.

Titulus ſancti neque officiosè antiquitus conceſſus fuit hęreticis, ex hiſtoria id oſtenditur. 140. c

Schola, Scholaſtici.

Coonexę ſunt poſt natam ſcholam, ſcholę contemptio, & hęreſum peſtes. 46. a

Scholaſtici D. Auguſtinum ſunt ſecuti. ib.

Scientia.

Conditionatorum in Deo ad quam ſcientiam ſpectet, varię ſententię, quam vt probabiliorem eligat Auctor. 309. a. 310. a. 311. a. b

Scientia Viſionis, quæ per ſe primo, & rectè reſpiciat. 312. b

Scientia ſimplicis intelligentię, & viſionis diſtinguuntur penes obiecta io actu, & non in actu, ideò inter eas non datur medium. 315. a

Scientia libera in Deo ſemper talis eſſe debet, & ſubiectiuè, & obiectiuè, idque tredecim rationibus ſtabilitur. 317. b. ſeq.

Scientiam Diuinam facere obiectiuè pendentem à creaturis abſonum viſum eſt etiam Philoſophis Arabibus. 319. c

Sicut ſcientia Diuina infinita attingere debet de ſe [illegible]

INDEX.

Ero omnia vera quocumque modo ſcibilia, ita etiam eius voluntas infinita debet amare omnia bona reperta in eodem Deo, quid inde infertur. 380. a
Habitudo ſcibilis ad ſcientiam noſtram tripliciter poteſt accipi, ſic & habitudo terminationis actus diuinæ ſcientiæ, vel volitionis, ad creaturas. 399. a. b

Scientia Media.

An fuerit Molinæ inuentum, & quot rixantur inter ſe de primi inuentoris nomine. 52. c. 449. a
Qui ex eodem Inſtituto tali inuento ſe oppoſuerint. 53. a
Indicantur, qui referunt cuinam parti periculum immineret in diſputationibus habitis. ib. c. 54. a. ſeq.
An talis ſcientia ſit conformis doctrinæ D. Aug. & ad id pulchra hiſtoria. 155. a
Qualiter à diuerſis dilecta. 160 a
Cum abuſu ab Orbe condito quem habuerit Magiſtrum, & quos diſcipulos. ibi. c. ſeq.
An ad id S. Thomas, & alij reſpexerint. 161. c
Chryſippus in re eam tutatus eſt. 165. a. ſeq.
Alcynous Platonicus manifeſtè eam exponit. 166. c
Caluinus ea vſus eſt quoad Adam in ſtatu innocentiæ. 167. b
Videntur etiam eam tenuiſſe Marcion, & Ariani, & Maſſilienſes exſuſcitarunt. 168. c
Non fuit adhibita in Concilio Tridentino. 169. b
Secluſo abuſu, qui eam in Orbem protulerint. ibi. c 170. a
Quid de ea ſcripſerit Henriquez ex Societate. 171. b
Exploditur triginta ſex rationibus diuerſis ab his, quibus vtitur Auctor in Opuſculo de Cõcurſu præuio, & ab his, quæ habent P. P. Salmanticenſes, & Gonet. 171. c. ad 194
Minimè conformis doctrinæ D. Auguſtini latius oſtenditur. 173. ſeq.
Auctoritatibus D. Auguſtini, quas Aduerſarij adducunt pro tali ſcientia, diuerſimodè ſit ſatis. 204. c. 205. ſeq
Iterum talis ſcientia exploditur tredecim rationibus. 317. c. ſeq.
Ex ea plura conglomerantur abſurda. 420. b. c
Minimè imprudenter egerunt, qui ab initio de ea dubitarunt, & cur. 447. c
Congeſta Vniuerſitatum patrocinia pro hac ſcientia quid oſtendant. 452. c
Relicto Molinę modo ad alia recurrerunt poſtea alij, vt eam defenderent. ibi.

Semipelagiani,

Inter eos fuit diſſenſio, ita vt quatuor eorum ordines ſuborti ſint. 70. b
Nomine gratiæ initialis quid intelligebant. 71. b
Quoſnã præcipue actus naturales ponerent inchoantes gratiam. 75. c
Diluuntur nouem argumenta, quibus aliqui intendebant probare eos inter actus naturales inchoantes gratiam non poſuiſſe aliquam fidem naturalem, deſiderium ſanitatis, & orationem. 76. a. 77. ſeq. b
Origo diſſidij inter D. Auguſtinum, & ipſo[s]
Quo in ſenſu aberrarẽt aliqui in quodam a[...] a
Permittuntur laudari ab ingenio, ſtudio, & vitæ meritis. 86. a
An pro aliquo tempore, quo errare cœperunt, ob inuincibilem igorantiam ſolum materiales heretici plerumque haberi poſſent. 87. c. 88. ſeq.
Obiectiones Vincentianæ, & Gallorum Capitula, minime è miſſa poſt Cœleſtini epiſtolam. 95. a
Sub nomine Pelagianorum comprehendebantur, nedum à P. P, ſed etiam à Scholaſticis. 97. c
Qualis differentia inter eos poſt epiſtolam Cœleſtini, & Semi-Arianos poſt Nicænum. 140. c
Eumdem aſſumebãt prætextum, quem & Ariani. 152. c
Qui ea recentioribus in eorum errorem lapſi. 153. a
D. Auguſtino opponebant, quæ ipſe ſibi nomine Aduerſariorum obijciebat, quorum exemplum nonnulli ſunt imitati. 205. a

Senſus compoſitus, & diuiſus.

Quam nobis Aduerſarij de hac diſtinctione explicationem imponunt, eadem immo ipſi neceſſe eſt vtãtur. 241
Perperam eam carpit Bail, dum fatetur eam adhibitam à P. P. in Tridentino. 259. a. b
Hanc vtique diſtinctionem aliqui minus periti dum explanare contendunt magis obſcurant, & exemplum adducitur. ibi. c. 290. a

Sibille.

Alexander Sibille Ord. Præd. Louanij Regens quo anno ediderit Theſes aduerſus Ianſenium, ex quo euincitur Diatribiſtæ impoſtura. 50. c. 266.
Quid P. Thomas Turchius Generalis Ord. Præd. eidem circa illas reſcripſerit. 51. a
Euulgauit Tomum in quinque libros diſtributum contra Ianſeniſtas ante eorumdem damnationem. 266. c

Stœchades.

Inſulæ quo ſitæ, quomodo appellatæ, à quibus inhabitatæ. 100. b. c
Series Abbatum in altera earum, & eorundem conditio. 101. a

Suarez.

Societatis Ieſu ſapientiſſimus ſcriptor quid protulerit de Aduerſariorum ſententia. 151. a

T

Taciturnitas.

Quando mala ex Cœleſtino. 25. a
Quæ non careat ſuſpicione. 156. c

Theophylus Raynaudus.

Contra Thomiſtas vtitur verbis Fauſti Rhegienſis iam proſcripti. 136. a
Thomiſtas non ſtare pro Ianſenio apertiſſimè teſtatur. 265. c.

D. Thomas Aquinas.

Qualis erga D. Auguſtinum. 1. b. c
Compoſuit officium pro eiuſdem Feſto 2. a
De eo ingenuè aſſerit Caramuel, quod eſt contra Thomani Auguſtini non eſt. 215. b
Vſus eſt principijs D. Auguſtini pro libertate hominis tuenda. 239. c
Signantur eiuſdem loca, in quibus contradictoriè aduerſatur quinque damnatis propoſitionibus Ianſenij. 270. b
Encomium, quo eum Alexander VII. Exornat, aliqui eneruare ſunt conati, ſed irrito niſu. 271. a
Expenditur contra Orthegam eius doctrina, quomodo actio peccati in quantum actio ſit à Deo. 465 a

Thomiſtæ.

Vt hæreticum abuſum præſcientiæ conditionatorum funditus profligarent, ſcientiam mediam etiam quoad ſubſtantiam ſunt auerſati. 160. b
Quamplurimi doctiores Vniuerſitatum eorum ſententiam in re controuerſa approbarunt. 171. a

Per

Pōſt extenſum oſtenditur quam longè diſtent à Caluiniſtis. 210.a
Præcipuè contra Bail, decem, & ſeptem rationibus, id ſtabilitur. 213.c
Eiuſdem contra eos obiecta diluuntur. 251.c
Adducuntur diſcrimina inter modum, quo Caluinus vſurpat diſtinctionem de ſenſu compoſito, & diuiſo, & quo ea vtuntur Thomiſtæ. 222.b
Quid ſemper cordi habuerint ipſi circa Diuinam motionem, quod non conſiderauit Caluinus. 232.b
Quàm aliter ſentiant à Caluino de neceſſitate gratiæ ab intrinſeco efficacis, tum in ſtatu innocentiæ, tum in ſtatu naturæ lapſæ. 234.a
Quæ contra eos adducuntur obiectiones in re propoſita, eædem ſunt cum illis, quas Iulianus D. Auguſt. obijciebat, & ab eo fuere ſolutæ. 237.c.ſeq.
Quàm longè à Caluino doceant de neceſſitate conſequentiæ. 240.c
Magis ſe diſcriminant à Caluino in re controuerſa, quam Aduerſarij. 243.a
Qui ex cæteris eorum ſententiam laudarint. 245.c
Quæ ante Aduerſarij notam Caluiniſmi obiecerint. 248.a
Nō ipſi fuere primi, qui SemiPelagianiſmi notam Aduerſariorum ſententiæ inuſſerint. ibi.
Eodem prorſus modo aliqui procedunt in illos, ac Iulianus olim in D. Auguſt. vt euinceret eum cum Manichæis ſenſiſſe. 253.a
Afferuntur reſponſa D. Auguſt. ad hæc. 255.a
Eorum ſententiam de conditionatorum præſcientia Ianſeniſmo minimè affinem eſſe quindecim rationibus ſtabilitur. 264.ſeq.
Et plures ex cæteris idem ſenſerunt. 265.b,266.a
Antequam Ianſenius ſcriberet eius doctrinam impugnarunt. ibi.b
Aliqui toto impetu ferri ſimulant in Ianſenium, & obliquè per latus eoſdem petunt. 273.a
Quam nunc cognoſcunt cognitionem obiectiuè probabilem, & priores agnouerunt. 294.c
Omnes omnino concedunt in Deo ſcientiam obiectiuè infallibilem futurorum conditionatorum etiā loquendo de diſparatis. 297.b
Quàm incautè quis Aduerſariorum Scholæ dixerit recentiores Thomiſtas negare omnem conditionatorum ſcientiam. 302.a
Quæ alia ſententia, adhuc ſcientiæ mediæ aduerſa, poſſit admitti vt probabilis in Schola Thom. 391.c
Non vna in ætate, ſed pluribus ſeculis ab hoſtium iaculis premuntur. 410.c
Quæ communior, ac probabilior in re controuerſa ſit inter eos ſententia fuſius explicatur. 418.c
Nullus eorum verè, & in re concurſum præuium Thomiſticum negauit, & qui ab Aduerſarijs recenſentur, falsò afferuntur. 450.c ſeq.
Quam longè à ſenſu Caluiniſtarum abſcedant in his, quæ ab Orthega eis imponuntur. 460.a

V

Vaſtida.

Qui aſſerant ſententiam commutaſſe, immò oppoſitam eis quam prius defenderet, propugnaſſe. 137.b

Veritas.

Ea Dialectica duplex de modo, & de dicto, qualis vtraque, & quid ex hoc de approbatione Eccleſiæ infertur. 9.b
Veritas ſubſequens ad oppoſitionem contradictoriam eſt neceſſaria. 421.c

Vincentius Lirinenſis.

Semipelagianis non adhæſit. 96.a
Eiuſdem operis plurium referuntur encomia. 97.b
Semipelagianos exagitauit. 98
Obiectionum Vincentianarum minimè Auctor. 99.a
Donum ſpeciale perſonale contra Caſſ. exagitat. 119
Vidit doctrinam D. Auguſtini probatam ex antiquis P.P. & in Cœleſtini epiſt. comprobatam, quid inde eliciendum. 121
Quorum nomina prætermiſerit quieti eorum conſulens. 122
Ex phraſi illa, qua vtitur, ratione, & exemplis oſtenditur nihil in eo hæſitationis deducendum. 123.a
Sub alieno nomine multoties libri cuduntur. 124.a

Vitalis Carthaginenſis.

Qualiter reprehenſus à D. Auguſtino. 74.a

Vocatio.

Effectus vocationis Diuinæ duplex cauſa, proxima, & radicalis, quæ vtraque ſit ex D.D. Aug. & Thoma aperitur. 207.b

Voluntas.

Creata aut ipſa eſt prima cauſa peccandi, aut nullum etiam peccatum eſt cauſa peccandi. 188.a
In deficiendo eſt prima cauſa. 190.a
Ad malum prior eſt voluntas hominis, ad bonum prior voluntas Creatoris. 191.a
Voluntas libera tanto erit liberior quanto ſanior, tanto autem ſanior quanto diuinæ Miſericordiæ ſubiectior. 196.c
Actus volitionis in nobis cauſatus ex efficacia gratiæ ſolam habet neceſſitatem conſequentiæ, non conſequentis. 225.c
Voluntas creata in deficiēdo eſt primū deficiens. 237.a
Voluntas antecedens poteſt dici conditionata ex parte voliti, quid inde infertur. 304.a
Cum aliquid dicitur fieri voluntate quot modis id poteſt intelligi. 377.a.415.a
Voluntas Diuina non indiget alio priori etiam virtualiter determinatiuo ante futuritionem eiuſdem determinationis liberæ futuræ. 392.a
Voluntas Diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſe ipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam, ex quo firmatur intentum, & obiecta ſoluuntur. 393.a
Si voluntas Diuina hoc ſolum haberet quod eſt ſe, poſſe determinate ad hoc, vel illud, non differret ab humana, quo modo. 395.b
Diuinum velle à quo habet neceſſitatem. 399.a
Voluntas ad volitum duplicem habet reſpectum. ibi.c 423.b
Cur poſſit de præſenti Diuina Voluntas primariò per decretum eſſe ſe determinans ſine alio prærequiſito decreto non ſic verò primo ſe determinatura ad actum executiuum ſine præcedentia decreti. 427.a
Errores de voluntate, ſiue libero arbitrio, damnati ab Vniuerſitate Pariſienſi, qui, & inde firmatur intentum. 437.c

Voſſius.

Hæreticus detrectat aliquot Capita eſſe verè epiſtolæ Cœleſtini, & confutatur. 29.b

Z

Zoſimus.

Summus Pontifex, cuius epiſtolæ in materia doctrinæ D. Auguſtini minimè ſunt ſuppoſititiæ. 22.a

Zumel.

Eius ſententia de futuris conditionatis, quod ſit probabilis latius oſtenditur. 366.a
Malè culpatur ſiuè de repugnantia, ſeu de inconſtantia, & perperam pro ſcientia media adducitur. 382.b

FINIS.

Digitized by Google